5703

F^R. JOANNIS DE ALIAGA

SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM IN CONVENTU SALMANTINO
M. atque in eadem Universitate Primarij Moderatoris &c.

TOMUS TERTIUS

QUÆST. COMMENTARIÆ IN 1. 2. D. THOMÆ ANGEL. MAGISRI,
atque Ecclesiæ Doctoris &c.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO PAPÆ XIII.

SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM DICTUS.



CUM SUPERIORUM PERMISSU.

Salmanticæ: Ex Officina S. Crucis. Anno 1728.



LICENTIÆ SVPERIORVM, ET APPROBATIONES CENSORUM.

LICENTIÆ ILLVSTRISSIMI EPISCOPI Salmantini, Regij Senatus Castellæ, & RR. P. N. M. Generalis Ordinis Prædicatorum, & approbationes Censorum eædem omninó sunt cum his, quæ habentur in principio Primi Tomi; quia totum hoc opus in quatuor partes distributum simùl revisum, & approbatum est, & facultates necessariæ ad ipsum edendum simúl sunt obtentæ, ut constat ex Revisorum censuris exhibitis in Primo Tomo.

ER

ERRATA SIC CORRIGE.

Fol. 3. col. 2. lin. 30. Animam, lege Adamum. fol. 4. col. 1. lin. 2. ſanctum', lege ſancitum. ibidem lin. 8. alabueltum, lege abluantur. fol. 48. col. 2 lin. 40. con, lege conſenſum. fol. 50. col. 2. lin. 52. morale, lege naturale. ibid lin. 54. naturale, lege morale. fol. 82. col. lin. 44. iuſtiæ, lege iuſtitiæ. fol. 112. col. 1. liu. 28. uno, lege imò. fol. 114. col. 1. lin. 14. privativum, lege poſitivum. fol. 116. col. 1. lin. 22. netura, lege natura. fol. 123. col. 1. lin. 36. virtutes, lege veritates. fol. 136. col. lin. 38. negativè, lege affirmativè. fol. 129. col. 2. lin. 21. noſcere, lege nocere. fol. 132. col. 1. lin. 32. corrumpe, lege corrumpere. fol. 138. col. 1. lin. 45. tuit, lege potuit. fol. 155. col. 2. lin. 39. plurimum, lege plurium. fol. 129. col. 1. lin. 20. filium, lege finem. fol. 199. col. 1. lin. 42. ipſo, lege ipſum. fol. 202. col. 2. lin. 53. quiadaaud aliquos, lege qui ad aliquos. fol. 233. col. 2. lin. 12. virtutem, lege virtutum. fol. 221. col. 1. lauditoribus, lege lectoribus. fol 281. col. 1. lin. 25. nullius, lege nullum. fol. 298 col. 2. lin. 26. exempla, lege exemplo. fol. 306. col. 1. lin. 38. conditionis, lege cognitionis. fol. 332. col. 1. lin. 14. complatione, lege contemplatione. fol. 353. col. 1. lin. infiere. lege influere. fol. 354. col. 1. lin. 12. nego conſeq. lege concedo conſeq. fol. 322. col. 2. lin. 53. expedit, lege expedita. fol. 389. col. 2. lin. 3. talem, lege tale. fol. 408. col. 2. lin. 20. indiatè, lege immediatè. fol. 443. col. 1. lin. 48. poſſe, lege puræ. fol. 441. col. 1. lin. 2. totum, lege ſolum. fol. 446. col. lin. 48. orum, lege ortum. fol. 452. col. 1. lin. 28. reddere, lege recedere. fol. 552. col. 2. lin 35. doum, lege donum. fol. 563: col. 1. lin. 36. S. lege ſententia. fol. 521. col. 1. lin. 40. tum, lege primum. Ibidem lin. 50. ſint lege ſine. fol. 582. col. 1. lin. 11. perverandum, lege perſeverandum. fol. 584. col. 1. lin. 9. robando, lege roborando. fol. 587. col. 2. lin. 33. ſecunda, lege ſecnndum.

Eſte libro intitulado: *Tomus Tertius: Quæſtiones Commentariæ in* 1. 2. *Divi Thomæ Angel. Mag. atque Eccleſiæ Doct.* &c. ſu Autor el Maeſtro *Fr. Juan de Aliaga*, del Orden de Predicadores, Cathedratico de Prima de la Univerſidad de Salamanca; advirtiendo eſtas erratas, correſponde à ſu Original. Madrid, y Septiembre a diez de mil ſetecientos y veinte y ocho.

Lic. D. Benito de Rio Cao de Cordido.
Corrector General por S. M.

TASSA.

DON Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nueſtro Señor, y ſu Eſcribano de Camara, y de govierno del Conſejo; certifico, que haviendoſe viſto por los Señores de èl un Libro intitulado: *Tomus Tertius Quæſt. Comment. in* 1. 2. *Div. Thom. Ang. Mag. atque Eccleſiæ Doct.* &c. eſcrito por el Maeſtro *Fr. Juan de Aliaga*, del Orden de Predicadores, que con iicencia de dichos ha ſido impreſſo, taſſaron à ſeis maravedis cada pliego; y el dicho Libro, y Tomo tercero parece tiene ciento y ſetenta y uno y medio, ſin principios, ni tablas, que à eſte reſpecto monta mil y veinte y nueve maravedis; y à dicho precio, y no mas, mandaron ſe venda, y que eſta certificacion ſe ponga al principio de cada Libro, para que ſe ſepa el precio, à que ſe ha de vender. Y para que conſte doi la preſente en Madrid à diez y ſiete de Septiembre de mil ſetecientos y veinte y ocho.

Por indiſpoſicion del Secretario Munilla, y como ſu Oficial Mayor:

Joſeph Antonio de Yarza.

IN:

INDEX QUÆSTIONUM, ET §§.

DUBIUM I.

An sit peccatum originale, illudque sit verè, & propriè peccatum? fol. 1.

§. 1. STabilitur Catholica veritas.

Parvuli descendentes ab Adamo nascuntur infecti peccato ortum ducente ex peccato illius. Ibi.

§. 2. Aliquæ obiectiones solvuntur. fol. 4.

§. 3. 2. conclusio. Peccatum originale est verè, & propriè peccatum. fol. 5.

§. 4. 3. concluſ. Peccatum non dicitur æquivocè, aut analogicè de peccato originali, & actuali. fol. 6.

DUBIUM II

An, & qualiter peccatum originale sit parvulis voluntarium? fol. 9.

§. 1. Ratio dubitandi proponitur. fol. 9.

§. 2. In quo variæ solutiones reijciuntur. Ibid.

§. 3. Explicatur modus, quo peccatum originale fuerit parvulis voluntarium. fol. 13.

§. 4. Statuitur Conclusio. Omnes posteri ex Adamo descendentes in aliquo vero sensu commisserunt idem peccatum, quod fuit commissum ab Adamo. fol. 13.

§. 5. Prædictus modus dicendi aptior est ad salvandum in peccato originali parvulorum veram rationem peccati habitualis, & rationem voluntarij terminativè. fol. 17.

§. 6. Exponitur modus, quo verificatur parvulos, etiam in vero sensu commisisse peccatum actuale Adami. fol. 19.

§. 7. Solvitur ratio dubitandi, & quæ modum dicendi hucusque traditum impugnare valent solvuntur. fol. 22.

§. 8. Reliqua argumenta specialitèr excogitata solvuntur. fol. 31.

DUBIUM III.

An, ut peccatum Adami sit posteris voluntarium fuerit necessarium aliquod pactum à Deo celebratum cum illo? fol. 37.

§. 1. Prænotantur aliqua, & referuntur sententiæ. Ibid.

§. 2. Prima conclusio. Ut peccatum Adami nobis imputetur, sive ut ex illo derivetur ad nos peccatum originale, necessarium fuit ordinationem divinam innotuisse Adamo. fol. 39.

§. 3. Solvuntur argumenta contra conclusionem. fol. 41.

§. 4. 2. conclusio. Inter Deum, & Adamum fuit verum pactum de

traductione iustitiæ originalis, si servaret præceptum. fol. 43.
§. 5. 3. conclusio. Adam expressum consensum, & formalem præbuit prædictæ ordinationi divinæ, ratione cuius pactum fuit explicitum ex utraque parte. fol. 45.
§. 6. Solvuntur argumenta contra secundam conclusionem. fol. 46.

DUBIUM IV.

An potuerit Adamus constitui caput morale illorum, quorum non erat caput naturale? fol. 49.

§. 1. Aliqua prænotantur, & referuntur sententiæ. Ibid.
§. 2. Statuitur conclusio. Potest Deus constituere aliquem hominem caput morale, esto non sit naturale respectu parvulorum nondùm existentium, futurorum tamen aliquando, ex quo peccante derivaretur ad illos peccatum. fol. 52.
§. 3. Solvuntur argumenta. fol. 54.
§. 4. Qualis esset consensus tunc translatus a Deo, & an miraculosus? fol. 61.

DUBIUM V.

An possit aliquis constitui caput morale respectu hominum, iam existentium, & habentium usum rationis? fol. 64.

§. 1. Respondetur affirmativè. Ibid.
§. 2. Solvitur argumentum speciale pro Adamo habente usum rationis. fol. 65.
§. 3. Quid dicendum de parvulis, & adultis sanctificatis per gratiam? fol. 67.
§. 4. Quid de voluntate Christi Domini, & Beatorum? fol. 69.
§. 5. Quid de Angelo pro 1. instanti suæ creationis? fol. 70.

DUBIUM VI.

An peccatum Adami sit causa moralis peccati originalis parvulorum? fol. 74.

§. 1. Aliqua prænotantur, & referuntur sententiæ. Ibid.
§. 2. 1. conclusio. Peccatum Adami fuit causa efficiens moralis pecti originalis parvulorum. fol. 76.
§. 3. Solvuntur argumenta. Ibid.
§. 4. Peccatum Adami non fuit causa efficiens demeritoria peccati originalis posterorum. fol. 79.
§. 5. Solvuntur argumenta. fol. 81.
§. 6. Exponitur sensus; in quo communiter dicitur peccatum Adami esse causam moralem peccati originalis, & aliquæ instantiæ solvuntur. fol. 84.

DUBIUM VII.

An peccatum Adæ sit causa physicè effectiva peccati posterorum media aliqua virtute, aut privatione vigoris inducta in semine ex tali peccato? fol. 86.

§. 1. Supponuntur aliqua. Ibid.
§. 2. 1. conclusio. Semen non causat peccatum originale per suam virtutem innatam, aut per aliquem modum, aut respectum ei superadditum ex peccato Adæ. fol. 87.
§. 3. 2. conclusio. Semen non causat peccatum originale media aliqua virtute ei superaddita. fol. 88.
§. 4. 3. conclusio. Asserere semen, ut privatum vigore, seu virtute supernaturali ad traductionem gratiæ, ut sanctificantis posteros, causare instrumentaliter in ipsis peccatum originale non est de mente D. Thom. fol. 89.
§. 5. Non congruit rationi. fol. 93.
§. 6. 4. conclusio. Idem dicendum de privatione vigoris, quem haberet semen pro statu innocentiæ ad traducendam iustitiam originalem, proùt hæc dicet dona, quibus appetitus erat subditus rationi, & corpus animæ. fol. 94.
§. 7. Reijcitur alius modus dicendi præcedenti affinis excogitatus à RR. fol. 97.
§. 8. Solvuntur argument. fol. 100.

DU-

DUBIUM VIII.

An negata omnis efficientia physica in semine respectu peccati originalis parvulorum plura testimonia Sanct. Doct. aliorumque SS. PP. valeant rectè explicari? fol. 103.

§. 1. Cur semen dicatur mansisse infectum, & immundum propter peccatum Adami? Ibid.

§. 2. Cur dicatur privatum vigore, quo pollebat in statu innocentiæ? fol. 104.

§. 3. Qualiter verificetur, concupiscentiam Patris esse causam peccati originalis, & per actum illius traduci peccatum originale? fol. 105.

§. 4. Qualiter verificetur Animam maculari, & contrahere peccatum originale, per unionem ad corpus, sive ad carnem? fol. 106.

§. 5. Qua ratione verificetur peccatum originale contineri in semine, tanquam in causa instrumentali? fol. 108.

§. 6 Solvuntur argumenta, & alijs testimonijs occurritur latiori methodo. fol. 110.

DUBIUM IX.

An stando ponderi rationum peccatum Adami dicendum sit causa physica peccati origin? fol. 114.

§. 1. Respondetur negativè. Ibid.

§. 2. Solvuntur argumenta. fol. 117.

DUBIUM X. APPENDIX.

In quo variæ difficultates ad præcedentium intelligentiam decidun-tur. fol. 125.

§. 1. An, qui sine concursu seminis virilis formaretur miraculosè, aliun dè ex carne humana, contraheret peccatum originale? Ibid.

§ 2. An, si Adamus peccasset post filios iam genitos, isti iam nati contraherent peccatum originale. fol. 126.

3. An, si Adam antequam peccaret, haberet congressum cum Eva; peccaret tamen, antequam fœtus animaretur, iste nasceretur in peccato originali? Ibid.

§. 4. An filij huius filij contraherent peccatum originale? fol. 128.

§. 5. An Adamo non peccante, etiam si Eva peccasset, filij contraherent peccatum origin? fol. 129.

§. 6. An, si Adamo non peccante, aliquis ex eius filijs v. g. Cain peccaret, filij huius contraherent peccatum originale, stando præsenti providentiæ. fol. 132.

§. 7. Omissis alijs expositionibus placet solutionem datam propugnare, addendo aliquid ad illius soliditatem. fol. 133.

§. 8. An si Anima pueri descendentis ab Adamo crearetur à Deo separata à corpore pro aliquo tempore, contraheret peccatum originale? fol. 134.

DUBIUM XI.

An Adamus per quodcumque peccatum, dummodo esset primum traduxisset in posteros peccatum originale? fol. 135.

§. 1. Conclusio affirmativa statuitur. Ibidem.

§. 2. Solvuntur argumenta. fol. 138.

§. 3. In quo tuetur malitiam superbiæ fuisse capitalem. fol. 140.

§. 4 Prosequitur solutio ad primum argum. fol. 143.

DISPUTATIO CELEBRIS DE CONSTITUTIVO PECCATI ORIGINALIS. fol. 147.

DUBIUM I.

An peccatum originale constet quòad sui essentiam in ipso peccato actuali Adami, ut aliquomodo efficiente posteros? fol. 148.

§. 1. Refutantur aliqui errores, & referuntur sententiæ. Ibidem.

§. 2. 1. conclusio. Peccatum origina-

le posterorum non identificatur, nec consistit in peccato actuali Adami, prout ab illo denominantur extrinsecè peccatores. fol. 150.
§. 3. Proponitur modus frequens inter aliquos RR. circa constitutivum peccati origin. & reijcitur. fol. 152.
§. 4. Peccatum originale parvulorum non consistit in peccato actuali Adami, ut ab illis moraliter commisso, & in eis moraliter perseveranti. fol. 154.
§. 5. Alia solutio ratione, & authoritate reijcitur. fol. 158.
§. 6. Annotationes remissivæ pro plena intelligentia dubij. fol. 160.

DUBIUM II.

An sint motiva specialia, quibus probetur peccatum originale non consistere in aliquo physico, aut purè morali distincto realitèr à peccato Adami? fol. 162.

§. 1. Aperitur sensus dubij, & aliqua notantur. Ibid.
§. 2. Probatur duplici ratione speciali peccatum origin. non posse consistere in aliquo positivo physicè, & verè tali. fol. 163.
§. 3. Solvuntur argumenta. fol. 165.
§ 4. Peccatum originale nequit consistere in aliquo positivo purè morali, quo parvuli voluntas sit positiva conversa ad bonum commutabile. fol. 168.
§. 5. Proponitur aliud motivum. fol. 171.

DUBIUM III

An peccatum originale consistat in privatione alicuius doni, vel iustitiæ originalis, prout hæc differunt realitèr à gratia, & charitate? fol. 175.

§. 1. Aliqua prælibantur. Ibid.
§. 2. 1. conclusio. Privatio alicuius doni entitativè naturalis nequit constituere adæquatè peccatum originale parvulorum. fol. 177.
§. 3. 2. conclusio. Peccatum originale nequit adæquatè consistere in privatione iustitiæ originalis, pro hæc erat donum adæquatè distinctum à gratia sanctificante. fol. 178.
§. 4. Privatio iustitiæ origin. prout hæc est habitus adæquate distinctus à gratia habituali, non spectat adhuc inadæquatè ad constitutionem peccati originalis. fol. 181.
§. 5. Alia ratio, & variæ solutiones impugnantur. fol. 184.
§. 6. Ultima ratio. fol. 186.
§. 7. Solvitur fundamentum Scotistarum pro constitutione inadæquata. fol. 187.
§. 8. In quo ex dictis excluditur alius modus dicendi. fol. 189.
§. 9. Alius modus rejicitur. fol. 191.

DUBIUM IV.

An privatio gratiæ sanctificantis quòad primarium eius effectum formalem subjiciendi Animam Deo, sive privatio iustitiæ originalis, sit essentia peccati originalis? fol. 194.

§. 1. Quædam prælibantur. Ibid.
§. 2. Probatur pars affirmativa ex capite iniustitiæ, sive iniquitatis. fol. 195.
§. 3. Probatur ex capite culpæ. fol. 196.
§. 4. Probatur ex capite mortis spiritualis, & maculæ. fol. 197.
§. 5. In quo solvitur argumentum probans, privationem iustitiæ non esse culpam originalem, quia est pœna illius. fol. 199.
§. 6. Solvitur difficile argumentum probans, in eadem privatione non posse adunari rationem culpæ, & pœnæ. fol 206.
§. 7. Prima solutio argumenti. fol. 208.
§. 8. Secunda solutio argumenti. fol. 211.

DUBIUM UNICUM DE SUBIECTO PECCATI ORIGINALIS.

An culpa originalis subiectetur immediatè in Anima? fol. 213.

§. 1. Prænotantur aliqua, & referuntur ſententiæ. Ibid.
§. 2. 1. Concluſio. Peccatum originale ſaltim inadæquatè inhæret animæ rationali immediate. fol. 214.
§. 3. Solvuntur argumenta. fol. 218.
§. 4. 2. Concluſio. Culpa originalis adæquatè quoad ſui eſſentiam inhæret ſoli animæ. fol. 225.
§. 5 Solvuntur argumenta contra ſecundam concluſionem. fol. 226.

SUBDUBIUM UNICUM.

An in potentijs Animæ infectis per peccatum originale ſit malitia moralis formaliter talis? fol. 231.

§. 1. Motivum dubij, & illius utilitas aperitur.. Ibid.
§. 2. Reſpondetur duplci ſolutione. fol. 232.
§. 3. Fertur iudicium de duplici ſolutione iàm relata, & diſcrimine inter Thomiſtas. fol. 233.
§. 4. 2. Concluſ. Si privatio charitatis, & virtutum rectificantium appetitum non eſt in ſe mala moraliter in homine peccante propria voluntate; nec privatio ſubiectionis, tùm voluntatis, tùm appetitus ad rationem, quæ traducitur per culpam origin. ut in ſe mala moraliter. fol. 235.
§. 5. 3. concluſio. Non ſufficienter explicatur malitia conveniens privationi charitatis, & virtutum infuſarum relicta in parvulis ex culpa originali, per hoc, quod ſit tantum cauſaliter, & inclinativè talis. Ibid.
§. 6 Solvuntur aliquæ inſtantiæ. fol. 237.
§. 7. 4. concluſio. Probabilior eſt ſententia Illuſt. Godoy ſtatuentis malitiam moralem intrinſecam in defectu privativo charitatis, & donorum rectificantium moraliter voluntatem, aliaſque potentias participes libertatis. fol. 239.
§. 8. 5. concluſio. Privatio virtutum, & donorum, quibus in ſtatu innocentiæ perficerentur poſteri, ſi Adamus non peccaret, præſertim, quæ ſpectant ad intellectum practicum, voluntatem, & appetitum ſenſitivum, eſt mala moraliter. fol. 240.
§. 9. Corollaria ex dictis. fol. 240.

DUBIUM I.

In quo conſiſtat concupiſcentia; quatenus eſt fomes peccati? fol. 242.

§. 1. Prænotantur aliqua. Ibid.
§. 2. 1. Concluſio. Fomes peccati, quoad ſui eſſentiam non conſiſtit in actuali motu appetitus ſenſitivi circa obiectum delectabile contrarium rationi. fol. 243.
§. 3. 2. Concluſio. Non conſiſtit in appetitu ſenſitivo, ut inclinanti in bonum ſenſibile. fol. 243.
§. 4. 3. concluſio. Non conſiſtit in aliqua qualitate morbida ex peccato originali contracta. fol. 245.
§. 5. 4. concluſio. Carentia iuſtitæ originalis, vel cuiuſcumque alterius doni perfecte ſubjicientis appetitum rationi, requiritur neceſſariò ad conſtitutionem fomitis peccati. fol. 247.
§. 6. Inſtantia contra dicta, & vera reſponſio propugnatur. Ibid.
§. 7. 5. concluſio Quotiès aliqua potentia ſupponitur proximè impedita ad aliquem actum, ut intelligatur proximè expedita ad illum, neceſſariò debet intelligi excluſio talis impedimenti. fol. 248.
§. 8. 6. concluſio. Fomes peccati non conſiſtit formaliter in privatione doni integritatis ſubjicientis appetitum rectæ rationi. fol. 250.
§. 9. Solvuntur argumenta. fol. 252.

DUBIUM II.

An Deus ſit cauſa propriè per ſe fomitis peccati? fol. 254.

§. 1. Statuitur concluſio negativa. fol. 255.
§. 2. In quo probatur, quod ſi motus actualis concupiſcentiæ non cauſatur à Deo, nec ipſe fomes concupiſcentiæ, proùt in actu primo. fol. 256.
§. 3. In quo explicatur malitia fomitis, & qualiter inclinet voluntatem etiam

etiam ad peccandum pro formali. fol. 258.
§. 4. 2. conclusio. Fomes peccati non est propriè pœna peccati originalis. fol. 261.
§. 5. Solvuntur argumenta. fol. 262.
§. 6. In quo probatur, concupiscentiam hominis conditi in pura natura non posse causari à Deo. fol. 263.

DUBIUM APPENDIX.

An donum integritatis in Adamo fuerit entitativè naturale? fol. 271.

§. 1. Prænotantur aliqua. ibid.
§. 2. Conclusio affirmativa. Idem donum fuit intrinsicè, & entitativè supernaturale. fol. 272.
§. 3. Solvuntur argumenta contra hanc rationem. fol. 273.
§. 4. Alia ratio examinatur, & liberatur ab impugnationibus. ibid.
§. 5. In quo quæritur: An integritas in Adamo dimanaverit à gratia sanctificante? fol. 274.
§. 6. Proponitur, & defenditur modus dicendi Illustrissimi Godoy. fol. 275.

TRACTATVS DE NECESSITATE GRATIÆ. fol. 277.

DVBIVM I.

Utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit? fol. 278.

§. 1. Quid nomine gratiæ intelligatur? ibid.
§. 2. Supponuntur aliquæ conclusiones certæ. fol. 281.
§ 3 Prima conclusio. Ad cognitionem plurium veritatum naturalium non indiget intellectus humanus gratia speciali donanti sufficientiam ad earum cognitionem. fol. 283.
§. 4. Secunda conclusio. Non indiget intellectus gratia speciali donanti actualem cognitionem aliquarum veritatum naturalium. fol. 284.
§. 5. Solvuntur argumenta. ibid.
§. 6. Tertia conclusio. Homo lapsus potest sine speciali gratia cognoscere omnes veritates naturales divisivè sumptas. fol. 287.
§. 7. Solvuntur argumenta contra conclusionem. fol. 289.
§. 8. Quarta Conclusio. Aliquæ veritates Dei Authoris naturæ, etsi aliàs ex creaturis cognoscibiles, nequeunt certò cognosci absque gratia speciali. fol. 294.
§. 9. Quinta conclusio. Ad cognoscendum omnes veritates collectivè requiritur gratia specialis. fol. 297.
§. 10. Sexta conclusio. Intellectus sine gratia speciali potest cognoscere aliquas veritates practicas; non tamen omnes collectivè, benè vero divisivè. fol. 302.
§. 11. In quo exponitur, qualis sit impotentia supra propugnata, & quænam gratia specialis sit requisita ad cognitionem omnis veri collectivè. fol. 305.

DVBIVM II.

An sufficientia ad operandum honestè intra ordinem naturæ sit gratia specialis? fol. 311.

§. 1. Supponuntur aliqua. ibid.
§. 2. Aliqua argumenta contra dicta solvuntur. fol. 313.
§. 3. Prima conclusio. Cogitatio recta, ut movens sufficienter voluntatem ad non peccandum intra ordinem naturæ, non est gratia specialis, & homini indebita. fol. 316.
§. 4. Secunda conclusio. Existente præcepto negativo, præcisè qua tali, cogitatio præbens sufficientiam ad illius observationem per actum moraliter honestum, non est gratia specialis. fol. 319
§. 5. Tertia conclusio. Existente præcepto de actu interno moraliter honesto, cognitio ut præbens sufficientiam ad illam non est gratia specialis. fol. 323.

§.6.

§. 6. Quarta conclusio. Cognito recta, ut sufficiens ad actum naturalem moraliter honestum, etiam si non sit præceptum, non est gratia specialis. fol. 324.
§. 6. Solvuntur argumenta. fol. 328.

DVBIVM III.

An cogitatio suasiva boni moralis, quatenus est efficax, & congrua, sit propriè gratia specialis? fol. 331.

§. 1. Prænotantur aliqua. ibid.
§. 2. Quædam ratio probativa ab ingenioso R. adducta pro sententia negativa rejicitur, ut ineffica. fol. 332.
§. 3. Prima ratio Sanct. Doctor. probans cogitationem honestam congruam ad aliqua opera honesta naturalia non esse gratiam specialem. fol. 335.
§. 4. Solvuntur argumenta. fol. 336.

DVBIVM IV.

An homo lapsus possit elicere aliqua opera honesta absque auxilio efficaci, quod sit gratia specialis intra ordinem naturæ? fol. 343.

§. 1. Statuitur conclusio affirmativa fol. eod.
§. 2. Reiecta ratione probativa cuiusdam R. proponitur prima ratio innitens doctrinæ D. Thom. fol. 346.
§. 3. Proponitur secunda ratio deducta ex doctrina Sanct. Doct. fol. 349.
§. 4. Alia ratio proponitur, qua præcedens magis roboratur. fol. 351.
§. 5. Solvuntur argumenta. fol. 352.
§. 6. In quo alijs motivis in contra occurritur, & hucusque dicta illustrantur. fol. 360.

DVBIVM V. APPENDIX.

An pro victoria levis tentationis sit necessaria gratia specialis? fol. 364.

§. 1. Prælibantur aliqua, & referuntur sententiæ. ibid.
§. 2. Prima conclusio. Etiamsi proveniat, ex speciali providentia Dei, quod tentatio levis non fiat gravis; gratia tamen requisita ad victoriam levis tentationis non est dicenda gratia specialis. fol. 366.
§. 3. Quod tentatio sit levis non semper provenit ex speciali providentia Dei. fol. 367.
§. 4. Tertia conclusio. Ad vincendas aliquas leves tentationes non est necessaria gratia specialis in natura lapsa. fol. 369.
§. 5. Solvuntur argumenta. fol. 370.

DVBIVM VI.

An ad victoriam cuiusvis gravis tentationis sit necessaria gratia specialis? fol. 375.

§. 1. Aliqua prænotantur, & sententiæ referuntur. ibid.
§. 2. Prima conclusio. Ad victoriam cuiusvis gravis tentationis requiritur gratia specialis. fol. 376.
§. 5. Solvuntur argumenta. fol. 379.
§. 4. Secunda conclusio. Ad victoriam gravis tentationis ita requiritur gratia specialis, ut physicè, & meraphysicè repugnet dari actu talem victoriam, non existente gratia speciali. fol. 384.
§. 5. Probatur authoritate, & ratione. fol. 385.

DVBIVM VII.

In quo consistat gratia specialis requisita pro victoria gravis tentationis? fol. 389.

DV-

§. 1. Statuitur conclusio. Gratia specialis requisita, consistit in complexo ex iudicio prælativo boni honesti, & gratia prædeterminante voluntatem. ibid.
§. 2. Solvuntur aliqua argumenta. fol. 390.
§. 3. Occurritur secundæ difficultati, & qualiter formatio iudicij sit in potestate voluntatis. fol. 394.
§. 4. Aliæ difficultates solvuntur. fol. 396.
§. 5. Occurritur 5. argument. sustinendo tale iudicium non se tenere ex parte actus primi. fol. 401.
§. 6. In quo describuntur varia iudia pro actibus voluntatis, & hucusque dicta roborantur. fol. 403.
§. 7. Placet doctrina tradita; quia salvat sufficientiam immediatam ad victoriam, & hoc est conforme Angel. Præcept. August. & D. Anselmo. fol. 405.
§. 8. In quo probabiliter propugnatur vera libertas ad victoriam esto iudicium se teneat ex parte actus primi iuxta aliquos Thomistas. fol. 409.
§. 9. Corollaria ex dictis. fol. 413.

SUBDUBIUM UNICUM.

In quo aliquæ difficultates solvuntur; & varij modi pro imputabilitate in consentiente tentationi examinantur? fol. 414.

§. 1. Ratio dubitandi proponitur, & variæ solutiones pro culpa non victoriæ tentationis, reijciuntur. fol. 416.

DUBIUM VIII

An homo possit sine gratia speciali diligere efficaciter Deum ut Authorem naturæ super omnia? fol. 423.

§. 1. Notabilia quædam, & sententiæ. ibid.
§. 2. Prima conclusio. Possibilis est dilectio naturalis Dei, quæ sit amor stricte benevolentiæ, & simul dilectio appreciativa ipsius ut A. naturæ super omnia. fol. 425.
§. 3. Secunda conclusio. Homo in pura natura posset diligere Deum efficaciter super omnia; non tamen sine gratia speciali. fol. 429.
§. 4. Examinatur prima ratio. fol. 432.
§. 5. Alijs rationibus probatur conclusio. fol. 436.
§. 6. Solvuntur argumenta. fol. 437.
§. 7. Gratia specialis requisita non daret veram sufficientiam, sed actualem dilectionem. fol. 445.
§. 8. In quo probatur idem assumptum, & in quo consistat talis gratia specialis explicatur. fol. 448.

DUBIUM IX.

An homo lapsus requirat gratiam actualem supernaturalem ad dilectionem Dei Authoris naturæ? fol. 451.

§. 1. Notantur aliqua. ibid.
§. 2. Statuitur conclusio negativa. fol. 452.
§. 3. Solvuntur argumenta. fol. 457.

DUBIUM X.

An homo lapsus indigeat gratia habituali ad dilectionem naturalem Dei Authoris naturæ super omnia? fol. 462.

§. 1. Prima ratio pro parte negativa examinatnr. fol. 463.
§. 2. Impugnatur ratio adducta. fol. 464.
§. 3. Occurritur fundamentis adductis. fol. 466.
§. 4. Prima ratio, & variæ solutiones impugnantur. fol. 469.
§. 5. In quo proponitur alia ratio. fol. 473.

§. 6.

§. 6. Solvuntur argumenta. fol. 474.
§. 7. In quo aliquæ conclusiones statuuntur. fol. 483.

DUBIUM XI.

An homo in statu naturę lapsæ ad adimplendam totam legem naturæ indigeat gratia speciali, & quali? fol. 485.

§. 1. Supponuntur aliqua, & referuntur sententiæ. ibi.
§. 2. Prima conclusio. Ad observantiam totius legis naturę indiget homo lapsus gratia speciali donanti actualem observantiam. fol. 489.
§. 3. Solvuntur argumenta. fol. 493.
§. 4. Secunda conclusio. Ultra gratiam specialem consistentem in diuturna illustratione, & gratia ab intrinseco efficaci, requiritur gratia illa, qua Deus aliquotiès donaret homini voluntatem efficacem, & robustam imperantem diù observationem legis. fol. 498.

DUBIUM XII.

An gratia habitualis sit requisita, ut homo diù servet totam legem naturæ? fol. 503.

§. 1. Respondetur affirmativè. ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta. fol. 507.

DUBIUM APPENDIX.

In quo, quædam difficultates decidantur. fol. 515.

§. 1. Qualis sit impotentia hominis lapsi ad observationem totius legis naturæ? ibi.
§. 2. Aliquæ instantiæ solvuntur. fol. 516.
§. 3. Occurritur alteri difficultati ex doctrina S. D. fol. 518.
§. 4. In quo, cuidam interrogationi fit satis. fol. 521.
§. 5. An sub nomine gratiæ sanantis naturam requisitæ ad legis observationem, contineatur gratia illuminationis, & delectationis entitativè naturalis? fol. 523.

DUBIUM XIII.

An homo sine speciali gratia, & privilegio possit vitare omnia peccata venialia? fol. 525.

§. 1. Prænotantur aliqua. ibid.
§. 2. Prima conclusio. Homo iustus non potest vitare omnia peccata venialia collectivè absque speciali gratia. fol. 526.
§. 3. Secunda conclusio. Idem dicendum de vitatione peccatorum venialium, quæ sunt talia ex obiecto, & fiunt cum plena deliberatione. fol. 527.
§. 4. Tertia conclusio Repugnat etiam de potentia absoluta vitare omnia peccata venialia collectivè absque speciali gratia donanti talem vitationem; non tamen sine speciali privilegio. fol. 529.
§. 5. Explicatur qualis sit impotentia ad nunquam peccandum venialiter. fol. 531.
§. 6. Solvuntur argumenta. fol. 533.

DVBIVM XIV.

An homo in gratia constitutus indigeat speciali auxilio gratiæ ad perseverandum? fol. 539.

§. 1. Prænotantur aliqua. ibid.
§. 2. Prima conclusio. Perseverantia in formali coniunctione gratiæ cum morte consistens, est donum speciale, & ex providentia speciali intra ordinem gratiæ proveniens. fol. 542.
§. 3. Solvuntur argumenta. fol. 543.
§. 4. Secunda conclusio. Donum finalis perseverantiæ, ita est speciale beneficium Dei, ut non sit in potestate hominis iusti; esto sit

in

in potestate illius non ponere obicem conservationi gratiæ. fol. 545.

§. 5. In quo probatur rationibus deductis ex authoritatibus prima pars conclusionis. fol. 548.

§. 6. Solvuntur argumenta contra primam, & præcipuam partem. fol. 551.

§. 7. In quo explicatur, quando communicatur iusto hoc donum perseverantiæ, & qualiter possit à Deo impetrari. fol. 557.

§. 8. Ultima conclusio. Auxilia dantia potestatem moralem ad perseverandum, saltim offeruntur à Deo omnibus iustis, suntque gratia specialis: ultra quæ requiritur etiam auxilium efficax obtinens veram rationem gratiæ specialis. fol. 561.

DUBIUM XV.

An homo in statu innocentiæ indiguisset speciali gratia ad perseverandum in bono usque ad finem viæ? fol. 565.

§. 1. Supponuntur aliqua. ibid.

§. 2. Prima conclusio. Adamus fuit potens potentia proxima, & omninò expedita ad perseverandum in bono, non tamen fuit potens potentia consequenti. fol. 567.

§. 3. Secunda conclusio. Hæc propositio: * Adamus non indiguit auxilio efficaci gratiæ ad perseverandum in bono, est penitùs falsa, & aliena à mente D. August. * fol. 570.

§. 4. Solvuntur argumenta. fol. 572.

DVBIVM XVI.

Utrum, ut Adamus actu perseveraret in statu innocentiæ foret necessarium adiutorium quo realitèr distinctum ab adiutorio quo ad velle perseveraret? fol. 579.

§. 1. Sensus dubij, & assertum quoddam refertur. ibid.

§. 2. Prima conclusio. Hæc propositio, ut iacet: * Dicere Adamo fuisse necessarium auxilium efficax ad perseverandum opponitur doctrinæ M. P. & Ang. Doct. plenèque evertit doctrinam de gratia ab utroque traditam. * Est propositio aperte falsa, & inconsequenter à suo A. prolata, & expressè contra utrumque S. D. ibid.

§. 3. Secunda conclusio. Adamus indiguit auxilio efficaci, per quod Deus donaret ipsi immediatè actualem perseverantiam, ut distinctam à velle. fol. 582.

§. 4. Tertia conclusio. Prædicta gratia donans Adamo immediatè actualem perseverantiam esset gratia prædeterminans, & adiutorium quo Augustinianum. fol. 584.

§. 5. Solvuntur argumenta probantia gratiam cooperantem, nec movere, nec prædeterminare voluntatem. fol. 588.

§. 6. In quo doctrina cuiusdam SS. M. refertur, & impugnatur. fol. 592.

§. 7 Solvuntur alia leviora argumenta. fol. 596.

§. 8. Solvuntur alia argumenta. fol. 597.

§. 9. Argumenta ex M. P. probantia velle efficax esse in nobis adiutorium quòad perseverare solvuntur. fol. 603.

DVBIVM XVII.

An, ut Adamus perseveraret in bono, esset necessaria volitio intrinsecè efficax, fortis, & robusta, qua vellet perseverare? fol. 607.

§. 1. Supponuntur aliqua, & sensus dubij aperitur. ibid.

§. 2. Prima conclusio. Adamus innocens potuit habere aliquando volitionem inefficacem, & inconnexam cum actuali perseverantia. fol. 610.

§. 3. Solvuntur argumenta. fol. 611.

§. 4. Secunda conclusio. Volitio, qua Adamus efficacitèr imperaret perseverantiam in bono, esset actus arduus, egregius, & magnæ perfectionis. fol. 613.

§. 5.

§. 5. Tertia conclusio. Prædicta volitio esset ex specie sua fortis, robusta, & efficacissima; aliterque non posset imperare perseverantiam. fol. 614.
§. 6. Solvuntur argumenta. fol. 617.

DUBIUM XVIII.

Problematicè exagitatum.

Qualiter sit verum Adamum non eguisse illo adiutorio, quod modo implorant Sancti? fol. 623.

§. 1. Præmittuntur aliqua, & ratio dubitandi proponitur. Ibid.
§. 2. Prima conclusio. Quamvis sit probabile M. P. tantum loqui de adiutorio *quo*, est etiam probabile loqui de adiutorio sine quo. fol. 624.
§. 3. Secunda conclusio. Tale adiutorium, quod implorant Sancti non præbet potestatem, aut sufficientiam physicam; sed tantùm moralem, consistentem in motibus sanctæ illuminationis, & cœlestis delectationis. fol. 625.
§. 4. Solvuntur argumenta. fol. 626.
§. 5. In quo aliqua afferta scitu digna proponuntur pro defensione gratiæ prædeterminantis. fol. 630.
§. 6. Quid dicendum de perseverantia Angelorum pro indigentia gratiæ specialis? fol. 636.

DUBIUM XIX.

Quid sit gratia Theologica, & quid gratia Philosophica? Et ad quos actus dispensetur? fol. 641.

§. 1. Ex doctrina D. Thomæ resolvitur prima difficultas. ibid.
§. 2. Prima conclusio pro 2. diffic. Cogitatio congrua entitativè naturalis non est gratia Theologicè dicta fol. 643.
§. 3. Aliud motivum ad idem, quia talia opera non sunt meritoria de congruo. fol. 645.
§. 4. Quidam modus refertur, & aliquibus notatis impugnatur. fol. 646.
§. 5. Probatur idem assumptum, quia actus naturalis nequit positivè disponere ad gratiam. fol. 649.
§. 6. Solvuntur aliqua argumenta. fol. 651.

DUBIUM XX.

Quid sit gratia dogmatica, & gratia per Christum? fol. 653.

§. 1. Prima conclusio. Gratia dogmatica non est determinatè gratia intrinsecè supernaturalis. ibid.
§. 2. Cogitatio honesta naturalis, & si congrua, nequit dici gratia dogmatice talis. fol. 656.
§. 3. Occurritur motivis adductis §. 1. fol. 657.
§. 4. Quinam sit proprius conceptus gratiæ Christi. Prima conclusio. Non omne donum collatum ex meritis Christi, dicitur propriè fieri per gratiam Christi. fol. 658.
§. 5. Secunda conclusio. Omnis gratia tàm sufficiens, quàm efficax ad actus positivè conducentes ad iustitiam, & consequtionem gloriæ est auxilium gratiæ per Christum. fol. 659.
§. 6. Tertia conclusio. Omnis gratia sanans infirmitatem virium ex peccato originali est gratia per Christum, etiam si sit entitativè naturalis. fol. 660.
§. 7. Quarta conclusio. Non omne auxilium ad operandum honestè intra ordinem naturæ, est gratia per Christum. fol. 662.
§. 8. Doctrina dubij traditur compendiosè. fol. 663.

ANNOTATIO PRO CONCORDIA INFLEXIBILITATIS ANGELORUM CUM NECESSITATE GRATIÆ AD PERSEVERANDUM.

fol. 665.

§. 1. Prænotantur aliqua. ibid.
§. 2. Primum motivum proponitur. Po-

Potestas antecedens, & proxima in Angelis ad primam continuationem amoris Dei v. g. non fuit potestas proxima ad perseverandum in bono. fol. 668.

§. 3. Occurritur motivo, & eius probationibus. fol. 669.

§. 4. Aliud motivum proponitur. fol. 672.

§. 5. Solutio motivi supra positi. fol. 673.

§. 6. Occurritur argumenti probationibus. fol. 675.

§. 7. Aliud, & præcipuum motivum ex merito perseverantiæ. fol. 679.

§. 8. Solutio communis ex D. Thom. fol. 679.

§. 9. Roboratur motivum præcedens, & eius probat. occurritur. fol. 680.



SCRIP:

SCRIPTA

DOCTRINAM CERTAM DE GRATIA CONTINENTIA:

EPISTOLA INNOCENTIJ PAPÆ INTER AUGUSTINIANAS 93.

INNOCENTIVS SYLVANO SENI, VALENTINO, ET CÆTERIS, qui in Milevitana Synodo interfuerunt, dilectissimis Fratribus in Domino salutem.

INter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fidelia modica disceptatione tractamus, frater, & Coepiscopus noster Iulius dilectionis vestræ litteras, quas ex Milevitano Concilio cura fidei propensione misistis, mihi inopinantèr ingessit, Carthaginensis etiam Synodi querelæ parilis scripta subiungens. Nimirùm exultat Ecclesia tantam solicitudinem commissis gregibus exhibere Pastores, ut non solùm ex his non patiantur errare, sed si quas magis ovium obscenæ delectationis herba seduxit, si in errore permanserit, aut segregari penitùs velint, aut illicentèr dudum petita vetantes, custodiæ pristinæ circunspectione tutari, in utraque parte videlicet consulentes, nè vel suscipiendo tales, simili cæteræ ducantur exemplo, vel spernendo redeuntes, luporum morsibus videantur ingestæ. Prudens admodum, & Catholicæ fidei plena consolatio. Quis enim aut tolerare possit errantem, aut non recipere corrigentem? Nàm ut durum arbitror conniventiam præbere peccantibus, ita impium iudico manum negare conversis. Diligentèr ergò, & congruè Apostolico consulitis honori, honori, inquam, illius quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicèt regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verùm hæc missa facio, neque enim hoc vestram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmastis, nisi scientes quod per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? Præsertim quotiès fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris Auctorem referre debere, velut nùnc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem Synodi sententiæ vestræ statutis viderint ab Ecclesiastica communione seiunctos. Gemino igitur bono charitas vestra fungitur. Nàm, & Canonum potiemini gratia servatorum; & beneficio vestro totus orbis utetur. Quis enim Catholicorum virorum cum adversarijs Christi velit ulteriùs miscere sermonem? Quis saltèm ipsam lucem vitæ communione partiri? Novi hæreseos nimirùm fugiantur Authores. Quid enim acerbiùs in Deum fingere potuerunt, quam cum adiutoria divina cassarent, causamque divinæ, id est, quotidianæ præcationis auferrent, hoc est dicere, quid mihi opus Deo? Merito in hos dicat Hymnidicus: *Ecce homines qui non posuerunt Deum adiutorium sibi.* Negantes ergo auxilium Dei inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dùm ad omnia vitæ perficienda mandata, sola Psalm. 51

tantummodo libertate contendat. O praviſsimarum mentium perverſa doctrina! Adverte tandem, quòd primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dùm indulgentiùs frenis eius utitur in prævaricationem præſumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, niſi ei providentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventus. Audi David dicentem: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, & adiutor meus eſto, nè derelinquas me Deus ſalutaris meus*: quæ in caſtum dixit, ſi tantùm in eius erat poſitum voluntate, quòd à Domino flebili ſermone poſcebat. Quæ cùm ita ſint, cùm in omnibus divinis paginis voluntati liberæ, niſi adiutorium Dei legamus eſſe nectendum, eamque nihil poſſe cœleſtibus auxilijs deſtitutam, quonam modo huic ſoli poſsibilitatem hanc pertinaciter, ut aſſeritis, defendentes, ſibimet, imò, quod eſt digniùs dolore communi, plurimis Pelagius, Cœleſtiuſque perſuadent? Multifarijs equidem ad deſtruendum tale magiſterium uti poſſemus exemplis, niſi ſciremus ſanctitatem veſtram ad plenum Scripturas omnes callere divinas, præſertim cùm veſtra relatio tantis, ac talibus teſtimonijs ſit referta, ut his ſolis valeat præſens dogma reſcindi, opuſque non eſſe reconditis, cum ex ijs quæ facilè vobis occurrentia poſuiſtis, nec audeant obviare, nèc poſsint. Ergò Dei gratiam conantur auferre, quam neceſſe eſt etiam reſtitura nobis ſtatus priſtini libertate quæramus: quippè nec alias diaboli machinas, niſi eadem poſſumus iuvante, vitare. Illud verò quod eos veſtra Fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmijs etiam ſine baſtiſmatis gratia poſſe donari perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem Filij hominis, & biberint Sanguinem eius, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare; cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur, non niſi baptiſmate conferendum. Si ergò nihil volunt officere, non renaſci, fateantur neceſſe eſt, nec regenerationis ſacra fluenta prodeſſe. Verum, ut ſuperfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis poſsit ratione diſcindi, proclamat hoc Dominus in Evangelio, dicens: *Sinite infantes, venire ad me, & nolite eos prohibere, talium eſt enim Regnum Cœlorum.* Quare Pelagium, Cœleſtiumque, id eſt inventores vocum novarum, quæ, ſicut dixit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis noviſsimas conſueverunt parere quæſtiones, Eccleſiaſtica communione privari Apoſtolici vigoris authoritate cenſemus, donec reſipiſcant de diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ſecundùm ipſius voluntatem: eoſque interim Dominico ovili non recipi, quod ipſi perverſæ viæ ſequuti tramitem, deſerere voluerunt. Abſcindendi ſunt enim, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Simùl autem præcipimus, ut quicumque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat. Non ſolùm enim qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, quia non multum intereſſe arbitror, inter committentis animum, & conſentientis favorem. Addo ampliùs, plerumque dediſcit errare, cui nemo conſentit. Hæc igitur, Fratres chariſsimi, in ſupra dictos maneat fixa ſententia: abſint atrijs Domini, careant cuſtodia Paſtorali, nè duarum ovium dira contagia ſerpant; forſitan per vulgos incautum, rapacique lupus corde lætetur intra ovile Dominicum tantas ovium fuſas catervas, dùm a cuſtodibus diſsimulanter habetur vulnus duarum. Proſpiciendum eſt ergò, nè permittendo lupos, mercenarij magis videamur eſſe, quam paſtores. Iubemus ſanè, quoniam Chriſtus Dominus propria voce ſignificavit, nolle ſe mortem morientis, tantùm, ut revertatur, & vivat, ſi unquam ſani, depoſito pravi dogmatis errore, reſipuerint, damnarintque ea, quorum ſe ipſi prævaricatione damnarunt, eis medicinam ſolitam, id eſt receptaculum ſuum ab Eccleſia non negari: nè dùm eos redeuntes forſitan prohibemus, verè extra ovile remanentes, expectantis hoſtis faucibus gloriantur, quos in ſemetipſis ſpiculis malæ diſputationis armavit. Benè valete. Datum ſexto Kalendas Februarias, Honorio, & Conſtantino viris clariſsimis Conſulibus.

Pſalm. 123. Pſalm. 16.

Lucæ 18. 1. Tim. 2.

EPIS-

EPISTOLA PATRUM

CONCILIJ CARTHAGINENSIS INNOCENTIO PONTIFICI ROMANO.

DE ACTIS ADVERSUS PELAGIUM, ET COELESTIUM. INTER Augustinianas 90.

DOmino Beatissimo,& honoratissimo Fratri Sancto Innocentio Papæ. Aurelius, Mundius, Rusticanus, Fidentius, Evagrius &c. Cum ex more ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter veniremus, atque ex diversis causis congregata ex nobis Synodus haberetur, Compresbyter noster Orosius nobis litteras Sanctorum fratrum,& Consacerdotum nostrorum dedit Herodis, & Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam. His ergò lectis, Pelagium, & Cœlestium Authores nefarij prorsus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus. Unde factum est, ut recensendum peteremus, quid ante fermè quinquenium super Cœlestij nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum. Quo recitato, sicut ex subsequentibus advertere poterit sanctitas tua, quamvis iudicatio manifesta constaret, quia illo tempore Episcopali iudicio excisum hoc vulnus tantum ab Ecclesia videretur; nihilominùs tamen id communi deliberatione censuimus, & huiusmodi persuasionis Authores, quamvis ad Presbyterium idem Cœlestius postea pervenisse dicatur, nisi hæc apertissimè anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, salutem eorum, qui ab eis decepti sunt, vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, Domine frater Sancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam perversitate etiam corrigenda. Id enim agunt isti damnabilibus pisputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei qua Christiani sumus, qua,& ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dùm à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*, quod auxilium fides imperat, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Isti autem asserunt, sicut à fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adiutorium hominibus dedit. Illam vero gratiam, qua, ut dictum est, Christiani sumus, cuius Apostolus prædicator est, dicens: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum-Christum Dominum nostrum*: Nolunt omninò cognoscere, sed nec apertè quidem oppugnare audent; sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus non percipientibus, quæ sunt Spiritus Dei, persuadere non cessant ad operandam, perficiendamque iustitiam, & Dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes quòd scriptum est: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram, & non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quod unum corpus sumus in Chris-*

Error circa gratiam.

Ioan. 8.

Rom. 7.

Rom. 8.

Rom. 9. Rom. 12. 1. Corinth. 15. Ibid. 2. Corinth. 4.

tò, singuli autem alter alterius membra, habentes dona diversa secundùm gratiam, quæ data est nobis. Et: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et: *Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum-Christum.* Et: *Quia non idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobis metipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et: *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei, & non ex nobis.* Et innumerabilia, quæ de Scripturis omnibus, si colligere velimus, tempus non sufficit: Et veremur, nè apnd te ista commemorando, quæ maiore gratia de Sede Apostolica prædicas, inconvenientèr facere videamur. Sed ideo facimus, quia eo quod infirmiores sumus, qua versum quisque nostrum verbo Dei prædicando putatur attentior, crebrius eos patimur, & audaciùs insurgentes. Si ergò Pelagius Episcopalibus gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ veneration ioni iustè visus fuerit absolutus; error tamen ipse, & impietas, quæ tam multos assertores habet, per diversa dispersos, etiam auctoritate Apostolicæ Sedis anathematizanda est. Consideret ergò sanctitas tua, & Pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum, & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes, necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, nè intremus in tentationem, quod Dominus, & Discipulos monuit, & posuit in oratione, quam docuit: aut nè deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. Si enim possibilitate naturæ, & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat à Domino inanitèr peti, & fallacitèr orari, cùm orando poscuntur, quæ naturæ nostræ iam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur! Nec debuisset dicere Dominum Iesum: *Vigilate, & orate*; sed tantummodò; vigilate, nè intretis in tentationem; nec Beatissimo Petro primo Apostolorum: *Rogavi pro te*: sed, moneo te, vel impero, ac præcipio, nè deficiat fides tua. Contradicetur etiam istorum contentione benedictionibus nostris, ut in casum super populum dicere videatur, quidquid eis à Domino præcamur, ut rectè, ac piè vivendo illis placeant: & illa, quæ pro fidelibus precatur Apostolus dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu-Christi, ex quo omnis Paternitas in Cœlo, & in Terra nominatur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius.* Si ergò voluerimus benedicendo super populum dicere: Da illis Domine, virtute corroborari per Spiritum tuum; istorum nobis disputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium, si hoc à Deo poscitur, quod in nostra est potestate. Virtute enim corroborari si volumus, inquiunt, possumus ea possibilitate naturæ, quam nunc non accipimus, sed cùm crearemur accepimus. Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant: promittentes, etiam si non baptizentur, habituros vitam æternam; nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: *Venit enim Filius hominis quærere, & salvare quod perierat.* Quia isti inquiunt, non perierant, nec est, quod in eis salvetur, vel tanto pretio redimatur: quia nihil est in eis vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captivum, nec pro eis fusus est sanguis, qui fusus esse in remissionem legitur peccatorum: quamquam per Baptismum Christi etiam parvulorum fieri Redemptionem libello suo Cœlestius in Carthaginensi Ecclesia iam confessus est. Sed multi, qui eorum perhibentur esse, vel fuisse discipuli, hæc mala, quibus fundamenta Christianæ fidei conentur evertere, quantumcumque possunt, affirmare non cessant. Unde etiam si Pelagius, Cœlestiusque correcti sunt, vel se ista nunquam sensisse dicunt, & quæcumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt, nec est quemadmodum de mendacio convincantur: generalitèr tamen quicumque dogmatizat, & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda; sufficere posse naturam, & eo modo Gratiæ Dei, quæ Sanctorum evidentiùs orationibus declaratur, adversarius invenitur: & quicumque negat parvulos per Baptismum Christi à per-

Matth. 6. Luc. 22.

Ephes. 3.

Error circa peccatum originale

Lucæ 19.

ditione liberari ; & salutem percipere sempiternam ; anathema sit. Quæcumque autem alia ab eis obijciuntur , non dubitamus venerationem tuam cum gesta Episcopalia perpexerit , quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur , id iudicaturam , unde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis , Domine Beatissime Papa.

EPISTOLA INNOCENTIJ PAPÆ

INTER AUGUSTINIANAS 91.

INNOCENTIVS AVRELIO , ET OMNIBVS SANCTIS EPISCOPIS, VEL cæteris qui in Concilio Carthaginensis affuerunt Ecclesiæ , dilectissimis Fratribus in Domino

salutem.

IN requirendis de ijs rebus , quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus , maximè à vero , iustoque , & Catholico tractari Concilio , antiquæ traditionis exempla servantes , & Ecclesiasticæ memores disciplinæ , vestræ Religionis vigorem , non minus , nunc in consulendo , quam antea cum pronuntiaretis vera ratione firmatis , qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium , scientes quid Apostolicæ Sedi , cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum , debeatur , à quo ipse Episcopatus , & tota auctoritas nominis huius emersit. Quem sequentes , tam mala iam damnare novimus , quam probare laudanda : vel id vero , quod Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio , non censetis esse calcanda , quod illi , non humana , sed divina decrevere sententia , ut quidquid de disiunctis , remotisque Provincijs ageretur , non prius ducerent finiendum , nisi ad huius Sedis notitiam perveniret ; ubi tota huius auctoritate , iusta quæ fuerit pronunciatio firmaretur , indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ , velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent , & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manerent , quid præcipere , quos abluere , quos velut in cœno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret. Gratulor igitur , Fratres charissimi , quod per Fratrem Coepiscopum nostrum Iulium litteras ad nos destinatis , & cum illis curam geritis , quibus præsidetis Ecclesijs solicitudinem vestram pro omni utilitati monstratis , & per cunctas totius Orbis terrarum Ecclesias omnibus unæ quod prosit decernendum esse deposcitis : ut suis constabilita regulis Ecclesia , ex hoc , quod illos caveat pronuntiationis iustæ firmata decretalibus pavere non possit , qui perversis instructi verborum argutijs sub imagine Catholicæ fidei disputantes , velut pestiferum exhalantes virus , ut hominum rectè sentientium in deteriorem partem corda corrumpant , totam veri dogmatis quærunt evertere disciplinam. Sanandum ergò celeriùs , nè longiùs execrandus animis morbus inserpat , ut , si Medicus , cùm viderit huius terreni corporis aliquem esse languorem , magnum suæ Artis æstimat documentum , si citò quis illius interventu desperatus evadat ; vel cum putre vulnus aspexit , adhibet fomenta , vel cætera ,

quibus illud possit, quod natum fuerat, vulnus obduci, ac si id mauens sanari non poterit, nè corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputat, quod nocebat, quod reliquum integrum est, servat intactum. Præcidendum id ergò est, quod velut puro, sanoque nimirùm corpori vulnus obrelit, nè, cùm tardiùs abstergitur, in ipsis penè visceribus huius mali non exhaurienda post sentina considat. Nàm quid nos de his post hac rectum mentibus existimemus, qui sibi se putant debere, quòd boni sunt, nec illum considerant cuius quotidie gratiam consequuntur? Sed item isti, qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequentur, qui sine illo tantùm se assequi posse confidunt, quantùm vix illi, qui ab illo postulant, & accipiunt, promerentur. Quid enim tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quàm huic te negare debere, quidquid in quotidiana gratia consequeris; cui te ipse confiteris debere quòd natus es? Ergò eris tibi in providendo præstantior, quàm potest in te esse, qui te, ut esses, effecit? Et cui putes debere quod vivis, quomodo te non putas illi debere, quod quotidianam eius consequendo gratiam taliter vivis? Et qui nos adiutorio negas indigere divino, quasi ex nostra in totum possibilitate perfecti, quomodo verò adiutorium in nos, cùm tales à nobis etiam esse possumus, provocamus? Qui enim adiutorium Dei negat, vellem interrogare, quid dicat, nos non mereri, an illum hoc non posse præstare? An nihil esse propter quod unusquisque hoc debeat postulare? Posse hoc Deum opera ipsa testantur, & adiutorio quotidiano nos egere negare non possumus. Hoc enim, seu benè vivimus, precamur, ut meliùs, lanciùsque vivamus; seu prava sentientes, à bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, eius auxilio plùs egemus. Nam quid tàm mortiferum, tàm præceps videatur ad casum, tàm expositum ad omnia pericula, si hoc solùm nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur accepimus, ultrà iam à Domino nihil quæramus? Id est, Auctoris nostri obliti eius potentiam, ut nos ostendamus liberos, abiuremus, quasi iam ampliùs quod possit dare, non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit: nescientes, quòd, nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conemur errores, cùm pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Nàm si ille clamat adiutorio sibi opus esse divino, qui dignè hoc non quæreret, si cui liberum arbitrium plùs prodesset, quippè cum vir beatus, & iam electus à Domino nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur postulans: *Adiutor meus esto: nè derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adiutorem: quòd nati sumus posse sufficere nos dicimus; ille Deum nè derelinquatur exorat? Nos ergò dicimus manifestè, quid oremus? Cum ille tantoperè beatus, ut suprà diximus, vir, nè despiciatur oxorat. Illi enim necesse est ita arguant, qui ista confirmant. David enim orationis ignarus, & suæ naturæ nescius accusetur: qui cùm sciat tantum in sua inesse natura, adiutorem sibi Deum, & assiduum adiutorem invocat; nec illi sufficit assiduum, sed nec aliquando illum despiciat orationibus pronus exoptat, & per corpus omne psalterio hoc, & prædicat, & clamat. Si ergò illi tam magnum sit, ut assiduè diceret, ita necessarium est confessus, ut doceret quemadmodum Pelagius, Cœlestiusque se posita omni responsione Psalmorum, talique abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt nos adiutorium Dei, nec debere quærere, nec egere, cùm omnes Sancti se, sine hoc agere posse testentur. Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dùm suis inconsultiùs utitur bonis cadens in prævaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exindè surgere posset, invenit, suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ iacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia revelasset adventus: qui per novæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit. Et eius firmans statum, quo rectiùs, stabiliùsque procederet, tamen suam gratiam

Necessitas adiutoris Dei ultra liberum arbitrium.

Probatur.

Psalm. 16.

Implorandum Dei auxilium ad non peccandum.

Necessitas auxilij Dei ad vincendos humanos errores.

tiam in posterum non negavit. Nàm, quamvis redemisset hominem à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterùm posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodùm posset illum, & post corrigere multa servavit: quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenùs vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut, quo auxiliante, vincimus, eò iterùm non adiuvante, vincamur. Sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse. Quisquis ergò huic assentiens videtur esse sententiæ, qua dicat adiutorio nobis non opus esse divino, inimicum se Catholicæ fidei, & Dei beneficijs profitetur ingratum. Nec nostra comm unione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt, sic enim sua sponte dùm sequuntur illa, quæ dicunt, longiùs à vera religione fugerunt. Cùm enim hoc totum in nostra professione consistat, quotidianisque precibus agamus, nisi quemadmodum Dei misericordiam consequamur, quemadmodum ferre possumus ista iactantes? Quis rogo tantus illorum pectora error obcæcat, ut, si nullam gratiam sentiunt, quia, nec digni sunt, nec merentur, nec de alijs considerent, quid quotidie singulis gratia divina largitur? Sunt quidem isti omni cœcitate dignissimi, qui, nec hoc sibi relinquerunt, ut se auxilio credant revocari ab erroribus posse divino. Negantes enim adiutorium, non alijs, sed sibi hoc penitùs abstulerunt, qui avellendi sunt longiùs, & ab Ecclesiæ procùl removendi visceribus, nè diutiùs multa occupans, insanabilis post error increscat. Si enim diu fuerint in hac impunitate versati, necesse est multos in hanc suæ pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel potiùs imprudentes, qui Fidem Catholicam non sequuntur. Putabunt enim eos rectè sentire, quos adhùc viderint in Ecclesia perdurare. Separetur ergò à sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sævientis afflatu, cautius quæ sunt sincèra perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sit totius corporis illa beata perfectio, quam vos sequi, & tenere hac in illos pronunciatione cognovimus, & una vobiscum pari assensione servamus. Qui si tamen aliquod in se Dei adiutorium, quod hucusquè negaverunt, provocaverint, & opus sibi eius auxilium esse cognoverint, ut de hac labe, in qua sui cordis incurvatione corruerant, liberentur, quasi in lucem de fœda tracti caligine, remotis, abdicatisque omnibus, quibus totus, nè verum aspiceret fœdabatur, & caligabat aspectus, damnent hæc, quæ hucusquè senserunt, & aliquando animum rectis disputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, veris se sanandos Concilijs tribuant, atque submittant. Quod si fecerint, erit in potestate Pontificum, istis aliquatenùs subvenire, & talibus aliquam curam præstare vulneribus, quam sole lapsis, cum resipuerint, Ecclesia non negare: ut a suis revocati præcipitijs, intra ovile Domini redigantur, nè foris positi, & tanto præsidio à fide munitionis excluſi, periculis omnibus exponantur, devorandi luporum dentibus, atque vexandi, quibus obsistere hac, qua illos in se irritaverant, doctrinæ perversitate non possunt. Sed satis vestris monitis, & sic satis abundantibus nostræ legis exemplis probatur esse responsum, nec quidquam superesse diximus, quod dicamus cum nihil prætermissum à vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati, & penitùs cognoscantur esse convicti. Ideòque à nobis testimonia nulla ponuntur, quia, & his plena relatio est, & satis constat, ut doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse, nec decet credere vos, aliquid quod ad causam possit proficere prætermisse. *Et alia manu.* Benè valete Fratres. *Et ad latus.* Quinto Kalendas.

EPISTOLA

LXXXVI.

B. LEONIS PAPÆ I.

Mandat, ut Pelagiani Sacris initiati ad Communionem recepti Fidei Catholicæ professionem emittant, eorumque hæresim refellit.

LEO EPISCOPUS ROMÆ, NICETÆ AQUILEIENSI EPISCOPO salutem.

RELATIONE Sancti Fratris, & Coepiscopi nostri Septimij, qnæ in subditis habetur, agnovimus quosdam Præsbyteros, Diaconos, ac diversi Ordinis Clericos, quos Pelagiana, sive Cœlestina hæresis habuerit implicatos, ita in vestra Provincia ad Communionem Catholicam perveniſſe; ut nulla ab eis damnatio proprij exigeretur erroris, & Pastoralibus excubijs nimiùm dormitantibus, lupus ovium pellibus tectus in ovile Dominicum, non depositis bestialibus animis introiret, & quòd per auctoritatem Canonum, Decretorumque uostrorum, ne insontibus quidèm conceditur, usurpare, ut relictis Ecclesijs, in quibus Clericatum aut acceperant, aut receperant instabilitatē suam per diversa circumferant, amantes semper errare, & nunquàm, in fundamento Apostolico permanere. Quoniam qui nullo discusi examine, nullo sunt præiudicio suæ professionis obstricti, hunc maximè expetunt fructum, ut sub velamento communionis plures domos adeant, & per falsi nominis scientia multorum corda corrumpant. Quòd utique efficere non possent, si Ecclesiarum Præsules necessariam diligentiam in talium receptione servarent, nè cuiquam eorum evagari in diversa licuisset.

Nè ergò hoc ulterius audeatur, nevè per quorundam negligenriam introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum, hæc nostri authoritate præcepti industriæ tuo fraternitatis indicimus; ut congregata apud vos Synodo Provincialium Sacerdotum, omnes, sive Presbyteri, sive Diaconi, sive cuiusque Ordinis Clerici, qui de Pelagianorum, Cœlestianorumque consortio in communionem Catholicam ea imprudentia sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nùnc saltèm posteaquàm hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque Decreta Sydonalia, quæ ad excisionem huius hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas amplecti se, & in omnibus approbare, plenis, & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se à damnandorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.

Cùmque omnes diffinitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent, atque deponere, hoc ibi tota ante fallendi, nisi intelligantur,

tur, excipiunt, ut gratia Dei secundùm meritum dari accipientium sentiatur. Quæ, nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum, dicente Beato Apostolo: Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. * Omnis itaque bonorum operum donatio, divina præparatio est,* nec propria quisque iustificatur virtute, quoniam gratia unicuique principium iustitiæ, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab illis ideò pernaturalem industriam dicitur prævenire, ut quæ ante gratiam proprio data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere fauciata, falsumque sit quod veritas ait: Quoniam Filius hominis venit quærere, & salvare quod perierat. Ideò etiam parvulos dicunt, si sine baptismo hinc de sæculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad Regnum Dei, vel ad vitam æternam sine ulla cunctatione venire, cum Apostolus dicat: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, propter quod, & ipsi parvuli baptizantur. Quamvis in illo uno possunt intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam, & superbia est illic, quia in sua homo potius esse, quam in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitavit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia prohibitus usurpatus est cibus, & avaritia, quia plusquam sufficere illi debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione poterit inveniri.

Gratia non est ex meritis

Quid sit Deum præparare bona opera?

Dè contractione peccati originalis.

Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia, reddam peccata in filios, tenet eos utique, ante quam per regenerationem ad Testamentum novum incipiant pertinere, quod Testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezequielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius, futuram in Israël parabolam illam, Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Ideo enim quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata, quæ malè agendo postea committuntur, possunt, & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videamus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, usque adeò ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in utero me aluit. Neque hic dixit, in iniquitate, vel in peccato, cùm hoc rectè dici posset, sed iniquitates, & peccata dicere maluit, quia, & in illo uno, quod in omnes homines pertransivit quodque tam magnum est, ut eo mutaretur, & converteretur in necessitatem mortis humana natura (sicut suprà disserui) reperiuntur plura peccata, & alia parentum, quæ licèt non possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia, & misericordia divina subveniat. A parvulo enim recens nato, usque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed parvuli tantum originali, maiores autem his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè vivendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt.

Cavendum ergo dilectioni tuæ est, magnaque diligentia providendum, ne per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur: & de exciso olim dogmare, aliquod in Provincia tua eiusdem mali germen oriatur: quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam Sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspitione se purgent: & obediendo nobis probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, sive ille Clericus, sive sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti insidietur alienæ.

Illam

Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à Sanctis Patribus, & à nobis sæpe decretum est, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus Ordine, nec in subsequenti officio Clericorum ab Ecclesia *ad Ecclesiam* cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est, perseveret: ita ut si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad plebem, & Ecclesiam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint quæ pro custodia Canonum, & pro fidei integritate decernimus vehementiùs commovendos, quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, *quam ad desides, negligentesque Rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum auferri orem dissimulant adhibere medicinam.*

De quatuor autem Gelasij Decretis, de quibus iam suprà, illud visum est transcribere; quod habetur in Epistola eius tertia, quæ est ad Honorium, ubi monet, ne Pelagianam hæresim à tot Pontificibus detestatam revisscre sinat: quamvis, & aliæ tres sequentes, quarta ultimo quinta, & sexta omninò legendæ sint, & considerandæ, in quibus multa inveniuntur contra istum errorem definita, deteguntur que multiplices cavillationes: quibus illum colorare sui defensores contendebant. Ex quibus in processu doctrinæ efficaciora decerpemus, nunc autem præsentem tertiam eius Epistolam referre sufficiet.

COELESTINI PAPÆ

PRO PROSPERO, ET HILARIO,

DE GRATIA DEI.

EPISTOLA AD QUOSDAM GALLIARUM EPISCOPOS.

Ex Crescon.

Huius Epistolæ mentionem faciunt Vincentius Lyrinensis in libro adversus hæreses circa finé, & Prosper in libro cõtra Collatorem cap. 41.

Dilectissimis Fratribus Venerio, Mario, Leontio, Auxonio, Arcadio, Philatio, & cæteris Galliæ Episcopis, Cœlestinus Episcopus. Apostolici verba præcepti sunt, apud Iudæos, & apud Gentiles, sine offensione nos esse debere, hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cum ita sit, non parum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detractat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, ita contristent, quæ Authoribus Christianis percellunt animos Christianos, Dominicus in Evangelio sermo testatur. Ait enim ipse Salvator, quod expediat scandalizanti unum de pusillis, in maris profunda demergi. Et ideò, quæ sit eius iam pœna quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

Filij nostri præsentes Prosper, & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantùm nescio quibus Presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati: sed vestræ dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra Magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vindicare doctrinam. Nam, & hos ipsos à Deo nostro positos novimus ad docendum, cùm sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus, hi loquuntur, quì (si ita est) eorum discipuli non fuissent? Timeo, ne connivere ut hoc tacere. Timeo, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspi-

Matth. 18. Marci 9. Luc. 17.

picione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur huiusmodi: non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur sæpè naufragio mergere, quos infra portum stantes, statio facit fida securos. Fida quippè est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrerunt ad Apostolicam prædicti Sedem, hæc ipsa nobis, quæ tentat perturbatio conquerentes. Habeto, fratres charissimi, pro Catholicæ plebis pace tractatum. Sciant se, si tamen censeantur, Presbyterij dignitate, vobis esse subiectos. Sciant omnes qui malè docent, quod sibi discere magis, ac magis competat, quam docere. Nam quid in Ecclesijs vos agitis, si illi sumam teneant prædicandi? Nisi fortè illud obsistat, quod non auctoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum consortio in Collegium nostrum fortasis admissi, nesciant quid sibi debeant vendicare. Super his multa iam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris * Tuendi dedimus scripta responsum. Hunc tamen repetentes sæpiùs admonemus; * Notentur huiusmodi, qui laborant per terras aliud, quam ille noster iussit agricola, seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

Luc. 6. 1. Chor. 12;

* Tuenti.

* Vt vitentur.

Matth. 5.

Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc siniistræ suspicionis saltem rumor asperiit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminibus, ut inter Magistros optimos, etiam ante à meis decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in communi senserunt, utpotè qui ubique cunctis, & amori fuerit, & honori Vnde resistatur talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est, hæc pari religiosas animas, quorum afflictione, (quia membra nostra sunt) nos quoque convenit macerari, quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicumque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solum, quando Universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur. Intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere, Quod ita demùm probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re imposterum quærela cessaverit. Dominus incolumes vos custodiat, fratres charissimi.

Hæc quæ sequuntur à Prospero potuis quã à Cœlestin scripta esse videntur: eius enim scriptis similia sunt, & in libro contra collatorem capita quædam attingit, quæ non dissimiliter atque hic leguntur.

Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demorantes, pijssimis disputatoribus obviare præsumunt. Et cum Pelagium, atque Cœlestium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi, & probare profitentur, quæ Sacratissima Beati Apostoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit. Necessarium igitur fuit, diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicaverint, & contra nocentissimos liberi arbitrij defensiores, quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint, ita ut etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici Antistites, cum illas probarunt. Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur, Constitutiones Sanctorum Patrum compendioso manifestemus indiculo. Quod siquis non nimium est contentiosus, agnoscat omniam disputationum connexionem ex hac subditarum authoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis super esse rationem, si cum Catholicis credat, & dicat.

Hic incipit Cœlestinus.

In prævariatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei misserantis erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ Innocentio Papa, atque dicente in Epistola ad Carthaginense Concilium. Liberum enim arbitrium olim Orbis Episcopos de di-

Adam omnes homines læsit, nec quisquam per liberum arbitrium consurgere potest, nisi eum Dei gratia erexerit.

divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: Quod ergo tempus, ait, intervenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor, & protector orandus est: Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed contra principes; & potestates aeris huius, contra spiritualia nequitiæ in Cœlestibus.* Et sicut ipse iterum dicit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et iterum: *Gratia Dei sum id, quod sum; & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Ephes. 6.

Rom. 7.

1. Cor. 15.

Illud etiam quod intra Carthaginensis Synodi Decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur: quod scilicet tertio capitulo definitum est, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valère, quæ iam commissa sunt, non etiam adiutorium, ut non committantur, anathema sit: Et iterum quarto capitulo air: Ut si quis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus; Scientia inflat, charitas verò ædificat: valde impium est, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi: & ad eam quæ ædificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *Qui docet hominem scientiam*, ita scriptum est etiam: *Charitas ex Deo est.* Item quinto capitulo: ut quisquis dixerit, ideò nobis gratiam iustificationis dari, ut, quòd facere per liberum arbitrium iubemur, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, & si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus, etiam sine illa, divina implere mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficiliùs potestis facere, sed ait: *sine me nihil potestis facere.*

In Milev. Synod. cap. 3.

Dei gratia, non solum peccata dimittit, verum etiam ne committantur, adiuvat.

Vbi sup. in Milev. Synod.

1. Cor. 8. Psalm. 93. 1. Ioann. 4.

Præter eas autem Beatissimæ, & Apostolicæ Sedis inviolaviles sanctiones, quibus nos pijssimi Patres, pestiferæ novitatis elatione deiectæ, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis, usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Ecclesia uniformitèr celebrantur, ut legem credendi, lex statuat supplicandi. Cum enim Sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia postulant, & præcantur, ut infidelibus donetur fides, ut Idolatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis apparear, ut Hæretici Catholicæ Fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique cathecumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cœlestis aula misericordiæ reseretur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inanitèr à Domino, peti rerum ipsarum monstrat effectus: quando quidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos *erutos de potestate tenebrarum, transferat in Regnum Filij Charitatis suæ*, & ex *vasis iræ faciat vasa misericordiæ.* Quod adeò totum divini operis esse sentimus, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium, vel correctione referatur.

Vbi sup. in Milev. Synodo.

Orationum Ecclesiæ in die parasceves antiquitas, & scopus.

Colos 1. Rom. 9.

Illud, quod circa baptizandos in universo mundo Sancta Ecclesia uniformitèr agit, non ocioso contemplamur intuitu: cum sive parvuli, sive iu-

iuvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis, & exufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc verè appareat, quomodo *princeps mundi huius mittatur foras*, & quomodo *prius alligetur fortis*, & deinceps *vasa eius diripiantur*, in possessionem trāslata victoris, *qui captivam ducit captivitatem*, & *dat dona hominibus*. His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex divina sumptis authoritate documentis ita adiubante * confortati sumus, ut omnium bonorum, affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem: & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni, & *velle incipiamus*, & *facere*: Quo utique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo, rectum; de languido sanum; de imprudente sit providum. Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quę sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippè in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus. Nèc otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei. Ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum solicitè recurramus, *qui sanat omnes languores nostros*, & *eripit de interitu vitam nostram*, & cui quotidie dicimus: *Ne inducas nos in tentationem*, *sed libera nos à malo*.

Baptiz. Exorcismus, & in sufflationibus expiātur immundi spiritus abigantur.
Ioann. 12.
Matth. 12.
Marc. 3.
Ephes. 4.
Psalm. 67.
* Informati.
* Confortati.
Philip. 2.

Profundiores verò, difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non nec esse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitùs subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: ut prorsùs non opinetur Catholicum, quod apparuit præfixis sententijs esse contrarium.

Dei gratia fit, ut nostra merita sint ipsius dona.

CANONES CONCILIJ MILEVITANI SECUNDI, SUB INNOCENTIO I. PAPA ET AB EODEM CONFIRMATI.

CAP. I. *Contra Pelagianos, qui dicunt etiam sine peccato mori potuisse Adam.*

PLacuit ergò omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac Sancta Synodo, constituere hæc, quæ in præsenti Concilio definita sunt. Ut quicumque dicit: Adam primum hominem mortalem factum: ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore: hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

De cons. d. 4. Placuit igitur.

CAP. II. *Quòd omnes peccatorum remissione veracitèr baptizentur.*

ITem placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil

De cons. d. 4. Placuit.

nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur: unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veracitèr baptizantur: ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Roma. 5.

CAP. III. *Quòd gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adiuvat, nè committantur.*

De conſ. d. 4. placuit ut.

ITem placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum; ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt: non etiam adiutorium, ut non committantur, anathema sit.

CAP. IV. *Quòd per gratiam Dei sciamus, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.*

De conſ. d. 4. quisquis dixer.

ITem, quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus: Scientia inflat, charitas verò ædificat, valdè impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi: ad eam, quæ ædificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus: ut ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est: Charitas ex Deo est.

1. Corinth. 8.

Psalm. 63. Ioan. 4.

CAP. V. *Quòd gratia Dei præstet, ut lex impleatur, non (sicut ait Pelagius) facilè, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.*

De conſ. d. 4. placuit ut.

ITem placuit, ut quicumque dixerit, ideò nobis gratiam iustificationis dari, ut, quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam: tanquam & si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa, implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficiliùs potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere.

Ioan. 15.

CAP. VI. *Quòd iuxta sententiam Ioannis Evangelistæ, nemo sit, qui esse possit sine peccato.*

ITem placuit, quod ait Sanctus Ioannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat: propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veracitèr dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos fallimus, & humilitas in nobis non est. Sed cum ait: Nos ipsos

1. Ioan. 1.

2. Ioan. 1.

ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

CAP. VII. *Quòd unicuique, etiam iusto, dicere oporteat: Dimitte nobis debita nostra.*

ITem placuit, ut cuicumque dixerit in oratione Dominica ideò dicere Sanctos: Dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio: sed pro alijs, qui sunt in suo populo peccatores, & ideò non dicere unumquemque Sanctorum. Dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra: ut hoc pro alijs potiùs, quàm pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim, & iustus erat Apostolus Iacobus, cum dicebat: In multis enim offendimus omnes. Nàm quare additum est omnes, nisi ut ista sententia conveniret, & Psalmo, ubi legitur: Non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens? Et in oratione sapientissimi Salomonis: Non est homo, qui non peccet. Et in libro Iob. In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Undè etiam Daniel Sanctus, & iustus cum in oratione pluraliter diceret: Peccavimus, iniquitatem fecimus: & cætera, quæ ibi veracitèr, & humiliter confitetur: ne putaretur, quemadmodùm quidàm sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potiùs dixisse peccatis, postea dixit: Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo nostro: noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, & sua, quia futuros istos, qui tàm malè intelligunt, tanquàm Propheta prævidit. Matth. 6. Iacobi 3. Psalm. 142. Eccl. 7. Iob 27. Deut. 6. Daniel. 9.

CAP. VIII. *Quòd à Sanctis veracitèr dicitur: Dimitte nobis debita nostra.*

ITem placuit, ut cuicumque verba ipsa Dominicæ orationis, ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, non veracitèr hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labijs sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere? Hucusque de fide contra Pelagium. Matth. 6.

CONCILIVM ARAUSICANUM II.

PROUT HABETUR IN FINE SEPTIMI TOMI OPERUM S. AUGUSTINI.

CANONES CONCILII ALTERIUS ARAUSICANI A LEONE Papa eius nominis primò indicti.

ADVERSUS REVIVISCENTES PER GALLIAS PELAGIANÆ Hæreseos errores.

CUM ad dedicationem Basilicæ, quam Illustrissimus Perfectus, & Patricius Filius noster Liberius in Arausicana Civitate fidelissima devotione construxit, Deo propiciante, & ipso invitante convenissemus, & de rebus, quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisse spiritualis oborta colla-

latio, pervenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minus cautè, & non secundùm fidei Catholicæ regulam sentire velint. Undè & nobis secundùm authoritatem, & admonitionem Sedis Apostolicæ iustum, & rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.

1. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundùm corpus, & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animi libertate illæsa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus adversatur scripturæ dicenti: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, & nescitis quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius, cui obeditis? Et à quo quis superatur eius, & servus addicitur.*

Exech. 18. Rom. 6.

2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & eius propaginem asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum. Et per peccatum mors in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccaverunt.*

Ex lib. 4. conduas Epist. Pelag. cap. 4. Rom. 5.

3. Si quis in vocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Esaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum à non quærentibus me; palàm apparui ijs, qui me non interrogabant.*

Esa 65. Rom. 10.

4. Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum spectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas à Domino*; & Apostolo salubriter prædicanti: *Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

Prov. 8. secundù 70. Phil. 2. De hoc S. D. 1. 2. q. 111. ar. 2.

5. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem Baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem; ab impietate ad pietatem; sed naturaliter in nobis in esse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur, Beato Paulo dicenti: *Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi.* Et illud: *Vobis datum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et gratia salvi facti estis per fidem, non ex vobis, Dei enim donum est.* Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

Consule Augus. ib. de Præd. SS. usque ad cap 9. Phil. 1. Ibidèm. Ephes. 2.

6. Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitùs; non autem ut credamus, velimus; vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem, & inspirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur: & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec ut obedientes, & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti? Et gratia Dei sum id quod sum.*

2. Corinth. 4. Ibidem 15. Vide Augus. de Gratia Christi cap. 26.

7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire posse affirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Apostoli: *Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Ioann. 15. 2. Corinth. 3. Hæc erat Ioan. Cassani sententia.

8.

8. Si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium, (quòd in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad gratiam Baptismi posse venire contendit: à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere. Quòd quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit Sicut & Petro dicit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Et Apostolus: *Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu Sancto.* Ioann. 6. Matth. 16. 1. Corinth. 12.

De adiutorio Dei.

9. Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus. Quotiès enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur. Sentent. Prosp. 22. Philip. 2. Ex Epist. 105.

10. Adiutorium Dei etiam renatis, ac Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono possint opere perdurare.

De obligatione votorum.

11. Nemo quidquam Domino rectè voverit, nisi ab illo acceperit, sicut legitur: *Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.* Ex lib. 4. de Civit. Dei cap. 21. Ioan. 8.

Quales nos diligat.

12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. Ex comment. in Psalm. 28.

De reparatione liberi arbitrij.

13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Undè ipsa veritas dicit: *Si vos Filius liberaverit, tùnc verè liberi eritis.* Concil. 1. Psalm. 78. Psalm. 58.

14. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur, sicut dicit Psalmista: *Citò anticipet nos misericordia tua Domine.* Et illud: *Deus meus, misericordia eius præveniet me.* Ex comment. in Psalm. 78. Psalm. 76.

15. Ab eo, quod formavit Deus, mutatur Adam, sed in peius per iniquitatem suam. Ab eò, quòd operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergò mutatio fuit prævaricatoris primi; hæc secundum Psalmistam: *Mutatio dextera excelsi.* Ex lib. de Spirit. & lit. 8. cap. 28. Galat. 2. Ephes. 4. Matth. 25.

16. Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit, aut ideò se putet accepisse, quia littera extrinsecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur, insonuit; nàm sicut Apostolus dicit: *Si per legem iustitia; ergò Christus gratis mortuus est:* porrò autem si non gratis mortuus est. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet auferetur ab eo.

De fortitudine Christiana.

17. Fortitudinem Gentilium humana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per volun- Ex lib. de Patient. cap. 17.

Rom. 5. luntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis nullis meritis gratiam prævenientibus.

18. Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

Neminem nisi miserante Deo salvari.

Apud Prosper. sent. 297. Ex ep. 107. 19. Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adiuvante, servaret: unde cum sine gratia Dei, salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?

Nihil boni hominem posse sine Deo.

Ex lib. 2. contr. duas ep. Pel. c. 8. Ex lib. de grat. & lib. arb. cap. 13. 20. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.

De Natura, & Gratia.

Galat. 2. 21. Sicut de eis, qui volentes in lege iustificari, à gratia exciderunt, verisimè dicit Apostolus: *Si ex lege iustitia est: ergò Christus gratis mortuus est*; sic, & de his qui gratiam, quam commendat, & præcipit Fides Christi, putant esse naturam, verisimè dicitur: si ex natura institia: ergò Christus gratis mortuus est, iam hìc erat lex, non iustificabat; iam hìc erat, & natura, & non iustificabat. Ideò Christus, non gratis mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit: *Non veni legem solvere, sed adimplere*, & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit: *Venisse se quærere, & salvare quod perierat.*

Matth. 5. Luc. 9.

De ijs, quæ hominum propria sunt.

Ex tract. 5. in Ioann. 22. Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis, atque iustitiæ; ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.

De voluntate Dei, & hominis.

Ex tract. 19. in Ioan. 23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quòd Deo displicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, ut divinæ serviant voluntati; quamvis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo præparatur, & iubetur, quod volunt.

De Palmitibus vitis.

Ex tract. 81. super Ioan. Ex tract. 102. super Ioan. Rom. 5. 24. Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed indè accipiant, unde vivant. Sic quippe vitis est in Palmitibus, ut vitale alimentum subministrent eis, non sumat ab eis. Ac per hoc, & manentem in se habere Christum, & permanere in Christo, discipulis prodest, & non Christo. Nàm præciso palmite, potest de viva radice alius, pullulare. Qui autem præcisus est, non potest sine radice vivere.

De dilectione, qua diligimus Deum.

25. Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes, amati sumus, ut fieret in nobis, unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris, & Filij, quem cum Patre amamus, & Filio. Ac sic secundùm supra scriptas Sanctarum

tarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante,& prædicare debemus,&credere;quod per peccatum primi hominis, & ita inclinatum,& attenuatum fuerit liberum arbitrium,ut nullus postea,aut diligere Deum,sicut oportuit,aut credere in Deum,aut operari propter Deũ,quod bonum est possit,nisi gratia eum, & misericordia divina prævenerit. Unde Abel iusto, & Noè, & Abraham,& Isaac,& Iacob,omnique antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum inerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus, qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi novimus simul, & credimus largitate conferri, secundùm illud, quod iam supra dictum est, & prædicat Paulus Apostolus: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm,ut in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini*, & illud: *Deus,qui cæpit in vobis bonum opus, perficiet, usque in diem Domini nostri.* Et illud: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Et quod de se ipso ait Apostolus: *Misericordiam consequutus sum, ut fidelis essem.* Non dixit, quia eram, sed ut essem. Et illud: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Et illud: *Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper.* Innumerabilia sunt Sanctarum Scripturarum testimonia, quæ possunt ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studio prætermissa sunt, quia, & re vera, cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam, secundùm Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint,adimplere. Aliquos verò ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantùm malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuvamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, ut, & Baptismi Sacramenta fideliter requiramus; & post Baptismum cum ipsius adiutorio ea, quæ sibi sunt placita implere possimus. Unde manifestissimè credendum est, quod, & illius latronis, quem Dominus ad Paradysi Patriam revocavit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum, Et quia definitionem antiquorum Patrum, nostramque, quæ suprà scripta est, non solùm Religiosis, sed etiam laicis, medicamentum esse, & desideramus, & cupimus; placuit ergò, ut etiam Illustres, ac Magnifici Viri, qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent. Cæsarius in Christi nomine Episcopus, Constitutionem nostram relegi, & subnotans subscripsi, quinto Nonas Iulij, Decio Iuniore Viro Clarissimo Consule. Iulianus Episcopus subscripsi. Constantius Episcopus subscripsi. Cyprianus Episcopus subscripsi. Eucherius Episcopus subscripsi. Eraclius Episcopus subscripsi. Principius Episcopus subscripsi. Prætextatus Episcopus subscripsi. Aletius Episcopus subscripsi. Lupertianus Episcopus subscripsi. Vindemialis Episcopus subscripsi. Petrus, Marcelinus, Felix, Liberius Viri Clarissimi, & Illustres Præfecti Prætorij Galliarum, atque Patritij, consentientes subscripserunt. Syagrius Vir clarissimus Consul subscripsit. Opilio Vir clarissimus Consul subscripsit. Panthagatus Vir clarissimus Consul subscripsit. Deodatus Vir clarissimus subscripsit. Caxiatho Vir clarissimus Consul subscripsit. Marcellus Vir clarissimus Consul subscripsit.

Philagri Episcopus subscripsi.

Maximus Episcopus subscripsi.

IN CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI SUNT damnati 45. articuli Ioannis Uvicleff de Anglia, & 30. articuli Ioannis Husz de Boemia, quam damnationem approbabit Martinus V. Summus Pontifex in Bulla, quæ incipit: *Inter cunctas Paſtoralis curæ ſolicitudines.* Solùm hìc referam, quos ad defenſionem Conſtitutionis *Unigenitus* SS. D. N. Clementis XI. maximè conducunt.

SEQUITUR THENOR ARTICULORUM DAMNATORUM Ioannis Uvicleff.

ART. XI. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi priùs ſciat eum excommunicatum à Deo; & qui ſic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

13. Illi, qui dimittunt prædicare, ſive audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Chriſti habebuntur.

26. Oratio præſciti nulli valet.

27. Omnia de neceſsitate abſoluta eveniunt.

37. Eccleſia Romana eſt ſynagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.

41. Non eſt de neceſsitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

43. Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus, & commercia civilia.

ARTICULI IOANNIS HUSZ.

Art. 3. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cùm nulla pars eius finalitèr excidet ab ea, eò quòd prædeſtinationis Charitas, quæ ipſam ligat, non excidet.

5. Præſcitus, etſi aliquando eſt in gratia, ſecundùm præſentem iuſtitiam, tamen nunquam eſt pars Sanctæ Eccleſiæ: Et prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licèt aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis.

6. Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive fuerint in gratia, ſive non, ſecundùm præſentem iuſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt articulus Fidei.

7. Petrus non eſt, nec fuit caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ.

16. Diviſsio immediata humanorum operum eſt, quæ ſunt, vel virtuoſa, vel vitioſa: quia, ſi homo eſt vitioſus, & agit quidquam, tunc agit vitiose: & ſi eſt virtuoſus, & agit quidquam, tùnc agit virtuosè: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſalitèr actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

25. Condemnatio quadraginta quinque articulorum Ioannis Uvicleff, per Doctores facta, eſt irrationalis, & iniqua, & malè facta, & ficta eſt cauſa per eos allegata: videlicèt, ex eo, quòd nullus eorum ſit Catholicus, ſed quilibet eorum, aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.

BULLA APOSTOLICA

LEONIS PAPÆ X. CONTRA ERRORES MARTINI Luteri, Ann. D. 1520. quæ incipit: *Exurge Domine, & iudica causam tuam*, in qua præter alia dogmata, sequentia Luteri damnantur.

¶ HÆretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

¶ In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare.

¶ Fomes peccati, etiam si nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu Cœli.

¶ Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorij, & impedit introitum Regni.

¶ Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, non est fundamentum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus.

¶ Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, immò magis peccatorem.

¶ Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantiùs, de cætero non facere summa pœnitentia: optima pœnitentia, nova vita.

¶ Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solùm manifesta mortalia confitebantur.

¶ Dùm volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quòd misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

¶ Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti: immò peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio; sed oportet etiam credere esse remissum.

¶ Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi: *Quodcumque solveris, &c.* Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortitèr te absolutum, & absolutus verè eris, qnidquid sit de contritione.

¶ Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed ioco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus.

¶ Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

¶ Docendi sunt Christiani plùs diligere excommunicationem, quàm timere.

¶ Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius Mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.

¶ Verbum Christi ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram, &c.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

¶ Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsùs non esse, statuere articulos Fidei, immò nec leges morum, seu bonorum operum.

¶ Si Papa cum magna parte Ecclesiæ, vel sic sentiret, nec etiam errarer: adhùc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium Generale alterum reprobatum, alterum approbatum.

¶ Via nobis facta est enervandi authoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum Decreta; & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum à quocunque Concilio.

¶ Aliqui articuli Ioannis Husz condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos, nec universalis Ecclesia posset damnare.

¶ In omni opere bono iustus peccat.

¶ Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.

¶ Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

¶ Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo: & dùm facit, quod in se est peccat, mortaliter.

CANONES SACROSANCTI TRIDENTINI CONCILIJ

EX SESSIONE SEXTA DE IUSTIFICATIONE.

1. SI quis dixerit, hominem suis operibus, quæ, vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Christum Iesum gratia, posse iustificari coràm Deo, anathema sit.

2. Si quis dixerit, ad hoc solùm divinam gratiam per Christum Iesum dari, ut faciliùs homo iustè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium, sine gratia utrumque, sed ægrè tamen, & difficultèr possit, anathema sit.

3. Si quis dixerit, sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.

4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quòd obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passivè se habere; anathema sit

5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.

6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeo, ut sit eius proprium opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit.

Si

7. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quantò vehementiùs, quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare; anathema sit.

8. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.

9. Si quis dixerit, solâ fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit.

10. Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit.

11. Si quis dixerit, hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm favorem Dei; anathema sit.

12. Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur; anathema sit.

13. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse ut credat certò, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

14. Si quis dixerit, hominem à peccatis absolvi, & iustificari, ex eo quòd se absolvi, & iustificari certò credat: aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac solâ fide absolutionem, & iustificationem perfici; anathema sit.

15. Si quis dixerit, hominem renatum, & iustificatum, teneri ex fide ad credendum se certò esse ex numero prædestinatorum; anathema sit.

16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum, se certò habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc, ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

17. Si quis iustificationis gratiam, non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpotè divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

18 Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

19. Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter Fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

20. Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ; sed tantùm ad credendum: quasi verò Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

21. Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam, ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit.

22. Si quis dixerit, iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

23. Si quis hominem semèl iustificatum, dixerit ampliùs peccare non posse, nec gratiam amittere, atque ideò eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum: aut contrà, posse in tota vita peccata omnia venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virg. Maria tenet Ecclesia; anathema sit.

24. Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coràm Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solùm modo, &

ſigna eſſe iuſtificationis adeptæ, non autem etiam ipſius augendæ cauſam; anathema ſit.

25. Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt, mortaliter, arquè ideò pœnas æternas mereri, tantùmque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem; anathema ſit.

26. Si quis dixerit, iuſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem a Deo per eius miſericordiam, & Ieſu Chriſti meritum, ſi benè agendo, & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint; anathema ſit.

27. Si quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi, & enormi, præterquàm infidelitatis peccato ſemèl acceptam gratiam amitti; anathema ſit.

28. Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viva: aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.

29. Si quis dixerit, eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidèm, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine Sacramento pœnitentiæ, prout Sancta Romana, & univerſalis Eccleſia à Chriſto Domino, & eius Apoſtolis edocta hucuſque profeſſa eſt, ſervavit, & edocuit, anathema ſit.

30. Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequàm ad Regna Cœlorum aditus, patere poſsit; anathema ſit.

31. Si quis dixerit, iuſtificatum peccare, dùm intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema ſit.

32. Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita, aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius membrum vivum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.

33. Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de Iuſtificatione à Sancta Synodo hoc præſenti decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Ieſu Chriſti Domini noſtri derogari, & non potiùs veritatem fidei noſtræ, Dei deniquè, ac Ieſu Chriſti gloriam illuſtrari; anathema ſit.

BULLA GREGORIJ XIII.

CONFIRMANS BULLAM SANCTI PII V. PRÆDECESSORIS ſui, quæ incipit: *Ex omnibus afflictionibus*, ubi ſequentes damnantur propoſitiones.

PRima. Nec Angeli, nec primi hominis adhùc integri merita, rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum, ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus, ex natura ſua, eſt vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, fœlicitas eſſet merces, & non gratia.

Vita

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit, intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5 In promissione facta primo homini, & Angelo, continetur naturalis iustitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu vitæ æternæ iustis promittitur.

6 Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam perueniret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita, fuerunt primæ creationis munera.

8. Sed iuxta modum loquendi Scripturæ, non rectè vocantur gratiæ; quo fit, ut tantùm merita, non & gratiæ debeant nuncupari.

9. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

10. Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan, non in probanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundùm usum Scripturæ, nomine gratiæ, tantùm ea munera intelliguntur, quæ per Iesum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

11. Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè remanet: & corporis resurrectionem propriè, non nisi meritis Christi adscribendam esse.

12. Quòd piè, & iustè in hac vita mortali usque ad finem conservati vitam sequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali initio creationis constitutæ iusto Dei iudicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali institutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

13. Pelagij sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est Regni Cœlestis meritorium.

14. Opera bona à filijs adoptionis facta non accipiunt rationem meriti, ex eò, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eò, quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstatur obedientia legi.

15. Opera bona iustorum non accipient in die iudicij extremi ampliorem mercedem, quàm iusto Dei iudicio merentur accipere.

16. Dicit rationem meriti non consistere in eò, quòd, qui benè operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eò tòlum, quòd quis obedit divinæ legi. Quam sententiam sæpiùs repetit, & multis rationibus probat ferè toto libro.

17. In eodem libro sæpiùs repetit, quòd non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

18. Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

19. Dicit, opera cathecumenorum, ut fidem, & pœnitentiam ante remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ merita, quam vitam non consequentur cathecumeni, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

20. Videtur insinuare, quòd opera iustitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint maiorem valorem.

21. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

22. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, proindè naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

23. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Roman. 11. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

24. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum,

tatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturalitèr coleret.

25. A vanis, & otiosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei Filium adoptatus.

26. Ad Pelagianismum reijcienda est illa sententia, omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

27. Integritas primæ creationis, non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio. Quam sententiam repetit, & probat per plura capitula.

28. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet.

29. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

30. Non solùm fures hi sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis, & vitæ negant, sed, & quicumque aliundè, quàm per Christum, in viam iustitiæ, hoc est, ad aliquam iustitiam conscendi posse dicunt, aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adiutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat, aut ab ea superetur.

31. Charitas perfecta, & sincèra, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tàm in cathecumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

33. Cathecumenus iustè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ Baptismi lavacro demùm percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicèt, quo Deus amatur ut Author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator est, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimonijs excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est, & amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, & ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum iniuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

36. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

37. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

38. Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.

39. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

40. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato.

41. Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formalitèr in obedientia mandatorum, quæ est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus deincèps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit.

42. In omnibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, etiam in cathecumenis, ante baptismum est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

43. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cuiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & veræ legis iustitia, non tamen ijs obtinendi incrementa virtutum.

44. Sacrificium Missæ, non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod sit ut sancta societate Deo homo inhæreat.

45. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis: utrum omne peccatum debeat esse voluntarium: utrum peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla ratione, aut respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

46. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualitèr dominatur parvulo, eò quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

47. Voluntatis arbitrio, & ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus descendens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consequuturus erat, actualitèr Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi repugnet.

48. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: *non concupisces.*

49. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava eius desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

50. Omne scelus eius est conditionis, ut secum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

51. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante trahunt, qui cum minoribus nascuntur vitijs, quàm qui cum maioribus.

52. Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.

¶ Deus non potuisset ab initio talem create hominem, qualis nùnc nascitur.

53. In peccato duo sunt, actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Undè in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

54. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans vivificat eum, & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis tolùm reatus tollitur.

55. Quando per eleemosynas, vel aliqua pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum prætium Deo pro peccatis nostris offerimus (sicut quidam errantes autumant.) Nàm alioqui essemus saltèm aliqua ex parte Redemptores: sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

56. Per passiones Sanctorum in indulgentijs communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui prætio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

57. Celebris illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero, quantùm ad certum quendam modum, scilicèt, secundùm quem valent operantem perducere ad Regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est, & explodenda.

58. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto, & omnibus circunstantijs rectum est, & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit: vel quia est meritorium Regni æterni, eo quod fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis; reijcienda putatur.

59. Similitèr, & illa distinctio duplicis iustitiæ, alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondùm cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis iustificatio impleatur, ut odiosissima, & pertinacissima rejicitur.

60. Deniquè & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur

tur peccator, dùm ei pœnitentia, & vitæ novæ æternæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur, qui verè iustificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia iudicatur, & scripturis minimè congruens.

61. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrij bonus, sive non malus: & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit, & docet.

62. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

63. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.

64. Infidelitas purè negativa, in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

65. Iustificatio impij fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam iustificatos faciat implere legem.

66. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

67. Per contritionem, & cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam; non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.

68. Omnes omninò iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.

69. Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

70. Concupiscentia in renatis lapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut & alij habitus pravi.

71. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto *Non concupisces*. Unde homo eos sentiens, & non consentiens transgreditur præceptum; non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non imputetur.

72. Quandiù aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

73. Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

74. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

75. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine iustitia naturali.

Quas quidèm sententias stricto coràm nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè, & quæcumque super ijs, verbo, scriptoque emissa, præsentium authoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus, post hac quoque pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secùs fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs, & officijs perpetuò privamus, àc etiam inhabiles ad quæcumque cetnimus: vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus: à quo nullus Rom. Pont. inferior valeat ipsos (excepto mortis articulo) liberare. Cæterùm, ut iàm commoti his diebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint, simùlque animarum saluti pleniùs consulatur, dilecto filio nostro Antonio titulo S. Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Gravellano nuncupato per Apostolica scripta mandamus, ut ipse; quid ad propriam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem; quid ad arcenda huiusmodi proloquia, & disputationes; quid deniquè ad unionem, & pacem cum communi omnium

Eccle-

Ecclesia Catholicæ satisfactione componendum facto opus sit, in primis diligenter expendat. Denique in ijs omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum iudicaverit, salva semper Ecclesiæ potestate, & perpetua unitate etiam per alium, seu alios fide, doctrina, & Religione præstantes, opus exequatur, faciatque, quidquid decreverit inviolatè ab omnibus observari, contradictores quoslibet per censuras, & pœnas positas, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna appellatione postposita compescendo, invocato & ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus, quòd forsitàn aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs privilegijs, exemptionibus, indulgentijs, & Litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Kalend. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo. Cæterùm volumus, ut earundem Litterarum tenori sic inserto, illa ipsa omninò fides adhibeatur uticumque, & quandoque, sive in iudicio, sive alibi ille fuerit exhibitus, vel ostensus, sicut illius originalibus Litteris prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur, vel ostenderentur. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo nono; quarto Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno octavo.

CONSTITUTIO

SS^mi. INNOCENTIJ

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X.

QUA DECLARANTUR, ET DEFINIUNTUR QUINQUE PROPOsitiones in materia Fidei.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI:

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM, ET APOSTOLIcam Benedictionem.

CUM occasione impressionis libri, cuius titulus: Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim

in

in Gallijs controversia, super quinque ex illis ; complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est, prout sequitur.

Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

Secunda: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquàm navis in tranquilo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit.

Pro rei gravitate, coràm aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialitèr sæpiùs congregatis, à plurimis in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque propositiones, ut supra nobis oblatas fecimus singillatim diligentèr examinari, eorumque suffragia, tùm voce, tùm scripto relata, mature consideravimus, eosdemque Magistros varijs coràm nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

Cùm autem ab initio huiuscemodi discussionis ad divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixissemus, postmodùm iteratis eisdem ferventiùs, ac per nos solicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandèm divino numine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem.

Primam prædictarum propositionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur*: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*: falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu: *ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit*: impiam, blasphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, nè de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in iure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque locorum Ordinarijs, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque

què iuris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis, omninò coerceant, & compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenùs alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kalend. Iunij. Pontificatus nostri anno nono.

BULLA ALEXANDRI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII.

QUAM EXPEDIVIT DECIMO SEPTIMO KALENDAS NOVEMbris anni 1656.

CUM autem, sicut accepimus, nonulli iniquitatis filij prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto eiusdem Cornelij Iansenij non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non formident: Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficientèr, & attentè perspeximus, utpotè qui eiusdem Innocentij prædecessoris iussu, dùm adhùc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate eadem causa discussa est, ea profectò diligentia, qua maior desiderari non posset, quancumque dubitationem super præmissis in posterùm aufferre volentes, aut omnes Christi fideles in eiusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis officij, ac matura deliberatione præinsertam Innocentij prædecessoris nostri constitutionem, declarationem, & definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque ilias propositiones ex libro præmemorati Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, *cui titulus est Augustinus*, exceptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas fuisse definimus, & declaramus, & uti tales, inusta scilicèt eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterùm damnamus, ac eundem librum sæpè dicti Cornelij Iansenij, *cui titulus Augustinus*, omnesque alios, tàm manuscriptos, quàm Typis editos, etsi quos forsàn in posterùm edi contigerit, in quibus prædicta eiusdem Cornelij Iansenij doctrina, ut supra damnata defenditur, vel adstruitur, aut defendetur, & adstruetur, damnamus itidèm, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus nè prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel scripto exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, palàm, vel occultè, imprimantvè, sub pœnis, & censuris contra hæreticos in iure expressis ipso facto, absque alia declaratione incurrentis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinarijs, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Iudicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam eiusdem Innocentij Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem iuxta præsentem nostram determinationem ab omnibus observari faciant, ac innobedientes, & rebelles prædictis pœnis, alijsque iuris, & facti remedijs, invocato etiam (si opus fuerit) brachij sæcularis auxilio, omninò coerceant.

Contra aliquas cavillationes Iansenist.

Extat alia Bulla Clementis XI. ad idè assumptũ expedita Romæ anno 1705. 16. Iulij.

BUL-

BULLA SANTISSIMI ALEXANDRI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII;

expedita Feria 5. Septembris anno 1665. & Feria 5. die 18. Martij anno 1666.

In qua præter alias sequentes damnantur Propositiones.

1. prop. HOmo, nullo unquam vitæ suæ tempore, tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

BULLA INNOCENTIJ

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI;

In qua reperiuntur inter alias, istæ propositiones damnatæ.

Feria 5. die 2. Martij anno 1679.

4. prop. AB infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidèm rigorosè quinquenijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tùnc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17. Satis est actum Fidei semèl in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Volunras non potest efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudentèr repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis: imò cum formidine, qua quis formidet nè non sit locutus Deus.

Non

22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remunerationis.

23. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo, ad iustificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare, sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti, fateri peccati alicuius consuetudinem.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, neque est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolêre, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Misteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Misterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

DECRETUM EIUSDEM SUMMI PONTIFICIS INNOCENTII XI.

Feria 5. die 23. Novembris. Anni 1679.

IN Congregatione Generali S. R. & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinatis, coram Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papa XI. ac Eminentissimis, & RR. DD. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in universa Republica Christiana, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialitèr deputatis.

CUm suprà dictis Eminentissimis, & RR. DD. delatæ fuerint hæ duæ propositiones: *Deus donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum.* Et: *Deus subjicit nobis Omnipotentiam suam.* Eorundem iussu per Theologos ad id specialitèr deputatos diligentèr examinatæ fuerunt. Quorum votis auditis, & re Sanctissimo Domino nostro relata, & coram sua sanctitate proposita, unà cum votis ipsorum Eminent. DD. S. R. Ecclesiæ Cardinalium Sanctitas sua decrevit, & mandavit, ut ambæ propositiones omninò prohiberentur, sicut eas præsenti Decreto damnat, & prohibet, uti temerarias ad minùs, & nocivas: Mandatque, nè quisquam deincèps cuiuscumque sit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, sive scriptis, aut etiam ore tenus docere docêre, vel asserere, sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, alijsque Sanctitati suæ benè visis.

¶¶¶¶ DE-

DECRETVM SSmi. ALEXANDRI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VIII.

EDITUM FERIA 5. DIE 7. DECEMBRIS. ANNO 1690. IN QUO, præter alias, sequentes damnantur Propositiones.

1. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & de meritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in statu lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.

4. Dedit semetipsum oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Iudæi, hæretici, alijque huius generis, nullum omninò accipiunt à Iesu Christo influxum, adeòque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tàm utilis, quàm pernicioſa est, sic ut proindè meritò possimus petere: à gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: Si Dei? Charitas Patris est: Si mundi? Concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est Infidelem in omni opere peccare.

9. Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè ut Cœlestem obtineat Gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiam si videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ Gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est motus bonus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quòad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi plurimorum hominum sustenteť authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

23. Similitèr arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondùm inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum; unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficientèr testatur, quòd indiguerit purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur etiam macula Matris maculatus esset secundùm verba legis.

29. Futilis, & totiès convulsa est assertio de Pontif. Rom. supra Concilium œcumenicum authoritate, atque fidei quæstionis decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenêre, & docêre, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani Octavi in *Eminenti* est subreptitia.

SANC-

SANCTISSIMI PAP. D. N. DOMINI CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

DAMNATIO QUAMPLURIUM PROPOSITIONUM EXcerptarum ex libro, Gallico Idiomate impresso, & in plures Tomos distributos, sub titulo: *Le nouveau Testament. en Francois, avec des reflexions morales sur chaque verset, &c. A Paris* 1699. Ac aliter: *Abbregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul. des Epistres Canoniques, è de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Libres Sacrez, &c. A Paris* 1693. & 1694.

CUM PROHIBITIONE EIUSDEM LIBRI, ET ALIORUM quorumcumque in eius defensionem tàm hactenùs editorum, quàm in posterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM, ET APOSTOLIcam Benedictionem.

UNIGENITUS Dei Filius pro nostra, & totis Mundi salute filius hominis factus, dùm Discipulos suos doctrina veritatis instrueret, uniuersamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus à falsis Prophetis, qui veniunt ad Nos in vestimentis ovium quorum nomine potissimum demonstrantur Magistri, illi mendaces, & in deceptione illussores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insi-

nuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese Divinæ Legis sententijs, velut quibusdam ovium velleribus obvolventes Sanctarum Scripturarum, adeòque, etiam ipsius novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur, antiqui scilicet, à quo progeniti sunt, mendacij parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omninò esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarij erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum Verborum prætendatur auctoritas.

His Nos verè divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine, accepimus, librum quendam Gallico Idiomate olim impressum, & in plures Tomos distributum, sub titulo: *Le nouveau Testement en Francois, avec des reflexions morales sur chaque verset, &c. A Paris 1699.* Aliter verò: *Abbregè de la morale de l' Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, è de l' Apocalypse ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris 1693. & 1694.* Tametsi alias à nobis damnatum, ac reverà Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhùc tamen tanquam ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilia, & opera studiosè nimis quaquaversum disseminari, etiam Latinè redditum, ut pernitiosè institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de Regno, ad populum alterum: versutis huiusmodi seductionis, atque fallacijs, creditum Nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summoperè doluimus; adeòque Pastoralis, non minùs curæ nostræ stimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei zelatorum quærelis, maximè verò complurium venerabilium Fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, litteris, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicuè novimus summam huiusmodi libri perniciem ideò potissimum progredi, & invalescere, quòd eadem intùs lateat, & velut improba sanies, non nisi secto ulcere foras erumpat, cùm liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiceat; molliti enim sunt sermones eius, super oleum: sed ipsi sunt iacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportuniùs, aut salubriùs præstari à Nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri doctrinam, generatim solummodo à nobis hactenùs indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus, distinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina, è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirùm denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tùm pridèm damnatis, tùm etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fortè ut omnes tandèm apertæ iam, manifestèque veritati cedere compellantur.

Id ipsum manet maximè è re Catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium: iamque in acerbiores scissuras protendentium dissidijs apprimè proficuum, conscientiarum deniquè tranquillitati perutile, & propè modum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cuius eximium intuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum,

satis

satis laudare non possumus, sæpiùs Nobis est contestatus; repetitis propterea verè pijs, & Christianissimo Rege dignis Officijs, atque ardentibus votis à Nobis eflagitans, ut instanti animarum necessitati, prolata quantotius Apostolici censura iudicij consuleremus.

Hinc adspirante Domino, eiusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulò, diligentèrque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto libro iuxta suprà recensitas respectivè editiones fideliter extractas, & tùm Gallico, tùm Latino Idiomate expressas Propositiones à compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accuratè discuti: deindè verò coràm Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quàm maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu, exactissimè facta collatione, pluriès iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Huiusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicèt.

1. QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2. Iesu Christi gratia, principium efficax boni cuiuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

4. Ita Domine; omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter fœdus Iudaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò, Deus peccatori dat, quod iubet, illum sua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit eius propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò fœlicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, iubentis, & facientis, quod iubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Iesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem committatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Iesum-Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filij, nullatenùs est doctus à Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quàm eius Omnipotens voluntas: hæc est idæa, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis.

20. Vera gratiæ idæa est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi summissa sunt.

21. Gratia Iesu-Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei Incarnantis, & resuscitantis Filium suum.

22. Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse idæam tradit nobis Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Iusta idæa, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Iesu-Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus, sola sua voluntate; iubet, & ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibilitèr.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Iesus-Christus se morti tradidit ad liberandum prosemper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibi metipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus, dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quòd primam unusquisque in propria persona recepisset: Ista verò non recipitur, nisi in Persona Iesu-Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia Christiana nos sanctificando in Iesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aber-

aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo: & sine gratia, non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.

43. Primus affectus gratiæ baptismalis est facere ut moriamur peccato; ideo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt, nisi duo amores, undè volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos, & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones eius corrumpat.

46. Cupiditas, aut Charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interiùs, & Dei gloria eius finis: tùnc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa iustitia.

48. Quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate.

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi: si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.

51. Fides iustificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.

53. Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Iesum-Christum.

54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas solum Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium.

60. Si solus supplicij timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta; eò magis ducit ad desperationem.

61. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tandiù peccato addicitur, quandiù ab amore iustitiæ non ducitur.

62. Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & iam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhùc est sub lege, sicut Iudæus, si legem non adimpleat aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum; quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud, non nisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, & per amorem, sicuti filij.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & præcibus.

69. Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quàm Deus condidit propter eius utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & Iustos terræ, & omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in eius sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in eius Persona, redemptorum eius Sanguine, viventium eius Spiritu, agentium per eius gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi.

74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos, ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & Persona; unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, & iusti omnium sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.

78. Separatur quis à Populo electo, cuius figura fuit Populus Iudaicus, & Caput est Iesus-Christus, tàm non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelium.

79. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas Sancta Verbi Dei, non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab eius lectione.

82. Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere quòd notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

84. Abripere è Christianorum manibus novum testamentum, seu eis illum clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelij, est interdicere usum luminis filijs lucis, & facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis.

Heri-

86. Eripere simplici populo hoc solatium, iungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minùs; satisfacere iustitiæ Dei antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cùm sit iam reconciliatus, habet ius assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltèm præsumpto, totius corporis.

91. Excommunicationis iniustæ metus, nunquàm debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiàm quando hominum iniquitia videmur ab ea expulsi, quando Deo Iesu-Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

92. Pati potiùs in pace excomunicationem, & anathema iniustum, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra Authoritatem, aut scindere unitatem.

93. Iesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato; Iesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil peiorem de Ecclesia opinionem ingerit eius inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisionem propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina, plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium, neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senecturis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut eius victoria tribui non possit, nisi divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpè contingit, membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respui, atque tractari tanquàm indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquàm ab ea separata; sed iustus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquàm hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpotè, quæ facit hominem magis conformem IesuChristo.

99. Pervicatia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ; v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, eiusque discipulos. Tempus hoc advenit..... Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tanquam, impium, & indignum omni commertio cum Deo; tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum: est hominibus pijs morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos; si propria passione est excœcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequentèr credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ Iesu-Christi magis opponitur, quàm communia facere iuramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veri-

tas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.

Auditis itaque tùm voce, tùm ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragijs, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam in dictis præcibus, implorato præſidio; omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, captioſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernitioſas, temerarias, Eccleſiæ, & eius praxi iniurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtatem ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, àc hæreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis, & hæreſibus; ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluriès damnatas, ac demùm etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſsimum illas, quæ in famoſis Ianſenij propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes, reſpectivè hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, nè de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare alitèr præſumant, quàm in hac eadem noſtra Conſtitutione continentur, ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diviſim docuerit; defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, alijſque contra ſimilia perpetrantes à iure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubiaceat.

Cæterùm per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenùs approbare intendimus, cùm præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propoſitiones illis, quæ ut ſupra damnatæ fuerunt conſimiles, & affines, ijſdemque erroribus imbutas: nèc ſanè paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, in obedientiam, & pervicatiam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes, quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minime neceſſarium; àc demùm, quòd intolerabilius eſt, Sacrum ipſum Novi Teſtamenti Textum damnabilitèr vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem: à vulgata verò editione, qnæ tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multiplicitèr diſcrepantem, & abertantem, plurieſque in alienos exoticos, àc ſæpè noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eundem præterea librum, utpotè per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine ſeducendis innocentium cordibus longe accommodatum, ſivè præmiſsis, ſivè alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & à quocumque alio Idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenùs impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, Authoritate Apoſtolica tenore præſentium iterum prohibemus, àc ſimilitèr damnamus; quemadmodùm etiam alios omnes, & ſingulos in eius defenſionem, tàm ſcripto, quàm Typis editos, ſeu forsàn (quòd Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſofacto incurrenda prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, alijs locorum Ordinarijs, necnòn hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque iuris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio, omninò coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipſis originalibus Litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli

Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſexto Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia. *L. Sergardus.*

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium. *L. Martinetus.*

Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, in dictione ſexta, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Clementis divina providentia Papæ XI. Anno decimo tertio ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romulatium, Apoſtolicum Curſorem.

Imprimatur. *Antonius Placentinus, Magiſter Curſorum.*
Dr. Orti, Vic. Gñl.

SANC-

SANCTISSIMI D. N. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

LITTERÆ AD UNIVERSOS CHRISTI FIDELES DATÆ adversus eos, qui Constitutioni Sanctitatis suæ, quæ incipit: *Unigenitus*: Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXIII. sexto Idus Septembris, debitam obedientiam præstare hactenùs recusarunt, aut in posterùm recusaverint.

ET POSTQUAM SS. PONTIFEX PLURA DICIT IN CONfirmationem Constitutionis *Unigenitus*, hæc habet num. 16.

16. PRæterea vt pessimæ causæ splendidum Patrocinium concilient, præfatæque Constitutioni maiorem undecumque invidiam faciant, se ab ea suscipienda retardari affirmant, eò, quòd suspicentur per illam damnari sententias, atque doctrinas, quas insignes Catholicorum Scholæ absque ulla censura hactenùs tenuerunt, ac tradiderunt, cùm tamen, nisi ab antiquis semitis, SS. que PP. vestigijs, imò & ab earundem Scholarum Instituto, quod verbis profitentur, re ipsa recessissent, probè reminisci deberent, quòd illarum Principes, quorum nomina pertinatia sua temerè prætendunt, quemadmodùm, & cæteris illustriores Ecclesiæ Scriptores, suum semper esse duxerunt, ut ab Apostolica Sede discederēt, quid credere, quid tenere, quid docere deberēt, ut ad illam scripta sua examinanda, & emendanda dirigerent, ut indè lumen Catholicæ Fidei reciperent, ubi non posset Fides ipsa sentire defectum, ut nemo eorum denique sententiam suam adversus Petri authoritatem defenderet.

Et numero 17.

Decernit nullâ ex Catholicis Scholis aliqualitèr favere erroribus Quesnelli.

17. CÆterùm in hoc ipso præpostero iudicio consuetum calumniandi morem non derelinquunt, nisi enim excœcaret eos malitia eorum, ac nisi diligeret magis tenebras, quam lucem ignorare non deberent, sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt palàm, & liberè in Catholicis Scholis, etiam post editam à nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minimè per eam fuisse proscriptas, verùm supercecidit ignis contentionis, & æmulationis, & non viderunt Solem lucidissimæ veritatis.

SANC-

SANCTISSIMI D. N. D.
BENEDICTI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ XIII.
LITTERÆ IN FORMA BREV.
AD VNIVERSOS FRATRES ORdinis Prædicatorum Professores.

ADVERSUS CALUMNIAS DOCTRINÆ SS. AUGUSTINI, ET Thomæ intentas.

DILECTIS FILIIS VNIVERSIS FRAtribus Ord. Præd. Professoribus.

BENEDICTUS PP. XIII.

DILECTI FILII SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

DEmissas preces, & æquissimas conquæstiones, quas dilectus Filius Augustinus Pipia totius Ordinis Magister Generalis, Religiosæ vitæ exemplis, ac doctrina, prudentiaque commendatissimus, supplici libello ad Nos detulit; ea benignitate complexi sumus, quam, & vestra in Catholicam Religionem amplissima merita, & nostra, quam dudum professi sumus erga Ordinem Prædicatorum: observantia filialis, nostræque demum humillitati impositum Paternæ Charitatis, & solicitudinis officium postulabant. Quod igitur ægrè admodùm, ut par est, molestèque feratis, erroribus à fœl. record. Clemente Papa XI. Prædecessore nostro per Constitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, saluberrimo, & sapientissimo iudicio reiectis, damnatisque, Augustinianæ, & Angelicæ Doctrinæ nomen obtendi, indeque audere nonnullos Apostolicæ Authoritati, ac vestræ existimationi detrahere, quod ipsa vestrarum sententiarum capita eius Constitutionis censuris, nostrisque inusta esse calumnietur; iustam quidèm animorum vestrorum offensionem laudi damus; quia nimirùm vos Germanos Sancti Thomæ Discipulos maximè probastis. Magisterio enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis, quàm ut in addictissima huic Sanctæ Sedi Fide, obedientiaque præcipuum Studiorum suorum fructum, & laudem collocent; & absonas, refra-

fraganteſque Apoſtolicis decretis opiniones, non averſentur modò, ſed per arma etiam lucis, & veritatis diſsipent, & avertant. Tantùm tamen abeſt, ut vicem veſtram doleamus, ut vobis potiùs gratulemur, quòd hac etiam in parte cauſa veſtra ab huius Sanctæ Sedis rationibus ſeiuncta eſſe non potuerit; quòdque alienæ prorsùs, calumnioſæque interpretationes ad conflandam memoratæ Conſtitutitioni invidiam temerè excogitatæ ad iniuriam quoque veſtri nominis retardarint. Cæterum non adeò vobis erat, aut dolendum, aut mirandum, quòd cum ipſis divinorum librorum Oraculis, & Apoſtolicis definitionibus pro impotenti, obfirmatoque partium ſtudio paſsim vis afferatur, hæc eadem contentionis, pervicaciæque licentia Angelicam doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potiùs iure mirandum, quod tàm præpoſtero conſilio in hac cauſa locus eſſe potuerit ubi Sancti Thomæ exploratiſsimis ſententijs damnati errores diſſertiſsimè confutantur. Quandoquidèm Omnipotentis Dei providentia factum eſt, (*a*) ut Angelici Doctoris vi, ac veritate doctrinæ, non ſolùm innumeræ, quæ vel ipſius ætate, vel antea graſſatæ ſunt, ſed multæ etiam, quæ deincèps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ, & convictæ diſsiparentur. Magno igitur animo contemnite, dilecti Filij calumnias intentas ſententijs veſtris, de Gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita Prædeſtinatione ad glorioſam ſine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenùs docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe Schola veſtra commendabili ſtudio gloriatur. Cùm igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant, SS. Auguſtini, & Thomæ (*b*) inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata nullis prorsùs antedictæ Conſtitutionis cenſuris eſſe perſtricta; nè quis in poſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat ſub canonicis pœnis ſtrictè inhibemus. Pergite porrò Doctoris veſtri opera Sole clariora ſine ullo prorſus errore (*c*) conſcripta, quibus Eccleſiam Chriſti mira eruditione clarificavit (*d*) inoffenſo pede decurrere, ac per certiſsimam illam (*e*) Chriſtianæ Doctrinæ regulam, Sacroſanctæ Religionis veritatem, incorruptæque diſciplinæ ſanctitatem tueri, ac vindicare. Hæc ſunt enim, Dilecti Filij, quæ Prædeceſſores noſtri de Sancti Thomæ doctrina ſenſerunt, & prædicarunt; quæque nos, non modò ad curarum veſtrarum lenimentum, ſed ad animi quoque noſtri ſolatium libentiſsimè uſurpamus, & præconio Apoſtolicæ vocis efferimus. Inclytus enim Ordo iſte, cui nomen dedimus, & quem expreſsè, Domino miſerante, profeſi ſumus eodem Angelicæ Doctrinæ lacte nos aluit, ac licèt impari inſtitutionis fructu, ad gerendam Eccleſiarum ſolicitudinem eduxit, ut privato etiam, diuturnoque colendarum artium experimento, ediſcere potuerimus, quod ex Apoſtolatus ſpecula per haſce Litteras annunciamus. Deum interea, qui pacem, & veritatem diligendam præcipit, ſupplices rogate, ut ſincero Angelici Doctoris ſtudio omnes in ſimplicitate cordis nitantur, quæ ille docuit, intellectu conſpicere, atque in unitate Spiritus, & charitate fraternitatis, quæ ille egit, imitatione complere. Ac Vobis, Dilecti Filij, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die VI. Novembris MDCCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno prime.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

(*a*) *Pius V. in Bulla*: Mirabilis Deus. 1567.
(*b*) *Alexander VII. in Brevi incipiente*: Litteras. 1661.
(*c*) *Clement VIII. in Brevi incipiente*: Dilecti Filij. 1603.
(*d*) *In Collecta Feſt.*
(*e*) *Pius V. in Bulla ut ſupra.*

SANC-

SS^mi. IN CHRISTO PATRIS, AC DOMINI NOSTRI BENEDICTI XIII. PONT. MAX.

CONSTITUTIO,

QUÆ INCIPIT: PRETIOSUS IN CONSPECTU DOMINI, &c.

QUA PRIVILEGIA ORDINI PRÆDICATORUM A S. Sede hactenùs indulta confirmantur, innovantur, extenduntur, declarantur, àc novis etiam conceſsionibus ampliantur, cum neceſsarijs, & opportunis derogationibus. Data Setiæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſeptimo, ſeptimo Kalendas Iunij. Pontificatus ſui anno tertio.

POSTQUAM SS. PLURIMA PRIVILEGIA PRÆDICTO Ordini concedit; ſequentia profert in commendationem, & laudem Doctrinæ Ang. Præcept. §. 41.

QUem autem ſilere Nos minimè deceat de Doctrina Angelici Doct. S. Thomæ Aquinatis, cui ipſemet Ordo ſalubritèr inſiſtit; ignoramus planè quibus illam laudibus pro magnis ſuis in Eccleſiam meritis extollamus. Satius ergò abſolutum illius præconium putamus commemorare, ipſam ex Salvatoris Crucifixi ore, ſicuti piè teſtatur hiſtoria, fuiſſe probatam, & conſtanti Summorum Pontificum teſtimonio Orthodoxis commendatam Populis. Hoc potiſsimum ſuis Conſtitutionibus, & Litteris Apoſtol. præſtitere Ioann. vulgò XXII. in Conſtit. XX. cuius initium: *Redemptionem miſit* -- 15. Kal. Auguſt. an. Dñi. 1323. Clemens VI. Conſtit. -- *In Ordine* -- VIII. Idus Febr. 1344. Urbanus V. in Diplomatibus: *Copioſus, & laudabilis* -- dat. 10. Kal. Iul., & Prid. Kal. Sept. 1368. S. Pius V. XXXVI. -- *Mirabilis Deus* -- 3. Idus Aprilis 1567. Sixtus V. LXXVI. -- *Triumphantis* -- prid. Id. Martij 1588. Clemens VIII. -- *In quo Nos*, & *Quantùm prodeſſe* -- 22. Nov. 1603. & *Sicut Angeli* -- Paulus V. *Splendiſsimi*: 17. Decemb. 1607. & Alexander VII. -- *Litteras* -- 7. Aug. 1660. Æquum verò erat, ut Angelica Doctrina Tanti Doct. non vulgaribus efferretur encomijs, quæ Solis inſtar Mundum univerſum illuſtrans uberima Chriſtianæ Eccleſiæ bona peperit, paritque in dies ſingulos multiplici fructu, Supremo Apoſtolicæ Sedis Magiſterio adversùs quoſcumque veteres, & recentes erro-

res,

res, quos revincit fidiſsimè famulans. Eadem nos quoque, diuturnis, atque aſsiduis ferè experimentis probè noſcentes per alias peculiares noſtras Litteras incipientes: *Demiſſas preces* -- dat. 6. Nov. 1724. calumnias eiuſdem Angelici Doctoris, & S. Auguſtini Doctrinæ temerè irrogatas retudimus, & pròut rei gravitas expoſcebat, authoritatis noſtræ præſidio eliminavimus. Luculentius verò æſtimationis argumentum in ipſam S. Thomæ doctrinam nunc edituri, quo magis, magiſque Prædicatorum Ordo, cæterique Orthodoxi, ac veri ipſius Sectatores ad illius ſinceram, & tutam profeſsionem inflammentur, prædictas omnes, & ſingulas Deceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, Litteras, ſeu, ut vocant, *Brevia*, necnon omnia, & ſingula in eis contenta, ſuprema, qua fungimur, auctoritate, motu, ſcientia, & deliberatione præmiſsis comprobamus, & rurſus quatenùs opus fuerit, cum ipſiſmet editis nupèr à Nobis Litteris innovamus. Ut autem turbulenti, ac pertinaces tranquillitatis Eccleſiæ Catholicæ perturbatores definant Orthodoxam S. Thomæ Doctrinam calumniari, ac nè deincèps præpoſteris, & à veritate alienis interpretationibus Apoſtolicas ipſas Litteras noſtras, non ſine aperta, ut accepimus, verbis noſtris, ac etiam Deceſſorum Noſtrorum irrogata violentia, tam Prædicatorum Ordinum, quàm alios veros illius Aſſeclas, & Sectatores inceſſere audeant, Conſtitut. xviii. quæ incipit: *Paſtoralis officij* -- fel. rec. Clem. XI. omnibuſque in eadem contentis firmitèr inhærentes, ſub divini interminatione iudicij, iterùmque ſub canonicis pœnis omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus mandamus, nè Doctrinam memorati S. Doctoris, eiuſque inſignem in Eccleſia Scholam, præſertim ubi in eadem Schola de divina gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, àc de Gratuita Prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla meritorum prævisione, agitur, ullatenùs dicto, vel ſcripto contumeliosè impetant, ac veluti conſentientem cum damnatis ab Apoſtolica Sede, & ſignantèr à Conſtit. LXIV. dicti fel. record. Clem. XI. incipient. *Unigenitus.* -- Janſeuij, Queſnellij, & aliorum erroribus, traducant; à quibus S. Thomas, & vera Schola Thomiſtica quàm longiſsimè abeſt, & abfuit, univerſis, tàm antiquis, quàm nùnc Chriſti Eccleſiam vexantibus hæreſibus, & pernicieſis aſſertis adverſans. Damnamus item Folia, Theſes, & Libros ante hac Typis impreſſos, vel etiam quòd Deus avertat, imprimendos; in quibus ad procreandam, ſeu fovendam Doctrinæ S. Thomæ, Prædicatorum Ordini, alijſque genuinæ Thomiſticæ Doctrinæ Aſſeclis invidiam, deſignatæ, atque damnatæ à Nobis calumniæ aſſertivè renovantur, vel in aliam à germana prædictarum noſtrarum Litterarum ſententia, ſivè Deceſſorum noſtrorum mente honorifica, atque faventia Doctrinæ Thomiſticæ verba fallaciſsimè detorquentur. Deum veritatis, & pacis enixè rogantes, ut ad maiora gloriæ ſuæ incrementa creditus Nobis Populus non minus tradita à Tanto Magiſtro ſalutari Doctrina, quam ipſius innocentium morum, & illuſtrium virtutum imitatione proficiat.

TRAC-

TRACTATVS

DE PECCATO ORIGINALI,

IUXTA DOCTRINAM DIVI THOMÆ AQUINATIS, Præceptoris Angelici in 2. dist. 31, & 32. & 4. contr. Gent. à cap. 50. usque ad 52. & de Malo quæst. 4. & 5. & hac 1. 2. q. 81. usque ad 83.

Dictatus anno 1714.

DUBIUM I.

AN SIT PECCATVM ORIGINALE, illudque sit verè, & propriè peccatum?

PRæter Iudeos negantes parvulos descendentes ex Adamo contrahere peccatum aliquod, sive culpam originalem. Primus extitit Pelagius prædicto errori tenacitèr adhærens, contra quem ægregiè scripsit D. August. lib. 2. de Gratia Christi; & tribus lib. de peccatorum meritis, & remissione, & duobus de nuptijs, & concupiscentia; & 6. contr. Iulian. & pluribus alijs in locis. Eundem errorem secuti sunt Armenij, Albigenses, Petrus Abaylardus, Lucianus, Monachus, Zuinglius, & Alij hæretici, quos frequentèr citant Comment. ut ibi videri possunt. Contra hos omnes.

§. I.

STABILITUR CATHOLICA VERITAS.

Parvuli descendentes ab Adamo nascuntur infecti peccato ortum ducente ex peccato illius.

N. 1

CONclusio est de fide definita in Concilijs, Milevitano, Arausicano, & novissimè in Tridentino sess. 5. de peccato originali canon. 2. dicente: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini, asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam*

eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse: non autem peccatum, quod est mors animæ, Anathema sit. Eadem habet can. 3. 4. & 5.

2 Desumpta est hæc fidei decisio ex pluribus tam Veteris, quàm Novi Testamenti testimon. ut constat ex illo Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Quod ut notat D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 50. nequit intelligi de peccato actuali parentum David in illius generatione commissum, cum ex legitimo matrimonio ortus sit. Idem constat ex illo Iob 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine; nonne tu, qui solus es.* Ubi Septuaginta Interpretes vertunt: *Nemo mundus à sorde, nec infans unius diei super terram.* Quod esse intelligendum de sorde spirituali probat D. Thom. ubi sup. Ex eo, quod loquitur de sorde, ratione cuius homo adducitur in iudicium Dei, ut constat ex verbis præcedentibus. *Et dignum ducis aperire oculos tuos, & adducere cum te cum ad iudicium: Ad quod nemo adducitur, nisi pro culpa*: ergò.

Prob. ex Sac. Scrip

3 Ex novo Testamento plura sunt testimonia ad idem assumptum. Sed inter omnia præcipuum est illud Pauli ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et infra: *Sicuti enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituuntur multi.*

4 Nec valet dicere 1. cum aliquibus hæreticis Apostolum nomine peccati intelligere pœnam illius, unde asserere peccatum primi Parentis transisse in omnes homines congruenter exponitur per hoc præcisse, quod ex tali peccato, quamplurimæ pœnæ, ut sunt mors, fames &c. ad reliquos, qui ex Adam originem trahunt, sint derivatæ. Fundatur hæc expositio in frequenti modo loquendi Sacræ Scripturæ accipientis pro peccato pœnam ipsius, ut constat ex illo 2. Regum cap. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te.* Et ex illo Zachariæ ultim. *Hoc erit peccatum Ægypti; id est perditio, & pœna peccati Ægyptiorum.*

Hæretic. Reponsi

5 Non inquam valet 1. Nàm, ut constat ex authoritate Concilij Tridentini: Adamus per inobedientiam peccati, necum mortem, aliasque pœnas in reliquos homines ex ipso descendentes, transfudit; sed etiam peccatũ, quod est mors animæ. Quod assumptum efficaciter probatur à Concil. ex testimonio Pauli ubi sup. asserentis:* per unum hominem peccatum intrasse in hunc mundum, & per peccatum mors; * si autem nomine peccati mortem, quæ est pœna illius, intelligeret, sensus Pauli esset, *per mortem intrasse in hunc mundum mortem*, quod est ridiculum. Secundo. Nam repugnat æquitati divinæ peccatum primi Parentis fuisse transfusum in posteros quòad mortem corporis, & non quòad culpam, quæ est mors animæ: ergò. Prob. assis. Nàm divinæ æquitati repugnat peccatum unius transfundi quoad mortem corporis ad alium, & non quò ad culpam (non dico non punit, sed non transfundit) ut constat ex illo Ezech. *Anima, qua peccaverit, ipsa morietur.* Et rursùs: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Atqui mors est pœna peccati; cum natura humana in prima sui conditione fuerit à Deo constituta in statu immortalitatis per gratiam: ergò. Hac ratione argumentatur contra hæreticos Concilium Arausicanum capit. 2. dicens: *Iniustitiam Deo dare convincitur, qui mortem sine peccato, quod est meritum mortis, transire dicit.* Illaque usus est Div. Thom. 1. cont. Gent. cap. 50.

Reijcitur 1.

Secundo

6 Nec quod prædicta evasio in sui favorem adducit, alicuius est momenti. Fatemur enim multoties in Sacra Scriptura peccatum accipi pro pœna illius; cæterùm talis interpretatio admitti debet, dummodo sit iuxta mentem Conciliorum, & SS. PP. & quando Sacer Textus non distinguit aperte inter peccatum, & pœ-

Fundam. est nullũ

pœnam illius ; cumque Concilia, & SS. PP. interpretantes teſtimonium Apoſtol. ſupr. relatum expreſsè loquantur de peccato quòad rationem culpæ ; & inſuper Apoſtolus manifeſtè diſcernens inter peccatum, & mortem , quæ eſt pœna peccati,teſtificetur utrumque in omnes homines pertranſiſſe; clarè deducitur acceptionem peccati in ſenſu ſuperiùs adducto nullatenùs locum habere.

7 Nec valet dicere 2. cum alijs, Apoſt. nomine peccati intelligere inclinationem ad peccandum , quam fatentur per peccatum primi Parentis ad reliquos fuiſſe transfuſſum. Non inquam valet 1. Nàm Apoſt. loquitur de peccato reſpectu cuius mors eſt pœna illius , ut conſtat ex illis verbis : *Et per peccatum mors.* Atqui mors non eſt pœna inclinationis ad peccandum , ſed ipſius peccati , ut patet ex illo Geneſ. 3. *In quocumque die comederis morte morieris* : ergò. 2. Nàm aliàs Paulus in ſenſu impropriò loquutus fuiſſet ; ſiquidem inclinatio ad peccandum , ſive concupiſcentia, impropriè appellatur peccatum , ut conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 5. de peccato origin. can. 5. Conſtat. que ex eo ,quod in adultis iuſtificatis remanet concupiſcentia , ſive inclinatio ad peccandum ; cum tamen in eis nihil remaneat , quod ſit verè, & propriè peccatum : ergò valde impropriè loqutus eſſet Apoſtolus teſtimonio ſupra relato.

Dices 2.

Contra 1

Secundo

8 Nec valet dicere 3. cum Pelagio : peccatum Adami tranſiſſe in poſteros non per originem , ſed per imitationem ; quia ſcilicèt per inobedientiæ peccatum viam peccandi nobis apperuit , & ſuo pravo exemplo ad peccandum poſteros provocat.

Dices 3.

Sed hoc effugium erroneum apertè præcluditur à Concilio Tridentino 9 ſeſsion. 5. canon. 3. his verbis : *Si quis hoc Adæ peccatum , quod origine unum eſt , & propagatione , non imitatione transfuſſum , omnibus ineſt unicuique proprium &c.* Quæ veritas Catholica convincitur 1. Nàm ex oppoſito ſequeretur , quòd potiùs deberet dicere S.Paulus per Diabolum peccatum intraſſe in hunc mundum ; cum ipſe exiterit primus peccator , & quem imitantur omnes , qui peccant, iuxta illud Sap. 2. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum , qui ſunt ex parte illius.* 2. Nàm ſi vera eſſet ſolutio Pelagij ; verba Apoſt. teſtimonio ſup. relato nullatenùs comprehenderent parvulos; cum illi, utpotè carentes uſu rationis, nequeant imitari Protheparentis peccatum. Falſitas autem ſequelæ conſtat ex eo,quod etiam parvuli experiuntur mortem,quam eſſe effectum peccati , & per illud intraſſe in hunc mundum, expreſsè aſſerit Divus Paulus.

Contra 1

Secundo.

Ex quo ulterius impugnatur 10 prædictus error : Nàm eodem modo aſſerit Apoſtolus per unum hominem peccatum intraſſe in hunc mundum ; ac aſſerit mortem in omnes homines per peccatum intraſſe. Atqui mors pertranſijt origine , & propagatione , & non imitatione ; ergò talis tranſitus concedendus eſt peccato Adami. Deinde: Nàm iuxta Apoſtol. 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificantur.* Atqui in Chriſto vivificantur omnes, non ſolum imitatione , quatenùs ſe ipſum proponit , ut exemplum iuſtitiæ imitandum ; ſed etiam quatenùs communicat fidelibus ſui ſpiritus occultiſsimam gratiam : ergò omnes mortui ſunt in Adamo peccante, non ſolum quia prævaricationis exemplum peccando præbuit , ſed etiam quia occulta macula infecit omnes de ſua ſtirpe venientes.

Tertiò.

Deniquè ſuadetur eadem veritas duplici ratione. Prima deſumitur ex morte Chriſti Domini : quem eſſe mortuum pro parvulorũ ſalute, ſicuti eſſe omnium Redemptorem negare nefas eſt : ergò parvuli mortui ſunt. Conſeq. eſt Apoſt. 2.ad Corinth. cap. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergò omnes mortui ſunt.* Atqui parvuli non ſunt mortui morte proveniente ex peccato actuali ab ipſis commiſſo: ergò morte ſpirituali ratione culpæ , quam contrahunt ex primo Parente.

11

Prima ratio.

12 Secunda ratio desumitur ex necessitate Baptismi. Fide sanctum est Sacramentum Baptismi esse conferendum parvulis, sicque tenet communis Ecclesiæ consuetudo : ergò necesse est inveniri in eis aliquod peccatum, à quo mundentur, & spiritualiabluantur; non actuale, cum non habeant usum rationis : ergò originale, sive per generationem transfussum.

Ratio 2.

13 Nec valet dicere cum Pelagio: Baptismum conferri parvulis non ut mundentur à peccato, sed ut introducantur ad Regnum Cœlorum, in quòd nullus intrare potest sine Baptismo, iuxta illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Non inquam valet 1. Nàm si in parvulis nulla esset culpa, non verificaretur forma illius, scilicèt: *Ego te baptizo*, quod idem est ac *abluo*, sive *mundo*; ablutio autem non habet locum, nisi sit aliqua sordes, sive immunditia, à qua quis abluatur.*

Resp. Hæret.

Contra 1.

* Ioan. 13. Qui lotus est non indig. &c.

14 Secundo. Secundo : Nàm si Baptismus conferretur parvulis, præcisè, ut intrarent in Regnum Cœlorum : ergò decedentes sine Baptismo manent ab illo excluſi. Sed hoc implicat, nisi in eis sit aliquod peccatum : ergò. Probat. min. Nemo iustè excluditur à consequtione finis, nisi propter aliquod peccatum ; ut patet à simili in alijs rebus per ordinem ad fines proprios sibi à natura institutos. Tùm quia talis exclusio est maxima pœna, quæ necessariò, ut iustè infligatur, debet supponere aliquam culpam : ergò. Hoc argumentum, utpotè efficacissimum latè prosequitur D. Augustin. lib. 3. de Peccat. meritis, & remiſ. cap. 3. & 4. illoque usus est D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 50.

§. II.

Aliquæ obiectiones solvuntur.

15 Primum arg. OMissis pluribus argumentis, quæ opponunt hæretici (de quibus latè D. Aug. & D. Thom. ubi sup. & alij Commentatores) conantur suum errorem suadere ex illo Pauli 1. ad Corinth. 7. ubi loquens de infidelibus uxoratis ait : *Filij vestri sancti sunt.* Sed hoc nequit verificari, si nascerentur cum peccato originali ; siquidem sanctitas, & peccatum inter se opponuntur: ergò.

16 Solutio. Ad hoc argumentum Resp. cum Ambr. & D. Thom. Apost. loqui de sanctitate legali, non vero de sanctitate, qua anima Deo grata, & amicabiliter dilecta ab ipso constituitur ; quasi diceret : *Filij vestri sancti sunt*, id est *legitimi*, & non spurij. Constat huiusmodi expositio ex ipso contextu. Ibi enim intendit Apostolus persuadere virum fidelem non debere separari ab uxore infideli, quando hæc vult habitare sine iniuria Creatoris ob spem conversionis illius : Nàm si discedat, & ad alias nuptias transeat, filij ipsorum, utpotè ex matrimonio illegitimo nati, *immundi*, hoc est, *spurij* sunt. E contra vero illi, qui nascuntur ex legitimo matrimonio *sancti* sunt, hoc est, *legitimi.*

17 Unde sicuti illis verbis *immundi sunt*, non intelligit Apostolus culpam aliquam, ita nec in eis: *Sancti sunt* carentiam peccati intelligere potest. Alia testimonia obijciunt hæretici ex aliquibus Sanctæ Ecclesiæ Patribus, scilicèt Hieronymo sup. cap. 15. Ezechiel. Ambros. sup. Psalm. 48. & Chrisost. tom. 5. Epistol. ad Neophitos. Sed ad illa facilè Respond. Ex eorum contextu manifestè constare prædictos Patres solum negare dari in infantibus peccatum personale, sive propria voluntate commissum, non verò peccatum ex voluntate primi Parentis, & ad illos per generationem traductum.

18 Secundò arg. Obijciunt secundo. Si daretur in parvulis peccatum originale, sive per generationem traductum, sequeretur Parentes peccare in actu generationis ; consequens est hæreticum : ergò. Sequela probatur. Ille peccat in actu generationis, qui est causa, ut proles nascatur infecta originali peccato ; Sed si daretur in parvulis peccatum originale per generationem traductam, Parentes essent hu-

huiusmodi causa : ergò. Aliter, & explic. hoc. Quod est causa causæ, est causa causati. Sed parentes sunt causa generationis prolis, ad quam consequitur traductio peccati originalis : ergò causando generationem prolis, sive prolem, ut genitam, essent paritèr causa, ut inficeretur peccato originali. Ex quo argumento inferebant hæretici nuptias esse illicitas,& Parētes in actu generationis peccare.

19 Inefficaciam huius obiectionis latè demonstrat Div. Augustin. lib.1.de Nuptijs c.1.& lib.2.c.4.& lib. 2. de Gratia Christi, & de peccato originali à cap. 33. Ex cuius doctrina

Respond. Respond. negando sequelam. Ad illius probat. Resp. Aliud esse generationem prolis esse causam, ad quā consequatur per verum influxum originale peccatum; aliud vero quod posita generatione prolis, sive prole existente extra suas causas, detur in illa originale peccatum.Primum enim denotat activum influxum intraductionem peccati originalis. Secundum vero tantum denotat influxum in entitatem prolis, & puram concomitantiam, ac existentiam peccati provenientis ex alio principio, tanquam à causa. Quando igitur affirmatur peccatum originale esse per generationem traductum, non denotatur generationem terminari ad illud, tanquam ad terminum, sive per se, sive ex consequenti, & per resultantiam ex illa provenientem; sed tantùm, quod ad illius positionem suppositò peccato 1. Parentis consequitur infectio originalis peccati. Quod si quæratur à quo proveniat, tanquam à causa talis infectio in prole genita? Resp. Illam esse peccatum primi Parentis, quatenùs fuit peccatum capitale; per quod non solum sibi, sed etiam suis posteris iustitiam originalem ammisit. Per quæ constat ad aliam probat. ibi subiunctam neg. min. scilicèt generationem prolis esse causam peccati originalis.

20 Sed dices : Quamvis proles genita non sit vera causa peccati originalis

Instabis. inficientis ipsam, se habet tamen tanquam quid materiale respectu illius; sed hoc ipso nequeunt Parentes causare prolem genitam, quin ex consequenti causent infectionem illius per peccatum originalem : ergò. Pr. min. Nàm etsi entitas peccati non se habeat, ut vera causa malitiæ moralis(in sententia constituente illam per aliquod privativum)sed tantum ut quid materiale per modum subiecti denominabilis ab ipsa;nequit homo causare entitatem peccati, quin ex consequenti causet malitiam ; idemque dicendum de eo,qui suaderet alteri elicientiam actus inseparabilitèr connexi per modum subiecti cum malitia morali : ergò paritèr.

Resp.neg.min. Cuius falsitas constat in pluribus formis positivè afficiētibus, & denominantibus subiectum, quarum denominationum non est causa principiū activè influēs in existentiam subiecti.Constat etiam in denominationibus privativis, scilicèt tenebrosi &c.ubi causa producēs aerem non est causa, à qua provenit illius tenebrositas, sive privatio lucis. Ad prob.latè dictum est Tract.præc. Homo non causat ex consequenti privationem rectitudinis eo præcisè, quia ponit entitatem actus se habentē per modum subiecti denominabilis à malitia;cum etiam in hoc sensu causetur à Deo nullatenùs influente in prædictam malitiam : sed quia ponit entitatem actus cum defectu actualis attentionis, & subiectionis ad regulam rationis, sub qua consideratione prædicta entitas non se habet tantum, ut quid materiale respectu malitiæ, sed qualis radix,& proximum fundamentum respectu illius. De quo latè ibi.

21 Respond.

§. III.

STATUITUR 2. CONCLUSIO.

Peccatum originale est verè, & propriè peccatum.

22 ITa communitèr Theologi adeò certam illam existimantes, ut oppositam varijs censuris inurant. Pro illa refertur à P. Vazquez Durand.in 2.d.30.q.2.à quo sensu illum defendit Ill.Godoy in præsenti n. 32. & quidem meo videri satis efficacitèr ; cum in Durando ubi sup. q. 2. num. 8. solum inveniatur dictum:

peccatum originale non esse verè, & propriè peccatum ea ratione, modò, & proprietate, qua peccatum actuale. Quod longè distat ab hoc, quod est asserere absolutè: peccatum originale non esse propriè peccatum. Sed quidquid sit de hoc, & de alijs AA. quos refert Basil. Legionen. variar. disp. resol. 3.

Prob. 1. Prob. conclusio ex Conc. Trid. sess. 5. can. 5. dicente: *Si quis per Iesu-Christi D. N. gratiam, quæ in baptismate confertur reatum peccati originalis remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, Anathema sit.* Quibus verbis expressè confirmat, & quasi supponit Concilium in peccato originali veram, & propriam rationem peccati inveniri.

23 Constat etiam ex pluribus Sacræ Script. testim. ubi peccatum originale, sive per generationem derivatum in descendentes ex Adamo, absolutè appellatur *peccatum*, *iniquitas*, *immunditia*, & qui ex Adamo descendit *filius iræ* vocatur, ut constat Ioan. 1. Psalm. 50. Daniel. 9. Iob. cap. 14. & Paul. ad Rom. cap. 15. & ad Eph. c. 2. Atqui testimonia Sac. Script. sunt cum proprietate interpretanda, nisi aliquod inconveniens sequatur, aut sit grave fundam. contrarium persuadēs: ergò cum nihil horum adsit pro peccato originali, ut constat ex dictis, & ex dicendis amplius constabit, fatendum est illud esse verè, & propriè peccatum.

Secundo. Ex Scriptura.

24 Ex quo ulteriùs suadetur concluſ. sequenti discursu. Si peccatum originale non esset verè, & propriè peccatum, dùm parvuli baptizantur, non diceretur cum proprietate per Sacramentum Baptismi ablui, seu mundari; non enim adest vera ablutio, ubi non invenitur propriè macula. Consequens est omninò falsum: ergò peccatum originale obtinet veram, & propriam rationem peccati. Ita arguit Concil. Trid. sess. 5. cap. 4. illis verbis: *Fieri consequens, ut in parvulis &c.* Deindè. Quod verè, & propriè constituit hominem inimicum Deo, filium iræ, sive dignum puniri pœna æterna, obtinet veram, & propriam rationem peccati; sed huiusmodi est peccatum originale, ut constat, tùm ex dictis, tùm ex illo Pauli ad Roman. 5. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati Deo sumus per mortem Filij eius &c.* Et insuper: pœna damni, quæ parvulis sine baptismo decedentibus à Deo iustissimè infligitur, id ipsum manifestè convincit: ergò fatendum est peccatum originale habere in se veram essentiam, & constitutivum peccati læthalis.

Prob. à ratione.

§. IV.

STATUITUR TERTIA CONCLUSIO

Peccatum non dicitur æquivocè, aut analogicè, de peccato originali, & actuali.

25 OPpositum 1. part. tuetur Capreolus in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 3. Ex cuius opinione videbitur alicui ipsum sentire peccatum originale non esse verè, & propriè peccatum: Sed inefficacitèr ut rectè animadvertit in præsenti §. 1. Mag. Ferre. Constatque ex conceptu quidditativo æquivocorum, in quibus nomen non dicitur æquivocè de suis significatis per hoc, quod ratio significata per ipsum, in uno propriè, & simplicitèr, & in altero tantùm secundum quid, & impropriè inveniatur; sed quia nomen significat differentias proprias illorum, quibus ad invicem distinguuntur, non vero aliquam rationem obiectivè communem ab ipsis præcissam. Hoc patet in hoc nomine *Canis* æquivocè dicto de Cane Cœlesti, terrestri: & in hoc nomine *Petrus* respectu illorum, qui prædicto nomine insigniuntur. Et ut exemplo Theologico utamur: constat hoc ipsum in existentia rei in loco, & motu locali, quæ omnia propriè dicuntur de substantia corporea, & Angelica, ut expressè docet D. Thom. in 1. dist. 37. quæst. 2. art. 1. Et tamen iuxta ipsum ibidem solutione ad 4. motus localis æquivocè dicitur de motu corporum, & Angelorum. Ita D. Thom. 1. p. quæst. 53. a. 1.

Advert.

26 Quo prænotato prob. 1. pars concluſ. Non dicitur æquivocè ratio peccati læthalis de peccato actuali, & Prob. 1. pars.

originali, si ab illis potest præscindi aliqua ratio communis peccati hoc nomine *peccatum* significata; sed sic contingit in peccato actuali, & originali: ergò. Mai. constat ex definitione termini æquivoci, quæ consistit in eò, quòd non significet aliquam rationem communem omnibus significatis per ipsam. Min. verò probat. A peccato actuali, & originali abstrahibilis est ratio iniquitatis, aversionis à Deo, & mortis spiritualis animæ; cum hæc omnia iuxta Sacr. Script. verificentur de peccato originali. Sed peccatum læthale ex vi suę significationis dicit formaliter esse iniustitiam, aversionem à Deo, & mortem scilicèt spiritualem animæ: ergò.

27 Instab. Sed dices contra hoc. Peccatum actuale consistit in privatione rectitudinis debitæ actui, vel in privatione actus debiti, si sit peccatum omissionis. Peccatum vero originale consistit, vel in privatione iustitiæ originalis, vel in conversione habituali ad bonum commutabile ex peccato primi Parentis inducta; sed hæc omnia purè æquivocè inter se comparantur: ergò. Confirm. A voluntario personali, & voluntario capitali, non est præscindibilis aliqua ratio communis voluntarij; cum de ratione huius sit esse à principio intrinseco: quod autem voluntate aliena committitur, & ad alterum derivatur, nequit ab hoc tanquam à principio intrinseco provenire; Sed peccatum actuale est voluntarium primo modo, & peccatum originale secundo modo: ergò. Deniq. Privativum, & positivum nequeunt in aliqua ratione communi convenire; sicuti nec convenire possunt ens, & non ens; sed peccatum originale consistit in privativo, & actuale in positivo, ut plures volunt: ergò.

Confirm. Ultim.

28 Respond. Resp. admissa maior. negando min. Siquidem à privatione rectitudinis perficientis personam, & à privatione doni perficientis naturam abstrahibilis est ratio privationis perfectionis, pròut sic, quæ postea subdividitur in privationem perfectionis ordinantis actum, & personam, & perfectionis ordinantis naturam. Quemadmodùm à prædictis privationibus præscindibilis est ratio mali moralis ut sic consistentis in carentia privativa alicuius boni perficientis hominem, quatenùs est agens morale, & ordinatum ad consecutionem beatitudinis. Quapropter, ut replicæ supra adductę efficacitèr probarent assumptum, oportebat ut hoc nomen *peccatum* nec exprimæva impositione, nec ex communi acceptione Theologorum significare aliquam rationem communem peccato actuali, & originali. Quòd esse falsum constat ex Sacr. Scrip. & PP. Ubi hoc nomen *peccatum* in sui abstractione formali universalissimè accepta significat * iniquitatem, iniustitiam, maculam, mortem animæ, aversionem à Deo, & dissimilitudinem cum illo.* Deindè instatur argumentum supra adductum: Nàm peccatum actuale Adami, & habituale in ipso ex illo relictum non comparantur æquivocè ad rationem peccati; quæ est *ratio mali repugnantis rationi, & reddentis hominem offensum Deo.* Et tamèn unum in privatione rectitudinis moralis; alterum in privatione gratiæ consistit.

29 Ad confirm. Ad 2. Resp. negando min. Nàm voluntarium ut sic communitèr dividitur in voluntarium personale, & capitale; si autem non esset præscindibilis aliqua ratio communis, talis divisio locum non haberet; ut de se est satis manifestum. Deindè: Nàm ab obligatione, sive contractu celebrato voluntate personali, & voluntate capitali; præscindibilis est ratio obligationis, & contractus, ut constat in voto emisso à capitibus alicuius Reipublicæ verè obliganti omnes cives illius *, & in contractu celebrato à Tutore nomine pupilli strictè obliganti non solùm tutorem, sed etiam pupillum; cùm tamen ad obligationem voluntatis, & ad valorem contractus, necessariò prærequiratur voluntarietas. Ex qua paritate satis efficacitèr suaderi potest peccatum originale esse propriè peccatum, etsi tantum sit voluntarium voluntate capitis; imò huiusmodi voluntarium esse verè, & propriè tale; siquidem ex illo oriri potest, tùm voti oblig: Tùm contractus verè, & strictè obliga-

* Adiuncta lege sentiunt omnes.

torius. Ad probationem in contra(de quo latè infrà) Resp. Pronùnc voluntarium capitale esse etiam à principio intrinseco, licèt non physicè, benè tamen moralitèr ; quatenùs voluntas parvulorum erat moralitèr ex ordinatione divina in ordine ad conservandam, & ammittendam iustitiam originalem ipsa voluntas Adami.

30 Ad ultim.

Ad ultim. Resp. manifestè instari in peccato actuali Adami, & habituali ex illo relicto ; tùm in peccato commissionis, & omissionis, quæ univocè in ratione peccati conveniunt iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. quæst. 72. art. 6. Eo quod licet physicè, & materialitèr sumpta nullatenùs conveniant ; secùs tamen moralitèr accepta per oppositionem ad legem divinam, & aversionem à Deo, ut fine ultimo, in qua conveniunt. Nec contra dicta refert authoritas Div. Thom. quæst. 4. de Malo art. 2. ad 4. dicentis : *Peccatum originale non dici peccatum eadem ratione, qua actuale* : ergò hoc nomen peccatum non significat aliquam rationem communem actuali, & originali. Non inquam refert : Nàm D. Thom. intelligendus est de identitate rationis quòad modum, non vero quòad essentiam peccati ; quia videlicèt actuale propria voluntate committitur, originale vero voluntate capitis contrahitur.

Occurrit. testim. S. D.

31 Quòad 2. part. prob.

Secunda pars conclusionis (cuius oppositum tuentur Mag. Alvarez 1. 2. disp. 77. Ricardus, Azor, Tannerus, & P. Salas problematicè, Gregorius Martinez qu. 82. art. 3. dub. 3.) Probat. ex dictis destruendo fundament. Adversar. Si ratio peccati analogicè diceretur de peccato actuali, & originali hoc esset vel ob imperfectionem originalis, vel ob dependentiam ipsius ab actuali. Sed nihil horum invenitur in præsenti : ergò. Prima pars min. prob. Imperfectio, quæ non tollit, quod peccatum originale sit verè, & simplicitèr peccatum, non tollit, quod univocè participet rationem peccati ; sed huiusmodi est peccatum originale ; cum sit propriè, & simplicitèr mors animæ, & constituat hominem aversum à Deo, simplicitèrque dignum pœna damni : ergó.

32

Secunda vero pars min. prob. Dependentia, quæ requiritur ad rationem analogiæ, debet oriri ex ipsa ratione communi, & non præcisè à differentijs membrorum dividentium ; aliàs peccatum actuale, & habituale personale tantùm analogicè convenirent in ratione peccati ; & similitèr ratio qualitatis analogicè prædicaretur de actu, & habitu ; siquidèm peccatnm habituale dicit respectum, & dependentiam ab actuali : & actus ab habitu. Sed talis dependentia non invenitur in præsenti : ergò. Prob. min. Tùnc dependentia unius ab altero oritur ex ratione communi, quando ratio significata per nomen invenitur in uno simplicitèr, & in altero secundum quid, ut constat in dependentia accidentis à subsantia in ratione entis ; atqui ratio peccati absolutè, & cum omni proprietate spectante ad propriam essentiam peccati læthalis, invenitur in peccato originali, ut ex dictis constat : ergò. Sed de his satis.

33 Notát ali qua.

Cum hac doctrina rectè cohæret peccatum originale esse imperfectum peccatum comparativè ad peccatum personale ; quemadmodùm rectè cohæret Murem v. g. esse imperfectum animal respectivè ad hominem, aliasque species, cum eo, quod sit simplicitèr, & univocè animal. Ratio huius est ; quia talis imperfectio provenit ex eò, quòd non est ita perfectè voluntarium, sicuti peccatum læthale personale. Ex quo ulteriùs sequitur nihil officere veritati Catholicæ appellare illud minimum inter peccata læthalia : dummodò in illo adstruatur tota essentia peccati læthalis consistens in eo, quod reddat subiectum offensum Deo, & immundum. Nèc huic obstat, quòd peccatum originale, utpote primum, debet esse maximum, iuxta illud 1. in unoquoque genere &c. Non inquam obstat : Nàm ut rectè advertit Div. Thom. 2. 2. q. 163. art. 3. ad 3. *In his, quæ sunt per se ordinata, oportet id, quod est primum, esse maximum.* Talis autem ordo non attenditur in peccatis ; sed unum per accidens sequitur post aliud ; undè

non sequitur; quòd primum peccatum sit maximum. Dicta intelligenda sunt comparativè ad peccata læthalia personalia eiusdem speciei ex obiecto cum peccato originali; nàm si hoc sit malum malitia superbiæ, & inobedientiæ formalis; peccatum verò personale sit malum malitia inferioris speciei, v. g. timiditatis, & intemperantiæ: in hoc casu nequit absolutè dici peccatum originale esse minùs personali. Nàm licèt cæteris paribus imperfectio voluntarietatis minuat rationem peccati; secùs tamèn quando cætera non sunt paria. *Et Hæc de hoc dubio, applic. litt. M in* 2. *d.* 30.

DUBIUM II.

AN; ET QVALITER PECCAtum originale sit Parvulis voluntarium?

§. I.

RATIO DUBITANDI.

N. 1 RAtio dubitandi est huiusmodi. Quod non est propriè voluntarium, nequit esse propriè peccatum. Sed peccatum originale non est propriè parvulis voluntarium: ergò. Maior est certa. Tùm ex communi sententia Theologorum, asserentium voluntarietatem, & libertatem esse saltim fundamentum totius moralitatis. Tùm ex D. Aug. de lib. arbit. lib. 3. cap. 8. asserente: *Quod peccatum adeò est voluntarium, quod si non fuerit voluntarium, non erit peccatum.* Tùm ex decreto SS. Pij V. & Gregorij XIII. damnantium sequentem propositum ord. 46. *Ad rationem peccati non pertinet voluntarium, nec diffinitionis quæstio est; sed causæ, & originis: an peccatum debeat esse animæ voluntarium?* Min. autem prob. 1. Non est propriè voluntarium alicui, quod propriè non procedit à principio ei intrinseco; sed peccatum originale non procedit propriè à principio parvulis intrinseco: Cum eis conveniat ex peccato primi Parentis, quod est illis extrinsecum: ergò.

Proponitur.

2 Secundo, & confirm. hoc. Nequit esse propriè peccatum, & culpa id, quod à subiecto nullatenùs evitari potest; culpa enim iuxta D. Thom. 1 2. q. 21. a. 2. addit supra rationem peccati esse in potestate, & dominio voluntatis, ut illa sit, vel non sit. Sed peccatum originale nullo modo est in potestate, & dominio parvulorum, ut sit, vel non sit: ergò. Prob. min. Non fuit sic in potestate voluntatis parvulorum, quando Adam peccavit, cum tùnc parvuli non existerent; deindè: non quando ipsi primo producuntur in rerum natura; cum tùnc careant usu rationis: ergò.

Confirm.

§. II.

In quo variæ solutiones reijciuntur.

HUic rationi dubitandi, cui innitebatur Iulianus apud August. lib. 2. de Nupt. & alibi c. 3. ad negandam existentiam peccati originalis; variè Resp. Authores Catholici. Aliqui enim negant mai. existimantes ad rationem propriam peccati non requiri proprietatem voluntarietatis, sed sufficere esse aliquomodo voluntarium, scilicèt Adamo, tanquam capiti posterorum. Ratio huius doctrinæ est. Nàm ratio voluntarij

3 1. solutio

non

non comparatur ad rationem peccati, tanquàm prædicatum genericum, aut differentialem ipsius, sed tanquàm conditio prærequisita ad illud. Undè non sequitur rationem peccati debere servare leges voluntarietatis, adeò ut si propriè voluntarium non sit, nequeat dici verè, & propriè peccatum. Ita Mag. Lorca disput. 45. dub. Appendice.

Antequàm hanc solut. impugnemus: fatemur rationem peccati non in omnibus servare leges, sivè conditiones libertatis adeò, ut iuxta modum, quo aliquid dicitur liberum, dicatur præcisè, & non alio modo peccatum; ut rectè animadvertunt in præsenti PP. Salm. dub. 2. §. 2. num. 40. Constat hoc. Nàm plura dicuntur in se, directè, per se, formalitèr, & immediatè peccata; cùm tamen solùm sint voluntaria in causa, indirecte, per accidens, intepretativè, & mediatè. Quapropter doctrina solutionis ad hunc sensum intellecta nihil manifestè falsum, aut à frequenti Theologor. sententia recedens, continet. Nec huic doctrinæ obstat testim. D. Aug. & decreta Summorum Pontificum contra Michaelem Bayum; hic enim expresè negabat requiri libertatem indifferentiæ ad rationem peccati actualis, sive personalis; proindèque sufficere voluntarietatem spontaneitatis, quæ non extrahit actum à ratione necessarij. Unde ex damnatione erroris prædicti non convincitur manifestè ad rationem peccati originalis (quod non est peccatum personale, sed peccatum naturæ media propagatione, quasi hæreditariè traductum) requiri esse propriè parvulis voluntarium.

4 Solut. nó ex toto reijcienda.1.

Deindè Nàm dùm solutio negat peccatum originale esse propriè voluntarium, vel negat talem proprietatem respectu parvulorum, proùt isti considerantur in se, & proùt distinguuntur ab Adamo; vel negat esse propriè voluntarium etiam respectu Adami, quatenùs fuit constitutus morale caput parvulorum? Si primum, non facilè convinci potest alicuius falsitatis solutio: quin potiùs satis arduum, & difficile viderur adstruere peccatum originale fuisse liberum parvulis in se, & quatenùs differunt ab Adamo consideratis. Si secundum (estò affirmetur quid manifestè falsum; cum Adamus verè, & propriè fuerit potens per observationem præcepti vitare traductionem peccati originalis ad parvulos) restat probandum: solutionem traditam in hoc sensu procedere; cum potiùs ex illius doctrina oppositum deducatur, ut patet ex restrictione, cum qua negant peccatum originale fuisse voluntarium, scilicet *ipsis parvulis*; ergò solutio data non adeò facilitèr est reijcienda, quasi aliquod manifestè falsum, aut gravi fundamento carens, contineat.

5 Secunda.

Ita in 2. solut. & disp. 44. in fine.

Sed contra hucusque dicta dices 1. Nàm generare solùm comparatur, ut fundamentum ad esse Patrem formalitèr, & relativè acceptum; & tamen de quo non verificatur propriè genuisse, nec cum proprietate verificari potest esse relativè, & formalitèr Patrem: ergò etiam si ratio voluntatis sit fundamentum ad rationem peccati, non poterit verè, & propriè verificari peccatum originale esse peccatum, quin sit verè, & propriè voluntarium. Secundò. Nàm multotiès actus, qui ex genere suo est peccatum mortale, fit veniale ob imperfectam deliberationem; sivè quia non est propriè voluntarium, ut est communis doctrina Theologor. ergò sivè ratio voluntarij sit fundamentum, sivè conditio indispensabiliter requisita ex parte subiecti ad rationem peccati, quod non est propriè voluntarium, nequit dici verè, & propriè peccatum læthale, quale est peccatum originale.

6 Instab. 1

Secundo.

Sed istæ replicæ facilè solvi possunt adeò, ut illis non obstantibus solutio data doctrinam veram continere valeat. 1. Nàm vel replica intendit, quòd peccatum originale debeat esse propriè voluntarium prescindendo ab hoc, quod debeat esse propriè voluntarium etiam respectu parvulorum, quatenùs isti considerantur, pròut distincti ab Adamo; vel intendit, quòd etiam sit voluntarium modo immediate dicto? Si primum; non impugnat solutionem supra datam; quæ quidèm non negat fuisse in

7 Respond. ad 1.

sen-

sensu absoluto loquendo propriè voluntarium, sed solùm cum hac restrictione, scilicèt, *ipsi parvulis*. Si secundum; omisso an ratio voluntarietatis sit verum fundamentum respectu moralitatis, àn tantùm conditio requisita) potest reddi sufficiens ratio disparitatis. Prima est: Quia relatio accipit speciem à suo fundamento, tanquam à mensura illius; undè subiectum, de quo non verificatur propriè genuisse, non verificatur cum proprietate esse Patrem. Secunda: Quia cùm relatio sit minimè entitatis, & per veram, & physicam resultantiam emanet à fundamento; nequit cum proprietate denominare subiectum, in quo non adest cum proprietate ratio fundamenti: nè effectus principium, & radicem, à qua dimanat, excedat. Moralitas autem nec specificatur à voluntarietate actus, nèc ex illa, tanquàm à vera radice per resultantiam procedit; & hoc præcipuè verificatur de moralitate purè habituali, qualis est malitia peccati originalis. Undè ex quo requiratur, quòd sit verè, & propriè voluntarium; non tamen, quòd sit voluntarium ipsis parvulis. Secunda replica potest solvi dicendo, illam convincere de peccato actuali, sivè personali; secùs tamen de peccato, quod est peccatum naturæ, quale est peccatum originale; ad hoc enim sufficit esse propriè voluntarium subiecto, quod fuit caput tàm physicum, quam morale respectu illius. De quo latiùs infra.

Ad 2.

8 His igitur animadversis impugnatur prædictus modus dicendi. 1. dùm in solutione data dicitur, peccatum originale non fuisse cum proprietate ipsis parvulis voluntarium; vel ly *cum proprietate* accipitur in sensu rigoroso, & scholastico considerante essentias rerum methaphysicè; vel accipitur in sensu morali, & per ordinem ad prudentum existimationem? Si primum; etsi veritatem teneat, nihil speciale negat peccato originali; quandoquidem quamplurima sunt peccata etiam actualia, quæ non sunt cum proprietate in rigore sermonis loquendo exercitia voluntaria, ut constat in pura omissione, & in peccato omissionis ex ignorantia vincibili procedente, quæ solùm communitèr appellantur interpretativè voluntaria. Si secundum; falsum affirmat: ergò prædicta solutio, vel nihil speciale asserit, vel est apertè falsa. Prob. min. Eò peccatum originale non est propriè adhùc moraliter parvulis voluntarium; quia non ducit ortum ex voluntate propria ipsorum, nec ab ipsis est evitabile; sed hæc ratio non obstat: ergò. Prob. min. Contractus elicitus à Curatore nomine pupilli; similitèrque *votũ de observatione festi factum à Republica est propriè moralitèr voluntarium, tùm pupillo, tùm omnibus civibus in tali Republica succedentibus; quandoquidem nemo potest personaliter stricte obligari ad adimpletionem alicuius contractus, vel voluntatis, nisi saltim moraliter, & per ordinem ad prudentum existimationem sint ipsi propriè voluntaria; qua ratione contractus celebrati ex gravi metu irritantur à iure positivo, tanquàm invalidi: ergò.

Impugn.

* Aliqui apud Praco q. 10. de Voto n. 5.

9 Secundò, & confirm. hoc ipsum. Iuxta doctrinam solation. peccatum originale parvulorum; sivè quòd parvuli contrahant peccatum originale; fuit propriè voluntarium Adamo; quandoquidèm ita fuit causa talis contractionis, ut pro suo libito, & determinatione potuerit illam evitare. Sed hoc ipso inconsequentèr negat peccatum originale fuisse ipsis parvulis moralitèr, & per ordinem ad prudentum existimationem, propriè voluntarium: ergò. Prob. min. Si contractio peccati originalis fuit propriè voluntaria Adamo; fuit quidem voluntaria ipsi, quatenùs erat caput morale illorum, & quatenùs parvuli considerantur, ut membra illius; sed hoc ipso contractio peccati originalis, quæ cum proprietate rigoris fuit voluntaria Adamo; est pariter propriè moraliter, & per ordinem ad prudentum existimationem voluntaria ipsis parvulis: ut patet à simili de voluntarietate contractus eliciti à capite Reipublicæ, vel alicuius Communitatis: qui dicitur etiam propriè voluntarius ipsi Reipublicæ, sive Communitati; eò quòd actiones capitis pro-

Secundo.

propriè moralitèr attribuuntur corpori mistico illius: ergò.

Secundus modus dicendi traditur à Scoto in 2. dist. 32. §. *Ad argumenta*; ubi asserit; voluntarium dupliciter accipi posse; vel pro eò quòd est in voluntate, tanquam in subiecto, vel pro eo, quod est in potestate voluntatis, & ab illa procedit. Primo modo peccatum originale est parvulis voluntarium, utpote receptum in ipsorum voluntate; non autem secundo modo, nec id est necessarium, ut sit propriè peccatum.

10 Secunda solutio.

Contra hunc modum dicendi obstat 1. Nàm falsum est ad rationem voluntarij sufficere esse receptum in voluntate. Constat hoc: Tùm ex definitione voluntarij, scilicèt: *Esse à principio intrinseco cum cognitione finis.* Quę quidèm verba expressè denotant requiri egressum à voluntate, ut aliquid dicatur voluntarium. Tùm quia aliàs charitas infusa adulto in somnis, aut absque aliqua prævia dispositione ex parte illius, diceretur ipsi voluntaria; quod non, nisi improprijssimè loquendo, affirmari potest. Ex quo secundò impugnatur prædictus modus dicendi. Peccatum originale esse receptum in voluntate parvulorum, non est esse ipsis cum proprietate physicè, aut moralitèr loquendo voluntarium; sed hoc ipso nequit esse respectu illorum verè, & propriè peccatum: ergò prædictus modus dicendi insufficienter salvat in peccato originali propriam rationem peccati. Mai. constat ex dictis in prima impugn. Min. verò prob. Non est verè, & propriè peccatum respectu parvulorum, quod respectu ipsorum, aut in illis non est verè, & propriè imputabile ut culpa ad pœnam; sed quod non est verè, & propriè physicè, aut moralitèr voluntarium parvulis, nequit esse propriè imputabile ad pœnam, ut patet ex dictis sup. n. 1. & 2. Et insuper; quia aliquid esse imputabile, est idem, àc esse liberum, quod petit esse ab intrinseco: ergò.

11 Impug. 1.

Secundo.

Tertiò Resp. Alij cum Belarm. lib. 4. de Amissione gratiæ, & Mag. Zumèl 1.2. quæst. 81. art. 2. disp. 2. distinguendo duplex voluntarium: unum per modum actus secundi, sive exercitij voluntatis, uti est peccatum actuale: aliud verò voluntarium tantùm per modum termini, qualis est macula relicta ex peccato actuali. Licèt ergò peccatum originale non sit voluntarium parvulis per modum actus secundi; est tamen ipsis voluntarium terminativè, quatenùs videlicèt est privatio gratiæ relicta in parvulis ex peccato actuali Adami. Sed hic modus dicendi deficit 1. Nàm admisso peccatum originale fuisse voluntarium parvulis solùm terminativè; huiusmodi voluntarietatem insufficienter assignat prædicta solutio: ergò insufficiens est ad salvandam in peccato originali veram rationem peccati. Prob. anteced. Ad rationem voluntarij adhùc terminativè requiritur procedere à principio intrinseco subiecto, cui est terminativè voluntarium; aliàs iustitia nobis infusa ex meritis Christi Domini, & illius voluntate, esset nobis terminativè voluntaria; quod est falsum. Sed prædicta solutio non assignat modum, quo peccatum originale sit procedens ab aliquo principio intrinseco parvulorum; sed tantum affirmat; esse quid receptum in ipsis: ergò. *Nota Zumèl ponere etiam fuisse voluntarium parvulis peccatum Adami; ita concl. 5. & 6.

12 Tertia solutio.

Obstat 1.

* Re melius inspecta.

13 Secundò

Secundò. Implicat peccatum originale afficiens intrinsecè parvulos esse ipsis terminativè voluntarium, & peccatum actuale Adami, à quo procedit, tanquàm terminus, nullo modo fuisse ipsis voluntārium: ergò solutio implicatoria est. Prob. antec. Implicat terminū per se, & absque nova libertate consequutum ad aliquod exercitium esse alicui voluntarium; quin sit voluntarium prædictum exercitium, ut constat in peccato habituali personali, & in habitu vitioso. Eò enim peccatum habituale dicitur alicui voluntarium terminativè, quia consequitur ad aliquid, quod est voluntarium ipsi per modum actus, sive exercitij: ergò. Denique urget. hoc: Esse voluntarium terminative, est esse voluntarium per modum termini alicuius actus; sed peccatum originale non fuit parvulis voluntarium in ratione termini peccati actualis Adami iuxta doctrinam solutionis: ergò.

Ultimo.

Prob.

Prob. min. Peccatum originale esse voluntarium parvulis in ratione termini relicti ex peccato actuali Adami est fuisse in voluntate parvulorum, quod ex peccato actuali Adami resinqueretur per modũ termini illius peccatum originale parvulorum: quemadmodum aliquid esse voluntarium per modum actus, est esse in potestate voluntatis exerceri, aut non exerceri per actum. Sed in potestate parvulorum nullatenùs fuit, nec quòd Adamus peccaret, aut non peccaret, nec quòd ex illo sequeretur, tanquàm terminus, vel non sequeretur peccatum originale parvulorum, ut est certum iuxta doctrinam solutionis: ergò.

14 Denique Resp. Mag. Lorca, Vazquez, & alij: Peccatum originale esse voluntarium parvulis non voluntate propria, sed voluntate Adami, qui fuit constitutus caput morale omnium posterorum, quòad conservationem, & amissionem iustitiæ originalis; quæ voluntarietas in cap. sufficiens est, ut peccatum originale sit verè, & propriè peccatum.

Ultima sol.

15 Sed prædicta solutio, nisi ampliùs explicetur, & aliquid ei superaddatur, insufficiens est. 1. Nàm etiam Christus Dominus fuit constitutus, ut caput morale omnium hominum, ut multotiès testatur Sacra Script. Et tamen huiusmodi coniunctio non sufficit, ut iustitia, & sanctitas ex meritis illius par infusa sit ipsis terminativè voluntaria; sicuti nèc sufficit, ut per iustitiam nobis infusam verè, & propriè dicamur merentes vitam æternam: ergò quòd Adamus fuerit à Deo constitutus caput morale parvulorum, non sufficit, ut ex peccato illius parvuli dicantur verè, & propriè demerentes pœnam æternam, proindeque verè, & propriè peccatores.

Obstat 1.

16 Secundò, & explicatur hoc: Adamum fuisse constitutum à Deo caput morale posterorum in ordine ad servare, vel amittere iustitiam originalem sibi, & posteris; dupliciter potest accipi. 1. ut media observantia, vel illius transgressione, mereretur sibi, & parvulis conservationem, vel amissionem iustitiæ originalis. 2. ita ut non solùm Adamus parvulis, sed etiam pro se, & pro parvulis pœnam æternam mereretur. Quæ diversitas in acceptione capitis moralis manifestè constat in Christo Domin. quiquidèm licèt nobis meruerit gratiam, cæteraque dona supernaturalia, non tamen meruit pro nobis, ita ut eius meritum moralitèr fuerit nostrum, nobis existentibus in Christo, tanquàm in capite. Ex quo constat, Adamum fuisse constitutum à Deo caput morale, non solũ ut demereretur parvulis, sed etiam demereretur pro ipsis. Hoc verò involvit necess. Deum collocasse in illo omnes voluntates posterorum in ordine ad peccatum, ita ut ipso peccante propter inobedientiam, omnes posteri in ipso, & per eius inobedientiam peccaverint, & sint intrinsecè moralitèr merentes pœnam æternam. His præsuppositis ostenditur prædictam solutionem esse diminutam: Nàm dùm asserit, peccatum originale contractum in parvulis esse voluntarium voluntate Adami, tanquàm capitis; vel asserit fuisse voluntarium voluntate capitis præcisè demerentis parvulis pœnam æternam, & carentiam iustitiæ; vel etiam demerentis pro parvulis? Si 1. Non salvat carentiam iustitiæ originalis esse adhùc terminativè parvulis propriè voluntariam, ut patet exemplo sanctitatis infusæ parvulis ex meritis Christi. Si 2. (quod est necessarium adstruere, ut peccatum originale sit verè, & propriè peccatum.) Cùm hoc non explicetur in dicta solutione, insufficienter, & diminutè procedit.

Secundo.

§. III.

Explicatur modus, quo peccatum originale fuerit parvulis voluntarium.

17 IN re tàm difficili, & in tanta diversitate sententiarum, arduum est exprimere, qualitèr fuerit parvulis voluntarium peccatum originale. Et quamvis sola fide constet, illud esse verè, & propriè peccatum: qua de causa ratio naturalis etiam lumine fidei adiuta multum deficiens in-

venitur ad illius voluntarietatem explicandam) opere pretium erit tradere modum magis probabilem, & aptiorem ad percipiendam illius voluntarietatem; ut per hoc faciliori via occurratur argumentis Hæreticorum ex defectu voluntarietatis præcipue negantium illud.

18 Pro cuius maiori intelligentia notandum est tanquàm omninò certum: peccatum originale afficiens parvulos non fuisse ab ipsis contractum per actum propriæ voluntatis ab illis elicitum; nec quando Adamus peccavit; cùm ipsi tùm non existerent; nec in instanti propriæ conceptionis; cùm tùnc non habeant usum rationis. Deindè prænotandum est: quod licèt omne peccatum debeat esse voluntarium, cum diversitate tamen: actuale nàmque peccatum petit actualitèr, & per modum exercitij à voluntate procedere; habituale verò, sive macula ex illo proveniens, non petit influxum voluntatis, nec ab illa, tanquàm exercitium, & actus procedere; sed sed sufficit esse terminum ex peccato actuali relictum; vel cum reali actuali distinctione ab illo iuxta satis frequentem Thomistarum sententiam; vel cùm sola distinctioe morali, iuxta opinionem asserentium peccatum habituale esse ipsum peccatum actuale, ut à Deo non condonatum, sive ut moralitèr perseverans. Cùm igitur peccatum originale parvulorum sit habituale ex peccato actuali Adami proveniens; tota difficultas consistit in explicando: qua ratione prædictum peccatum sit intrinsecè saltim terminativè parvulis voluntarium; cùm peccatum actuale Adami, ex quo processit, tanquàm ex causa, difficultèr possit dici fuisse parvulis voluntarium. Tandèm prænotandum: quòd quemadmodùm Adamus potest considerari, & ut singularis persona, & ut caput morale posterorum in ordine ad traductionem iustitiæ originalis, & illius privationis; ita discurrendum de posteris. Possunt enim considerari, vel ut particularis persona, vel ut membra Communitatis humanæ sub uno cap videlicèt Adamo; ex quib. omnib. resultat unum corp. mysticũ completũ His positis.

Nota 1.

Secundò.

Tertio.

§. III.

STATUITUR CONCLUSIO.

Omnes posteri ex Adamo descendentes in aliquo vero sensu commisserunt idem peccatum, quod fuit commissum ab Adamo.

19 HÆC conclusio (cuius veritas, etsi non omninò necessaria; valdè tamen conducens ad statuendam voluntarietatem peccati originalis respectu parvulorum) satis efficacitèr probat. ex illo Genes. 22. vers. 14. *Masculus, cuius caro circumcisa non fuerit, delebitur anima sua de populo suo, quia pactum meum irritum fuit.* Ubi de masculo parvulo dicitur irritũ feciisse pactum, & transgressum fuisse præceptum à Deo impositum; quod aliud non fuit, nisi quod fuit impositum Adamo de non comedendo de ligno vetito.* Nèc valet dici, per ly *masculum* intelligi adultum, non verò paryulum. Nàm hoc expressè opponitur verbis immediatè antecedentibus ubi dicitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris.* Infans octo dierum absdubiò parvulus est, & non capax transgredieddi aliquod pactum prçter illud pactum, sive præceptum impositum Adamo.

Prob. 1.

* Sic probat, & exponit P. Aug. lib. 16. de Civitat. cap. 27.

20 Secundò suadetur ex illo Osseè 6. vers. 7. *Ipsi autem, sicut Adam transgressi sunt pactum. Ibi prævaricati sunt in me.* Quæ verba refert apertè Div. Hieronym. ad peccatum originale, & ad pactum, quòd cum Adamo initum est. Atqui transgredi pactum, aut prævaricare, significat peccare actualitèr: ergò parvuli descendentes ex Adamo in aliqno vero sensu, illo peccante, etiam ipsi peccaverunt. Nec valet dicere cum P. Vazquez: Parvulos prævaricatos fuisse in Adamo, quia illi comissa fuit gratia originalis omnium, quam proprio peccato omnibus perdidit. Non inquam valet: Nàm ex terminis idem prorsùs est peccatum committere, ac prævaricari; qua ratione peccatum actuale definitur à Div. Ambr. *Divinæ legis transgressio, & cœlestium inobe-*

Secundo, & reijcit. quædã solutio.

bedientia mandatorum. Sed iuxta ſolutionem, etſi Adamus perdiderit gratiam ſuis poſteris, ipſe tantùm peccatum commiſit: ergò etſi illius prævaricatio omnibus fuerit nociva, ipſe tantùm prævaricatus fuit. Quòd ſi res ita ſe habet, ut ex doctrina ſolutionis infertur; quomodò erit verum, quòd parvuli etiam tranſgreſsi ſunt pactum, & prævaricati ſunt; quemadmodùm prævaricatus fuit Adam?

21 Tertiò ſuadetur idem ex illo celebri teſtimon. Pauli ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Pro cuius intelligentia notandum cum Div. Th. ibidèm, ly *in quo* poſſe accipi, vel pro Adamo; vel pro peccato illius; de quo priùs affirmavit Apoſtol. per illud intraſſe mortem in hunc mundum. Unde infertur, quòd ſi ly *in quo* ſupponat pro peccato actuali commiſſo ab Adamo, neceſſe eſt fateri illud etiam fuiſſe commiſſum à poſteris; ſiquidèm peccare in peccato actuali alterius (niſi ſit impropria, & abuſiva locutio) eſt influere, & concurrere ad idem peccatum. Idem dicendum, etiam ſi ly *in quo* ſolùm accipiatur pro Adamo: Nam peccare propriè acceptum ſignificat idem, ac committere peccatum actuale; cùm de ratione verbi, proùt differt à nomine, ſit ſignificare aliquid per modum actionis; qua ratione de homine exiſtente in peccato habituali verificatur propriè eſſe peccatorem, non tamen peccare.

Prob. 3.

22 Nec valet dicere, parvulos peccaſſe in Adamo nihil aliud eſſe, quàm contrahere in ſe ipſis proprium peccatum ex peccato illius. Non inquam valet. 1. Nàm ut ſupra diximus, hoc non eſt propriè peccare in Adamo; ſiquidèm Adamum tantùm peccare; etſi ex peccato illius ſequatur peccatum poſterorum: hoc quidèm propriè loquendo tantùm dicit poſteros contrahere peccatum ex Adamo, quamvis ipſe ſolus peccaverit: ergò aut dicendum eſt Apoſtol. fuiſſe impropriè locutum, aut fatendum peccatum Adami fuiſſe etiam in aliquo vero ſenſu à ſuis poſteris commiſſum. 2. Si parvulos peccaſſe in Adamo cõſisteret in hoc, quod eſt contrahere peccatum originale ex illo proveniens, falſum eſſet aſſerere omnes parvulos ſimul peccaſſe in Adamo, aut illos peccaſſe, quando peccavit Adam; ſiquidèm non ſimùl, nec quando Adam peccavit, ſed ſucceſsivè, & pro diverſitate temporum contrahunt peccatum originale. Aliqui peccaſſe parvulos in Adam, & quando ipſe peccavit, expreſsè docet D. Aug. lib. 1. de Peccat. merit. & remiſ. cap. 7. dicens: *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando adhùc omnes illi unus fuerunt*: ergò.

Impugn. quæ dà reſponſio 1.

Secundò.

23 3. & confirm. hoc: Quod eſt ratio, & cauſa, ut parvuli contrahant in ſe peccatum originale, nequit eſſe ipſa contractio peccati originalis; ſed parvulos peccaſſe in Adam eſt ratio, & cauſa, ut ipſi contrahant peccatum originale: ergò. Min. prob. ex Div. Auguſt. lib. 2. de Nuptijs cap. 5. dicente: *Per unius hominis voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes illi unus fuerunt: de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt.* Ergo iuxta Auguſt. parvulos peccaſſe in Adamo, quando erant unum cum illo, eſt in cauſa, ut contrahant in ſe peccatum originale. Ex qua doctrina excluſſa manet ſolutio P. Vazquez dicentis: *Parvulos peccaſſe in Adamo, non quia ipſi commiſſerunt peccatum Adami; ſed quia peccatum ipſius parvulis nocuit.* Manet inquam excluſſa: Nàm illam expreſsè reijcit Auguſt. ubi ſupra dicens: *Nèc illud dici poteſt, quòd peccatum Adæ, etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat, in quo omnes peccaverunt.* Ergò aſſerere parvulos non peccaſſe peccato Adami, & hoc illis nocuiſſe, videtur pugnare cum doctrina Div. Auguſtini.

Tertiò.

24 Conſonant Sanctæ Eccleſiæ PP. ita D. Baſil. homil. 4. de ieiunio: *Quia non ieiunavimus in primo Parente, ideò exulamus à paradyſo.* Nazianz. num. 18. orat. 38. de Chriſti nativitate loquens de prævaricatione Adæ, ait: *Meam enim duco primævi Parentis infirmitatem, ò infirmitatem meam!* D. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 27. *Tunc parvulus diſipavit legem Dei, quando in Adam cum omnibus & capite peccavit.* D. Ambr. de fide reſurrect. ſic loquitur: *Lapſus ſum in Adam, ejectus*

Prob. ex SS. PP.

iectus de paradyſſo in Adam, mortuus in Adam &c. Clariùs ſuper Epiſt. ad Rom. cap. 5. ad illud: *In quo &c.* Eodem modo loquitur Anſelm. lib. de Conceptu Virg. cap. 7. dicens: *In Adam omnes peccaverunt, quando ille peccavit.* Atqui *non ieiunaſſe in Paradyſſo, diſsipare legem Domini, peccare in Adam, & cum Adam, & eſſe lapſum in Adam* propriè loquendo ſignificant commiſiſſe peccatum, quod commiſsit Adam: ergò ſtando teſtimon. Tùm Script. Tùm SS. PP. favendum eſt parvulis in aliquo vero ſenſu commiſiſſe peccatum Adami.

25 Deindè probatur concluſio hac efficaci ratione. Si parvuli fuerunt in aliquo vero ſenſu obligati ad obſervationem præcepti impoſiti Adamo, ut capiti morali ipſorum, in aliquo vero ſenſu fuerunt potentes ad obſervationem præcepti, & illius tranſgreſsionem, ut eſt certum. Sed talis obligatio concedenda eſt parvulis: ergò. Prob. min. Cui ineſt in aliquo vero ſenſu obligatio habendi in ſe iuſtitiam originalem dependentem neceſſariò ab obſervatione præcepti, ineſt in aliquo vero ſenſu obligatio obſervationis præcepti: ſicuti cui ineſt obligatio acquirendi aliquem terminum, ſive finem, adeſt obligatio apponendi medium, à quo exiſtentia finis dependet. Sed parvulis concedenda eſt in vero ſenſu obligatio habendi in ſe iuſtitiam originalem, cuius infuſio fuit dependens ab obſervatione præcepti impoſiti Adamo de non comedendo de ligno vetito: ergò. Prob. hæc min. Si parvulis non adeſſet in aliquo vero ſenſu obligatio habendi in ſe iuſtitiam originalem, privatio talis iuſtitiæ originalis non eſſet in illis vera, & ſtricta privatio; ſiquidem ubi non eſt vera obligatio habendi iuſtitiam originalem, non eſt verum debitum ad illam; proindèque carentia illius non eſt ſtrictè privatio moralis: ergò.

Alia ratio prob.

26 Explic. hæc ratio. Traductio iuſtitiæ originalis in parvulis neceſſariò (ex divina ordinatione, & pacto celebrato cum Adamo) erat anexa obſervationi præcepti ei impoſiti: ergò ſi ſolus Adamus fuit obligatus ad obſervationem præcepti; ipſe ſolus habuit debitum ponendi iuſtiriam originalem in poſteris: ergò poſteri non fuerunt debitores habendi in ſe iuſtitiam originalem: ergò carentia huius iuſtitiæ non eſt peccatum in poſteris. Prob. hæc conſeq. Non eſt peccatum in me, ſive peccatum meum, carere gratia, quam licèt alius debeat illam in me ponere; ego tamen non habeo debitum habendi illam, ut videtur certum, & explic. poteſt exemplo promittentis alteri aliquod donum, & non adimplentis promiſſum; cuius carentia in me culpabilis non eſt, etſi ex promiſsione illius aliquod ius quaſi extrinſecum, aut debitum poſitivum ad donum promiſſum acquirat: ergò carentia iuſtitiæ originalis in parvulis, licet eſſet aliqua pœna privativa; ſecùs tamen privatio moralis, & imputabilis per modum culpæ ad pœnam æternam.

Explic.

27 Non min. efficacia poteſt ulteriùs probari idem aſſump. ex dictis n. 16. Certum enim eſt, Adamum fuiſſe conſtitutum caput morale poſterorum in ordine ad demeritum pœnæ æternæ per tranſgreſsionem præcepti. Nùnc autem rogo; vel fuit conſtitutus caput morale, ut ſolùm demereretur poſteris; vel etiam, ut demereretur, & eſſet inobediens præcepto pro poſteris? Primum nequit dici; ſecundum neceſſariò importat poſteros fuiſſe in aliquo vero ſenſu demerentes per peccatum Adami: ergò ita accidiſſe fatendum eſt. Min. quòad 1. partem prob. ex ſup. adduct. Si Adamus ſolũ demeruiſſet poſteris, ita demeruiſſet: Sicuti Chriſtus D. meruit nobis gratiam, & reliqua dona ſupernaturalia; ſed hoc nequit dici: Aliàs peccatum originale non eſſet terminativè voluntarium parvulis, ſicuti non eſt ipſis terminativè voluntaria gratia infuſſa ex meritis Chriſti Domini: ergò. Secunda verò pars min. facilè prob. Tùm quia Adam demereri pro poſteris dicit ipſos verè ſaltim moralitèr fuiſſe demerentes in Adamo; ita ut tale demeritum etiam derivetur ad ipſos ſaltim moralitèr. Sed demereri dicit formalitèr committere peccatum: ergó. Tùm quia Chriſtum Dominum mereri, non ſolùm nobis, ſed pro nobis, dicit tale meritum

Ex antedictis form. alia ratio.

pro-

provenire saltim moraliter à nobis ut actu merentibus : ergò pariter Adamum per inobedientiam præcepti demeruisse nobis, & pro nobis, dicit demeritum actuale physicè elicitum ab Adamo, tanquam à cap. fuisse moraliter elicitum ab illis.

§. IV.

Prædictus modus dicendi aptior est ad salvandum in peccato originali parvulorum veram rationem peccati habitualis, & rationem voluntarij terminativè.

28 PRob. 1. assump. ex ratione peccati habitualis verè, & propriè reperta in peccato originali. Peccatum habituale formaliter habet constituere subiectum, cui inest, *peccatorem in facto esse*, & per modum habitus; sed hoc nequit verificari de peccato originali parvulorum, nisi de illis in aliquo vero sensu verificetur aliquando actu peccasse: ergò cum huiusmodi peccatum solum possit esse peccatum actuale Adami, dicendum est. &c. Min. prob. Peccare in actù necessario præcedit ad esse peccatorem in facto esse, & per modum habitus, necessario, inquam, per modum causæ adæquatæ illius: ergò. Explic. hoc. Sic se habent peccatum actuale, & habituale, sicut mors in fieri, & mors in facto esse; hęc enim est formaliter privatio vitæ relicta per modum termini ex actione læthali, quæ dicitur mors in fieri; sed implicat aliquod subiectum denominari mortuum in facto esse, in quo nõ præcesserit mors in fieri, ut est certũ: ergò pariter implicat subiectum aliquod denominari cũ proprietate peccatorem in facto esse, & mortuum spiritualiter, quin in ipso præcesserit peccatum actuale, quod est mors animæ in fieri.

Prima ratio.

29 Nec valet dicere argum. convincere de peccato habituali personali, sive ex voluntate propria ortum duceute; secùs autem de peccato habituali inficiente naturam, quale est peccatum originale, ad hoc enim solũ prærequiritur, quod caput talis naturę, ex quo posteri derivantur, fuerit aliquando actualiter peccans. Non inquam valet

Si Resp. cót. est 1.

Nàm etsi ad utrumque peccatum habituale necessariò debeat præcedere denominatio actualiter peccantis in subiecto, quod est habitualiter peccator; adhùc subsistit discrimen inter peccatum personale, & peccatũ originale, quod dicitur peccatum naturæ: ergò ex discrimine inter utrũque peccatum habituale malè negatur præcedentia peccati actualis. Prob. assis. Etsi ad utrumque peccatum pręcedat dicta denominatio, ad personale præcedit peccatum actuale commissum à peccatore voluntate propria, hoc est, quatenùs est persona particularis secluso respectu cap. aut mẽbri alicuius communitatis, & insup. commissum per influxum physicum illius: ad originale vero peccatum actuale commissum à peccatore voluntate cap. & ut est mẽbrum illius, & insup. non per influxum physicum, sed tantum per influxum moralem, quatenùs voluntas cap. est moraliter voluntas omnium membrorum. Sed in his apparet sufficiens ratio discriminis: ergò.

30 2. Nàm etsi peccatum originale sit peccatum naturę, quatenùs privat iustitia originali promissa à Deo toti naturæ humanæ, sive omnibus posteris descendentibus ex Adamo, reverà verè, & propriè loquendo de peccato originali huius parvuli, Petri v.g. ipsum denominat peccatorem, dignumque pœna æterna: sed satis arduum, & durum videtur asserere Petrum v.g. cõstitui peccatorem in se ipso, & dignum pœna æterna ipsi, & non alteri infligenda, propter culpam actualem alterius præcisè, & absque eo, quod in talĩ culpa aliquomodo communicaverit; ergò. Pr. min. Satis arduum, & difficile videtur aliquem fieri participẽ culpæ habitualis dicẽtis essentialiter constitutivè ordinem ad culpam actualem, quin priùs fuerit particeps in aliquo vero sensu culpæ actualis: ergò.

Secunda

31 2. Prob. idem assump. Peccatum originale verè, & propriè constituit parvulum odiosum Deo, & ei inimicum, filiumque Diaboli; sed hoc non satis congruentèr ad Dei providentiam, & eius rectitudinem, percipitur, nisi concedatur parvulos in aliquo vero sensu actu peccasse, actuque Deum offendisse: ergò. Min. pr. Nõ satis congruen-

Secunda ratio.

ter ad Dei providentiam, & illius rectitudinem percipitur aliquod subiectū reddi habitualiter Deo abominabile, ipsique inimicum, quin ex parte illius in aliquo vero sēsu aliqua causa huius adeo terribilis mali præcesserit. Licèt enim propter culpam alterius, scilicèt parentis, possint eius filij privari aliquo beneficio gratuito promisso à Principe; quod tamen isti reddantur ei invisi, sive positivè excluli ab illius amore, & in statu inimicitiæ, hoc inquam, in Principe benignitate, & rectitudine prædito, vehementerque desiderāti, quantum est ex se, amicitiam, & bonum talium posterorum, nimis rigidum; imò & iniustum omnibus videbitur: ergò cum Deus ardentissimè velit salutem omnium hominum etiam parvulorum, & quantum est ex se velit esse omnibus amicabiliter dilectum; satis rigidum videtur asserere parvulos esse ipsi invisos, & dignos odio propter peccatū actuale ab ipsis nullatenus in vero sensu commissum.

32 (Ultima ratio.) Deniq. prob. assumptum ex voluntarietate terminativa peccati originalis. Prædictum peccatum, utpotè habituale, est voluntarium saltim terminativè respectu parvulorum: ergò debet procedere à principio intrinseco ipsis. Conseq. patet: Nàm ad rationem voluntarij terminativè, ut sup. probarum relinquimus, non sufficit recipi in voluntate tanquam in subiecto, sed ulterius requirit à voluntate procedere. Tum sic. Sed peccatum originale est voluntarium terminativè, quatenus est terminus derelictus ex peccato actuali Adami: ergò tale peccatum fuit parvulis intrinsecè saltim moraliter voluntarium, & ab ipsis morali èr commissum. (Confir. 1.) Confirm. hoc. Implicat parvulos participare peccatum originale, quatenus est verum, & propriū peccatum, quin sint participes illius, quatenus est terminativè voluntarium. Sed hoc apertè repugnat, quin fuerint participes culpæ actualis Adami: ergò. Prob. min. Peccatum originale constituitur, & est terminativè voluntarium, quatenus est terminus inductus voluntariè ex peccato actuali Adami: ergò implicat parvulos esse participes peccati originalis, quatenus est terminativè voluntarium, quin sint participes culpæ actualis, à qua tanquam à causa propria, & per se, provenit talis voluntarietas.

Confirm. 2. Terminus, qui nullatenus est voluntarius, nisi quatenus procedit ex aliquo actu, nequit esse voluntarius subiecto, cui nullo pacto est voluntaria existentia talis actus; ut constat exemplo voluntarietatis terminativæ habitus vitiosi, & impulsus procedentis per actum liberum voluntatis. Et ratio id ipsum convincit: Nàm aliàs subiectum impotens impedire actionem, à qua unicè pendet existentia termini, posset impedire eam; proindèque talis terminus non terminativè, sed formaliter, & immediatè esset voluntarius: ergò si peccatum originale non aliter est voluntarium adhùc terminativè, nisi medio peccato Adami; nequit esse huiusmodi respectu parvulorum, quin etiam ipsum peccatum actuale Adami fuerit ipsis, saltim moraliter voluntarium. Sed hoc ipso, cum talis voluntarietas sit per modum actus, & exercitij, ab illorum voluntate processit: ergò fatendum est parvulos in aliquo vero sensu commisisse peccatum actuale Adami. Quapropter iuxta modum oppositum dicendi; licèt verificaretur, quod peccatum originale parvulorum esset terminativè voluntarium Adamo, non tamen ipsis parvulis; siquidem peccatum actuale Adami, à quo desumitur talis voluntarietas, non processit ab illis, tanquam à principio.

33 (Secundò.)

Nec valet dicere, quod ut peccatum originale sit per modum termini parvulis voluntarium, sufficit, quod peccatum actuale Adami fuerit eis voluntarium in ratione causantis illud, non tamen in esse denominantis *peccans*, ita ut ipsos peccantes constituerit.

34 (Si fortè dicas: Rejicitur 1.)

Nou inquam valet. 1. Nàm, ut hic arguit Ill. Godoy. Implicat formam aliquam esse volūtariam in ordine ad effectum, quem causat in genere causæ efficientis, quin sit voluntaria in ratione ad effectum ab ipsa formali-

35 (Contr. 1.)

ter

tèr præstitum; cum hæc consideratio sit 1.& principalis in forma: ergò implicat peccatum actuale Adami fuisse voluntarium parvulis in esse causantis peccatum originale, & non quòad denominationem peccantis. Sed quia hæc impugnatio ex terminis videtur instari, cum in gratia habituali,& virtutibus parvulis infusis, tùm & præcipuè in gratia excitante,&illuminante; quæ quidem non sunt nobis voluntaria, quòad effectum formalem, bene tamen quòad effectum in genere causæ efficientis ab illis procedentem; cum subdantur voluntati quòad usum, ideò.

Non vid. efficax.

Aliter impug. solut. 1.Non minùs arduum videtur peccatum Adami

36

fuisse voluntarium parvulis in esse causantis maculam ab ipsis contractam, quam fuisse voluntarium in ordine ad denominationem peccantis. Ratio est, quia sicuti quando Adam peccavit non gaudebant usu rationis, & libertate requisita ad peccandum; ita pariter his omnibus carent, dùm ex peccato Adami derivatur pro instanti suæ conceptionis macula originalis. 2. Peccatum Adami esse voluntarium parvulis in esse causantis maculam, vel necessariò importat potestatem in ipsis, ut ex illo derivetur, vel non derivetur macula, vel similem potestatem non necessariò importat? Primum nequit dici; siquidem cum pro instanti contractionis omni prorsùs libertate, & usu rationis careant, nequit eis talis potestas concedi. Imò tunc casus concedendum esset ipsis, aliquod peccatum actuale, *scilicèt non impedire contractionem maculæ ex peccato Adami*, si aliàs talis contractio esset ipsis voluntaria, sive quod idem est, esset ipsis voluntarium, quod peccatum actuale Adami derivaret originalem maculam; cum supposita in ipsis tali potestate non sit assignabilis ratio, ut ad talem causalitatem impediendam non tenerentur. Si secundum: ergò ex quo ad actu peccandum requiratur necessariò usus rationis, quo parvuli carebant, quando Adam peccavit, non probatur non potuisse denominari in illo actu peccantes.

Aliter obstat 1.

Secundo.

37

Tertio.

3. Nequit peccatum Adami esse parvulis voluntarium in esse inferentis maculam originalem, quin quantum ad hoc voluntates parvulorum fuerint unitæ, & transfusæ moraliter in voluntatem Adami, quod videtur certum; vel si hoc non requiritur, nec etiam talis transfusio erit necessaria quoad denominationem peccantis. Ex quo infertur 1. prædictam unionem, sive transfusionem voluntatum parvulorum nullam de se involvere repugnantiam. Infertur 2. quod si talis transfusio sufficit, ut denominentur causantes moraliter maculam originalem in ipsis; pariter sufficiet, ut denominentur moraliter actu peccantes, non quidem in se, sed in Adamo, cuius voluntas, erat moraliter voluntas omnium posterorum. Deniquè, etsi peccatum actuale Adami non sit unicè malum moraliter, quia ex ipso derivatur macula originalis; nequit tamen sub tali consideratione non dici etiam malum moraliter, cum proùt sic causet malum morale, & sub tali consideratione nequeat non displicere Deo: ergò peccatum actuale Adami fuit parvulis voluntarium quoad aliquam denominationem mali moralis: ergo de ipsis in aliquo vero sensu affirmatur, peccante Adamo illos egisse malè moraliter. Quid ergò prohibet, ut denominentur etiam actu peccantes?

§. V.

Exponitur modus, quo verificatur parvulos etiam in vero sensu commisisse peccatum actuale Adami.

SUpposito ut omninò certo peccatum inobedientiæ non fuisse physicè voluntarium parvulis, hoc est, per influxum physicum à voluntate illorum procedens, tùm ex defectu existentiæ, quando Adamus peccavit, tùm pro defectu libertatis in se ipsis; restat explic. qualiter fuerit ipsis moraliter voluntarium. Pro quo prænotandum, ex terminis non repugnare, quod voluntas unius sit moraliter voluntas alterius, ita ut quidquid ab illo actum fuerit, cen-

38

Notandū pro unione morali voluntatum.

fetur etiam cum proprietate, moraliter loquendo, factum ab altero. Sic contingit in voluntate Principis Reipublicæ respectu Civium, & in voluntate Rectoris respectu individuorum constituentium Collegium. Cæterùm hæc identitas moralis voluntatum, sive coniunctio, aut transfusio moralis (quovis modo illam appellare velis) dupliciter contingere potest, vel quia unus transferat suum consensum ex propria voluntate in consensum alterius; vel quia etiam sine ullo consensu proprio per solam voluntatem Principis voluntas unius alligatur, & unitur moraliter voluntati alterius, quatenùs videlicet ratione supremæ potestatis habet sufficiens dominium transferendi voluntates plurium in unam alicuius, ut in voluntatem capitalem: ita ut quidquid ab illo proùt gerente munus capitis factum fuerit, censeatur fieri, & etiam approbari ab illis.

Ita contingit in Supremo Legislatore creato, cuius iussu voluntates 39
minorum, etiam illorum consensu in expectato, transferuntur in voluntatem Curatoris, vel tutoris; & similiter voluntates filiorum impuberum censentur contineri in voluntate Patris, adeò, ut pro eis in bonis ipsorum possit testari. Qua de causa contractus celebrati à Curatore, vel tutore censentur verè moraliter celebrati à Pupillo; ipsumque verè, & propriè obligant. Certum est voluntatem Adami, ut capitis moralis posterorum non fuisse moraliter in ordine ad observantiam, vel transgressionem præcepti voluntate illorum per hoc, quod ipsi transtulerint proprium consensum in consensum, & voluntatem Adami; cum tempore, quo peccavit, non extiterint, aut gavisi fuerint aliqua libertate. Quapropter solum restat scire, an prædicta identitas moralis, aut transfusio voluntatum facta fuerit à Deo titulo supremi dominij, quo gaudet sup. omnes voluntates creatas.

Prob. ab exemplo.

40 Et quidem loquendo de possibili prob. pars affirmativa exemplo Legislatoris, & Principis creati. Omnis enim facultas, & dominium non dicens in suo conceptu formali imperfectionem concessam Principi creato concedi debet Deo omnium Supremo Principi, & à quo omnis potestas, & dominium derivatur: ergò si Princeps, & Legislator creatus potest trãsfundere voluntates minorum, & similium independenter à primo consensu illorum in voluntatem alterius, ita ut firmum, ratumque habeant quidquid ab isto ex omnium persona actum fuerit, posteriori ratione debet concedi ut quid possibile Deo, ita ut potuerit unire, alligareque voluntates omnium hominum voluntati Adami in ordine ad observationem, vel transgressionem præcepti; proindèque admitti debet ut possibile voluntatẽ Adami, ut capitis esse moraliter voluntates omnium posterorum quòad transgressionem præcepti; ex qua consequuta est macula originalis in illis.

Hoc ipsũ debet cõcedi Deo.

41 Ratio à priori est: Nàm Deus habet dominium excellentiùs respectu nostrarum voluntatum, quam quælibet humana potestas, imò & nos ipsi supra nostras voluntates iuxta illud D. Aug. de Correct. & Grat. cap. 14. *Magis habet Deus in sua potestate voluntates hominum, quam ipsimet suas*: ergò si ob potestatem, quam Princeps creatus, & nos ipsi habemus supra nostras voluntates potest fieri transfusio voluntatum plurium in voluntatem alterius, à fortiori similis potestas concedenda est Deo. Deniq. & præoccupatur tacita obiectio. Quia Princeps gaudet iurisdictione, & suprema potestate respectu sibi subditorum in ordine ad civiles contractus, potest transferre voluntatem pupilli in voluntatem Tutoris pro illius validitate, aut irritatione; sed Deus habet perfectissimum dominium supra omnium hominum voluntates, non solum quòad contractus humanos, sed etiam quòad hoc, quod est converti, vel averti ab ipso, ut ultimo fine: ergò poterit consensum unius transferre in voluntatẽ alterius quòad converti, vel averti ab illo, ut ultimo fine, ita ut si unus avertatur actualiter etiam, alter censeatur aversus moraliter eadem aversione.

Prob. ratione.

Quod autem de facto ita con- 42
tin-

Prob. 1. de facto ita evenisse.

tingerit (quoniam res est de facto, & dependens ex libera Dei voluntate) suadetur primo ex testim. sup. adductis, quibus probavimus omnes posteros commisisse in aliquo vero sensu peccatum inobedientiæ commissum ab Adamo, quod videtur expresse dictum à D. Bernard. ser. 1. de Dom. 1. post Oct. Epiph. ubi loquens de culpa originali ait: *Aliena est quia in Adam omnes morientes peccavimus: Nostra quia etsi in alio; Nos tamen peccavimus, & nobis iusto Dei iudicio imputabatur, sed occulto.* Quæ verba, sicut alia ex SS. PP. adducta, aliter verificari nequeunt, nisi voluntates omnium posterorum fuerint à Deo collocatæ in voluntate Adami, & supponente moraliter pro omnium posterorum voluntatibus, ita ut observantia, vel transgressio præcepti censeatur, ac si esset propria voluntate ab illis commissa.

43

Ratio efficax.

Secundo. Quia ille modus dicendi intelligendus est pro voluntarietate terminativa peccati originalis posterorum, qui ex se nullam involvit repugnantiam, & aliàs aptior est ad prædictam voluntarietatem adstruendam: Atqui quod Deus de facto collocaverit in voluntate Adami voluntates omnium posterorum est huiusmodi: ergò ita accidisse concedendum est. Min. quòad 1. part. constat ex dictis à num. 40. & quòad 2. prob. Esse aliquid voluntarium terminativè alicui subiecto, necessario, requirit procedere in aliquo vero sensu ab eius voluntate, tanquam à principio intrinseco, proindèque medio aliquo exercitio, aut influxu suæ voluntatis; non enim potest voluntas esse principium, à quo aliquod procedit, nisi interveniat aliqua actio, sive exercitium ex parte illius, ut per hoc salvetur discrimen inter hæc duo, scilicèt: purè recipi in voluntate, & ab illa procedere. Sed semèl quod voluntates omnium posterorum sint collocatæ in voluntate Adami, ut eas moraliter continente, & supponente pro illis in ordine ad observationem, vel transgressionem præcepti facilè, satisque idoneè percipitur peccatum originale posterorum esse, procedereque à voluntate ipsorum medio aliquo exercitio, & influxu actuali ipsis voluntarium, scilicèt: medio peccato actuali Adami, ut capitis moralis, quod etsi tamen fuerit physicè à voluntate Adami, illiusque exercitium physicum, moraliter tamen à voluntate omnium processit, fuitque moraliter exercitium voluntatis ipsorum: ergò. Aliter, & brevius. Facilè percipitur terminum alicuius actionis esse terminativè voluntarium huic subiecto, dummodò prædicta actio sit eadem physicè, aut saltim moraliter voluntatis per modum exercitij: sed peccatum originale posterorum est terminus peccati actualis Adami: ergò semèl quod tale peccatum adstruatur ut moraliter voluntarium parvulis, ita ut ab ipsis fuerit moraliter commissum facilè percipitur &c.

44

Ratio capitis moralis hoc probat.

Deindè: Nàm supposito pronùnc ad traductionem peccati originalis nō sufficere Adamum esse caput naturale, sed insuper esse caput morale posterorum (aliàs etiam peccata proximorum parentum traducerentur in filios) huiusmodi denominatio necessariò prærequirit voluntatem Adami continere moraliter voluntates posterorum, & pro illis supponere. Ratio huius est 1. Nàm semèl quod Adamus sit caput morale posterorum, Posteri comparantur, ut membra moraliter coniuncta cum Adamo, ita ut ex ipso, & posteris constituta fuerit una conformitas moralis agentium liberorū. Atqui quod est physicè voluntarium capiti, censetur moraliter voluntariū membris misticis moraliter ei coniunctis: qua ratione iuxta Philosoph. in præsenti relatum à D. Th. *Quod Princeps Civitatis facit, dicitur Civitas facere*: ergo. 2. Nam Adamus ita debet constitui caput morale posterorum, ut non solum demeruerit sibi, & posteris, sed etiam pro se, & pro tota sua posteritate, ut docet D. Th. q. 4. de Malo a. 1. qua ratione etsi Christus D. fuerit constitutus perfectissimum caput morale, ut mereretur omnibus hominibus gratiam, omninòque dona supernaturalia; nō tamen ut mereretur pro ipsis; hoc enim iuxta communem acceptionem Theologorum dicit omnes homines fuisse moraliter actu merentes in Christo; proindèque

& meruissent infinitè, & insuper gratia, reliquaque dona supernaturalia non habuissent veram rationem gratiæ respectu hominum, ut rectè animadvertit M. Ferre tom. 3. in 1.2. fol. 608. num. 1177. ergò ut salvetur specialitas aliqua in Adamo, ut capite morali quòad munus obediendi præcepto, vel quòad munus transgrediendi illud pro se, & pro posteris, fatendum est voluntates posterorum moraliter commisisse peccatum actuale Adami, eisque fuisse moraliter voluntarium.

45 Doctrina hucusque tradita desumitur ex D. Th. tùm q. 4. de Malo a. 1. quam repetit in præsenti ar. 1. ubi ut exprimat qualiter peccatum originale possit habere rationem culpæ in posteris, ait: *Quod aliquis homo dupliciter potest considerari, uno modo secundum quod est quædam persona singularis: alio modo secundum quod est pars alicuius Collegij, licet utroque modo ad eum possit aliquis actus pertinere. Pertinet ad eum in quantum est singularis persona ille actus, quem proprio arbitrio, & per seipsum facit. Sed ad eum in quantum est pars Collegij pertinet actus ille, qui fit à toto Collegio, vel à Principe Collegij. Sic ergò tota multitudo hominum à primo Parente humanam naturam accipientium considerandа est, quasi unum Collegium &c.* Et post pauca infert: *Si ergò consideretur defectus iustitiæ originalis ad hunc hominem secundum quod est persona singularis huiusmodi defectus, non potest habere rationem culpæ, ad cuius rationem requiritur quod sit voluntaria. Sed si consideretur iste homo, sicut quoddam membrum totius humanæ naturæ, sic habet rationem culpæ propter voluntarium eius principium, scilicèt actuale peccatum primi Parentis.*

Dicta roborat. ex D. Thom.

46 Ex qua doctrina sic roboratur assumptum. Sic fuit voluntarium peccatum actuale commissum ab Adamo, ut capite morali ipsorum, qualiter dicitur voluntarium membris alicuius Communitatis, seu Collegij, quod fit voluntariè à Rectore, vel Principe Collegij; sed quod hoc modo fit ab isto dicitur moraliter voluntarium membris, & ab illis moraliter fieri iuxta illud Philosoph. *Quod Princeps Civitatis facit, dicitur Civitas facere*: ergò peccatum actuale commissum ab Adamo, ut capite morali omnium posterorum &c. Secundo, & explicatur hoc. Quod facit Rector Civitatis ut caput morale Civium, fit ab illo ut moraliter in se continente omnium Civium voluntates: ergò quod factum fuit ab Adamo, ut capite morali omnium posterorum, fuit ab ipso, ut continente moraliter omnium illorum voluntates. Unde quemadmodùm volitio procedens à Principe Civitatis est voluntaria moraliter per modū exercitij physici respectu voluntatis ipsius, & exercitij moralis respectu voluntatū Civium; id vero quòd ex tali volitione consequitur terminativè voluntarium, tàm Principi, quàm Civibus, ita similiter discurrendum de voluntarietate per modum actus in peccato actuali Adami; & de voluntarietate terminativa peccati originalis respectu Adami, & posterorum ex ipso descendentium. Ita tenent Illustr. Herrera, Zumel, Basilius, Godoy, Salm. Gonet, Ferre, Suarez, Oviedo, & Alij. Bergom. in tabula dub. 10006.

Format. discursus ex testim S.D.

§. VI.

Solvitur ratio dubitandi, & quæ modum dicendi hucusque traditum impugnari valent, solvuntur.

47 EX hucusque traditis ad rationem dubitandi §. 1. positam Resp. negando min. Ad illius probat. disting. maior. Quod non procedit à principio intrinseco physicè, aut moraliter, conc. mai. Physicè tamen, neg. mai. Et cum eadem min. disting. neg. consequent. Peccatum enim actuale Adami, ex quo tanquam ex causa provenit peccatum originale parvulorum, utpotè commissum ab illo, ut capite morali continente in se moraliter voluntates illorum, fuit etiam eis intrinsecum moraliter, & reputativè, quæ voluntarietas sufficiens est, ut macula originalis sit etiam ipsis voluntaria terminativè, ut constat ex hucusque dictis. Ad confirm. Resp. dist.

Resp.

Ad confirm. ibi num. 3.

dist. mai. Non est propriè peccatum personale, quod evitari non potest, conc. mai. Peccatum naturæ, subdist. Quod non potest evitari voluntate propria; aut voluntate capitis moralis, conc. mai. Voluntate propria præcisè, neg. mai. Et concessa min. neg. conseq. Cum enim voluntas Adami, ut capitis, fuerit moralitèr voluntas posterorum: dùm Adamus fuit potens vitare peccatum actuale, & originale ex ipso proveniens, etiam posteri per eandem voluntatem, quæ fuit moralitèr illorum voluntas, fuerunt potentes moralitèr vitare utrumque peccatum.

48 Sed contra doctrinam huius solutionis obijcies 1. Nàm admisso voluntatem Adami continere

Argues 1 moralitèr voluntates omnium posterorum, hoc non sufficit, ut peccatum illius fuerit propriè parvlis voluntarium; cum hoc voluntarium sit tale per fictionem iuris, aut reputativè: ergò dùm solutio ex una parte contendit salvare proprietatem voluntarietatis, & ex alia recurrit ad continentiam moralem voluntatum posterorum in voluntate capitali Adami,

Confir. 1. non satis consequentèr procedit. Cõfirm. 1. Si parvuli in aliquo vero sensu commisissent peccatum ab Adamo ut capite morali commissum, transgrediendo præceptum à Deo impositum; peccatum originale *esset ex illo genere peccati, quod in legis transgressione consistit.* Consequens expressis verbis negatur à D. Chrisostomo homil. 10. sup. Epist. ad Rom. ergò. 2. Si

Secundo. peccatum actuale Adami fuisset improprio sensu voluntarium parvulis, isti possent increpari increpatione propriè accepta, quæ fit verbis, & habet rationem contumeliæ: ut constat à simili in eo, qui transfert suum consensum in consensum alterius; quiquidem si iniustè egerit, erit dignus increpatione strictè tali, etiam ille, qui suum consensum transtulit; cum tamen talis actio iniusta non physicè, sed tantùm moralitèr sit ei voluntaria. Atqui asserere parvulos esse dignos increpatione propriè dicta, nimis durum videtur, ut docet D. Anselm. lib. de Concept. Virgin. cap. 27. ergò talis voluntarietas moralis in proprio sensu non est concedenda parvulis.

Resp. neg. min. Cuius falsitatem sup. probatam relinquimus à num. 28. quòd ulteriùs confirm. potest ex D. Aug. Epist. 23. & Div. Prosp. lib. 2. vocat. gentium cap. 25. ubi ad hoc explicandum utitur hoc exemplo: *Certum est parvulos in Baptismo dicere, & verè dicere quod credant, & quod renuncient Diabolo &c.** Atqui hoc non exercent parvuli per actum propria voluntate elicitum, utpotè nondùm habentes usum liberi arbitrij, sed per actum elicitum ab Ecclesia, & fidelibus existentibus in ea, cuius fiunt membra mistica: ergò, quod est voluntarium parvulis, quatenùs sunt membra moralitèr unita Adamo, ut capiti ipsorum, non impropriè, aut abusivè; sed propriè moralitèr loquendo dicitur ipsis voluntarium. Ratio horum est: Nàm loquendo de rebus ad lineam moris spectantibus, uti sunt demeritum, culpa, & ipsorum voluntarietas: quod verificatur de aliquo in sensu morali, & per ordinem ad prudentum existimationem propriè, etsi non cum omni rigore verificatur. Quapropter merita Christi Domini propriè dicuntur infinitè dignificata à persona Verbi, & merita iusti à gratia habituali; similitèrque peccatum lethale dicitur; vel simpliciter infinitum, vel saltim ordinis superioris ratione gravificationis provenientis à Divina Maiestate, tanquam à forma morali, & huiusmodi alia innumera exempla: Non ergò sermo moralis reputandus est improprius, sed regulandus est penès qualitatem materiæ, de qua tractatur. De quo vid. S. D. 3. p. q. 68. a. 9. ad 1. tribuens pueris Bapt. actum intentionis, & fidei per voluntatem Ecclesiæ. Huic accedit: quòd baptizatus incidens in hæresim, obligatur ab Ecclesia ad fidei confessionem, quia eam in Baptismo vovit: ergò fuit verè moralitèr voluntaria: quia nemo obligatur ut servet, quòd in aliquo vero sensu voluntariè non promisit. Sic deduco ex eodem S. D. 2. 2. q. 10. a. 8.

49

Solut.

* Vide August. lib. 3. de peccat. merit. cap. 19.

Ad confirm.

50

Ad 2. confirm. Resp. concedendo sequel. Nec obstat testimon. Chri-

Chrisostom. Loquitur enim de peccato originali originato ex peccato actuali ab Adamo proveniente; licèt enim peccatum actuale (ut ex illius definitione constat (in transgressione legis consistat, non tamen habituale, nisi tamen terminativè per hoc, quod sit ex transgressione, & inobedientia legis derelictum. Ad 3. Resp. cum D. Thom. q. 4. de Malo a. 1. ad 4. ubi hæc habet: *Dicendum, quod ei, quod est per originem contractum, non debetur pœna, & increpatio, si referatur ad personam; quia sic non habet rationem voluntarij. Sed si referatur ad naturam; sic habet rationem voluntarij, & hoc modo debetur ei increpatio, & pœna.* Ex quibus in forma dist. mai. Parvuli &c. quatenùs sunt personæ singulares, neg. mai. Quatenùs sunt membra unita Adami ut capite morali, conc. mai. Solutio constat ex dictis ab eodem Angelic. Præcept. §. ant. Nec obstat in contra testim. Anselm. Ibi enim solum excludit increpationem factam ab hominibus, eo quod cum omnes nascantur cum culpa originali, *non iustè redarguit homo hominem cum culpa nasci, sine qua ipse non extitit, & de qua non nisi per alium sanatur.*

Ad 3.

51 Obijcies 2. In testimonio Apost. solum dicitur omnes posteros in Adamo peccasse; sed ex hoc non infertur illos in aliquo vero, & propriò sensu actualitèr peccasse: ergò nec infertur peccatum actuale Adami fuisse illis in aliquo vero sensu propriè voluntarium. Prob. min. Peccare in alio non est propriè peccare; quemadmodùm existere in alio non est propriè existere: ergò. Confirm. Eodem modo fuit voluntaria parvulis inobedientia Adami, ab eisque commissa, quo fuisset illis voluntaria obedientia pro casu observationis præcepti; cum voluntates posterorum fuerint iuxta nostrum modum dicendi collocatæ in Adamo, ut in capite morali quòad traductionem iustitiæ originalis, si observaret præceptum, & quòad illius amissionem, si ipsum violaret. Atqui obedientia Adami non posset dici propriè voluntaria parvulis, sive quod idem est; non posset propriè dici ipsos observasse præceptum impositum Adamo: ergò. Deniq. Non dicitur in proprio sensu violare præceptum subiectum illud, cui propriè non imponitur tale præceptum. Sed dicere præceptum impositum Adamo fuisse etiam in proprio sensu impositum posteris incapacibus protùnc cognitionis, & advertentiæ illius, videtur apertè falsum: ergò.

Secundo arg.

Confirm.

Ultimo.

Resp. concessa mai. vel illam distinguendo. Peccasse in Adamo, ut capite morali gerente vices sui, & posterorum, conc. mai. Non sic vices gerente, neg. mai. Et cum eadem min. dist. subdist. Non est propriè in sensu physico, & cum omni rigore loquendo, conc. min. In sensu morali in ordine ad existimationem prudentum, neg. min. & conseq. Vel dist. conseq. eodem modo. Solutio constat ex sæpè dictis. Nec obstat probatio in contra. Existentia enim cum sit de linea physica, non denominat propriè existens, nisi quod in se extra omnes causas existit; denominatio autem peccantis, & demerentis cum sit moralis; non requirit easdem conditiones, ac denominatio existentis. Instantia habetur in contractibus celebratis à tutore nomine pupilli, qui dicuntur propriè moralitèr voluntarij pupillo ratione voluntarietatis in tutore; cum tamen ratione existentiæ illius non dicatur propriè existens.

52

Resp.

Ad Confirm. Resp. PP. Salm. hic dub. 4. num. 131. Adimpletionem præcepti possibilem Adamo dupliciter posse considerari; vel præcisè in quantùm erat remotio peccati; vel in quantùm erat actus positivus honestus moralitèr. In casu, quo Adamus observasset præceptum, prædicta observatio fuisset etiam moralitèr nostra sub prima cõsideratione: Unde dè nobis etiam verificaretur non fuisse transgressos præceptum; secùs verò in 2. consideratione. Ratio: quia cum adimpletio præcepti per actum positivum esset bona moralitèr, & meritoria, sequeretur posteros potuisse mereri moralitèr traductionem iustitiæ originalis in se ipsos: quod communitèr reputatur falsum, & ab aliquibus cẽsetur ex terminis repugnãs, loquendo de merito de condigno.

53

Ad cõfir.

Sed

54 Sed quamvis impoſsibilitas meriti in poſteris Adami in ordine ad traductionem iuſtitiæ originalis rectè probetur: proindèque repugnet Deũ collocaſſe voluntates poſterorum in ordine ad meritum gratiæ ipſis communicandæ (quemadmodùm collocavit in ordine ad demeritum) non eſt neceſſarium ad hoc recurrere ad diſtinctionem aſsignatam ab ipſis circa obſervationem præcepti. Concedimus enim voluntates poſterorum fuiſſe unitas moralitèr voluntati Adami in ordine ad tranſgreſsionem præcepti, & ſimùl in ordine ad eius obſervationem poſsibilem Adamo; & hoc vel per ſolam omiſsionem violationis præcepti; vel per actum poſitivum etiam obedientiæ formalis, quo vellet de ligno vetito non comedere, quia ipſi erat prohibitum à Deo. Qui modus obſervandi præceptum erat magis proportionatus, magiſque decens dignitatem, & fœlicitatem ſtatus, quo potiebatur. Ex quo conſequentèr concedimus; pro caſu obſervationis præcepti per actum poſitivum honeſtum materialitèr honeſtate obedientiæ, vel etiam formalis; poſteros denominandos fore poſitivè obedientes, rectèque honeſtè moralitèr operantes; non tamen fore denominandos merentes ſaltim ex condigno traductionem iuſtitiæ originalis.

Obſtat cont. illã.

55 Ratio diſparitatis eſt: Nàm ad meritum de condigno ultra honeſtatem moralem actus, requiritur ſubiectum merens eſſe iuſtum, & ſanctum, & inſuper prædictum actum dignificari à gratia, tanquàm à forma morali. Eſſe autem iuſtum, & ſanctum, quid phyſicum eſt, & nòn niſi à forma phyſica phyſicè, & intrinſecè inhærente poteſt quis iuſtus, & ſanctus conſtitui. Ex quo fit actum non dignificari à gratia per imputationem, ſed per informationem eodem modo, quo ſanctificat ſubiectum. Undè quemadmodùm unus homo nequit conſtitui iuſtus, & ſanctus ſanctitate, & iuſtitia in alio exiſtentibus, ita paritèr nequit conſtitui merens de condigno, adhùc augmentum gratiæ, & vitã æternam per exiſtentiam in alio, ut in capite morali. De hoc egi expreſsò Tract. de merito.

Diſpar. inter merit & demerit.

Ad ultim. Reſp. negando min. loquendo de proprietate in ſenſu morali. Si enim, ut ex dictis conſtat, poſteri tranſgreſsi ſunt præceptum in ſenſu proprio morali iuxta teſtimonia SS. PP. ſup. adducta, & Div. Auguſt. ubi illa verba ſuper Pſalm. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*; exponit etiam de parvulis; *quia in Paradyſſo cum primo Parente ipſi legem tranſgreſsi ſunt*; nulla eſt ratio, ut etiam ipſis poſteris præceptum illud non fuerit impoſitum, & moralitèr intimatum: quatenùs voluntas Adami erat moralitèr voluntas poſterorum. Et quidèm: ſicuti præceptum non obligat in conſcientia, niſi media advertentia illius; ita paritèr contractus nequit obligare ad ſui adimpletionem (etiam apud forum civile) niſi præcedente eius advertentia, per quam redditur voluntarius. Et tamen pupillus, qui in ſe ipſo incapax eſt advertendi aliquam obligationem ſimilem; per advertentiàm factam à tutore nomine illius, cenſetur ipſum verè, & propriè moralitèr eſſe obligatum ex iuſtitia ad adimpletionem contractus.

56 Ad ult.

Obijcies 3. Implicat Deum collocare voluntates omnium poſterorum in voluntate Adami, ita ut peccatum ab illo commiſſum, fuerit ipſis in aliquo proprio ſenſu voluntarium: ergò implicat voluntarietas à nobis propugnata. Anteced. prob. Implicat Deum collocare voluntates omnium poſterorum in voluntate Adami, ita ut voluntarietas peccati in illis proveniat ex ordinatione divina; ſed ſi Adamo peccante huiuſmodi peccatum eſſet propriè poſteris voluntarium, talis voluntarietas proveniret ex ordinatione divina: ergò. Prob. min. Talis voluntarietas peccati in poſteris non proveniret ex peccato Adami ſecundùm ſibi intrinſeca, & per ſe ei convenientia, ut eſt certum: ergò conveniret ipſis ex pacto, ſivè ordinatione divina, qua voluntates illorum in voluntate Adami, tanquàm in capite collocavit. Confirm. 1. Implicat Deum collocare voluntates poſterorum in voluntate Adami, ut in capite, in ordine ad tranſgreſsionem præcepti, niſi medio aliquo decreto

57 Arg. 3.

Confir. 1.

creto ad ipsum ordinante ; quæ enim Deus liberè exercet, id medio decreto suæ voluntatis operatur. Sed tale decretum nullam aliam tendentiam habere potest, nisi hanc : *Volo ut, si peccaveris, tuum peccatum denominet etiam posteros peccantes.* In qua tendentia clarè apparet denominationem peccantis in posteris venire ex tali decreto : ergò.

58 Confir. 2. Implicat Deum collocare voluntates posterorum in voluntate Adami, nisi ea ratione, qua
Secundo. est Supremus Dominus prædictarum voluntatum ; sed voluntates posterorum nec ut peccantes, nec ut formaliter potentes peccare, continentur sub supremo dominio Dei; cùm prout sic sint primum principium in linea
Tertio. defectiva : ergò. 3. Deum collocare voluntates posterorum in voluntate Adami quòad transgressionem præcepti, vel importat aliquid distinctum supra hoc, quod est Adamum esse caput morale illorum ; vel nihil aliud distinctum importat ? Si 1. Ergò cùm ab omnibus Theologis teneatur tanquàm omninò certum, Adamum fuisse caput morale, & ut talem peccasse ; nihil speciale asseritur in nostro modo dicendi præ alijs. Si 2. Restat explicare, in quo specialitas illius consistat : ergò aut nihil speciale à nobis propugnatur, aut insufficienter dic-
Quarto. tum relinquitur. Confirm. 4. Supremum dominium Dei fundatur, convenitque ipsi ratione actionis creativæ ; quapropter *Deus non fuit Dominus, antequàm haberet creaturam sibi subiectam* ; ita D. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 7. ergò voluntates à Deo non dum creatæ, qualiter fuerunt voluntates posterorum, quando Adamus peccavit ; nondùm erant sub supremo dominio Dei : ergò ex tali dominio malè prob. Deum potuisse &c. Vel aliter, & clarius. Dominium, ut ex illius definitione constat, *est facultas utendi re sua ad quoslibet usus* : ergò prius est rem aliquam esse Dei, quam erga illam exercere dominium. Atqui creaturæ non sunt Dei, dùm ab illo non sunt creatæ, & participantes bonitatem illius : ergò antequam creentur non sunt propriæ sub dominio illius, nisi ad summum in potentia.

Resp. negando anteced. Ad illius prob. neg. min. cuius falsitas percipitur distinguendo inter hæc duo, scilicèt : *Si non adfuisset ordinatio divina, sive pactum cum Adamo traducendi iustitiam originalem &c. Peccatum Adami non fuisset parvulis voluntarium. Ordinatio divina fuit causa, ut tale peccatum esset ipsis moraliter voluntarium.* Primum est verum : quia tùnc casus non esset caput morale posterorum. Secundum verò falsum: Nam id, quod de se non connectitur cum eo, quod Adamus peccet ut caput morale posterorum, sed potiùs de se retrahit ab illius commissione, nequit dici causa peccati ullo modo. Atqui huiusmodi fuit ordinatio divina, sive pactum celebratum cum Adamo : ergò quamvis illa deficiente non peccaret, ut caput morale, sed ut persona particularis, non tamen ex tali ordinatione habuit peccatum ab illo commissum esse peccatum capitale. Quod explicari potest, tùm in cognitione legis, sine qua nullum existeret peccatum : tùm in auxilijs supernaturalibus constituentibus voluntatem cum potestate ad eliciendum actus supernaturales, sine qua omissio illorum non esset imputabilis voluntati : quin ex hoc inferatur obtinere rationem causæ, sive aliquatenùs influere in existentiam peccati. 59 Ad arg. Resp.

Ad 1. confirm. Resp. disting. mai. Nisi medio aliquo decreto id ipsum ordinante ordinatione cadente immediate sup. transgressionem præcepti, neg. mai. Ordinatione cadente sup. aliquod necessariò prærequisitum ad talem transgressionem, conc. mai. & cum eadem min. distin. neg. conseq. Dupliciter enim potest concipi in Deo decretum aliquod, ut peccatum Adami fuerit etiam peccatum posterorum ; primo modo sub hac tendentia : *Decerno, quòd si Adam peccaverit, eius peccatum derivetur etiam ad posteros.* Secundo modo : *Decerno conferre iustitiam originalem posteris descendentibus ex Adamo, & in illo contentis, si præceptum ei à me ad hoc impositum, observaverit.* Decretum igitur necessariò requisitum pro traductione peccati originalis non fuit à 60 Ad 1. cõ firmat.

Deo

Deo sub prima consideratione, & sub secunda: Nàm illo pròut sic posito Adamus per peccatum non solùm sibi, sed etiam posteris iustitiam originalem illis ex ordinatione divina debitam, & gratuitò concessam amisit. Quòd si contendas hoc decretum non esse adæquatè sufficiens: Resp. libentèr à nobis concedi ulteriùs decretum, tanquàm magis immediatè conducens, ut peccatum actuale Adami imputaretur etiam posteris; sed tamen tale decretum fuit decretum permissivum, quo permisit Adamum peccare, nedùm ut persona particularis, sed etiam ut caput morale posterorum, vi cuius permissionis, nulla alia interveniente, tale peccatum fuit moralitèr à posteris etiam commissum.

61 Ad 2. Resp. supponendo Deum habere supremum dominium suprà voluntatem creatam, ut potentem peccare. 1. Quia dominium iurisdictionis in Deo, vi cuius potest præcipere, vel prohibere, est verum dominium; atqui Deus voluntati creatæ, ut defectivæ verè, & propriè prohibet deficere in actu secundo: ergò respectu illius, ut potentis deficere &c. 2. Nàm voluntatem creatam non posse peccare, nisi Deo permittente, est Deum aliquod dominium supra illam ut potentem peccare exercere. Sed sic contingit in voluntate creata inxta illud D. August. in Inchirid. cap. 96. *Nihil fit, nisi Deo volente, vel sinente ut fiat*: ergo. Nèc quòd hoc dominium sit tantùm permissivè, extrahit illud à vera ratione dominij; cùm iuxta ipsum August. de Correct. & Gratia: *Potestas permittendi peccata in voluntate creata sit omnipotentissima.* Rursùs. Posse impedire, & non impedire voluntati creatæ peccatum est habere dominium supra illam potentem peccare; sed sic comparatur Deus respectu voluntatis creatæ, ut potentis peccare: ergò. Ulteriùs. Deum posse pro suo libito destruere voluntatem creatam, & ex consequenti destruere in ipsa potentiam peccandi, est habere aliquod verum dominiū sup. voluntatem creatam, ut potentè peccare saltim quòad eius existentiam.

Ex quibus Resp. in forma dist. min. Voluntas creata ut peccans, vel ut potens peccare non continetur sub supremo dominio Dei moventis, & causantis in illa peccatum, conced. min. Sub supremo dominio Dei prohibentis, & permittentis illam peccare, neg. min. & conseq. Nèc contra hoc obstat, voluntatem creatam in linea deficiendi dici primum principium: Nàm cùm talis primatus sit tantùm secundùm quid, & negativus, solùm excludit subordinationem ad alterum, ut moventem voluntatem creatam ad peccandum, non verò permittentem, vel impedientem ipsam ab elicientia peccati. 62 Solut. ia

Ad 3. Resp. ex sup. dictis: Adamum peccasse ut caput morale dupliciter posse accipi. Vel ita ut per tale peccatum demereretur pro se, & pro posteris; vel ita ut demereretur posteris carentiam iustitiæ originalis, non tamen pro illis; quemadmodùm dicitur de Christo Domino, qui quamvis fuerit constitutus caput morale, ut nobis mereretur omnia dona supernaturalia; non tamen pro nobis: Hoc enim propriè loquendo importat nos verè, & propriè meruisse prædicta dona, quod est apertè falsum. Undè specialitas in modo dicendi, quam in præsenti propugnamus, consistit in eo, quod iuxta illum salvatur Adamum peccasse ut caput morale pro se, & pro sua posteritate; at verò iuxta alios modos dicendi, etsi salvetur Adamum peccasse, & demeruisse suis posteris amittendo illis iustitiam originalem; non tamen pro illis. Demdè Resp. Adamum peccasse non solùm quia tale peccatum præsupposuit in illo pactum de traducenda iustitia originali in posteros, si observaret præceptum; sed etiam quia peccando gessit vices totius posteritatis: hoc autem munus non facilè subsistere potest, nisi asserendo voluntatem illius fuisse moralitèr voluntates omnium posterorum. Quapropter in alijs modis dicendi verificatur peccasse ut caput morale sub prima consideratione, quod tufficiens non est, ut ipsis posteris carentia iustitiæ originalis sit vere, & propriè imputabilis ad culpam. 63 Ad 3.

Ad

64 Ad 4. Resp Dominium in Deo relativè acceptum supponere actionem creativam rerum, quarum dicitur Dominus. Ita expresse Div. Th. ubi supra. Si verò dominium accipiatur fundamentaliter, aut absolutè, qua ratione convenit Deo necessariò, & ab æterno, eò quòd in ipso coincidit cum potestate suprema, & independenti ab omni alio extra se, falsò de illo affirmatur virtualitèr supponere actionem creativam rerum. Constat hoc 1. Nàm Deus dicitur absolutè dominium supremum habere in ordine ad productionem creaturarum; quod quidèm dominium, ut de se patet, nequit in ipsâ rerum productione fundari. 2. Nàm Deus titulo supremi dominij fuit, & est ab æterno eligens aliquos homines ad gloriam, & alios ab ea excludens destinando ipsos ad pœnam. 3. Nàm munus legislatoris in Deo est munus proprium ipsius, ut exercentis dominium iurisdictionis supra omnes creaturas; sed quamvis creaturę non fuerint ab æterno in se ipsis, sed in Dei cognitione, & præordinatione, nequit dări in Deo legem æternam, & ab æterno habente veram rationem legis iuxta expressam doctrinam Div. Thom. 1.2.quæst. 91. art. 1.

Ad 4. cõfirm.

65 Qua ratione dominium, de quo dicitur in Deo supponere, & fundari in actione creativa rerum, est dominium ad movendum res creatas ad suas operationes, vel etiam dominium, quo Deus gaudet ad eas impediendas; & idem dicendum de dominio rerum, quòad earum conservationem, vel destructionem. Cæterùm loquendo de dominio translativo voluntatum aliquorum hominum in voluntatem alterius non requirit necessariò præsupponere actionem creativam illorum, sed sufficit præsupponere actionem creativam illius, in quo tanquàm in capite morali aliæ omnes continentur. Nec obstat, quód in creatis voluntates hominum non existentium nequeunt à Principe, vel Rectore alicuius communitatis in voluntatem alterius transferri. Non inquam obstat. 1. Nàm si verum est votum emissum à Reipublica obligare nedùm Cives tùnc existentes, sed etiam successivè in eadem Reipublica commorantes, ut tenet Illust. Godoy, instantia falso nittitur fundamento.

66 Secundo: Nàm potestas humana, cum sit limitata, & infinitè deficiens à potestate suprema Dei, ex quo aliquod illi repugnet, non infertur repugnare etiam supremo dominio Dei supra voluntates omnium hominum; quemadmodùm licet potestas humana solum possit transferre voluntates pupillorum, & filiorum in ordine ad contractus civiles; secùs tamen in ordine ad rectitudinem, vel malitiam moralem repertam in actione Patris, vel tutoris, non tamen huiusmodi potestas est deneganda Deo. Sed ut inefficacia huius replicæ magis ostendatur, placet sequenti consideratione eam impugnate. Nàm ad transfusionem moralem voluntatis unius in voluntatem alterius, sive ab hoc præscindendo, ut culpa unius imputetur alteri, non minùs requiritur existentia physica, quam gaudere libertate, & usu rationis; parùm enim prodest in ordine ad meritum, vel demeritum existentia physica absque ulla libertate: ergò si ob defectum libertatis, in parvulis existentibus in rerum natura non probatur peccatum originale non esse eis verè imputabile, nèc præcisè ob defectum existentiæ physicæ illorum potest negari peccatum Adami non fuisse illis in aliquo novo sensu imputabile.

67 Obijcies 4. Si parvuli peccaverunt in aliquo vero sensu, quando peccavit Adam, vel peccaverunt, ut distincti ab Adamo, vel ut idem cum illo? Primum est falsum. Secundum non sufficit ut peccatum originale sit voluntarium parvulis: ergò non commisserunt peccatum actuale modo conducenti, ut postea contraherent &c. Min. quòad secundam partem videtur certa: Nàm parvulos peccasse, ut sunt idem cum Adamo, nihil aliud est ex parte obiecti, quàm peccasse ipsum Adamum. Sed asserere solùm Adamum peccasse insufficiens est ut peccatum originale sit voluntarium parvulis; cùm non procedat à principio ipsis intrinseco: ergò. Quòad primam verò prob. Parvulos

4. arguit

pec-

peccasse ut distinctos ab Adamo, est parvulos consideratos in se ipsis peccasse: Nàm parvulos ut existentes, sive ut contenti in Adamo non distinguntur ab illo; quemadmodùm creatura proùt in Deo est ipsa creatrix essentia, & quilibet effectus proùt virtualitèr contentus in sua causa non differt ab illa. Atqui falsum est parvulos consideratos in se ipsis peccasse quando peccavit Adam; tùm quia subiectum aliquod *in se* acceptum peccare, necessariò prærequirit existere in se; tùm quia parvulos in se ipsis peccasse; est peccasse pròut in propria persona; proindèque peccasse peccato personali: ergò.

68 Confirm. Si parvuli commisissent peccatum actuale, quod fuit commissum ab Adamo, tale peccatum vel esset idem numero, vel numero diversum; neutrum dici potest: ergò falsum est &c. Min. quoad 1. partem prob. Si parvuli commisissent tale peccatum, fuisset etiam receptum in eorum voluntate; est enim de ratione actionis immanentis recipi in eodem subiecto, à quo activè procedit; sed hoc ipso non potest tale peccatum esse idem numero; cùm unũ numero accidens non possit recipi in diversis subiectis: ergò. Quòad 2. etiam prob. Nàm sequeretur peccatum Adami non fuisse causam adæquatam, ut parvuli contraherent peccatum originale, sed peccatum uniuscuiusque proprium. 2. Quia iuxta Concil. peccatum originale, quod est per propagationem omnibus transfusum, fuit unum in sui origine. Atqui hoc fusistere nequit sine unitate numerica in peccato originali originante, cùm originale originatum sit multiplex numero in parvulis. Denique. Quia tùnc casus non solùm per unum hominem, & per unius peccatum, sed per plures homines, & per plura illorum peccata peccatum intrasset in hunc mundum. Quod opponitur sententiæ Apostoli.

69 Circa solutionem huius argumenti dissident inter se Mag. Ferre, & Illustr. Godoy; quorum doctrina in præsenti non vacat examinare; nèc enim argumentum tanta gaudet efficacia, ut necesse sit defendere, aut impugnare ea, quæ Mag. Ferre contra solutionem Illust. Godoy proponit. Quapropter Resp. Parvulos peccasse in Adamo, ut distinctos ab illo. Resp. Ratio huius est: Nàm iuxta modum dicendi, quem propugnamus, & quem etiam propugnat Mag. Ferre, parvuli peccaverunt in Adamo; quatenùs eorum voluntates fuerunt unitæ moraliter voluntati Adami. Atqui huiusmodi unio necessariò supponit distinctionem parvulorum ab Adamo: ergò. 2. Quia in vitalis unionis moralis factæ à Deo ob supremum sui dominium; ita peccaverunt in Adamo peccante; ac si ipsi propria voluntate transtulissent suum consensum in consensum Adami; sed in hoc casu posteri peccassent, ut distincti ab illo: ergò pariter dicendum accidisse de facto. pueri pecc. ut distincti ab Adam

70 Sed dices: Implicat dari realem distinctionem inter Adamum, & eius posteros pro illa hypothesi, qua posteri sunt nihil. Distinctio enim realis, sicut & identitas supponit esse reale extremorum, inter quæ versatur; atqui quando peccavit Adam posteri illius erant in se ipsis nihil, utpotè non educti extra suas causas: ergò. Resp. Eadem forma arguendi probare Deũ realiter non distingui à creaturis, tùm futuris; tùm possibilibus; proindèque Deum cognoscere ab æterno creaturas possibiles, & futuras non dicere Deum aliquid aliud extra se adhùc terminativè cognoscere. Quod est omninò absurdum. Undè Resp. Quòd licèt posteri tempore, quo peccavit Adamus, non habuerint esse actuale subiectivum, & exercitium; secùs tamen esse actuale, tùm in æternitate, tùm in ordinatione ex vi decreti de illorum productione; quapropter licèt inter Adamum, & posteros prorùnc non esset distinctio realis positiva ex parte utriusque extremi; secùs tamen ex parte Adami respectu posterorum, & ex parte horum distinctio realis actualis negativa, & positiva ordinativè, sivè ratione determinationis realis ad existendum in tempore futuro. Videatur in simili M. Bol. tom. 1. Tract. 2. dub. 3. à n. 29. Si dicas. Resp.

Ad probationem in contra Resp. Hanc propositionem: *Posteros pecca-* 71

An pueri peccav. ut in se ipsis?

re in se ipsis; duplicem sensum admittere; vel ita ut illa dictio *in* denotet subiectum, quod denominatur peccans; vel ita ut denotet medium, & principium, in quo posteri peccaverunt. Quam distinctionem tradit in simili Ang. Præcep. 1. part. quæst. 58. art. 7. & quæst. 8. de Verit. art. 16. ubi inquirens: *An Angelus per cognitionem matutinam cognoscat res in propria natura?* Resp. *Quòd illa præpositio* in *potest denotare habitudinem principij, & medium cognitionis; vel habitudinem termini.* Qua distinctione suppositа ait: Angelos per cognitionem, qua vident Deum, cognoscere res in propria natura, sive in se ipsis, si illa propositio *in* denotet terminum cognitionis; secùs tamèn si denotet habitudinem principij, aut medij; hoc enim est idea divina, in qua cognoscit res creatas; quemadmodùm ipse Deus in se ipso, tanquàm in medio cognoscit esse illarum secundùm suas omnes differentias.

72 Resp. cũ distinct.

Consequentèr ad hanc doctrinam dicendum est posteros in se ipsis consideratos peccasse in Adamo, duplicitèr intelligi posset, vel ita ut illa præpositio *in* dicat habitudinem principij, & causæ, ex qua processit tale peccatum; vel ita ut talis præpositio solùm denotet subiectum, quod fuit denominatum peccans peccato Adami. Si primo modo accipiatur, falsum est parvulos pròut in se ipsis peccasse in Adamo: Hoc enim denotat voluntatem ipsorum, pròut erat propria, & independens ab Adamo, peccasse. Secundum verò concedimus: Nàm ad hoc sufficit, quòd parvuli secundùm esse proprium illorum contineantur moralitèr in voluntate Adami, tanquàm in principio morali ipsorum. Undè quemadmodùm dicitur Deum ab æterno cognoscere res in propria natura, & in se ipsis, non quia ab æterno sint, sed quia ab æterno cognoscit eas secundùm esse proprium, & specificum illarum; ita similitèr dici potest parvulos in se ipsis peccasse in Adamo; non quia quando Adamus peccavit, haberent actu in se ipsis esse, sed quia voluntates omnes eorum, pròut distinctæ à voluntate Adami, fuerunt à Deo, & moralitèr unitæ, & tanquàm in principio transgressionis præcepti collocatæ.

73 Nèc obst. testimon. M. Par.

Si dicas iuxta D. August. lib. de Nupt. cap. 5. *Per unius hominis voluntatem malam omnes in eo peccavernnt, quando omnes illi unus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt.* Sed posteri, ut distincti ab Adamo nequeunt esse unus ille, scilicèt, Adamus: ergò non peccaverunt, ut distincti; sed ut indistincti ab illo. Resp. explicando D. August. quando omnes fuerunt unus unitate simplicitatis, neg. mai. Virtute unionis, & coniunctionis moralis per translationem factam à Deo, conc. mai. Et neg. conseq. Sicut enim Princeps habens in se consensum subditorum ad aliquam operationem est physicè unus homo, cum multiplici voluntate sibi invita; ita quando peccavit Adamus fuit physicè unus homo unitate simplicitatis, & unus moralitèr unitate coniunctionis plurium voluntatum in se, tanquam in capite omnium posterorum. Ex quo colliges: Adamum in esse moris fuisse omnem hominem non purè collectivè, sed distributivè, in quantum habuit in sua voluntate non confusè, sed distinctè voluntatem Petri, & Pauli &c. ob translationem factam à Deo. Quapropter propositio Apostoli, scilicet: *Omnes peccaverunt in Adamo*; exponi debet per descensum copulativum, scilicet, iste peccavit in Adamo, & iste &c.

74 Confirm. argumẽti solvitur.

Ad confirm. Resp. eligendo 1. part. dilemmatis scilicèt esse commissam à posteris illudmet peccatum actuale, quod fuit commissam ab Adamo, ut capite morali ipsorum: quin obstet probatio in contra: Nàm accidentia accipiunt unitatem, & distinctionem numericam ab unitate, & distinctione subiecti, in quo physicè recipiuntur; cùm igitur in sola voluntate Adami physicè fuerit receptum tale peccatum; indè fit fuisse tantùm unum numericè. Potest hoc explicari exemplo contractus celebrati à Principe continente in se voluntates omnium subditorum; quiquidèm dicitur unicus contractus, & non plures, ob unitatem physicam

Prin-

Principis; quamvis moralitèr censeatur à pluribus fieri.

§. VII.

Reliqua argumenta specialitèr excogitata solvuntur.

75 Quartò ab anthoritate.

OBijcies 4. ex Div. August. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 17. dicente: *Peccatum originale non esse proprium parvulorum proprietate actionis, sed proprietate contagionis, & contractionis.* Et lib. 1. Retract. cap. 15. ad obiectionem Pelag. Resp. *Parvulos non teneri reos proprietate voluntatis, sed origine.* Sed si peccatum actuale Adami fuisset moraliter elicitum voluntate posterorum, tale peccatum fuisset voluntarium, sive proprium proprietate nedùm contractionis, sed actionis; similitèrque parvuli, non solùm origine, sed etiam proprietate voluntatis, tenerentur Rei: ergò.

76 Conrfim. ex S.D.

Confirm. hoc ex Div. Thom. 4. cont. Gent. cap. 52. dicente: *Igitur verum est dicere, quòd uno peccante, omnes peccaverunt in ipso*; ut Apost. dicit; *non quòd sint actù in ipso alij homines, sed virtute tantùm, sicut in originali principio. Nèc dicuntur peccasse in eo, quasi aliquem actum exercentes, sed in quantum pertinent ad naturam ipsius, quæ per peccatum corrupta est.* Ubi expresse impugnat nostrum modum dicendi; siquidem asserit posteros non dici peccasse in Adam *quasi aliquem actum exercentes.* Ulteriùs. *Posteros contineri universalitèr in Adamo, sicut in originali principio; & insuper; eos pertinere ad naturam, quæ corrupta est per peccatum*; longè diversum est ab hoc, quod est; comisisse moraliter peccatum illud, quod fuit commissum ab Adamo. Sed iuxta Div. Thom. ubi immediatè, propter hæc duo dicuntur posteri peccasse in Adamo: ergò modus à nobis propugnatus non est de mente Div. Thom. Urg. Ang. Præcept. in 2. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 1. salvat peccatum originale esse parvulis voluntarium; *quia licet non sit à principio intrinseco parvulis ratione sui, benè tamen intrinseco naturæ ipsorum.* Quam doctrinam tradit alijs in locis. Sed esse à principio intrinseco naturæ nihil aliud est, quàm esse voluntarium Adamo, qui erat caput totius naturæ: ergò.

77 5. argum

Obijcies 5. à ratione: Implicat Deum se solo ponere liberum consensum posterorum in voluntate libera Adæ, antequàm posteri potuerint elicere liberum consensum: ergò implicat talis transfusio moralis. Prob. aureced. Implicat id, quod non existit poni in voluntate alterius; quia quod non est, nullibi potest poni; sed dùm parvuli non sunt potentes elicere liberum consensum, non existit huiusmodi consensus: ergò. Confir. 1. Implicat parvulos liberè voluisse id ipsum, quod Adamus voluit per suam volũtatem: ergò implicat quòd peccatum Adami fuerit in vero sensu parvulis voluntarium. Anteced. prob. Implicat unum hominem denominari intelligentem, aut liberè volentem per intellectum, & voluntatem alterius, ut cõmunitèr tuentur Theologi, cuius ratio est; quia cùm intelligere, & velle sit vivere in actu secundo essentialitèr supponit esse, & vivere in actu primo; proindèque supponit virtutem ad eliciendum, & recipiendum intrinsecè intellectionem, & volitionem. Sed quod non est nequit elicere, aut respicere intrinsecè aliquem motum: ergò. Confir.

78 Secundò cont. trãs fusionẽ voluntat

Confirm. 2. Dùm voluntates parvulorum transferuntur in voluntatem Adami, vel ponuntur parvuli quasi penetrati cum Adamo, vel non? Neutrum potest dici: ergò. Prob. min. quòad 1. part. Nàm parvulos poni penetratos cum Adamo, supponit esse pro priori ab illo localitèr distantes. Sed huiusmodi distantia erat impossibilis parvulis, dùm peccavit Adamus, ob defectum existentiæ ex parte illorum: ergò. Deindè quòd plures voluntates simùl conspirent nullo præcedente exemplo, aut consilio in volendo id ipsum, quod alter vult, nequit fieri sine miraculo: ergò si Deus collocasset voluntates posterorum in voluntate Adami, ut vellent id ipsum, quod voluit Adam, hoc non posset contingere absque miraculo. Sed velle Adam fuit velle peccaminosum: ergò Deus operatus fuisset

set miraculosè ad hoc, ut peccatum Adami esset parvulis voluntarium: quod est facere Deum Authorem peccati. Mai. quòad 1. part. etiam videtur certa: Nàm id, quod non existit in rerum natura, sed in se acceptum actù nihil est, nequit penetrari cum alio, nisi per fictionem intellectus. Sed huiusmodi erant parvuli, dùm peccavit Adamus: ergò.

79 Tertiò dices: Peccatum Adami fuisse commissum à posteris, eisque moraliter voluntarium, nequit admittere verum, & proprium sensum, sed tantùm improprium, & figurativum: ergò talis recursus non est sustinendus. Prob. antec. primò: Peccatum Adami fuisse commissum à posteris moraliter in aliquo vero sensu, est prudenter existimari illud fuisse commissum ab eis; sed repugnat prudenter existimari fuisse commissum à posteris peccatum illud, quod metaphysicè est impossibile elici ab ipsis, qualiter est impossibile subiectum non existens peccare: ergò. Min. constat; quia non sunt prudentes, sed stulti, qui obiectum impossibile iudicant esse possibile; qua ratione Iurisconsulti meritò docent, fictionem legis non se extendere ad impossibile.

Tertiò impugn.

80 Dices 4. Peccatum originale esse liberum, & voluntarium ab intrinseco terminative, non dependet ab existimatione prudentum. Undè sive existat tale iudicium, sive non existat, parvuli descendentes ex Adamo contrahunt peccatum originale ipsis terminativè voluntarium; ergò adhùc admisso parvulos iuxta existimationem prudentum commisisse peccatum actuale Adami; non propter hanc rationem peccatum originale ab ipsis contractum esset à parte rei terminativè voluntarium. Tertiò, & præoccupatur tacita obiectio. Ideò operationes Christi Dom. reputantur in prudentum existimatione valoris simpliciter infiniti; quia principium *quod* illarum est simpliciter infinitum, & infinitæ æstimabilitatis. Quapropter si prædictæ operationes non procederent à supposito divino tanquam à principio intrinseco, iudicium de valore intrinseco ipsarum prudens non esset: ergò pariter nequit prudenter existimari operationem Adami transgressivam præcepti fuisse elicitam à voluntate posterorum, si repugnat physicè loquendo, & seclusa omni fictione ab ipsis procedere, tanquàm à principio elicitivo. Deniquè: Nàm ly *moraliter* Theologicè sumptũ cadens, & determinans elicientiam actus, significat actum aliquem esse elicitum ab agente libero subiecto legi, & rationi: ergò asserere peccatum Adami fuisse moraliter commissum à posteris nondùm à parte rei existentibus, est dicere fuisse commissum à subiecto, quando non poterat uti libero arbitrio, nèc erat capax subijci legi, & rationi. Quod est implicans complicans.

Quartò.

Ultimò.

81 Sed quamvis hæc satis solidè excogitata sint, non sunt adeò efficacia, ut cogant nos modum dicendi hucusque propugnatum deserere. Ad authoritatem Div. Augusti. (quam loco citato non inveni; solùm enim c. 15. asserit: *Homines ad peccatum originale addere alia peccata propria voluntate commissa*) Resp. Minimè sequi peccatum originale fuisse proprium parvuliis proprietate actionis, aut voluntatis, ex quo peccatum actuale commissum ab Adamo, ut cap. morali posterorum, fuerit etiam ab ipsis, ut membris ei moraliter unitis commissum. Ratio est: Nàm peccatum aliquod esse commissum propria voluntate, aut esse ei proprium proprietate actionis, necessariò dicit esse commissum ab aliquo, pròut est singularis persona nullo habito respectu, aut dependentia ad alterum, quod sit caput, aut principium illius; ut constat ex doctrina Div. Thom. sup. num. 64. ubi tradit regulam ad cognoscendum, quænam actiones dicantur pertinere ad aliquod subiectum in quantùm est persona singularis; quænam verò in quantùm est pars Collegij, vel alicuius Communitatis. Cùm igitur influxus moralis ex parte posterorum in peccatum actuale Adami propugnetur à nobis; quatenùs videlicèt voluntates ipsorum fuerunt moraliter unitæ voluntati capitali Adami gerenti vices illorum in ordine ad traductionem, vel omissionem iustitiæ

Solutio.

tiæ originalis; minimè sequitur tale peccatum fuisse ab illis propria voluntate commissum.

82 Ad 2. testim. Resp. ibi D. Aug. solum intendere exponere, in quo sensu dictum fuerit ab ipso *non dari peccatum nisi, in voluntate*, atque huic sententiæ minimè obstare peccatum originale contractum in parvulis: eo quod peccatum, cuius reatu posteri implicantur, nunquam potuit esse, nisi in voluntate Adæ; qua voluntate commissum est quando divini præcepti est facta transgressio. Sed ex hoc quid infertur contra voluntarietatem moralem à nobis propugnatam. Siquidem peccatum Adami fuisse in voluntate illius, ut in cap. morali nequit proprie salvari, nisi in quantum voluntas eius erat moraliter voluntas omnium posterorum. Ad testim. D. Th. Resp. illis verbis *quasi aliquem actum exercentes* tantum negare influxum physicum ex parte posterorum in peccatum Adami; secùs tamē influxum moralem provenientem ex eo, quod Adamus peccavit non solum pro se, sed pro omnibus suis posteris ei unitis tanquā membra mistica unius Communitatis humanæ, cuius ipse erat caput. Ibi enim sicut & quæst. 5. de malo a. 4. in corp. impugnat errorem Origenis ponentis animas habuisse diversitatem meritorum, antequam corporibus uniantur, pro qua dùm uniuntur maiora, vel minora incommoda accipiunt.

Ad 2. testim. M.P.

Ad 3.

83 Ad alia testimonia eiusdem S. Doct. Resp. prænotando ex ipso in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 2. quod cum peccatum sit privatio iustitiæ, sive doni habitualis perficientis hominem; iuxta diversitatem huiusmodi privationis sortitur diversam rationem peccati. Si enim donum, quo privat sit bonum particulare huius personæ, dicitur peccatum personale; si vero inducat privationem alicuius doni perficientis, & concessi toti naturæ, sive quod idem est, omnibus participantibus talem naturam; dicitur peccatum naturæ. Quia igitur iustitia originalis fuit oblata à Deo, si Adamus observaret præceptum, non solum sibi, sed etiam omnibus posteris descendentibus ex illo; ideò illius peccatum, quamvis proùt privavit ipsum dono iustitiæ originalis, fuerit peccatum personale; attamen quatenus privavit totam naturam humanam iustitia originali, fuit peccatum totius naturæ. Unde consequenter ad hæc dicendum: peccatum illud sub prima cōsideratione processisse ab Adamo in quantum erat singularis persona; sub secunda vero; in quantum erat caput morale gerens vices totius naturæ.

Ad alia testim.

84 Hoc igitur prænotato propositio sæpè affirmata à D. Thom, scilicèt: *Peccatum originale fuit voluntarium voluntate naturæ*, nequit reddere hunc sensum, videlicèt: *Peccatum originale fuit voluntarium voluntate existente in omnibus individuis naturæ humanæ*; talis enim voluntas communis afficiens omnia individua naturæ humanæ, nec existit, nec est possibilis. Deindè non potest reddere hunc sensum, videlicèt: *Peccatum originale fuit voluntarium voluntate Adami, quæ voluntas erat voluntas principij, à quo physicè derivandi erant omnes posteri eiusdem naturæ illo.* Primo, quia hoc posset subsistere absque eo quod peccando inficeret totam naturam, ut constat, si deficeret pactum cum ipso à Deo celebratum. Secundo, quia voluntas Adami etiam sub tali consideratione non fuit intrinseca in vero sensu (ut nobis opponunt Adv.) naturæ humanæ. Quod sic efficacitèr suadeter: Nàm voluntas illa solum fuit intrinseca naturæ illi, à qua intrinsecè emanavit, & in qua fuit intrinsecè recepta; Atqui solum emanavit à natura individuali Adami, & ut terminata propria illius subsistentia: ergò solum fuit intrinseca naturæ humanæ Adami; non vero naturæ humanæ, nec in communi acceptę, hoc est, ut abstractæ à natura Petri, & Pauli v. g. nec communitèr sumptæ, hoc est, proùt est natura Petti, & natura Pauli &c.

Explic mens illius.

85 Quod si dicas: prædictam voluntatem fuisse intrinsecam naturæ humanæ, quatenùs fuit intrinseca Adamo, qui erat principium totius naturæ humanæ. Si hoc, inquam, dicatur, quamvis verum sit; cæterùm non salvat proprietatem, & rigorosum sensum, quem præfert talis propositio; quia cum Adamum esse princi-

Solut. ad quandam instant.

pium, ex quo phyſicè effectivè derivatur omnis natura humana, ſit eſſe tali naturæ principium extrinſecum: ex eo, quod aliquid dicatur intrinſecum ei, ut principio totius naturæ humanæ, non infertur dici propriè intrinſecum humanæ naturæ, niſi fortè ponatur omnis natura humana actu exiſtens in Adamo, & dùm quilibet parvulus producitur in rerum natura, acciperet ab illo naturâ in eo actù exiſtentem, & ex conſequenti peccatũ originale, quo erat infecta. Hoc vero eſt abſurdum, & incidere in errorem Platonis circa naturas ſeparatas, per ſe exiſtentes, & univerſales à parte rei.

86 Quapropter quando Ang. Præc. aſſerit *peccatum originale fuiſſe voluntarium voluntate naturæ, *intelligendus eſt voluntate principij naturæ*, ut gerentis vices illius, & ſupponentis pro voluntate omnium participantium talem naturam. Similitèrque quando aſſerit: *Peccatum originale eſſe à principio intrinſeco naturæ parvulorũ, * intelligendus eſt à principio intrinſeco prædictæ naturæ non in ſe ipſa, ſed in ſui capite.* Quapropter ſolum poteſt remanere diſsidium: *An, ſcilicèt, Adamus ad peccandum ut caput morale omnium poſterorum prærequirat continere in ſe moraliter voluntates omnium poſterorum? An vero ſufficiat eſſe principium naturale connotando pactum celebratum à Deo de traductione iuſtitiæ ſub conditione obſervationis præcepti?* Hoc ſecundum aſſerit ſententia oppoſita, primum à nobis propugnatur ob motiva ſup. adducta, & firmata.

87 Ad argum. à ratione Reſp. Sententiã illam communẽ Theolog. minimè nobis officere. Ibi enim expreſsè negant intellectum, aut voluntatem aliquam poſſe phyſicè intelligere, & velle per intellectionem, & volitionem ab ipſis elicitivè non procedentem. Non autẽ hoc negant loquendo de elicientia tantum morali, per quàm voluntas unius reputatur voluntas alterius. Nec enim negari poteſt voluntatem Tutoris continere in ſe moraliter voluntatem pupilli; ſicuti, & voluntatem Patris voluntates filiorum impuberum, vi cuius, quòd Tutor vult, cenſetur fieri voluntate pupilli. Deindè: Nàm etſi ſubditi propria voluntate transferant ſuum conſenſum in voluntatem Principis ante celebrationem contractus; attamen non ſolùm denominantur volentes per volitionẽ illam ab ipſis priùs elicitam; ſed etiam per voluntatem Principis ſupponentem ipſorum conſenſum; cùm tamen talis volitio unicè ſit ab eius voluntate, tanquam à principio elicitivo.

Ad fundam. à ratione.

88 Ad 2. confir. Reſp. Prædictam unionem moralem nõ dici cum proprietate penetrationem voluntatum inter ſe; penetrari enim propriè loquendo ſolùm rebus corporeis cõvenire poteſt. Hinc notare oportet transfuſsionem à nobis propugnatam non debere concipi per modum translocationis unius voluntatis in voluntatem alterius; hæc enim eſt ſatis rudis intelligentia; ſed conſiſtit in eo, quod voluntas unius ponatur, ut gerentis vices voluntatis alterius. Quod neceſſariò ſalvatur, quando unus homo conſtituitur caput morale, alij vero ut membra miſtica ei vitalitèr unita. Nec enim negari poteſt voluntatem Tutoris eſſe moralitèr voluntatem pupilli quòad valorem contractus: ex quo non licèt inferre voluntatem unius propriè penetrari cum voluntate alterius. Per quæ conſtat ad probationem in contr. illa enim convincit de penetratione ſtrictè ſumpta.

Ad 2. confirm.

89 Ad 3. confirm. Reſp. eſſe opus miraculoſum ferè omnes homines, quorũ quilibet ſit ſui iuris, & omninò independens ab altero in operando, conſpirare ſimùl in volitione eiuſdem obiecti; ſecùs tamen in volẽdo idem per voluntatem unius, in quo tanquam in cap. morali continentur; cumque quod omnes poſteri tranſgreſsi fuerint pactum celebratum cum Adamo, & peccaverint in illo, proveniat ex quo Deus illum conſtituit caput omnium poſterorum, & poſteros membra miſtica illius; ſicuti in hoc nullum apparet miraculum, ita nec in conſpiratione morali circa obiectum volitum ab Adamo.

Ad 3.

90 Si inſtes Reſp. Nec obſtat ſi dicas. Iuxta D. Thom. q. 1. de malo art. 1. & hic q. 81. art. 1. ita comparantur omnes poſteri reſpectu Adami, ſicuti ſe habent omnia membra corporis reſpectu cuiuslibet hominis; ſed in his non da-

datur alia voluntas, qua unum membrum operetur, & altera, qua operetur aliud, sed ab unica tantum voluntate omnia moventur: ergò paritèr dicendum de posteris, scilicèt, quod omnes peccaverint in pluribus voluntatibus ad peccandum concurrentibus, sed unicè voluntate Adami. Non inquam obstat: Nàm exemplum D. Thom. solum tenet quantum ad hoc, quod est salvare imputabilitatem peccati originalis respectu parvulorum absque eo, quod quilibet parvulus per voluntatem propriam in seipsa acceptam, & independentem à continentia morali in Adamo, peccaverit: quemadmodùm peccatum occisionis imputatur etiam manui, in qua nõ residet propria voluntas. Cæterùm cũ membra corporis tantùm sint membra physica, & physicè unita capiti, nequit dari unio moralis plurium voluntatum. At vero cum posteri descendentes ex Adamo non solum ab illo physicè processerint, sed fuerint ei uniti, ut membra moralia, proindèque, ut membra prædita intellectu, & voluntate; idem prorsus est apprehendere voluntatem Adami, ut capitis posterorum; ac illam apprehendere, ut in se continentem moralitèr omnium illorum voluntates.

Ad ultim impugn. diximus sup. Non omnem loqutionem in sensu morali acceptam esse loqutionem impropriam. Cuius doctrinæ aliqua dedimus exempla; quin potiùs; cum SS. PP. testim. in hoc dub. adductis sæpissimè asserant: *Omnes posteros transgressos fuisse pactum initum cum Adamo. Similitèrque, prævaricatos fuisse in illo, & cum illo*; nè dicamus eos impropriè fuisse loquutos, nobis videtur asserendum prædicta testimonia debere intelligi in sensu morali, quatenùs videlicèt voluntas Adami reputata fuit voluntas posterorum. Et quidem cum iuxta D. Aug. illa verba Apost. *In quo omnes peccaverunt*, ly *in quo* accipiatur pro peccato Adami, ita ut sensus illius sit: *In quo peccato omnes peccaverunt*; quomodo effugient Adv. improprietatem loqutionis in prædicto testimonio'; si iuxta ipsos posteri nullum influxum physicum, aut moralem habuerunt in tali peccato?

91 Ad ult.

Ad 1. añtis. prob. Resp. neg. mai. Aliud enim est prudentèr existimari voluntatem posterorum fuisse moralitèr voluntatem Adami; aliud verò, propter huiusmodi existimationem peccatum actuale Adami fuisse ipsis moralitèr voluntarium per modum actus, & peccatum originale ex ipso proveniens fuisse illis moralitèr terminative voluntarium. Primum concedimus: Secundum negamus. Hoc constat à simili in operationibus Christi Domini, quæ prudentèr existimantur valoris simplicitèr infiniti, quin infinita existimabilitas illarum cõveniat eis ex prudentum existimatione, tanquam ex causa. Et idem dicendum de infinitate morali offensæ lęthalis. 92 Ad 1. prob.

Causa igitur, & ratio, quasi à priori, ut peccatum actuale Adami fuerit posteris voluntarium moralitèr, & reputativè, coalescit, ex quo fuerit constitutus à Deo caput morale posterorum quòad traductionem iustitiæ originalis, & amissionem illius, si violaret præceptum; & simùl ex peccato illius, per quod non solum posteris; sed etiam pro suis posteris demeruit vitam æternam. Quæ omnia, & sunt quid reale præcedens omnem existimationem prudentum, & subsistere nequeunt absque eo, quod peccatum actuale Adami fuerit etiam commissum à posteris, non quidem proùt in se, & à se accepris; sed proùt erant in illo tanquam cap. morali. Sup. hoc igitur fundam. nititur iudicium affirmans parvulos in aliquo sensu commisisse peccatum actuale ab Adamo, ut cap. morali ipsorum commissum; & propterea tale iudicium dicitur, & est prudens existimatio. 93

Nec contra hoc urget propositio illa, scilicèt: *nequit prudentèr existimari, ut possibile id, quod est ex terminis impossibile; qualiter est impossibile posteros non existentes in rerum natura actu peccare.* Non inquam urg. 1. Nàm hæc propositio multùm probat; siquidem pura omissio libera alicuius præcepti est moralitèr, & in prudentum existimatione, actus positivus; & tamen repugnat ex terminis esse puram omissionem, & causari, vel occasionari ex aliquo actu. Similitèr iuxta sententiam Illust. Godoy, & aliorum 94 Ad 2.

Thomiſt. Deus eſt ſubiectum morale offenſæ læthalis, ſicuti & perſona Verbi forma moralis dignificans operationes humanitatis ei unitæ; proindèque tàm Divina Maieſtas, quàm perſona Verbi, prudentèr exiſtimantur tanquam forma gravificans offenſam, & dignificans operationes, & tamen phyſicè loquendo repugnat ex terminis tàm Divinæ Maieſtatis quàm perſonæ Verbi munus informandi per modum formæ intrinſecæ: ergò patitèr &c.

95 Quapropter ex quo repugnet ex terminis ſubiectum non exiſtens in rerum natura actu peccare per modum ſingularis perſonæ, hoc eſt, ut perſona diviſſa, & ſeparata; ſecùs verò peccare, ut membrum miſticum moralitèr unitum voluntati alterius, ut cap. moralis: ad hoc enim ſufficit exiſtere in rerum natura prædictum caput morale; qualitèr extitit Adamus. Unde iudicium prudens non affirmat ſignatè poſteros actu peccaſſe in ſeipſis, & ut perſonas ſingulares, quia hoc ex terminis eſt impoſsibile: ſed peccaſſe: ut contentas in Adamo, tanquam cap. morali, & ut conſtituentes cum ipſo unam communitatem
Ad 3. humanam. Per quæ conſtat ad 1. añtis. probationem. Ad 3. Reſp. Quod quemadmodùm infinita æſtimabilitas operationum Chriſti Domini fundatur in dependentia, & egreſſu earum à perſona Verbi, tanquam à principio *quod* elicitivo; ita ſimilitèr voluntarietas moralis peccati actualis Adami reſpectivè ad poſteros fundatur in eo, quod Adamus fuit à Deo conſtitutus ut caput morale ipſorum, & in eo quod per tale peccatum non ſolum poſteris, ſed pro poſteris iuſtitiam originalem amiſsit.

Nec oportet, quod ſi valor operationũ Chriſti fundatur in egreſſu phyſi 96
co à perſona Verbi, voluntarietas moralis fundari debet in egreſſu phyſico à voluntate poſterorum: Nàm prædictus valor eſt proprius operationis eiuſdem ſuppoſiti, à qua dignificatur. Unde ſi phyſicè non influeret, purè concomitantèr ſe haberet: qualitèr ſe habet gratia in homine iuſto reſpectu actus merè naturalis, ob quã rationem illum non dignificat. Voluntarietas autem moralis, cum conveniat poſteris, quatenùs fuerunt membra moralitèr unita cum Adamo; ſolum petit pro ſui fundamento, quod fuerint in illo, tanquam in capite morali. Ad ultim. Reſp. ly moralitèr Ad ult.
nõ ſemper appellare ſupra actum, ſed ſupra modum voluntarietatis, aut elicientiæ illius; ſicque accipitur quando dicitur contractum celebratum à tutore fieri moralitèr à pupillo; ſimilitèrque, dùm affirmatur offenſam læthalem recipi moralitèr in Deo offenſo, & in hoc ſẽſu debet accipi in caſu præſenti, ita ut malitia moralis reperta in pacto Adami cenſeatur moralitèr proceſiſſe à voluntate poſterorum. *Et hæc de hoc dub. applicando lit. Mag. in 2. diſt. 31. §. 2. & 3.*

DU-

DUBIUM III.

AN VT PECCATVM ADAMI SIT posteris voluntarium fuerit necessarium aliquod pactum à Deo celebratum cum illo?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA, ET REFERUNTUR SENTENTIÆ.

N. 1 PActum definitur à Jurisconsulto *Digest. de pollicitationibus: duorum, vel plurium consensus, atque conventio ad aliquid agendum.* De cuius divisionibus, & circunstantijs videri possunt plura apud Silvestrum, & Armillà verb. *Pactum.* Hoc igitur statuto; certum est apud AA. quod ut peccatum Adami nobis imputaretur, necessarium fuerit aliquod decretum, seu lex, vel ordinatio Dei, qua Adamus constitueretur caput morale posterorum. Ratio est: Nàm secluso tali decreto, sive ordinatione divina, Adamus tantum remanet caput naturale posterorum; sed Adamum constitutum à Deo caput præcisè naturale posterorum peccare, non sufficit, ut illius peccatum imputetur posteris: ergò. Min. pr. 1. Nàm etiam proximi parentes sunt veriùs capita naturalia suorum filiorum; & tamen illorum peccata non imputantur filijs. Secundo: Nàm ex oppositò sequeretur, quod si Adamus plura peccata commisisset, nasceremur cum pluribus peccatis originalibus; & insuper; quòd peccatum originale ex quocumque peccato actuali Adami transfunderetur ad posteros, quod est contra communem Theologorum sententiam: ergò.

Primo.

2 Secundo notandum, quod licèt pactum in humanis necessario requirat utriusque partis consensum, sicuti ratio contractus, quæ est causa illius: secùs tamen dicendum de pacto ex parte Dei. Ratio est, quia Deus ratione supremi dominij, quo gaudet sup. omnes, potest unumquemque non solum non consentientem, verumetiam suis legibus reluctantem obligare: ergò etsi huiusmodi mutuus consensus intercesserit inter Deum, & Adamum, non tamen fuit necessariò requisitus, ut esset caput morale posterorum, & illo peccante nobis eius peccatum imputaretur. Quapropter dum Mag. Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 10. asserit ponere pactum Dei cum Adamo, esse quid fabulosum; loquitur de pacto necessario requirente consensum utriusque; qualiter contingit in humanis. Neque ex quo tale decretum, sive ordinatio divina requisita fuerit, ut peccatum Adami derivaverit ad posteros peccatum originale, sequitur Deũ fuisse causam illius: Nõ inquam sequitur: Nàm Deus solum est causa legis, quam constituit: sicut non est causa transgressionis legis, in qua peccatum actuale personale consistit, licèt ad tale peccatum necessariò debeat præcedere lex. Undè ex quo tale pactum, quod fuit, quasi lex quædam processerit à Deo, non sequitur quod ipse fuerit causa transgressionis Adami, ac per consequens nec peccati originalis. Unica igitur causa illius fuit Adamus malè utens

Secundo.

libero arbitrio, & dignitate capitis moralis, in qua fuit à Deo constitutus.

Tertio. 3 Tertio prænotandum, quod quamvis attenta absoluta potentia Dei necessarium non fuerit ad validitatem pacti Deum spectare consensum Adami (ut sup. diximus) nulla tamen apparet repugnantia, aut imperfectio ex parte Dei in eo, quod spectaverit, vel requisiverit talem consensum. Ratio est: Nàm non opponitur supremo dominio Dei decernere, & communicare alicui subiecto donum aliquod dependentèr ab eius consensu, sive operatione. Sic enim contingit in collatione gloriæ per modum coronæ dependentèr à meritis in executione; & similitèr in infusione gratiæ iustificantis, & remissione peccatorum à Deo promissa adulto peccatori, si contritus fuerit de peccatis, & quòad susceptionem gratiæ, per actus supernos, proùt oportet, se disposuerit: ergò non opponitur supremo dominio Dei supra voluntatem Adami spectavisse illius consensum circa promissionem à Deo factam de traductione iustitiæ originalis in posteros, si præceptum observaret.

Instab. 4 Si dicas. Deum spectare consensum creaturæ ad aliquid solvendum, vel agendum dicit dependentiam ex parte Dei in suis decretis, vel operationibus, à voluntate creata, insuperque importat Deum aliquomodo à creatura determinari, ut aliquid velit, vel operetur; sed hæc omnia dicunt imperfectionem oppositam supremo dominio Dei: ergò.

Resp. Resp. distinguo mai. Deum spectare &c. ex indigentia, aut necessitate, conc. mai. Ex benignitate, aut libito suæ voluntatis, neg. mai. Vel illam subdist. Spectare consensum, quem ipse non operetur, conc. mai. Consensum, quem ipse operetur, neg. mai. Et cum ead. min. dist. neg. conseq. Sicut enim Deum non conferre gloriam per modum coronæ in executione, nisi dependentèr à meritis; similitèrque non infundere gratiam iustificantem, nisi dependentèr à dispositionibus liberi arbitrij; iuxta illud Div. Augustin. *Qui creavit te sine te, non salvavit te sine te*, non arguit imperfectionem dependentię à creatura: eo quod hæc omnia tantum Deus exequitur ex libito suæ voluntatis, & attenta suavitate divinæ providentiæ; ita similitèr non arguit imperfectionem alicuius depēdentiæ in Deo spectare consensum Adami, ut ordinatio de traductione iustitiæ originalis ad posteros facta cum ipso sortiretur rationem pacti. Deindè sicut in exemplis suprà allatis nulla apparet imperfectio ex parte Dei, eo quod tam merita, à quibus gloria in executione pendet, quam actus, quibus homo disponitur ad iustificationem, sunt dona ex gratuita Dei voluntate provenientia; ita paritèr discurrendum de consensu Adami, utpotè proveniente à Deo illum liberè volente, & gratiosè operante.

Illatio. 5 Ex dictis igitur constat pręcessisse in Deo decretū, vel ordinationem huiusmodi tendentię, vel alterius similis cū Adam: *Tribuo tibi iustitiam originalem ea lege, ac conditione, ut si præceptis meis obtemperaveris; tibi, & posteris tuis eam conserves: si autem inobediens fueris, eam tibi, & tuis posteris amittes.* Hac igitur ordinatione divina supposita tanquam necessaria, ut peccatum Adami esset peccatum capitis, & nobis imputabile: triplex restat difficultas discutienda in præsenti dub. Prima. An fuerit necessarium supradictum decretum, aut ordinationem Dei innotuisse Adamo, ut eius peccatum nobis imputaretur? Secunda. An in præsenti providentia talis ordinatio induerit conditiones pacti propriè talis? Tertia. An talis ordinatio fuerit pactum explicitum, & formale, tàm ex parte Dei, quàm ex parte Adami?

Variæ sententiæ. 6 Circa quod multiplex versatur sententia. Aliqui enim negant fuisse necessariam supradictam ordinationem innotuisse Adamo, ut peccatum illius noceret etiam posteris, ita P. Vazquez, Basil. Legionens. relect. 3. quæst. 1. difficultat. 3. Oppositum autem tuentur communitèr Theologi, quos citatos invenies apud Illust. Godoy, disp. 33. §. 1. Circa secundam difficultatem dissident inter se Theologi. aliqui enim, ut sunt M. Soto lib. 1. de natura, & gratia cap.

cap. 10. Burgens. addit. 4. sup. cap. 5. ad Rom. Illust. Araujo tom. 1. in 1. 2. q. 81. dub. 3. negant de facto, & in præsenti providentia interveniſſe aliquod pactum propriè dictum inter Deum, & Adamum. Oppositum vero tuentur Illust. Godoy, Ferre, Salm. & M. Gonet cum alijs. Sed inter hos adhùc adest disidium aliquod; siquidem M. Zumel, & Illust. Godoy tuentur Adamum præbuisse expressum consensum dictæ ordinationi divinæ. Contrarium autem defendit M. Ferre hic q. 2. §. 7. qua ratione iuxta primum modum dicendi pactum celebratum cum Adamo fuit explicitum ex parte utriusque; iuxta secundum vero, licèt fuerit explicitum ex parte Dei, fuit tantum implicitum ex parte Adami. His præsuppositis.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Ut peccatum Adami nobis imputaretur; sive ut ex illo derivaretur ad nos peccatum originale, necessarium fuit ordinationem divinam innotuisse Adamo.

7 PRobatur conclusio ratione efficaci. Implicat peccatum commissum ab Adamo, ut præcisè persona particulari, nobis imputari; sed si talis ordinatio divina non innotesceret Adamo peccatum illius, esset peccatum ipsius præcisè ut personæ particularis: ergò necesse fuit dictam ordinationem innotuisse Adamo &c. Mai. constat, & min. prob. Peccatum procedens ab Adamo, & non proùt est caput morale, est peccatum illius præcisè ut personæ particularis; sed si talis ordinatio non innotesceret Adamo, peccatum procederet ab illo, & non proùt est caput morale naturæ humanæ: ergò. Prob. min. Implicat peccatum procedere ab Adamo, proùt est caput morale totius naturæ humanæ, si adest in eo ignorantia invincibilis de eo, quod fuerit constitutus à Deo in esse capitis moralis; sed si divina ordinatio non innotesceret Adamo, esset in eo ignorantia invincibilis de eo, quod fuerit à Deo constitutus caput morale totius naturæ humanæ: cum dignitas capit. moralis ex tali ordinatione proveniat: ergò.

Ratio 1. probativ.

Confirm. Adamum peccare nedùm ut personam particularem, verùm etiam ut caput morale totius posteritatis, est ipsum transgredi voluntariè præceptum ei impositum, non solùm ut personę particulari, verùm etiam ut cap. morali: ergò Adamum peccare, non solùm ut personam particularem, verùm etiam ut caput morale totius posteritatis, prærequirit necessariò cognitionem legis obligantis ipsum, ut personam particularem, & ut caput morale totius posteritatis. Sed si Adamo non innotuisset prædicta ordinatio, non posset cognoscere præceptum à Deo ei impositum obligare ipsum, ut personam particularem, & ut caput morale: ergò. Prob. prima conseq. in qua est difficultas. Implicat aliquid esse voluntarium ea ratione, qua non est præcognitum; cùm voluntarium essentialiter dicat procedere à voluntate cum cognitione: ergò implicat transgressionem præcepti esse voluntariam Adamo, non solum ut personæ particulari, verumetiam ut capiti morali totius posteritatis, sine cognitione præcepti obligantis ipsum, ut personam particularem, & ut caput morale. Urgetur hoc. Si Adamus ignoraret invincibiliter se teneri, ut personam particularem ad observationem alicuius præcepti, non peccaret adhùc ut persona particularis in eius non observatione; cum ignorantia invincibilis causet omnino involuntarium, iuxta D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 8. ergò si Adamus ignoraret invincibiliter se teneri ut caput morale ad observationem alicuius præcepti, non peccaret, ut caput morale, non observando tale præceptum. Conseq. const. tùm à paritate, tùm ab identitate rationis in utroque casu, scilicet ignorantiæ invincibilis excusantis omninò à peccato. Et insuper quia lex, quæ non cognoscitur, ut obligans, perindè se habet, ac si non existeret. Tùm sic: sed si Adamus non cog-

8 Confirm.

Urgetur.

nosceret prædictam ordinationem divinam media revelatione à Deo facta, invincibilitèr ignoraret se teneri, ut caput morale ad observationem præcepti à Deo impositi: ergò.

9 Si dicat. cõtra est 1.

Nec valet dicere, quod peccatum originale; cùm non sit peccatum actionis, sed pravæ dispositionis naturæ, non petit esse voluntarium ex cognitione, sed sufficit procedere ex causa voluntaria, scilicèt peccato primi Parentis. Non inquam valet. 1. Nàm admisso sufficere ad rationem peccati originalis ex causa voluntaria procedere, prædicta verò voluntarietas non subsisteret Adamo ignorante ordinationem divinam. Quod sic suadetur. Nequit peccatum Adami, pròut est causa peccati originalis inficientis posteros esse ei voluntarium, nisi prævideatur ab Adamo, ut causa peccati originalis; nàm ut communitèr docent Theolog. ut aliquid dicatur voluntarium in causa, non sufficit velle causam, sed insuper requiritur velle, vel prævidere connexionem causæ cum illo; sed si Adamus ignoraret invincibilitèr ordinationem divinam, etsi vellet suum peccatum, non posset velle illud, pròut erat causa peccati originalis: ergò. Prob. min. Peccatum Adami fuit causa peccati originalis, quatenùs fuit peccatum capitale; sive commissum ab illo, ut capite morali posterorum; sed stante prædicta ignorantia invincibili non posset velle suum peccatum sub tali consideratione adhùc virtualitèr, & interpretativè; cùm non prævideret, nèc posset, se esse constitutum à Deo caput morale posterorum: ergò.

10 Secundò.

Secundò: Nàm etsi peccatum originale non sit peccatum actionis in parvulis, est tamen peccatum actionis in alio tanquàm in capite, iuxta illud Apost. *in quo omnes peccaverunt*: ergò est voluntarium Adamo, tanquàm capiti. Sed si Adamus ignoraret invincibilitèr se esse caput morale (qualitèr contingeret ignorando ordinationem divinam) tale peccatum non esset voluntarium ipsi, ut capiti morali; ut constat ex dictis: ergò. Tertiò: Nàm omnis circunstantia, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte personæ peccantis, v. g. *circunstantia quis*, ut tribuat aliquam malitiam specialem actui peccati, debet esse aliquomodo præcognita, & volita. Unde quemadmodum, si quis occiderer Petrum in re Sacerdotem, sed cum ignorantia invincibili de eo, quod esset Sacerdos, non peccaret peccato sacrilegij, nec in excommunicationem incurreret. Similitèrque si quis invincibilitèr ignoraret se esse Sacerdotem, aut constitutum in dignitate de se potentem addere, vel aggravare aliquod peccatum, minimè in talem malitiam incurreret. (Idem constat in eo, qui ignoraret invincibilitèr esse Patrem alicuius, quem offendit, vel in quem contumeliam profert) ergo ut peccatum commissum ab Adamo dènominetur, & habeat malitiam capitalis peccati, non sufficit esse caput morale posterorum; sed insupèr requiritur, quod cognoscat huiusmodi circunstantiam capitis. Sed hanc non potuit Adamus cognoscere ignorando invincibilitèr ordinationem divinam supradictam: cum ex vi illius obtinuerit dignitatem capitis moralis: ergò.

Tertio.

Secundo prob. conclus. destruendo fundamentum Adversar. Eo 11 noritia prædictæ ordinationis non esset necessaria in Adamo, ut peccatum illius nobis imputaretur, quia in dependentèr ab illa poterat constitui à Deo caput morale suæ posteritatis, & ipsum suis legibus obligare; sed hæc ratio inefficacitèr probat intentum: ergò. Prob. min. 1. Deus independentèr à cõsensu Adami, & ab omni prævia cognitione, potest ipsum, ut personam particularem suis legibus; vel præcepti ligare; & tamen si Adamus ignoraret invincibilitèr existentiam legis, vel præcepti divini, non peccaret adhùc, ut persona particularis in illius non observatione, ut est certum: ergò. Explic. Certum est quòd Deus potest aliquem hominem, dummodò sit scientia, alijsque conditionibus præditus, constituere caput morale alicuius Communitatis: eumque suis præceptis ligare, & hoc quidem independentèr à notitia suæ ordinationis ei communicata, & independentèr ab illius consensu; quis hoc

Secunda ratio.

hoc neget? Sed tamen si homo sic constitutus à Deo, ignoraret invincibiliter ordinationem divinam, & præceptum divinum obligare ipsum ad operandum, non solum ut est persona particularis, sed etiam prout est caput morale alicuius Communitatis; non peccaret, nec posset, quatenus est caput morale, ut est omninò certum: ergò &c. Unde aliud est Deum independenter à revelatione, & consensu Adami posse constituere illum caput morale totius naturæ humanæ, quod libenter concedimus: aliud verò, quod his præcisè stantibus Adamus peccaret, ut caput morale, sive peccato capitali.

§. III.

Solvuntur argumenta contra conclusionem.

12 QUamvis ex dictis constet solutio ad fundam. sententiæ contrariæ, attamen pro maiori claritate objicies 1. Potest Deus constituere Adamum caput morale suæ posteritatis ipso dissentiente, & reluctante: ergò etiam id potuit efficere Adamo ignorante. Sed hoc ipso quòd Adamus sit constitutus à Deo caput morale suæ posteritatis, & transgrediatur præceptum, nequit talis transgressio nobis non imputari: ergò ut peccatum Adami nobis imputetur, non fuit necesse revelationem divinæ ordinationis extitisse. Confirm. 1. Ut peccatum Adami nobis imputetur, & ex illo descendat peccatum originale ad posteros, sufficit peccatum illius esse peccatum capitale; sed ad hoc non requiritur ei innotuisse divinam ordinationem: ergò. Prob. min. Peccatum commissum ab Adamo constituto à Deo cap. morali suæ posteritatis, est peccatum capitale; sed nec ad peccandum, nec ut fuerit à Deo constitutus caput morale, requiritur notitia divinæ ordinationis: ergò.

Arg. 1.

Confir. 1.

13 Secundò. Eatenus peccatum Adami nobis imputatur, quatenus illo peccante nos etiam peccavimus; & hoc ideò; quia voluntates posterorũ fuerunt à Deo unitę voluntati Adami, & in eo moraliter collocatæ; sed hoc idem potuit fieri à Deo Adamo ignorante; siquidem talis translatio provenit ex supremo dominio Dei supra omnium hominum voluntates: ergò.

Secundò.

Tertiò. Independenter à notitia, & consensu Adami potest Deus imponere præceptum, ea intentione, ut si illud observaret, transfunderet iustitiam originalem suis posteris; secus tamen si illud violaret: sed tunc casus privatio iustitiæ originalis esset peccatum originale in posteris: ergò. Prob. min. Carentia iustitiæ originalis in posteris propter peccatum alterius, in quo posteri continentur tanquam in capite, est peccatum originale; sed tunc casus talis esset carentia iustitiæ originalis in posteris: ergò.

Tertiò.

Resp. concessa mai. neg. min. Licèt enim non dependeat ex cognitione, aut voluntate Adami esse constitutum à Deo caput morale; quòd tamen præceptum obliget ipsum in actu secundo, nedùm ut personam particularem, sed etiam ut caput; similiterque; quòd transgressio talis præcepti sit ei voluntaria, ut capiti morali; hoc non potest contingere sine eò, quòd sciat se esse constitutum caput morale, & se esse obligatum ad observationem talis præcepti ei, ut capiti morali imposiți. Quæ omnia non possunt concipi, ut possibilia sine notitia divinæ ordinationis: quemadmodùm nequit concipi, ut voluntarium, & imputabile sub illa ratione, sub qua nullatenus potuit prævideri. Uno verbo: Aliud est revelationem divinæ ordinationis non fuisse necessariam, ut Adamus esset caput morale; aliud verò non requiri, ut tanquam caput peccaret. Primum concedim. Secundum negam. Unde peccatum Adami esset peccatum hominis, qui in re erat caput, sed non proveniens ab illo, ut capite; proindeque nec peccatum habituale. Per quæ constat ad primam confirm.

14 Solutio.

Ad 1. cõfirm.

Ad 2. Resp. non ideò præcisè nobis imputari peccatum Adami, quia à Deo voluntates nostræ fuerunt collatæ in voluntate Adami, sed propter hoc, & insuper, quia transgrediendo præceptum voluntariè, illud

15 Ad 2.

lud fuit transgressus, non solùm pro se, sed etiam pro sua posteritate, eò quod præceptum illud non solùm obligabat ipsum, secundùm quòd erat persona particularis, sed etiam secundùm quòd in illo erant omnium posterorum voluntates. Quę obligatio, ut sit talis in actu secundo, & sit inexcusabilis, necessariò ptærequirit advertentiam illius; lex enim invincibiliter ignorata, vel in totum, vel sub aliqua consideratione, non obligat inexcusabiliter ea ratione, qua invincibiliter ignoratur.

Ad 3. concessa mai. neg. min.

16 Carentia enim iustitiæ originalis non est peccatum originale, nisi quatenùs est voluntaria, licèt non posteris, benè tamen Adamo, ut capiti morali ipsorum: hæc autem voluntarietas neutiquam salvari potest, nisi prævideret Deum pro eius peccato denegaturum posteris iustitiam originalem. Undè in dicto casu carentia iustitiæ originalis esset carentia purè negativa, non vero privativa, & moralis. Quæ doctrina roborari potest casu, quo Deus consiliaretur, aut præciperet sub veniali actum alicuius virtutis ea intentione, ut si eliceret talem actum, uniret pro instanti sequenti hypostaticè naturam humanam; secùs vero, si per huiusmodi actum non se exerceret. Quis autem diceret homine modo dicto ignorante talem ordinationom, carentiam unionis hypostaticę fore ei tunc casus privativam, & imputabilem?

Ad 3.

Obijcies 2. Etsi Adamus ignoraret ordinationem divinam, peccatum ab illo commissum esset eiusdem speciei cum peccato in hac providentia commisso; nàm species peccati desumitur penès obiectum, ut legi dissonum: ergò si peccatum de facto commissum fuit nobis imputabile, & ex illo ortum ducit peccatum originale; idem fatendum de altero peccato. Conseq. constat; quia invariata causa idem sequitur effectus. Confir. Ut peccatum Adami nobis imputetur, sufficit in aliquo vero sensu verificari parvulos voluntariè comedisse de ligno vetito; siquidèm hoc necessario involvit peccare in Adamo. Sed ad hoc non requiritur necessariò notitia divinæ ordinationis in Adamo: ergò. Prob. min. Quia Deus est supremus Dominus voluntatum posterorum, potest independentèr à consensu, & notitia facta, & communicata Adamo, illorum voluntates ipsius voluntati unire, & in ea collocare. Sed etiam est supremus Dominus huius, quod est voluntariè comedere v.g. de ligno vetito: ergò.

17 Arg. 2.

Confirm.

Resp. neg. conseq. quam tenetur Author argumenti negare. Siquidèm etiamsi Adamus non esset constitutus à Deo caput morale, peccatum illius esset eiusdem speciei cum peccato in præsenti providentia commisso; & tamen ex hoc non licèt inferre peccatom Adami transiturum ad posteros, etiamsi non esset caput morale ipsorum. Ratio igitur pro omnibus est: quia imputatio peccati Adami respectu nostri, non provenit ex ratione specifica ipsius, sed ex eo, quòd tale peccatum fuit capitale, hoc est commissum voluntariè ab Adamo, & capite morali, & contra legem obligantem ipsum in actu secundo ad observandam iustitiam pro se, & pro suis posteris: quæ circunstantiæ deficerent in dicto casu, & purè maetrialitèr se haberent respectu peccati Adami.

18 Solutio.

Omitto locutionem de comest. relatè ad parvuli.

Ad Confirm. Resp. neg. min. quin obstet probatio in contra: Nàm etsi Deus sit Supremus Dominus huius, quod est parvulos voluntariè comedere de ligno vetito; quia tamen ratio voluntarij essentialitèr præsupponit cognitionem, & in dicto casu, nèc parvuli in se ipsis, aut propria cognitione perciperent se teneri ad non comedendum; nèc similitèr Adamus cognosceret se teneri ad non comedendum pro illis, pro quibus erat cōstitutus caput morale: ideò non possent denominari voluntariè comedentes de ligno vetito.

19 Ad conf.

(✠)

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Inter Deum, & Adamum fuit verum pactum de traductione justitiæ originalis, si servaret præceptum.

20 CONclusio intellecta de pacto, quantùm ad suam essentiam, & rationem formalem præcisivè ab aliquibus conditionibus, & circunstantijs, cum quibus reperitur in humanis; suadetur 1. ex illo Oseæ cap. 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum: ibi prævaricati sunt in me.* Ubi Propheta comparans culpam Tribuum Israel cum prævaricatione Adami in Paradysso, asserit, quòd sicut Adam ibi legem, & pactum fregit, ita & decem Tribus transgressæ sunt legem, & pactum Domini cum ipsis initum. Atqui non interveniente tali pacto incongrua esset huiusmodi comparatio: ergò fatendum est tale pactum præcessisse. Sic explicant locum istum S. Hieronym. ibi. Rupertus Abbas lib. 3. super Oseam non longe à principio, Nicolaus de Lira, Glossa interlinealis, & Alij, quorum verba refert M. Zumel in præsenti.

Probatur authorit.

Nèc valet si dicas 1. cum Illust. Araujo ibi nomine Pacti intelligi præceptum impositum Adamo, quòd & ipse, & nos in illo transgressi sumus. Contra est 1. Nàm verba Sacræ Scripturæ debent intelligi in proprio, & rigoroso sensu, quando ex tali intelligentia nullum sequitur inconveniens: Atqui simplex præceptum non nisi impropriè dicitur pactum; & insuper, ex quo intelligantur prædicta verba de pacto propriè dicto, nullum sequitur inconveniens: ergò. 2. Nàm pactum, ut distinctum à lege, est pactum propriè dictum; sed huiusmodi est pactum, quod iuxta Prophetam Adamus transgressus fuit in Paradysso: ergò. Min. prob. ex Div. Hieronym. sic exponente verba sup. adducta: *Ipsi autem imitati sunt Adamum; ut quod ille in Paradysso fecerat præteriens pactum meum, legemque; ipsi in terra facerent.* Ubi expressè Div. Hieronym. pactum distinctum à lege statuit.

21 1. Solutio impug. 1.

Si dicas 2. cum P. Vazquez hic disp. 130. cap. 2. num. 13. Theodoretum, Theofilatum, & alios sequentes versionem 70. Interpretum sic legere: *Ipsi sicut homo pactum transgressi sunt &c.* quasi diceret: *Prævaricati sunt contra me, sicut prævaricari solet homo in hominem non servans pactum cum illo.* Contra est 1. Quia idem locus Sacræ Scripturæ (ut hic advertit Illustr. Godoy) plures, & veras expositiones literales admittere potest: ergò estò expositio Theodor. & Theofilati sit vera, non est cur expositio Hieron. & aliorum PP. non admittatur, tanquàm vera. 2. Nàm editio vulgata, qua utitur Ecclesia, & qua usus fuit D. Hier. ibi, est maioris authoritatis, quàm versio Septuaginta Interpretum; imò hæc non debet admitti, dummodò opponatur editioni vulgatæ: ut constat ex definitione, sivè doctrina Conc. Triden. ubi vulgata, qua utimur, decernitur habenda, ut Sacra, & Canonica sub pœna Anathematis; sed in vulgata exprimitur pactum transgressum ab Adamo in Paradysso: ergò.

22 Secunda Reijcitur

Secundò suadetur conclusio ex illo Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcissa non fuerit, peribit anima eius de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* Ex quo loco infert Div. August. lib. 16. de Civit. Dei cap. 27. *Circumcisionem fuisse datam in remedium peccati originalis, & ideò parvulum non circumcissum perituram fore; quia reus est transgressionis pacti.** Sed non pacti celebrati cũ ipso, & propria illius voluntate violati; ut potè absque usu rationis: ergò parvulus est reus transgressionis pacti celebrati cum Adamo.

23 Aliud testimoniũ probans.

* S. P. vocat testamentum.

Nèc valet dicere cum Illustr. Araujo, circumcisionem appellari pactum ea ratione, qua lex, sive præceptum in Sacra Script. frequenter solet nominari pactum. Lex autem circumcisionis fuit celebrata, aut imposita, non quidèm Adæ, sed Abrahæ. Undè in prædicto testimonio minimè colligitur aliquod pactum celebratum cum Adamo in Paradysso

24 Si dicatur

Contra 1 so. Non inquam valet hæc solutio, utpotè incongrua testim. Sacr. Si enim ut fatetur prædictus Author, præceptum circumcisionis non fuit pactum celebratum cum Adamo, sed cum Abraham, non potest verificari de parvulo incircumciso irritum fecisse tale pactum. Assumptum prob. Parvulus solùm in aliquo vero sensu potest pactum Domini irritum facere; vel quatenus consideratur in se ipso illud propria voluntate transgrediente; vel quatenùs consideratur in suo capite morali pro se, & pro posteris in ipso contentis prædictum pactum transgrediente; atqui parvuli neutro modo possunt irritum facere pactum circumcisionis celebratum cum Abraham; non quidèm primo modo, utpotè carentes usu liberi arbitrij; non secundo modo, tùm quia Abraham tale pactum non violavit; tùm quia parvuli non fuerunt in ipso tanquàm in capite morali in ordine ad observationem, vel transgressionem alicuius præcepti; igitur in prædictis verbis per ly *pactum* non intelligitur præceptum circumcisionis, sed pactum celebratum cum Adamo; quod quidèm transgressum est à parvulis, & ob cuius transgressionem parvuli decedentes sine circumcisione data in remedium peccccati originalis damnantur. Uide August. de Civitate Dei lib. 16. cap. 27. expressè hoc probantem.*

* S.D. sup. Psalm. 43 Dei Testam. vocat pactũ initum in Baptism.

25 Ratione prob. conclusio: Decretum, statutum, sive ordinatio divina de transfundenda iustitia originali, si Adamus observaret præceptum, est pactum celebratum cum illo, dummodò ex parte Adami fuerit consensus virtualis, & implicitus acceptans talem ordinationem. Sed de facto, & in præsenti providentia extitit ex parte Dei tale decretum, & ex parte Adami extitit consensus virtualis, quo acceptavit huiusmodi decretum: ergo de facto intercessit verum pactũ celebratum cum Adamo. Mai. const. ex definitione pacti, scilicèt, consensus duorum ad aliquid agendum, dandum, vel recipiendum. Sed ordinatio divina supra assignata fuit consensus Dei in ordine ad traductionem iustitiæ originalis: ergò semèl quod dictæ ordinationi Adamus virtualitèr, & implicitè consenserit, erit huiusmodi ordinatio verum pactum: explicitum quidem ex parte Dei, & implicitum ex parte Adami. Min. quòad 1. part. constat. Et quòad 2. probat. Consensus virtualis, & implicitus nihil aliud est, quam divinæ ordinationi cognitæ non dissentire. Sed Adam cognovit ordinationem divinam de transfusione iustitiæ originalis, si observaret præceptum, eique non restitit: ergò ex parte Adami adfuit consensus saltim virtualis, & implicitus.

Probatur ratione.

Dices cum Illust. Araujo: Ad rationem pacti verè, & propriè dicti requiri consensum formalem, & explicitum utriusque partis. Undè ex quo Adamus virtualitèr, & implicitè consenserit divinæ ordinationi, non infertur illam obtinuisse veram rationem pacti. Contrà est 1. Nàm licèt ad rationem pacti, quod est formale, & explicitum ex parte amborum, requiratur consensus formalis, & explicitus utriusque partis; secùs tamen ad pactum, quod sit explicitum ex parte Dei, & implicitum ex parte Adami; siquidèm ratio mutui consensus posita in definitione pacti debet esse iuxta modum illius: ergò ex quo in Adamo non extiterit consensus formalis, & explicitus, per quem acceptaverit divinam ordinationem, solùm infertur inter Deum, & Adamum non interveniisse pactum formale, & explicitum ex parte utriusque; secùs verò explicitum ex parte Dei, & implicitum ex parte Adami. 26

Respõsiq

Reijc. 1;

Ratio huius est: Nàm id, quod extrahit decretum divinum de conferendo aliquod donum supernaturale sub aliqua conditione onerosa à simplici ordinatione, illud collocat intra lineam pacti verè, & propriè talis. Sed semèl quod ex parte Dei extiterit consensus formalis, & explicitus transfundendi iustitiam originalem, si Adamus observaret præceptum, & ex parte Adami consensus virtualis, & impliicitus acceptans huiusmodi decretum; extrahitur hoc à simplici ordinatione: ergò illud constituit intra lineam pacti verè, & propriè talis. Min. vero prob. 27

Sim-

Simplex ordinatio Dei non requirit consensum adhùc virtualem, & implicitum ex parte creaturæ; sicut nèc requirit aliquam conditionem onerosam adimplendam à creatura: ergò
Secundò. &c. Contra est 2. Nàm ut in præsenti rectè animadvertit Mag. Zumèl, ad rationem pacti propriè dicti non requiritur consensus signatus, & explicitus ex parte creaturæ; v. g. sub hac tendentia: *Accepto, vel consentio promissioni mihi factæ*; sed sufficit exercitè ei consentire, & illam acceptare: quemadmodùm ad donationem gratuitam, & liberalem non requiritur donantem librum v. g. sic dicere: *Gratis dono tibi hunc librum*; sed sufficit hoc ipsum exercitè inveniri in prædicta donatione; hoc est: non exigendo ab illo aliquod prætium, vel recompensationem: ergò paritèr discurrendum de pacto propriè dicto inter Deum, & homines. Tùm quia promissio acceptata virtualitèr obligat; proindèque est verum pactum. Ita Ill. Tapia Tom. 2. fol. 496. num. 6.

28 Nèc obstat, in humanis non salvari verum pactum, nisi adsit consensus formalis, & explicitus ex parte utriusque. Non inquam obstat 1. Nàm pactum inter Deum, & hominem non tot conditiones exigit, àc, quòd inter solos homines reperitur. 2. Nàm Deus ratione supremi dominij, & infinitæ sapientiæ plures conditiones communitèr in pacto repertas supplere potest, quas homines inter se, dum verum pactum ineunt, supplere nequeunt.

§. V.

STATUITUR TERTIA CONCLUSIO.

Adam expressum consensum, & formalem præbuit prædictæ ordinationi divinæ ratione cuius pactum fuit explicitum ex utraque parte.

29 IN hac conclusione minori certitudinis gradu, àc in præcedentibus procedimus; cùm nèc revelata sit, nèc ex revelatione certò colligatur; ei tamèn ut valdè probabili, & principijs statutis, rationique conformiori adhæremus. Probat. igitur conclusio ratione ex dictis deducta. Ex Sacra Pag. & SS.PP. constat inter Deum, & Prothoparentem verum pactum interveniisse de transfundenda, vel non transfundenda iustitia originali; sed ad verum pactum magis congruit consensus expressus, & formalis ex parte utriusque pactum ineuntis: ergò non solùm ex parte Dei paciscentis cum Adamo fuit consensus explicitus, & formalis, sed ex parte primi Parentis fuit consensus expressus, & formalis. Mai. & min. constant; & conseq. prob. Omnia enim, quæ in illo fœliciss imo statu inter Deum, & Adamum interfuere ponenda sunt ut magis conformia naturæ, & perfectioni illius status, ut patet: ergò si perfectioni veri pacti magis congruit consensus expressus, & formalis ex parte utriusque pactum ineuntis; hic debet concedi, non tantùm ex parte Dei, sed etiam ex parte primi Parentis in illo fœliciss imo statu constituti.
Prob. 1.

2. prob. Ex antea dictis constat primum Parentem ordinationem divinam cognovisse ut favorabilem, & utilem sibi, totique naturæ humanæ, & sic eam amplexatum fuisse; sed hoc ipso non consensum purè implicitum ex parte ipsius debemus ponere: ergò Adamus habuit consensum expressum, & formalem in pacto iniro cum Deo. Min. prob. Amplexus, & acceptatio alicuius maximi boni cogniti ut talis perfectior est, si talis acceptatio expressa, & formalis sit, quàm si tantùm virtualis, & implicita interveniat. Sed primo Parenti in statu innocentiæ perfectiorem, acceptationem divinæ ordinationis (ut valdè utilis sibi, totique naturæ humanæ cognitæ) debemus concedere: ergò hæc acceptatio divinæ ordinationis, non solùm fuit virtualis, & implicita, sed formalis, & expressa. 30
Secundò.

Explicatur hoc: Quotiès alicui suisque posteris proponitur speciale beneficium sub facili conditione donandum, nedùm non dissentit, verùm etiam positivè consentit, & acceptat, veluti unusquisque in se ipso experiri poterit. Bonum enim maximum cognitum ut tale, allicit, 31
&

& atrahit voluntatem ad ſuum formalem conſenſum ; cùm igitur dicta divina ordinatio iam manifeſta Adæ adeò eſſet utilis ipſi , & ſuis poſteris: non ſolùm non reſtitit , aut virtualitèr , & implicitè conſenſum præbuit, verùm etiam poſitivè formalitèr , & explicitè conſenſit , & acceptavit.

32 Tertiò. Tertiò prob. concluſio: Quia nullibi eſt revelatum primum Parentem non præbuiſſe expreſſum conſenſum dictæ divinæ ordinationi ; nèc levitèr adverſatur Sacris litteris , aut SS. PP. propoſitio talis conſenſus expliciti ; nèc ex eò , quòd illum concedamus , ullum ſequitur inconveniẽs.Sed aliàs perfectiùs eſt in genere moris Deo ſuum decretum revelante alicui quamplurimis donis ſupernaturalibus ornato , illi expreſſum conſenſum præbere , quàm tantummodò ei non reſiſtere , ſeu virtualirèr , & implicitè conſentire: ergò valdè congruentèr , & probabiliter, veroſimiliuſque aſſeritur , Adamum tot donis ſupernaturalibus in illo fœliciſsimo ſtatu ornatum prædictæ divinæ ordinationi ſibi revelatæ explicitum , & formalem conſenſum præbuiſſe , quam meram ſuſpenſionem, ſive puram negationem diſſenſus, aut implicitum , & virtualem conſenſum ei præſtitiſſe.

§. VI.

Solvuutur argumenta contra ſecundam concluſionem,

33 Arg. 1. OBijcies 1.Simplex Dei ordinatio, aut præceptum impoſitum Adamo, & ab illo cognitum , ſufficiens eſt,ut eſſet caput totius poſteritatis, & ut in illo peccantedeſcedentes peccarent:ergò quidquid ſuperadditur à nobis de pacto explicito ex parte Dei,& implicito ſaltim ex parte Adami , abſquefundamento adſtruitur.Añs.prob. Poſita ſimplici Dei ordinatione , aut lege, ſalvatur ex parte Dei,tùmſupremũ dominiũ iure creationis ſupra totam naturam humanam:tùmliberalis, & gratuita voluntas conſtituendi primum hominem in caput totius naturæ , necnon conferendi ei donum iuſtitiæ originalis cum quadã conditione oneroſa:& aliundè ex parte Adami reperitur ſufficiens motivum ad hanc inſtitutionem à Deo faciendã:nimirùm eſſe primum hominem , à quo cæteri per naturalem generationem eſſent propagandi : ergò.

34 Confirm. Confirm. hoc : Quod humanis Principibus eſt poſsibile , ſecluſis imperfectionibus Deo non eſt denegandum ; ſed huiuſmodi forma inſtitutionis , ſecluſſo pacto , eſt poſsibilis humanis Principibus: ergò etiam Deo. Min. Prob.* Si Rex concederet cuſtodiam , & poſſeſsionem alicuius Arcis alicui homini iure hæreditario à ſuis poſteris perpetuò obtinendæ, dummodò ipſe primus poſſeſſor in obedientia , & fidelitate ergà Regem perſeveraret,alioquin in pœnam peccati pro ſe,aut etiam ſuis poſteris eſſet illam amiſſurus.*Hæc eſſet vera inſtitutio capitis , gratuita, & liberalis; ſiquidèm erat beneficium indebitum; & tamen celebraretur abſque omni pacto,& tantùm per ſimplicem ordinationem, & conſtitutionem:ergò ad conſtitutionem capitis gratuitam , & ſub conditione oneroſa , pactum non deſideratur.

35 Solutio. Reſp. diſt. añs. Simplex Dei ordinatio , aut præceptum ab Adamo cognitum fuit ſufficiens in alia providentia , omitto añs. In hac providentia , neg. ſuppoſit. añtis. Et ad illius probation. idem dicendum.Ordinatio enim , & conſtitutio capitis moralis, quæ de facto fuit , eſt ipſiſsima ratio pacti ſecundum quod connotat conſenſum implicitum, aut explicitum ex parte Adami : propter quam rationem hæc ordinatio nequit poni,ita ut ratio nẽ pacti excludat;& in hoc ſenſu añs. implicat. Ratio eſt , quia ordinatio, quæ de facto fuit , neceſſariò involvit eſſe capitis moralis ornati gratia,&iuſtitia originali,ad eam in ſuos poſteros transfundendã, ſub onere obſervantię prçcepti ; ac proindè connotat cõſenſum ex parte alterius extremi,&indualitate conſenſus inter duo ſub conditione aliqua oneroſa ſalvatur ratio eſſentialis pacti. Aliæ autem conditiones in pactis repertæ , vel eſſentiales non ſunt , vel pertinent ad ſpecificas rationes , ſecundùm quas poſſunt variari pacta. An autem in alia provi-

den-

dentia potuerit Adamus constitui caput morale, absque eò, quòd interveniret ratio pacti; non est præsentis instituti, in quo examinamus, quid Deus fecerit, non quòd facere potuit.

Ad confirm. iàm constat ex
36 dictis. Resp. tamen concessa mai. neg. min. Ad probat. quæ est exemplum, quo utitur S. Anselm. ad præsens intentum explicandum, neg. min. Ibi enim intercederet pactum exercitum, etsi non signatum inter Principem, & illum hominem; cùm esset mutuus consensus sub aliquo onere ad aliquid agendum, vel recipiendum. Certum tamen est, quòd Rex non est Auth. voluntatis alterius hominis, nèc tradere valet ei donum rectificãs voluntatem, sed purè humanum, & politicum. Undè filij eius, si ipse esset Reus læssæ Maiestatis, non contraherent Parentis peccatum; quamvis in pœnam illius, aut pœnalitatem incurrerent; quare exemplum quòad omnia non tenet.

Ad cõfir.

Obicies 2. In alijs legibus condendis Deus non celebrat ullum pactum
37 cum hominibus, sed iure Supremi Legislatoris utens, leges statuit, & creaturas rationales obligat, absque eò, quòd earum consensum adhùc virtualem spectet: ergò sic se gessit cum Adamo nullo eius consensu requisito, neque ad legem ferendam, neque ad esse capitis. Confirm. Indecens est Deo expectare consensum Adami, ut illum caput constituat, & legibus obliget, tàm pro se, quàm pro alijs: ergò quacumque dignitate, àc perfectione gaudeat status ille fœlicissimus, non est asserendum Deum expectasse consensum Adami.

Arg. 2.

Confirm.

Resp. concesso anteced. neg.
38 conseq. Quia cùm lex illa obligans Adamum pro se, & pro tota posteritate, fuerit valdè specialis, & non ex illis, quæ communitèr imponuntur, mirum non est, quòd Deus speciali modo se gesserit in eius impositione expectando Prothoparentis consensũ. Præcipuè, quia tùnc valdè congruebat, ut Deus suavissimo modo procederet in illa prima rerum constitutione, & dignitas status, in quo primus Parens fuit conditus, ex magna congruentia exigebat in hac lege imponenda expectare eius consensum, etsi in alijs legibus cæteros homines personalitèr obligantibus hoc non servetur. Ad confirm. dist. anteced. Ex necessitate, conced. anteced. Ex benignitate, neg. anteced. & conseq. Quamvis Deus non indigeret consensu Adæ, ut illum sua lege obligaret; tamen ex benignitate, & libera sua voluntate voluit se suavitèr gerere cum primo Parente in illo fœlicissimo statu constituens eum caput morale, expectãdo ex parte ipsius acceptationem divinæ ordinationis; sicuti & liberè vult Deus gratiam infundi, & recipi in Anima dependentèr à dispositione ipsius; quamvis absolutè possit Deus sine ullo motu liberi arbitrij illam communicare.

Solutio.

Ad cõfir.

Tertiò arguitur: Deus ratione
39 supremi dominij potuit Adamum renuentem constituere caput morale, & ipsum sic constitutum legibus obligare, tàm pro se, quàm pro tota posteritate; cùm in hoc nullam dependentiam habeat Omnipotens à voluntate adhùc implicita Adæ; sed tùnc sola simplex ordinatio divina adesset, & casu quo Adamus peccaret, culpa originalis transiret in posteros: ergò pactum nullo modo fuit necessarium, ut Adamus fuisset cap. morale ad transfundendam, vel non transfundendam iustitiam originalem. Minor est certa: Nàm pactum exigit necessariò consensum saltim implicitum ex parte alterius extremi. Mai. verò const. Quia Deus in causando, & ferendo leges à consensu Adæ non dependebat, & consequentèr, sive iste renuerit, sive consentiret, eadem potestate, & dominio gaudebat Deus.

Arg. 3.

Resp. ex dict. concessa mai. & min. dist. conseq. In alio ordine rerum, conced. conseq. In hoc ordine,
40 neg. conseq. Vel aliter: Ex indigentia, conc. conseq. Ex condecentia illius status, neg. conseq. Certum est Deum potuisse constituere Adamum caput morale ipso renuente, & eò contradicente, suis legibus obligare pro se, & eius posteris, ita ut si peccaret, culpam originalem transfunderet. Attamen hoc esset in alia providentia inspecto absoluto Dei dominio, quod non negamus; sed in hac providen-

Solutio.

tia

tia ſuavitatem Omnipotentis adſtruimus: dùm aſſerimus non conſtituiſſe Adamum caput morale, & illa lege ſpeciali non obligare independenter à conſenſu ſaltim virtuali ipſius Prothoparentis.

41 Arg. 4. Obijcies 4. Chriſtus Dominus abſque aliquo pacto ex parte Dei conſtitutus eſt caput morale quantùm ad meritum reſpectu omnium hominum: ergò paritèr primus Parens abſque ullo pacto conſtitutus eſt caput morale in ordine ad transfundendam, vel non communicandam iuſtitiam originalem. Reſp. conceſ. anteced. neg. conſeq. redditurque diſparitas: quia Chriſtus Dominus ratione unionis hypoſtaticę, & propter dignitatem divinæ perſonę, habuit gratiam capitalem de ſe ſufficientem, ut eius opera infiniti valoris eſſent nobis utilia ad ſalutem, & conſequentèr, ut Chriſtus Dominus ex vi ſuæ conſtitutionis eſſet caput meritorium: ideòque fuit 1. prædefinitus ut Univerſalis Redemptor ſatisfaciendo pro tota humana natura. At verò primus Parens non erat ex natura rei, aut ex vi ſuæ prædefinitionis caput morale in ordine ad transfundendam iuſtitiam originalem, vel huius privationem, ſed præciſsè ab extrinſeco, & ex divina ordinatione gratis ſuperaddita: poterat enim eſſe ſuæ poſteritatis caput naturale, & non morale. Undè ad huius conſtitutionem exactum fuit pactum. Nota in præſenti non negari ad acceptationem ſatisfactionis Chriſti Domini interveniſſe pactum: de hoc enim agitur 3. p. q. 1. ar. 1. ſed unicè negatur, illud fuiſſe neceſſarium, ut eſſet caput morale.

Solutio.

42 Arg. 5. contra 3. concluſ. Obijcies contra tertiam concluſ. Fundamentum M. Ferre. In Sac. Litt. non eſt revelatus conſenſus expreſſus ex parte Adæ in ordinationem divinam; nèc fuit neceſſarius ad hoc, quod peccatum originale eſſet peccatum naturæ, & nobis voluntarium: ergò abſque ſufficienti fundamēto talis conſenſus expreſſus ex parte Adæ adſtruitur. Confirm. 1. Deus, ut Supremus Dominus, & Author voluntatis creatæ, non indigebat conſenſu explicito, & formali ex parte Adami ad agendum, quidquid in eo voluerit, ſed ſufficiebat, quòd Adamus in receptione iuſtitiæ originalis pro ſe, & ſuis poſteris non diſſentiret, aut contradiceret ordinationi divinæ, aut verum pactum ſalvaretur: ergo illa voluntas expreſſa ex parte primi Parentis ſuperflua eſt. Confirm. 2. Quia Adamus ordinationi divinæ efficaci evidentèr cognitæ non poterat in ſenſu compoſito diſſentire interpretamur conſenſiſſe; ſed iſte conſenſus purè interpretatus eſt virtualis: ergò.

Confir. 1

Secundò

Reſp. diſt. 1. part. antec. In Sac. Lit. non eſt revelatus conſenſus formalitèr, & explicitè, conced. antec. Virtualitèr, & implicitè, neg. antec. & conſeq. Si enim pactum quoad eſſentiam revelatum eſt, ut ex dictis in 2. concluſ. conſtat, & prædictus Author concedit: virtualitèr, & implicitèr revelatur id, quod pertinet ad perfectionem, & complementum veri pacti (dùm oppoſitum non conſtat) ſcilicèt conſenſus formalis, & explicitus ex parte Adæ. Sicut ſuppoſita formali revelatione, quòd Chriſtus ſit homo, legitimè infertur, & virtualitèr revelatur, quòd ſit riſibilis; cùm pertineat ad perfectionem, & complementum hominis. Nèc intendimus eſſe ullatenùs de fide noſtram aſſertionē, ſed quod rationabilitèr colligitur ex his, quæ fides docet. Ad 2. p. antec. dicitur ſimilitèr: quòd cùm in hac providentia Adamus non fuerit conſtitutus caput morale independentèr à pacto vero, & perfecto: & ad huius integritatem, & perfectionem conſenſus expreſſus exigatur, ideò illum adſtruimus.

43 Solutio.

44 Ad 1. & 2. confir.

Ad 1. confirm. dicimus, conexpreſſum, & formalem Adæ non deſiderari ex indigentia, aut neceſsitate, ſed attenta excellentia ſtatus innocentiæ, & benignitate Dei. Hæc omnia inſtantur in Adæ conſenſu virtuali, quem Mag. Ferre defendit. Deus enim abſolutè non dependebat à conſenſu Adæ virtuali, ſine quo pactum divinum de facto non fuit. Ad 3. confirm. Reſp. Quòd ex eò, quòd Adamus circa divinam ordinationem efficacem ſibi notam rectè, & perfectè ſe geſsit, deducimus, quòd non tantùm non diſſenſit, aut non contradixit, vel quòd merè ſuſpenſivè ſe habuit, ſed

sed quod verè expressè consensit, formaliterque positivè acceptavit per explicitum consensum aliquomodo tangentem Deum cum eo pactum ineuntem conformitèr ad auream doctrin. Div. Thom. quæst. 28. de Veritat. art. 3. in Corpor. *Ex prima ratione. Quæ enim mutuo se tangunt in spiritualibus, non completur actio sine mutuo contactu. Et hæc de hoc dubio, applicanda litteræ Magist. ubi supra dub.*

DUBIUM IV.

AN POTVERIT ADAMVS CONSTITUI caput morale illorum, quorum non esset caput naturale?

§. I.

ALIQUA PRÆNOTANTUR, ET REFERUNTUR SENTENTIÆ.

N. 1 ADamum fuisse caput naturale omnium posterorum per continentiam physicam, & influxum activum in illorū existentiam, & insuper fuisse caput morale per traductionem culpæ originalis, & aliarum pœnarum ex tali culpa provenientium, est omninò certum, ut ex supra dictis, & varijs Sacræ Paginæ testimonijs probari potest. Quo supposito in præsenti dub. discutitur, qualitèr in Adamo inter se comparentur ratio capitis naturalis, & simul ratio capitis moralis? An scilicèt ita inter se conectantur, ut repugnet essentialitèr, & inspecta potentia absoluta Dei esse caput morale in ordine ad transfundendum peccatum in eos, quorum non esset caput naturale?

Sensus dub.

Certum est 1. Adamum de facto solum fuisse constitutum à Deo caput morale in ordine ad traductionem iustitiæ, vel culpæ originalis respectu eorum, quorum fuit caput naturale per seminalem propagationem. Ex quo manifestè infertur, quod si aliquis homo produceretur à Deo, & nō per seminalem propagationem, sed miraculosè ex humana carne, vel sanguine, non contraheret peccatum ex Adamo: qua ratione Christus Dominus (etsi plures alij tituli spectent) peccatum originale non contraxit. De quo Ang. Præcep. hic q. 81. a. 4. ubi distinguit duplicem continentiam passivam in Adamo; unam præcisè secundum corpulentam substantiam; alteram vero etiam per seminalem propagationem, de qua asserit fuisse necessario requisitam in præsenti providentia ad contractionem peccati originalis.

2

Noto 1.

2. Est certum in statu naturæ elevatæ ad ordinē supernaturalem potuisse Deū constituere pactum cum Adamo, & quolibet alio ea conditione, quod si observaret legem, omnibus tàm præsentibus, quàm futuris etiam ab illo nō descendentibus, concederet gratiā; secùs vero, si prædictam legem violaret. Ratio est, quia cum Deus sit supremus D. suæ gratiæ, & dividat sua dona, prò ut vult; potest quando, quomodo, & cū conditionibus sibi placitis eam promittere, & distribuere. Idipsum cōvincit exemplū in creatis: ubi Princeps potest concedere propria bona uni pro se, & pro alijs, etiamsi non sint consanguinitate coniuncti, sub conditione observationis alicuius legis; secùs vero si prædictā legem non adimpleat. Hoc tamen supposito adhùc remanet difficultas, scilicèt, An in casu violationis præcepti carentia gratiæ, quæ

3

Secundo.

in alijs hominibus reperiretur, esset voluntaria; & peccaminosa? Quæ quidē difficultas concernit dub. præsens, & in illo est decidenda. Nàm licèt sit certum talem privationem esse aliquomodo pœnam respectu capitis peccantis, etsi voluntariam; non tamen est certum, an sit etiam libera, & voluntaria hominibus ab illo non descendentibus; quod necessariò requiritur, ut prædicta privatio esset verè, & propriè peccatum.

3. Supponendum tanquam certum; ex terminis loquendo posse aliquem constitui caput morale respectu eorum, quorum non est caput naturale. Constat hoc in Christo Domino, quiquidem est caput morale Ecclesiæ iuxta Apost. ad Ephes. 1. & latè probat D. Thom. 3. p. q. 8. a. 1. Et tamen non est caput naturale: igitur ratio capitis naturalis ex terminis non connectitur cum ratione capitis moralis. Sed ex hoc non licet inferre (ut infert M. Basilius Pontius) potuisse Adamum, aut quemlibet alium constitui à Deo caput morale transfusivum culpæ, & peccati absque eo, quod esset caput naturale aliorum; quemadmodùm Christus fuit caput morale nostrum, ex cuius iustitia, & sanctitate derivatur ad nos tanquā ad membra iustitia, & sanctitas; cum tamen non sit nostrum caput naturale.

4 Tertio.

Illatio quædam.

Non inquam licet inferre, ut rectè animadvertit hic num. 4. Ill. Godoy. Nàm gratia talitèr derivatur in nos ex meritis Christi, quod meritum illius nostrum non est, nec nos Christi merito verè promeruimus prædictam gratiam; sed unicè illam Christus Dominus nobis promeruit. Cùmque, ut Christus nobis mereatur gratiam non sit necesse nos in illo physicè contineri: ideò in Christo Domino existit ratio capitis moralis absque ratione capitis naturalis. Iniustitia autem, & culpa habitualis, non potest ex uno ad alterum transire, nisi cum illo communicet in culpa actuali, à qua provenit tanquam terminus derelictus; cùmque, quod delictum unius sit etiam delictum alterius, & ipsum delinquentem denominet, nequeat contingere iuxta aliquos AA. sine continentia physica; indè fit, non rectè probari ex capite morali transfusivo iustitiæ possibilitatem capitis moralis, non naturalis traductivi iniustitiæ, sive culpæ habitualis.

5 Impugnatur.

Nec obstat si dicas cum M. Basilio. Eatenùs Adam v. g. fuit caput nostrum transfusivum peccati originalis, quatenùs culpa Adæ fuit nostra, & nos in illo peccavimus. Sed etiam meritum Christi in Sacra Scriptura sæpè asseritur fuisse nostrum, & nos in Christo fuisse crucifixos, & consepultos, ut patet ex illo 1. ad Corinth. cap. 15. * Sicut in Adam, omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: * ergò Christus non solum fuit caput morale, quia nobis meruit; sed etiam, quia pro nobis meruit, & nos in illo meruimus.

6 Instabis.

Non inquàm obstat: si enim meritum Christi Domini ut capitis moralis fuisset meritum nostrum in aliquo vero sensu duo sequerentur: primum nos meruisse merito simplicitèr infinito; quod repugnat puræ creaturæ: secundum: gratiam, qua iustificamur, fuisse à nobis promeritam; proindèque non iustificari gratis; quod repugnat pluribus Sacræ Scripturæ, & Conciliorum testimon. Quapropter quàndo aliquandc in Sacra Pagina dicitur nos fuisse consepultos, & mortuos cum Christo, accipiendum est per figuram Rethoricam, iuxtà quàm, quod de capite dicitur, de singulis membris enunciatur. Similitèr quando dicitur: * in Christu Iesu nos omnes iustificari, aut Christum Dominum esse iustitiā, & sanctificationem nostram, * illa dictio *in* denotat causam efficientem meritoriam nostræ iustificationis, ut exponit Concilium Trident. sess. 6. de Iustific. cap. 7. Quæ omnia optimè salvantur absque eo, quod meritum Christi Domini fuerit nostrum, nobisque voluntarium.

7 Respond.

Sed adhùc restat exhibere aliquam rationem discriminis: cùr scilicèt caput morale transfusivum gratiæ, & iustitiæ non requirat esse caput morale eorum, in quos iustitiam, & gratiam transfundit; secùs vero caput morale transfusivum culpę habitualis? Ratio igitur discriminis, quæ.

8

satis

satis probabilitèr assignatur ab Adv. ea est: Nàm de ratione culpæ habitualis est esse terminativè voluntariam, proindeque esse à principio intrinseco, vel personæ, vel naturæ; cumque sublata continentia physica unius hominis in altero tanquam in capite naturali: non possit salvari peccatum transfussum esse à principio intrinseco naturæ, vel personæ; indè fit caput morale transfusivum peccati habitualis necessariò præsupponere rationem capitis naturalis. De ratione verò iustitiæ, sivè gratiæ habitualis, non est esse terminative voluntariam subiecto, cui inhæret, & quod iustum, & sanctum constituit, ut constat in parvulis baptizatis: Quapropter potest derivari à principio omninò extrinseco, sive coniunctione physica capitis naturalis.

9 Quarto. Quarto supponendum, quod semèl admisso rationem capitis moralis transfusivi peccati non prærequirere necessariò rationem capitis naturalis respectu eorum, in quos peccatum transfundit, tùnc casus unus homo potest constitui caput morale respectu omnium hominum: & similitèr unus Angelus respectu omnium Angelorum; imò etiam unus homo respectu omnium hominum, & Angelorum, & unus Angelus respectu omniũ Angelorũ, & hominum, ita ut prædicto cap. moralipeccãte omnes homines, & Angelipeccatum contraherent. Ratio est, quia constitutio huiusmodi capitis moralis, non naturalis fundatur in supremo dominio Dei potentis unire voluntatem plurium, vel omnium voluntati alterius; sed hoc supremum dominium non solum se extendit ad uniendas voluntates humanas voluntati unius hominis, sed etiam voluntates Angelicas, & è converso ut dictum est: ergò.

10 Ultimo. Deniq. supponendum: huiusmodi caput morale posse comparari ad duo genera membrorum, scilicèt ad individua iam existentia, & ad individua nondùm existentia, sed intra causas contenta, extitura tamen aliquando. Rursùs: de iudividuis existentibus adhùc duplex consideratio fieri potest; scilicèt carentibus usu liberi arbitrij, vel prædictum usum habentibus; & maximè, si sint per gratiam sanctificati. Ratio huius præsuppositi est: Nàm supremum dominium Dei transfusivum voluntatum aliquorum in voluntatem alterius æquè se extendit ad individua, tàm futura, quàm existentia, & ad voluntates parvulorum, quàm adultorum, sive isti sint iusti; sive non: ergò cum constitutio capitis moralis, non naturalis in ordine ad transfundendum peccatum fundetur in supremo dominio Dei potest fieri comparatio ad omnia individua supra recensita, & cum diversitate, quam insinuavimus considerata.

11 Sententiæ. His suppositis variè opinantur AA. aliqui enim absolutè negant posse aliquem constitui à Deo caput morale, ita ut eius operatio peccaminosa imputetur alijs, deficiente ratione capitis naturalis. Ita M. Cabrera tom. 1. in 3. part. quæst. 1. art. 6. disp. 8. num. 71. M. Zumel hic quæst. 81. art. 1. disp. 2. dub. annexo concluſ. 4. Montesinos hic disp. 11. quæst. 9. Curiel dub. 2. §. 6. M. Ferre quæst. 2. §. 8. & alij Thomistæ in manuscriptis. Alij vero absolutè affirmant. Ita Illust. Herrera lib. 1. de peccato originali cap. 8. §. 3. Illust. Godoy disp. 34. M. Gonet disp. 7. P. Vazquez disp. 133. cap. 3. M. Basilius relect. 3. difficult. 3. Ripalda, & alij. Alij vero quasi media via procedunt concedentes possibilitatem capitis moralis, non naturalis respectu hominum futurorum; secùs tamen respectu natorum: & maximè, si sint per gratiam sanctificati, vel saltim gaudeant usu rationis. Primum modum dicendi tenet P. Suarez disput. 9. de peccat. sect. 4. Secundum vero P. Oviedo hic controv. 9. num. 20. referens pro se Granados, & alios. De quo dubio sequenti.

§. II.

STATUITUR CONCLUSIO.

Potest Deus constituere aliquem hominem caput morale estò non sit naturale, respectu parvulorum nondum existentium, futurorum tamen aliquando, ex quo peccante derivaretur ad illos peccatum?

12 RAtio communis, & à priori est. Ideò ex peccato Adami derivatur ad posteros peccatum habituale, quia in ipso peccante, omnes posteri peccaverunt; sed ad hoc non requiritur necessariò posteros contineri in Adamo, ut in capite naturali: ergò potuit absolutè loquendo Adamus constitui à Deo caput morale transfusivum peccati absque eo, quod esset caput naturale. Maior videtur certa, & minor probatur. Ideò Adamo peccante, omnes nos in eo peccavimus, quia voluntates nostræ fuerunt à Deo translatæ in voluntatem illius, & in ea obligatæ ad observationem præcepti non comedendi de ligno vetito. Sed ad hoc non requiritur necessario Adamum esse caput naturale: ergò. Probatur min. Quod Deus transtulerit voluntates posterorum in voluntatem Adami, easque prædictæ voluntati alligaverit, & obligaverit ad observationem præcepti, provenit ex supremo dominio Dei, quo gaudet supra omnium hominum voluntatem; Atqui hoc supremum dominium non minus resplendet respectu eorum, qui in Adamo physicè continentur, quàm respectu eorum, quorum non est caput naturale, ut est certum: ergò.

Prob. ratione.

Confirm. 1. & prob. eadem min. Nos possumus committere nostras voluntates, & transferre consensum circa aliquam materiam in voluntatem Principis, seu gubernatoris, qui non sit nostrum caput naturale, sed tantum morale: ergò pariter Deus poterit collocare, & unire moraliter voluntates hominum voluntati alterius absque eo, quod sit caput naturale illorum. Prob. conseq. Ideò primum contingere potest, quia unusquisque est Dominus suæ voluntatis, & proprij consensus; proindeque potest uti illo quomodo voluerit. Sed Deus multò perfectiùs est supremus Dominus omnium voluntatum: ergò. Confirmatur 2. Continentia moralis voluntatis unius in voluntate alterius non exposcit necessariò continentiam physicam in illo. Sed continentia moralis voluntatis unius in voluntate alterius est continentia illius tanquam in capite morali: ergò potuit Deus constituere Adamum caput morale continens in se voluntates aliorum, quin esset caput naturale. Mai. prob. exemplo pupilli, cuius voluntas verè continetur moraliter in voluntate Tutoris, ita ut quod à Tutore fit, existimetur factum à pupillo; ex quo exemplo sic ulteriùs roboratur assumptum. Ideò Princeps, aut Respublica potest transferre voluntatem, & consensum pupilli in voluntatem Tutoris quòad contractus humanos, quia habetverũ dominium supra ea, de quibus celebrantur contractus. Atqui Deus exercet perfectiùs dominium in ordine ad conversionem in ipsum, ut in finem ultimum, & collationem suæ gratiæ supra voluntates hominum: ergò potest Deus prædictam translationem, & continentiam moralem facere relatè ad voluntatem Adami, vel alterius hominis, quin sit caput naturale.

13 Confir. 1.

Secundo.

Huic rationi fundamentali Resp. potest. 1. Falsum esse nos peccasse in Adamo, quia nostræ voluntates fuerint in voluntatem illius translatæ, eique moraliter unitæ sunt: huiusmodi enim translatio prorsùs impossibilis est. Solum igitur verificatur posteros peccasse in Adamo, quatenùs virtualiter continebantur in ipso, ipseque erat virtualiter omnis homo, sicut & quælibet causa est virtualiter suus effectus. Sed contra hac solut. obstant plura, quæ latè fundavimus, & efficacitèr roboravimus dub. 2. ubi probavimus authoritate Sacræ Scripturæ, & SS. PP. omnes posteros descendentes ex Adamo in aliquo vero sensu com-

14 Prima Respons.

Impugn.

commississe peccatum actuale, quod fuit commissum ab Adamo; quod quidem subsistere nequit, nisi voluntas Adam fuerit moralitèr voluntas omnium posterorum. Deindè ibidèm probatum relinquimus ratione à priori parvulos fuisse obligatos in aliquo vero sensu ad observationem præcepti impositi Adamo, ut capiti morali: quam obligationem esse necessariam ibi persuasimus, ut carentia iustitiæ originalis sit vera privatio respectu parvulorum. Quæ omnia, sicut & alia, quæ ad idem assumptum probandum adducta sunt, ibi videri possunt, nè acta agamus.

15 Secundo Resp.

Secundo Respond. potest. Ex doctrina aliquorum admittentium prædictam translationem moralem; de quorum numero sunt M. Ferre, & Zumel. Quod licet continentia activa voluntatis Adami respectu voluntatum omnium posterorum, fuerit in causa, ut peccante Adamo, omnes in ipso peccaverint; non tamen fuit causa adæquata, sed tantùm inadæquata simùl cum continentia physica illorum. Rationem reddit: Nàm ut peccatum Adami imputaretur posteris ultra continentiam moralem in voluntate illius, necesse fuit, quod Adamus posset physicè movere posteros ad contractionem peccati, quando producuntur in rerum natura: huiusmodi autem motio physica impossibilis est, nisi Adamus physicè influat in naturam parvulorum, quæ est subiectum peccati originalis.

16 Impug. 1.

Sed contra est 1. Nàm licet in præsenti providentia peccatum originale traducatur ad posteros per motionem physicam, & activam generationem ex parte Adami respectu ipsorum; in alio tamen ordine rerum huiusmodi motio physica necessaria non est: ergò solutio nulla est. Añs. prob. Quod non est necessarium in alio ordine rerum, ut voluntates posterorum contineantur moralitèr in voluntate Adami cum obligatione observandi præceptum pro se, & pro illis, non est necessarium, ut illo peccante peccatum imputetur etiam posteris; sed ut voluntates hominum contineantur moralitèr in voluntate Adami &c. non est necessarium Adamum physicè in eorum naturam influere; cum talis continentia proveniat ex supremo dominio Dei: ergò.

17 Secundò.

Secund. & urgetur hoc. Semèl admisso Deum posse collocare, & unire moralitèr voluntatem unius voluntati alterius, à quo physicè non procedit; ponitur quod necesse est de voluntario, ut peccatum unius sit imputabile alteri: ergò aut negari debet Deũ posse collocare voluntates aliorum in voluntate alterius, à quo physicè non procedit; aut concedi debet Adamum, aut quemlibet alium, potuisse à Deo constitui caput morale traductivum peccati in eos, quorum non esset caput naturale. Añs. prob. Ut peccatum unius imputetur alteri, sufficit esse ei moralitèr voluntarium, sive moralitèr procedere ab eius voluntate, quod physicè procedit à voluntate alterius. Sed semèl admissa continentia morali voluntatis unius in voluntate alterius, peccatum quod ab hoc physicè procederet, esset moraliter voluntarium ei, cuius voluntas contineretur moralitèr in illo; siquidem reputaretur eadem voluntas moralitèr in utroque: ergò. Vel aliter: supponamus Deum unirè moralitèr voluntates Pauli, & Francisci voluntati Petri; cui Deus promitteret sub tali observatione præcepti concedere gratiam pro se, & pro illis; secùs vero si præceptum violaret. In hoc casu Petro peccante eius peccatum esset peccatum capitale. Sed hoc ipso esset sufficiens ut derivaretur ad Paulum, & Franciscum v. g. ergò. Maior, in qua est difficultas probatur. Peccatum commissum à voluntate Petri, in quantum est voluntas capitalis, est peccatum capitale; sed huiusmodi esset tale peccatum commissum à voluntate Petri post talem unionem; siquidèm voluntas Petri peccantis in illo casu non esset solum Petri; sed omnium, qui in illo moralitèr continentur: ergò.

18 Tertiò.

3. Perpriùs est aliquem peccare in alio tanquam in capite morali, quam in seipso contrahere peccatum habituale; perpriùs, inquã, prioritate causalitatis: sicque con-

tigit in præsenti providentia; ideò enim posteri contrahunt in seipsis peccatum originale, quia in Adamo, tanquam in capite peccaverunt, & ibi prævaricati sunt legem Dei, ut docet Div. Augustin. lib. 2. de Nuptijs cap. 5. dicens: *Per unius hominis voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt*: ergò quod non est necessarium ex terminis, ut unus peccet in alio tanquam in capite morali, non est necessarium, ut illo peccante contrahat in se peccatum habituale. Atqui ad sic peccandum non est necessarium contineri in illo tanquam in capite naturali, quod prob. Tùm quia ad sic peccandum, sufficit voluntates aliorum contineri moraliter in voluntate alterius. Tùm quia solum requiritur ex terminis unio per modum membri moralis: ad quam unionem non est cùr exigatur unio per modum membri naturalis: ergò admittere possibilem translationem voluntatum aliorum in voluntatem alterius sine dependentia physica ab ipso, & negare possibilitatem transfundendi peccatum habituale, est velle duo sibi invicem repugnantia componere.

19 Ex quibus excussa manet ulterior explicatio solutionis traditæ à Mag. Ferre, consistens in eo, quod pro casu defectus continentiæ physicæ unius hominis in altero tanquam in capite naturali; quamvis voluntas unius esset moraliter in voluntate alterius, non tamen sufficienti modo, ut peccatum unius derivaretur ad alterum. Manet inquam excussa. Primo: Nam derivatio, sive contractio, peccati habitualis consequitur naturali sequela ad hoc, quod est peccare in alio tanquam in capite, ut supra probatum relinquimus. Secundo: Nàm talis contractio consequitur ad hoc, quod est peccatum unius imputari moraliter alteri: ergò dùm prædicta solutio hoc negat, procedit ordine inverso, sive præpostero; cum potiùs deberet asserere impossibilitatem talis contractionis ex eo, quod impossibile est voluntatē unius contineri moraliter in voluntate alterius quòad conservationem gratiæ, & illius amissionem, à quo physicè non procedit.

Alia responsio.

Impugn.

Nec id, quod solutio in sui favorem adducit, minuit efficaciam rationis. Nàm Adamum, & quemlibet alium hominem, concursu physico influere in contractionem peccati, producendo physicè naturam subiecti, cui inest peccatum: solum requiritur, quando peccatum illud est originale, hoc est, per generationem traductum; secùs tamen loquendo de peccato, quod propriè originale non esset, sed capitale; & huiusmodi esset peccatum habituale, quod possibile in alia providentia defendimus, ut rectè animadvertit in præsenti Illustr. Godoy num. 15. in fine. Undè probare peccatum unius non posse imputari alteri, quod physicè non continetur in illo: quia non posset physicè influere ullo modo in contractionem peccati, est insufficiens probatio; cum de hoc sit præsens difficultas. Quod si in prædicta solutione intendat Mag. Ferre peccatum capitis moralis debere esse causam effectivam physicam respectu peccati in membra moralia illius traducti; præterquamquod huiusmodi causalitas negatur de facto peccato Adami respectu peccati originalis parvulorum iuxta plurium AA. sententiam, de quo infra; nulla tamen appareat ratio efficax, ut prædicta causalitas effectiva physica requiratur in cap. morali, & non naturali.

20 Solvitur fundam.

§. III.

Solvuntur argumenta.

21 OBijcies 1. ex Magn. Par. August. Epist. 23. ad Bonifacium: ubi reddens rationem, cùr parvuli traxerint peccatum ex Adam, quod per Baptismi gratiam expiatur, ait: *Traxit ergò reatum, quia unus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit admissum est; non enim contrahit alter ab altero, quando unoquoque sua*

Primum argum. ex M.P.

sua propria vita vivente, iam est unde dicatur: anima, quæ peccaverit ipsa morietur: ergò sentit necessarium esse, ut unus in altero peccare dicatur, & ex illo trahat reatum, quod in illo physicè contineatur, & quod extra causa nondùm existat. Probatur consequent. quantum ad 1. part. ex illa causali: *Traxit ergò peccatum, quia unus erat cum illo, & in illo.* Quantum ad 2. ex causali negativa: *Non autem traxit alter ab altero, quando sua unoquoque &c.* Resp. Illust. Godoy num. 11. August. non dedisse causalem illius, quod potuit evenire de potentia absoluta; sed tantum illius, quod de facto contigit, & secundùm istum ordinem rerum: secundùm quem Adamus non fuit caput morale respectu eorum, nisi quorum fuit etiam caput naturale. Ex hoc non sequitur, quod aliter non potuerit evenire in alia distincta providentia.

Solutio.

22 Contra hanc expositionem instat M. Ferre num. 1117. Nàm Aug. non Resp. quæstioni de Adamo, sed de alijs ab Adamo, scilicèt, de parentibus offerentibus filios suos Dæmonijs; Utrum hoc peccatum transeat in filios? *Quæris* (inquit) *à me utrum parentes baptizatis parvulis suis noceant, cum eos dæmoniorum sacrificijs sanare conantur? Etsi non nocent, quomodo eis profit, cum baptizantur, Parentũ fides, quorum eis non potest obesse perfidia?* Cui quęsito Resp. Aug. *Resp. tantam illius Sacramenti (hoc est Baptismi) salutaris esse virtutem in sancta compage Corpor. Christi, ut semèl generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum semèl regeneratus fuerit per aliorum spiritualem voluntatem, deincèps non possit vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consensit.* Quibus verbis negat August. peccata Parentum filijs baptizatis nocere posse, * non quia ita de facto statutum est, sed quia repugnat vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consensit. *

Impugn.

23 Resp. solutione data, quæ optima est. Ad instantiam Resp. D. August. ibi proponere quæstionem de facto: *An, scilicèt, Parentes baptizatis parvulis suis noceant, cum eos dæmoniorum sacrificijs sanare conantur?* Cui quæsito Resp. August. negativè, ita Div. Thom. * quia scilicèt voluntates parvulorum non continentur in parentibus proximis; si autem continerentur, ita ut essent eius membra moralia, peccatum proximorum parentum ipsis imputaretur. Unde illa propositio Aug. *Deincèps non possit vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consensit*; verissima est; nec nostræ sententiæ adversatur: quia loquitur de potentia ordinaria. Vel si loquitur ex terminis, & inspecta potentia Dei absoluta, exponendus est sine consensu voluntatis, vel in se, vel in alio, tanquàm in capite morali. Nos autem semper ponimus necessarium ad ad contractionem peccati consensum voluntatis, saltim in capite suo morali; solùmque excludimus continentiam naturalem, de qua non loquitur Augustinus.

Suſtinet. solutio data.

* 3. par. q. 68. ar. 9. ad 2.

24 2. Objicies iuxta Div. August. lib. 2. de Nupt. cap. 5. & alibi. Eatenùs peccatum originale fuit parvulis voluntarium, quatenùs Adamus erat idem cum omnibus posteris, & omnes posteri erant ipse Adamus; sic enim ait: *Et ita per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes illi unus homo fuerunt. De quo propterea singuli peccatum originale traxerunt.* Atqui Adam non fuit plures homines formaliter, sed virtualitèr; nec omnes posteri possunt dici unus homo, nisi ad summum virtualitèr, scilicèt in sua causa, quæ una tantùm fuit, nimirùm Adamus: ergò iuxta Div. Augustin. continentia unius in alio tanquam in causa, ut capite naturali, requiritur ad contractionem peccati habitualis.

Secundũ ex eodem P.

25 Resp. Prætèr coniunctionem, & continentiam physicam, quam habuerunt omnes posteri in Adamo, ratione cuius pròut in illo contenti erant unus homo, non quidèm physicè, & unitate simplicitatis, sed virtualitèr: dari etiam unitatem coniunctionis moralis, quatenùs voluntas Adami erat moraliter voluntas posterorum, & voluntates posterorum erant moraliter voluntas Adami ratione translationis à Deo factæ. Quapropter dum Div. August. assignat

Solutio.

nat pro causa contractionis peccati originalis *unitatem omnium posterorum cum Adamo*, loquitur de unitate consistente in coniunctione morali suarum voluntatum cum voluntate Adami; licèt de facto, & iuxta ordinem à Deo statutum huiusmodi unio, & coniunctio moralis præsupponat coniunctionem physicam, & continentiam in illo, tanquàm in capite naturali.

26 Ad test. S. Anselm

Ex doctrina huius solutionis constat ad aliud testim. quod nobis objiciunt Adv. ex Div. Anselm. lib. de Conceptu Virgin. cap. 12. dicente: *Adam nulli alij valuit bona auferre, atque mala inferre, nisi non servando bona, cum servare quivit. Servare autem nulli potuit ea bona, nisi illis, quorum generationis potestatem voluntati subditâ accepit. Nulli ergò &c.* ubi sentit Anselm. non potuisse Adamum constitui caput morale, in quo peccante alij etiam peccarent, nisi eorundem esset caput naturale per generationem. Constat inquam: Nàm loquitur secundùm præsentem providentiam, & de potentia ordinaria à Deo statuta. Quòd suadetur sequenti discursu: Nam eodem modo negat potuisse Adamum constitui caput morale traductivum malorum in eos, quorum non esset caput naturale, àc negat potuisse constitui caput morale traductivum bonorum gratiæ in eosdem. Arqui ex terminis loquendo falsum est, Adamum, & quemlibet alium hominem, non potuisse constitui à Deo caput morale influxivum gratiæ, ut expressè docet Div. Th. in 4. dist. 5. quæst. 1. ar. 3. quæstiun. 3. ergò dùm negat Div. Ansel. Adamum non potuisse inferre malum, nisi illis, quorum esset caput naturale per generationem; loquitur secundùm ordinem à Deo de facto statutum, iuxta quem nullus non descendens ab Adamo iustitiam originalem, aut peccatum, contraheret.

27 3. Arg.

Objicies 3. Ut alij homines ex capite peccante contrahant peccatum habituale, requiritur necessariò, quòd etiam peccent cum capite peccato actuali, ut nos libenter fatemur; sed hoc nequit verificari in casu capitis moralis, & non naturalis: ergò implicat homines contrahere peccatum habituale ex peccato illius, qui non sit cap. naturale ipsorum. Prob. min. Si alij homines capite peccante peccarent cum illo peccato actuali; vel peccarent, pròut erant in capite, vel pròut erant in se ipsis? neutrum dici potest: ergò. Min. quòad prim. part. prob. Implicat peccare in cap. eum, qui in capite non continetur; sed cæteri homines in casu præsenti non essent contenti in capite, tanquàm in causa: ergò. Quòad secundam verò etiam prob. Implicat peccare in se ipso simùl cum capite peccante, eum, qui in se ipso non existit; sed homines nondùm nati, quando caput illorum peccaret, non existerent in se ipsis: ergò. Deindè: Ut simùl impugnetur secunda conclusio: Hominem in se ipso peccare, est elicere, & recipere actionem peccaminosam; sed repugnat actionem peccaminosam capitis elici, & recipi in alijs hominibus etiam existentibus; cum sit actio immanens: ergò etiam si existerent in se ipsis, nullo modo peccarent capite peccante.

28 Confir. 1

Confirm. 1. de ratione peccati habitualis est esse voluntarium subiecto, quod denominat peccatorem; sed peccatum quod derivaretur ex capite morali, & non naturali, ad alios homines, non posset dici eis ullo modo voluntarium: ergò talis derivatio peccati prorsùs impossibilis est. Prob. min. De ratione voluntarij est esse à principio intrinseco subiecti, cui est voluntarium. Sed tunc casus peccatum habituale inficiens Petrum v. g. non esset à principio intrinseco ipsius, sed à voluntate alterius constituti in esse capitis moralis: quiquidem esset principium omninò extrinsecum tàm formalitèr, quàm virtualitèr: ergò.

Secundò

Confirm. 2. Duplicitèr potest dici peccatum habituale esse à principio intrinseco: uno modo à principio intrinseco personæ; alio modo à principio intrinseco ratione naturæ; ita D. Thom. in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 2. ad 1. Et hoc secundo modo asserit peccatum originale fuisse parvulis voluntarium, & ab intrinseco ipsorum. Tum sic; sed peccatum habituale, quòd derivaretur ex capite morali non

non naturali, neutro modo esset inalijs hominibus à principio intrinseco illorum: non quidem primo modo; ut est certum; non secundo: quia esse à principio intrinseco ratione naturę, est esse ab aliquo principio, quod sit caput naturæ, & in quo sit virtualitèr tota natura, quod est idem, ac esse caput naturale: ergò.

29 Solutio. Resp. concef. mai. negand. minor. Sicut enim iuxta D. Aug. lib. 16. de Civit. Dei cap. 17. *Parvulus dissipavit legem Dei, quando in Adam cum omnibus, & capite peccavit*; & hoc quidem iuxta superiùs à nobis dicta contigit: quia voluntas Adami, utpotè capitalis, continebat in se moralitèr voluntates omnium posterorum; ita similitèr ob eandem rationem dicendum in casu præsenti de alijs hominibus, scilicèt, eos in capite, & cum capite, peccare. Ad probationem min. in contr. Resp. negando eam quòad 1. par. vel illam dist. Implicat &c. eum, qui non continetur physicè, vel moralitèr in capite, conc. mai. Physicè purè, neg. mai. Et cum ead. min. dist. neg. conseq. Tùnc enim Deo transferente ob suum supremum dominium voluntates aliorum in voluntatem alterius, isti essent membra moralia illius, & contenti in ipso tanquam in capite morali: quèadmodùm dùm quis transfert suum consensum in voluntatem alterius est, & continetur in illa moralitèr, ita ut illo aliquid operante, etiam ab altero factum existimetur, quamvis physicè in eo non contineatur.

30 Ad 1. cõfirm. Ad 1. Confirm. neg. min. vel illam disting. Non est ab intrinseco nèc voluntarium voluntate propria, & personali, conc. min. Voluntate capitis, neg. min. Cùm enim in casu quæstionis voluntas hominis constituti à Deo in esse capitis moralis, contineret in se moralitèr aliorum voluntates, eiusque voluntas esset reputativè, & in prudentum existimatione voluntas aliorum, peccatum actuale commissum physicè à capite morali esset moralitèr commissum ab alijs: & similitèr peccatum habituale descendens à voluntate capitis, descenderet pariter à voluntate ipsorum pròut in illo; proindèque à principio intrinseco ipsis, licèt non physicè, benè tamen moraliter. Ad 2. Confir. Ad 2. Resp. Esse caput alicuius naturæ; (cùm sit idem, àc esse caput omnium individuorum prædictam naturam participantium) dupliciter potest contingere, vel esse caput naturale influens per generationem naturalem, vel tantũ caput morale. Et hoc adhùc duplicitèr, vel quia potest mereri toti naturæ, qua ratione Christus Dominus dicitur caput totius naturæ humanæ: vel quia potest demereri tali naturæ, vel pro tota natura, si Deus collocet voluntates omnium hominum in voluntate alterius, & ille transgrediatur aliquod præceptum ipsi, ut capiti impositum. Quo supposito dicimus hominem illum, in quo Deus collocaret omnium hominum voluntates, dicendum fore caput totius naturæ, estò non caput naturale. Proindèque peccatum derivatum ad alios esset eis intrinsecum, licèt non ratione sui, ratione tamen capitis ipsorum. Contra hanc solutionem plura obijciunt aliqui ex Adversf. quæ soluta manent dub. 2. §. 5. & 6.

31 Si Resp. Objcies 4. Ut unus homo transfundat peccatum suum in alium, debet illum per aliquam actionem contingere; sed in casu, in quo unus homo non contineretur physicè in altero, sive tanquam in capite naturali, non contingeret illum per suam actionem: ergò non potest &c. Nec valet dicere, quod etsi in dicto casu unus homo non contingeret contactu physico alterum hominem, utpotè nihil physicum in illo producens; secùs tamen contactu morali. Cum enim tùnc casus voluntas unius esset moralitèr voluntas alterius, ex prædicta voluntate ut transgressiva præcepti pro se, & pro alijs, derivaretur etiam peccatum habituale: quemadmodùm ex continentia morali voluntatis pupilli in voluntate Tutoris, per contractum ab illo celebratum derivatur obligatio ad ipsum pupillum.

32 Contra 1. Non inquam valet 1. Nàm ut unus homo transfundat peccatum suum in alterum, requiritur, quod illum contingat contactu physico: ergò solutio est nulla. Ass. prob. Ut peccatum voluntaris v. g. transeat in ma-

manum, & reliqua membra requiritur manum esse physicè unitam voluntati in eodem supposito, vi cuius unionis eam physicè contingere, sivè movere potest: ergò paritèr &c. Conseq. prob. Nàm iuxta D. Thom. hic quæst. 81. a. 1. * sic derivatur peccatum capitis ad membra moralia; quem admodùm derivatur peccatum voluntatis in uno supposito ad reliqua membra ipsius:* ergò si &c. Secundo. Peccatum habituale relictum ex actuali non est pura moralitas, sed privatio physica, & etiam moralis gratiæ: ergò 1. ut unus homo transfundat peccatum habituale in alterum, debet illum influxu, sive contactu physico contingere. Prob. conseq. Implicat ex uno homine derivari ad alterum aliquid morale, quin illum contactu morali contingat: ergò paritèr implicat ex illo derivari ad alterum aliquid physicum, sive positivum, sive privativum, quin ipsum contacto physico contingat.

Secundò.

Resp. Optimam esse solutionem datam. Ad illius impugnationem Resp. negand. añs. & illius probat. Ratio discriminis est; quia manus non habet rationem membri, nisi proùt physicè unita corpori: non enim in ea separabilis est ratio membri moralis, & membri naturalis; cum non sit membrum, nisi quia vivificatur eadem vita, qua vivit suppositum. At vero unus homo potest esse membrum morale respectu alterius, estò non sit membrum naturale illius. Quod si huius rationem quæras ea est: quia manus v. g. separata à supposito, caret propria voluntate; quilibet autem homo gaudet propria, & distincta voluntate; cumque ratio membri moralis fundetur in unione voluntatum ad idem exequendum, sive facta per proprium uniuscuiusque consensum, sive à solo Deo ob supremum eius dominium; indè fit unum hominem posse esse membrum morale alterius, cui physicè unitus non est; licèt hoc essentialitèr manui repugnet. Nec huic obstat authoritas D. Thom. Loquitur enim de facto, & secundum ordinem rerum in præsenti providentia staturum. Ex tali enim exemplo duo intendit probare Angel. Doct. ibi. 1. peccatum Adami imputari parvulis, quin propria voluntate illud commiserint; quemadmodùm peccatum voluntatis imputatur manui occidenti carenti propria voluntate. 2. Peccatum Adami non derivari nisi ad posteros descendentes ab illo per motionem generativam; vi cuius sunt etiam membra physica physicè ei unita; quemadmodùm peccatum voluntatis unius suppositi non derivatur, nisi ad manum ei physicè unitam; secùs vero ad lanceam, vel gladium, nisi ad summum per modum effectus, ut docet idem Ang. Doct. quæst. 4. de Malo art. 2.

33

Solut. data sustin.

Ad 1. impugn.

Per quæ constat ad instantiam, quam sic proponit Mag. Ferre. Ideò peccatum hominis percutientis alterum gladio v. g. non transit ad gladium, nisi virtualitèr, & per modum effectus; quia gladius non est aliquid hominis peccantis: oppositum vero opposita de causa dicendum de manu, vel oculo: ergò ut unus homo sit susceptivus peccati alterius, & non tantùm effectus, sive pœnæ prædicti peccati, oportet, quod sit aliquid hominis peccantis, eique intrinsecè aliquomodo coniunctus, quod nequit salvari deficiente ratione capitis naturalis. Constat inquam ob disparitatem inter gladium, & unum hominem respectu alterius peccantis. Gladius enim cum non gaudeat propria voluntate, nec voluntate suppositi utentis illo, non potest suscipere in se peccatum, nec per modum membri naturalis, nec moralis; unus autem homo, cum gaudeat propria voluntate, quæ à Deo moralitèr uniri potest voluntati alterius, est aliquid capitis moralis peccantis sufficienti modo, ut illius peccatum etiam ei imputetur.

34

Obitèr occurritur alteri instantiæ.

Ad 2. impugn. Resp. negand. min. quam etiam negare tenetur M. Ferre. 1. Nàm admissa possibilitate puræ omissionis (quam ipse tuetur) ex illa consequitur peccatum habituale in privatione physica gratiæ consistens, quin tamen præcedat aliquis influxus physicus ex parte voluntatis. 2 Nàm ut constat ex prænotabilibus num. 2. negari non potest Deum posse cum quolibet homine paciscì hoc modo: *Si præceptum observaveris, dabo tibi, & reliquis hominibus gratiam*

35

Ad 2.

tiam sanctificantem, aliaque dona supernaturalia; quo pacto suppositò, & violatione præcepti, carentia gratiæ esset pœna privativa, saltim respectu hominis peccantis. Nùnc autem rogo: Quem contactum physicum, aut influxum habuit homo ille peccans respectu aliorum, ut ad eos privationem physicam gratiæ per modum causæ traduceret?

36 Quapropter Resp. Quòd etsi privatio gratiæ physica sit (utpotè carentia formæ physicæ informantis) in alio tamen sensu dicitur privatio moralis attenta ratione debiti ad habendam gratiam. Non enim est debita, aut deberi potest puræ creaturæ debito physico, sed tantùm debito morali ex ordinatione divina, vel aliqua lege ortum ducente; qua ratione diximus Tom. 2. Tract. de Peccat. dub. 3. Privationem rectitudinis charitatis repertam in odio Dei non esse physicam, sed moralem. Rursùs: Ut privatio gratiæ sit peccatum habituale, necesse est esse voluntariam; hoc est: ex actu voluntatis inductam. Quapropter si Deus de potentia absoluta aufferret ab homine perpriùs iusto gratiam habitualem pro aliquo tempore, estò in illo daretur privatio gratiæ debitæ ipsi ex vi elevationis ad ordinem supernaturalem; non tamèn esset peccatum habituale, nèc ipsum peccatorem, & Deo invisum constitueret.

His ergò prænotat. Resp. Quòd dùm M. Ferre (cuius est argumentum) 37 intendit non posse unum hominem peccatum habituale in privatione voluntaria gratiæ consistens in alium transfundere absque influxu, & contactu physico; vel loquitur de influxu physico in ipsum peccatum habituale, vel in subiectum, cui tale peccatum inhæreret? Si 1. Asserit aliquid falsum; cùm adhùc in præsenti providentia, iuxa quam Adamus fuit caput naturale omnium contrahentium peccatum originale; satis difficultèr percipiatur, qualitèr peccatum Adami sit causa effectiva physica peccati originalis; ideòque talis sententia, ut falsa, cũ pluribus Thom. infra reijcietur. Exquo manifestè deducitur esse omninò falsum pro casu capitis moralis non naturalis transfusivi peccati habitualis requiri influxum physicum ex parte capitis peccantis in peccatum habituale aliorum. Si 2. utpotè sine probatione relictum, illud negam. Licèt enim omnis privatio physica requirat aliquam actionem physicam: non tamen actionem physicam physicè influentem in subiectum, cui inest talis privatio: sicque contingeret in casu præsentis quæst. Nàm peccatum capitale inducens in alijs hominibus privationem gratiæ esset actio physica, physicèque voluntaria capiti morali, & physicè incomponibilis (suppositâ ordinatione divina conferendi gratiam habitualem alijs hominibus) cum ipsa gratia, ex suppositione, quòd talis homo pro se, & pro alijs peccaret peccato actuali læthali.

Sed contra hanc solutionem 38
obijc. & est præcipuum fundam. aliquorum Thomist. in manuscriptis: 5. Arg.
Ut caput possit transfundere in membra malum morale privans ea gratia, & iustitia, debet aliquomodò efficienter in eis tale malum morale causare; sed hoc prorsùs repugnat, si sit caput morale, non naturale: ergò. Prob. min. Malum; cùm iuxta Div. Thom. non habeat causam per se, sed tantùm per accidens; solùm potest causari, vel per productionem subiecti cum aliquo defectu, vel causando in illo qualitatem contrariam privantem bono proprio; sicut ignis causat malum aquæ in privatione frigiditatis consistens, per introductionem caloris: vel suspendendo concursum conservativum boni, sicut aer fit tenebrosus per defectum illuminationis; sed nullo ex his modis caput in casu præsenti posset per suum peccatum actuale influere in membra malum culpæ &c. ergò. Min. prob. In primis non causaret tale malum morale, per priùs producendo subiectum, ut supponimus; deindè causaret nõ introducendo aliquam qualitatem contrariam in membris illius, per quam expelleretur gratia habitualis; cùm ad huiusmodi introductionem requiratur influxus physicus in talia membra. Deinde. Non posset influere tale malum morale per negationem, aut suspensionem concursus influxi-

fluxivi gratiæ habitualis; cùm hæc solùm à Deo causetur, & conservetur: ergò privatio gratiæ in prædictis membris non proveniret ullo modo effectivè à capite morali, & non naturali.

Resp. neg. min. Ad illius prob.

39 Solutio. Resp. neg. maj. utpotè non enumerantem omnes modos, quibus peccatum actuale capitis moralis potest causare in alijs hominibus privationem gratiæ, sive peccatum habituale. Pro quo notandum ex Div. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 12. & quæst. 7. de Verit. art. 6. & 13. Quòd sic se habet Deus in infusione gratiæ, & eius conservatione, sicut Sol in illuminatione aeris. Undè sicut lumen in aere quòad sui existentiam, & conservationem, dependet ab actione illuminativa Solis; ita lumen gratiæ dependet in esse, & in conservari ab amore amicabili Dei, quo diligit amicabilitèr hominem: Hinc sequitur, quòd quemadmodùm; dùm ponitur aliquod obstaculum illuminationi Solis, statim cessat lumen in aere; ita similitèr, dùm ponitur aliquod obstaculum amicitiæ divinæ, sive amori, quo Deus amicabilitèr diligit hominem, statim gratia deficit esse in anima. Cùm igitur per quodlibet peccatum mortale ponatur obstaculum amori amicabili Dei; cùm odio sint Deo impius, & impietas eius; indè fit per quodlibet peccatum mortale actuale induci privationem gratiæ, in qua macula, sive culpa habitualis consistit. Ex qua doctrina efficacitèr prob. peccatum mortale actuale esse essentialitèr incomponibile cum gratia habituali, & essentialitèr conexum saltim in proprio subiecto cum macula peccati.

40 Explicat. & fundat. solutio. Deindè notandum, quòd in casu capitis moralis, non naturalis, quem in præsenti possibilem defendimus; peccatum actuale ita physicè procederet à prædicto capite, quòd etiam moralitèr ab alijs hominibus in eo contentis procederet. Undè non solùm in dicto casu verificaretur caput morale peccare actualitèr, verùm etiam reliquos homines, licet non in se ipsis, benè tamen in suo capite, cum quo sunt unum moralitèr, ut sup. dub. 2. dictum relinquimus de omnibus posteris Adami. Ex his prænotat. iàm apparet; qualitèr homo constitutus à Deo caput morale posset per suum peccatum actuale esse causa per accidens privationis gratiæ, sivè maculæ in alijs hominibus, ponendo obstaculum amori amicabili Dei infusivo gratiæ in eis. Illud enim peccatum & esset personale, & simul capitale. Undè sicuti consideratum ut personale induceret in subiecto illud eliciente privationem gratiæ, quia sub hac consideratione est obstaculum incomponibile cum eo, quod Deus amicabilitèr illum diligat: ita consideratum quatenùs est peccatum capitale, induceret in alios privationem gratiæ; cùm sub hac consideratione sit obstaculum essentialitèr incomponibile cum eo, quod Deus amicabilitèr diligat ipsum subiectum, ut caput morale, sive quod idem est, ut in se continentem moralitèr reliquos homines, tanquam membra moralia illius.

Sed contra hanc solutionem instabis. Eatenùs peccatum actuale ponit obstaculum infusioni, aut conservationi gratiæ, quatenùs constituit peccantem actualitèr dignum odio Dei, quo posito cessat, aut impeditur amor amicabilis ex parte Dei; sed in præsenti casu per peccatum actuale capitis non constituerentur membra obiectum odij Dei: ergò per tale peccatum &c. Prob. min. Priùs est aliquem in se habere peccatum, quam odio haberi à Deo. Sed peccatum actuale capitis non est in membris, donec in ipsis sit contractum ratione peccati habitualis: ergò prius est, quod membra in se inficiantur peccato capitis, quam quod odio habeantur à Deo, ponantque obstaculum conservationi gratiæ.

41 Replicab

Explic. hoc. Priùs est hominem ponere obstaculum gratiæ, quam quod Deus suspendat concursum conservativum illius, cum iuxta Concilium Tridenr. *Deus non deserat hominem, nisi priùs deseratur ab ipso*: ergò priùs est membra per peccatum actuale capitis deserere Deum, ponereque obstaculum gratiæ, quam quod Deus suspendat concursum influxivum illius. Sed membris antequam

42 Explicat.

quam existant, non ponitur tale obstaculum; siquidem hoc solum est ipsum peccatum habituale; cum peccatum capitis per se ipsum non transeat, nec ponatur in membris, sed medio suo effectu, scilicèt peccato habituali: ergo priùs probandum est ex tali capite morale descendere in membra peccatum habituale, quam asserere per peccatum actuale capitis poni obstaculum influxui gratiæ, ideòque ex illo derivari in membra peccatum habituale.

43 Solutio. Resp. negando min. Nequit enim forma communicari alicui subiecto, quin præstet effectum formalem ab ipsa inseparabilem; cum igitur denominare subiectum aliquod odio habitum à Deo, sit effectus inseparabilis à peccato actuali iuxta illud Psalm. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*; nequeunt membra moralia denominari actu peccantia per ipsummet peccatum actuale capitis; quin paritèr per tale peccatum constituantur obiectum dignum odio Dei; proindeque quin de ipsis verificetur ponere obstaculum influxui gratiæ: non quidem per peccatum propria voluntate commissum, sed voluntate capitis, quæ moraliter reputatur voluntas ipsorum. Nec est verum; peccatum actuale capitis non esse in membris ante contractionem peccati habitualis. Nam modus, quo prædictum peccatum est in illis, & ab illis, præcisè est per influxum moralem ratione continentiæ suarum voluntatum in voluntate capitis; cumque talis continentia, & unio moralis voluntatum præcedat existentiam physicam membrorum; sicut & transgressio præcepti facta à capite: ante contractionem peccati habitualis denominantur membra peccantia peccato actuali capitis. Undè licèt posteri descendentes ex Adamo successivè contrahant in se peccatum originale, simùl tamen ab illo instâti, quo Adamus peccavit, fuerunt moraliter peccantes in Adamo, ut supra nos docuit dub. 2. à num. 21. Magnus Parens Augustinus.

44 Ad explic. Ad explic. concess. 1. conseq. neg. min. subsumpt. Sicut enim peccatum actuale capitis, ut physicè procedens ab illo, est obstaculum gratiæ in ipso; ita idem peccatum, ut moraliter procedens à membris, est obstaculum gratiæ infundendæ ipsis, quãdo in rerum natura producuntur. Nec verum est solum peccatum habituale posse esse in membris obstaculum gratiæ; quemadmodum falsum est dicere solum peccatum habituale in capite esse obstaculum, & impedimentum gratiæ. Nisi velis duplex obstaculum, aut impedimentum distinguere, unum formale, alterum causale; ex quibus primum verificetur solum de peccato habituali: Secundum vero de peccato actuali. Quod explicari potest interpositione corporis opaci, quæ quidem est impedimentum causale luminis; umbra vero ex illa proveniens impedimentum formale. Ad id, quod additur, scilicet, peccatum actuale capitis non transire in membra, nisi medio peccato habituali ab ipsis contracto. Resp. Id esse verum loquendo de transitu activo, & per modum causæ efficientis; falsum tamen; loquendo de transitu per modum formæ denominantis prædicta membra actualiter peccantia. Huiusmodi enim transitus habetur ratione continentiæ illorum in voluntate capitis: quiquidem transitus præcedit contractionem peccati habitualis, & potest ab illa separari, ut contigit in Beatissima Virgine, quæ etsi iuxta plures peccaverit in Adamo; non tamen in seipsa contraxit peccatum originale.

§. IV.

Qualis esset consensus tunc translatus à Deo; & An miraculosus?

45 Arguit. OBijcies. Ideò posset dari caput morale, estò non naturale, traductivum peccati, quia Deus ob supremum dominium potest ponere consensum aliorum hominum in voluntate alterius, ita ut quod iste faceret, ab alijs existimaretur factum. Sed hæc ratio est nulla: ergò. Prob. min. Deus in dicto casu, vel poneret in Petro capite morali v. g. consensum aliorum hominum licitum, & honestum, vel consensum pravum, & dec-

peccaminosum? Si primum: ergò estò Petrus peccaret abutens consensu, & morali potestate aliorum; ipsi tamen neutiquam peccarent peccato Petri: quemadmodùm Procuratore abutenti consensu, & facultate data ad finem honestum, non peccat ille, qui Procuratori facultatem dedit. Si secundum: ergò Deus absque concursu voluntatis creatæ, illumque supplens posuit in Petro v. g. consensum peccaminosum aliorum hominum, proindèque se solo causabit malitiam talis consensus. Quod est absurdum, & ex quo sequitur aliud, scilicèt, alios homines denominari actu peccantes antequam Petrus, qui erat caput morale, peccaret; cum ante peccatum illius liberè consensissent moralitèr in peccatum Petri futurum; quiquidem consensus absdubiò est peccatum.

46 Si fortè Resp.

Si dicas. Deum non ponere in Petro v. g. liberum consensum aliorum honestum, vel pravum, sed tantum facultatem, & potestatem moralem ad operandum nomine ipsorum observando, vel frangendo præceptum, quam facultatem possent ipsi homines liberè tribuere Petro v. g. si à parte rei existerent cum usu liberi arbitrij. Contra est 1. Implicat Deum ob supremum dominium posse collocare in Petro v.g. voluntatem aliorum hominum in ordine ad observationem, vel fractionem præcepti: ergò implicat doctrina solutionis. Anis. prob. Implicat Deum collocare in voluntate Petri v. g. voluntates aliorum hominum in ordine ad id, ad quod ipsi, si existerent, non possent licitè transferre; sed nemo potest licitè transferre suam voluntatem, & facultatem moralem in alterum cum indifferentia ad bonum, vel malum; ad observationem, vel violationem præcepti. Tùm quia hoc esset velle saltim disiunctivè peccatum, quod licitum non est. Tùm quia si ego v. g. tribuerem alteri meam potestatem ad electionem, sive digni, sive indigni certè peccarem: ergò. Secundo. Secundo ex hoc ipso. Nequit Deus ut A. specialis transferre voluntates hominum in voluntatem alterius, nisi in ordine ad actum, & finem honestum: ergo nequit illas transferre, nisi determinatè in ordine ad observationem præcepti: ergò in casu, quo homo constitutus caput morale peccaret; abuteretur potestate, & voluntate aliorum hominum ea ratione, qua fuit à Deo translata: ergò solus ipse peccaret, non vero alij homines: ut constat in eo, qui abutitur facultate honesta, & ad finem honestum determinatè ei ab altero data.

47 Solutio.

Resp. solutione data. Ad eius impugnationem dicimus in dicta trãslatione distingui oportere, & finem illius, & rem translatam; finis enim illius esset observatio præcepti, & infusio gratiæ in alijs hominibus, ad cuius consequtionem eligeret huiusmodi translationem, & obligationem præcepti pro se, & pro alijs, pactumque celebraret. Si autem consideretur res translata moraliter, hæc esset voluntas aliorum indifferens de se ad rectè, & pravè operandum. Ex quibus constat Deum licitè, & ut Authorem specialem potuisse operari huiusmodi translationem; licitum enim est voluntatem de se indifferentem ad rectè, vel pravè operandum, ad observandum, vel violandum præceptum; transferre in voluntatem alterius, ut nomine illius observet præceptum, sitque moraliter obligata ad prædictam observationem.

48 Cuidam inst.

Sed adhùc instistes interrogando: *An Deus transferret aliorum voluntates unicè, ut observarent præceptum, vel indifferentèr, scilicèt, ut illud observarent, vel frangerent?* Resp. Quod eas transferret, ut observaret præceptum, liberè tamen; ad quod ex natura rei consequitur, quod si omittat actum præceptum, ad quem tenebatur caput morale nomine ipsorum imputetur, eis etiam ad culpam; sicuti ex suppositione ordinationis divinæ obligantis hominem ad elicientiam actus medio præcepto, ex natura rei consequitur, quod si omittat actum, ei imputetur ad culpam. Nec obstat, quod si ipsi possent, solum transferrent suam voluntatem, ut unice pro casu observationis præcepti operaretur pro illis. 1. Quia talis volitio esset incomponibilis, si aliàs vellent esse obligati in alio ad obser-

vã-

vationem præcepti. 2. Nàm plura licent Deo, & non creaturis; istæ enim tenentur nolle efficaciter peccare in se, aut in alio, non autem Deus.

49 Secund. argum.

Obijcies 2. Peccatum unius hominis imputari alteri, qui non continetur in illo, tanquam in capite naturali, nequit contingere attentis naturis rerum, & loquendo de potentia ordinaria; cum huiusmodi imputatio usque modo nec visa sit, nec experta; sed hoc ipso nequit etiam inspecta potentia Dei absoluta cõtingere: ergò. Prob. min. Si talis imputatio loquendo ex natura rei; sive de potentia ordinaria possibilis non est, solum contingere potest Deo miraculosè operante; sed implicat Deum miraculosè operari, ut peccatum unius imputetur alteri; aliàs respectu talis imputationis non se haberet, ut provisor generalis, sed ut causa specialis illius: ergò.

50 Argum. ab omnib debet solvi.

Resp. Hoc argumentum instatur in præsenti providentia, iuxta quam parvuli contrahunt peccatum originale. Nàm etsi Deus non miraculosè constituerit Adamum caput morale transfusivum sanctitatis, & iustitiæ originalis in posteros, si observaret præceptum ei impositum; secus vero si illud violaret; negari tamen nequit in hoc Deum ut provisorem specialem, adhùc intra ordinem supernaturalem, se habuisse. Excedit enim exigentiam, & communem concursum rerum, sanctitatem unius hominis derivari ad ferè innumeros parvulos pro instanti suæ conceptionis sub conditione alicuius præcepti, sicut & peccatum illius derivari ad eosdē, per quod constituantur inimici Dei, dignique pœna æterna independenter ab illorum proprio consensu, & voluntate. Igitur negari nequit Deum exercuisse specialem providentiam, imò ut specialem benefactorem, se gessisse in constitutione Adami in esse capitis moralis, & in promissione, & pacto cum ipso celebrato. Quo supposito sic instatur argum. Sicut enim repugnat Deũ miraculosè operari ad hoc, ut peccatum unius imputetur alteri, ita ad hoc ipsum exercere providentiam specialem. Sed hoc non obstante in præsenti providentia non infertur Deum esse plusquam permissorem peccati originalis parvulorum: ergò nec ex tali operatione miraculosa Dei infertur &c.

51 Respond. directe.

Quapropter pro omnibus Resp. Dupliciter posse concipi aliquem hominem non peccare peccato personali, vel capitali, nisi Deo peculiariter, aut miraculosè operante; vel ita ut talis operatio specialis, aut miraculosa ordinetur ad finem bonum, & honestum de se retrahentem à peccato, & absquo ulla ordinatione, & connexione cum ipso; vel ita ut prædicta operatio Dei conducat, & ordinetur ad peccandum. Si hoc modo concipiatur operatio aliqua specialis, vel miraculosa ex parte Dei, fatemur illam esse repugnantem; siquidem faceret Deum esse A. peccati. Si autem primo modo consideretur, nulla in ea apparet repugnantia, nec ex illa infertur Deum esse A. peccati; cum ex vi illius, nec determinaret, nec inclinaret hominem ad peccandum, sed potiùs ad non peccandum. Huiusmodi autem se haberet operatio miraculosa Dei in tali providentia contingens; consisteret enim miraculum in eo, quod Deus uniret voluntatem aliorum voluntati alterius ut capiti morali, à quo non dependerent tanquam à capite naturali. Cæterùm, cum huiusmodi transfusio voluntatum, & constitutio capitis moralis, non ordinaretur ad operandum, nec ad illud ullo modo positivè inclinaret, sed potiùs ad hoc ut observaret præceptum, & existente tali observatione transfunderet gratiam habitualem: indè fit pro casu, pro quo prędictum caput morale peccaret, Deum non esse causam specialem peccati, sed tantum illius permissorem. Quæ solutio confirmari potest aliquibus exemplis unicuique facilè occurrentibus. *Et hæc de hoc dub. applicand. ubi præced.*

DU-

DUBIUM V.

AN POSSIT ALIQVIS CONSTITVI caput morale respectu hominum iam existentium, & habentium usum rationis?

§. I.

RESPONDETUR AFFIRMATIVE.

N. 1 SUppositò ex præcedentibus caput morale transfusivum peccati originalis in alios, non requirere necessario esse caput naturale ipsorum: ratio probativa ibi desumpta ex supremo dominio Dei efficacitèr probat partem affirmativam. Quatè non admittimus discrimen traditum ab aliquibus AA. quos dub. antec. retulimus num. 10. Ratio enim supremi dominij in Deo supra voluntates hominum talis est, ut pro suo libito possit in ordine ad quemcumque effectum cuiusvis voluntatem alligare voluntati alterius, ita ut, quod alter vult, censeatur volitū ab illo, cuius voluntas est alteri alligata: & actus, quos unus physicè elicit, censeantur moralitèr eliciti ab alio. Hac enim ratione diximus dub. 2. peccatum Adami fuisse moralitèr parvulis voluntarium, eo quod cum voluntas Adami fuerit moralitèr voluntas omnium posterorum per transfusionem, sive unionem factam à Deo, eo ipso quod Adamus præceptum sibi ut capiti impositum non observavit, illius posteri transgressores eiusdem præcepti extiterunt. Tùm sic. Sed huiusmodi supremum dominium Dei æquè se extendit ad homines existentes in rerum natura, sive habeant, sive non, usum liberi arbitrij: igitur potest Deus constituere aliquem hominem caput morale transfusivum peccati &c.

Prob. ratione.

Accedit ad hoc ratio adducta dub. anteced. in 1. confirm. num. 12. Si enim propter dominium, quo quis gaudet supra proprium consensum, potest committere voluntatem suam voluntati alterius, ut negotium aliquod gerat, vel contractum ineat; vi cuius obiectum physicè volitum ab uno homine existimetur moralitèr volitum ab alijs. Multò magis poterit Deus propter supremum dominium supra voluntatem adulti, independentèr à proprio consensu illam collocare, & unire moralitèr voluntati alterius, à quo physicè non procedit. Admissa autem huiusmodi translatione morali, ut possibili, facilè percipitur, qualitèr peccante capite morali, possit ex peccato illius derivari peccatum habituale ad alios, quorum voluntates fuerunt moralitèr translatæ. Potest enim Deus cum homine sic constituto in esse capitis moralis pacisci hoc modo: *Si observaveris præceptum *A* v. g. dabo tibi, & alijs hominibus gratiam habitualem; secùs verò, si prædictum præceptum violaveris.* In quo casu tali homine peccante, carentia gratiæ, quæ daretur in Petro v. g. esset ei terminativè voluntaria; proindèque peccatum habituale, quod modo supponitur in privatione gratiæ voluntaria consistere.

2 Alia ratio.

Ra-

Ratio est: Nàm talis privatio gratiæ ortum duceret ex voluntate transgressionis præcepti provenientis à capite morali; cumque prædicta voluntas ratione transfusionis moralis à Deo factę esset moraliter voluntas cęterorum, talis carentia gratiæ esset eis voluntaria, licèt non in seipsis, secus vero in capite morali. Sed ut dicta melius percipiantur.

§. II.

Solvitur argumentum speciale pro adulto habente usum rationis.

3 SI aliquis posset constitui caput adulti, qui gauderet propria voluntate, in ordine ad peccatum furti v. g. ita ut capite peccante, adultus quoque peccaret in illo; sequeretur fore possibile, ut simul modo dicto peccaret, & diligeret Deum super omnia propria voluntate: hoc repugnat: ergò. Sequela constat, quia talis adultus etiam in dicta suppositione posset gaudere libertate ad diligendum Deum super omnia; proindeque posset se exercere per actum dilectionis. Falsitas autem sequelæ constat. Tùm, quia sequeretur posse aliquem simul actu peccare, & actu diligere Deum sup. omnia. Tùm quia sequeretur posse aliquem efficacitèr odio habentem peccatum furti, illud committere. Quæ omnia videntur absurda: ergò. Ad hoc argum. Resp. aliqui concedendo posse contingere aliquem voluntariè in suo capite morali furari, & propria, & personali voluntate illud execrari, effeque invitum personalitèr in furando; voluntariũ vero in capitis voluntate: huiusmodi enim denominationes, etsi videantur incomponibiles, reverà non sunt eo, quod convenirent eidem subiecto sub diversa ratione scilicèt, prout in capite, & prout in seipso.

Arguitur

Prima solut.

Hæc tamen solut. reijcit. 1. Nàm ex illa sequitur posse aliquem diligere 4 Deum sup. omnia propria voluntate, & simul voluntate capit. odio habere Deum; sed hoc videtur absurdum: ergò. Mai. const. Nàm non minùs opponuntur volitio furandi, & volitio efficax non furandi, quam amor, & odiũ: ergò si illæ duæ volitiones &c. Min. vero pr. Quia impossibile est aliquem hominem odio haberi à Deo, prout in suo capite morali, & simul diligi amicabilitèr prout in seipso. Sed hoc sequeretur, si vera esset min. supra dicta; cum Deus diligat diligentes se, & odio habeat eos, qui operãtur iniquitatem: ergò. 2. & redditur ratio à priori: Nàm ut quis peccet in suo cap. morali, eiusque peccatum imputetur illi; requiritur, quod sit ipsi saltim moraliter voluntarium, ut ex sup. dictis satis constat. Sed implicat peccatum aliquod esse moraliter voluntarium subiecto illud efficacitèr nolenti, & positivè illud efficacitèr per actum dilectionis Dei sup. omnia retractanti: ergò.

Reijcit. 1

Secundo.

Hac igitur solut. omissa Resp. neg. sequel. ob rationem sup. daram. Nec enim potest prudenter existimari esse voluntarium peccatum subiecto illud efficacitèr retractanti, aut nolenti; cum unũ ex fundamentis ad interpretandã voluntarem velle aliquod obiectũ sit carentia nolitionis efficacis erga illud. Ut autem quis peccet actualiter in suo capite, necesse est peccatum, quod est physicè voluntarium prædicto capiti, esse moraliter voluntarium membro morali illius. Nec obstat voluntatem adulti fuisse pro priori translatam in voluntatem capitis. Non inquam obstat: Nàm vi divinæ translationis nequit peccatum capitis esse magis volũtarium adulto, quam si fuisset translatio facta per propriam voluntatem. Et tamen si quis voluntatem suam transferret in aliũ, quòad percussionem alicuius v. g. si antequam ille alius percuteret, retractaret suum consensum, illumque efficacitèr execraretur; nullatenùs ei in foro cõscientiæ imputaretur, nec ipsi esset moraliter voluntaria.

5 Solutio vera, & communis.

Sed dices 1. Etiamsi adultus contentus in alio tanquam in capite morali 6 ignoraret invincibiliter suum caput peccare, illo peccante adultus peccaret in suo capite: ergò idem dicendum, etiamsi nolet efficacitèr peccatum capitis, illudque propria voluntate efficacitèr detestaretur. Prob. conseq. Non minùs repugnat esse moraliter voluntarium alicui peccatũ illud, quod efficacitèr detestatur, quã illud, quod invincibiliter ignoratur; cũ ignorantia invincibilis causet omninò

Instab.

Secundo. involuntarium : ergò &c. Secundo. Voluntas adulti sic efficacitèr retractantis, vel fuit absolutè translata in suum caput morale, vel tantùm conditionatè, si scilicèt, propria voluntate non resistat peccato capitis? Si primum: ergò quod absolutè verificatur de capite morali, verificatur etiam de voluntate adulti; proindèque absolutè peccaret in capite. Si secundum: ergò Deus ratione supremi dominij nequit constituere aliquem hominem caput morale simplicitèr, sed tantum secundùm quid respectu adultorum. Conseq. patet: Nàm ratio capitis moralis simplicitèr, & absolutè talis, requirit translationem aliorum absolutam, & simplicitèr talem: ergò.

7 Resp. conc. antì. neg. conseq. cuius falsitas constat in parvulis peccantibus in Adamo, in quibus dùm ipse pec-
Resp. ad 1. cavit, nec fuit cognitio ulla personalis, nec volitio; proindèque plusquam ignorantia invincibilis personalis peccati Adami. Et tamen si per impossibile aliquis parvulus retractaret efficaciter suum peccatum diligendo D: super omnia, tale peccatum pro instanti, pro quo peccavit Adamus, nec esset ei moraliter voluntarium, nec peccatum originale in seipso contraheret. Undè plùs obstat ad peccandum in capite retractatio efficax personalis, quam ignorantia invincibilis personalis; siquidem cum hac componitur cognitio, & volitio capitalis; cum illa vero neutiquam componitur caput morale peccare pro illo.

8 Ad 2. Resp. conc. 1. p. dilem. Translatio enim absoluta voluntatis unius
Ad 2. in voluntatē alterius est independens ab eo, quod illius caput morale actualiter peccet, & ab eo quod alter peccet etiā in suo capite; cū posita tali translatione possit Deus conferre auxilium efficax capiti morali ad observationem præcepti, & transfusionem gratiæ. Ex quibus sequitur talem hominem, in quem aliorum voluntates trāslatę forent, esse simplicitèr, & absolutè caput morale. Nec ex hoc sequitur, quod capite peccante adultus efficaciter detestans tale peccatum, peccaret in capite. Ratio est: Nàm ultra continentiam absolutam voluntatis unius in voluntatem alterius, & constitutionem absolutam in esse capitis moralis, requiritur ad imputationem peccati, quod caput applicetur ad operandum secundùm quod est contentivum moraliter voluntatis personalis aliorum. Quod non posset verificari de illo, cuius voluntas, etsi in alio contenta moraliter, efficacitèr resisteret usui, & pravæ applicationi capitis ad peccatum.

9 Quare (ut aliæ instantiæ solvantur) sic se gereret Deus in constitutione huiusmodi capitis moralis formando plura decreta efficacia, vel unum se-
Modus decernendi in tali casu. cundùm diversas terminationes. 1. volendo efficaciter transferre voluntates aliorum in voluntatem capitis, conferendo ei omnia principia ad rectè operandum, & imponendo ipsi præceptū de recta operatione. 2. Paciscendo, aut determinando sub cōditione observationis præcepti infusionem gratiæ in suis membris, secùs vero si præceptum violaret. His ergò constitueretur ille homo caput morale, & cum potentia expedita ad peccandum pro se, & pro alijs. Similitèrque isti intelligerētur potentes moraliter peccare, vel non, in suo capite. Sed quia nemo potest rectè, vel pravè operari, nisi Deo efficacitèr volente rectam operationem, aut permittente pravam: ultra decreta sup. assignata, necessarium erat Deum permittere peccatum capitale, ut caput peccaret, vel donare auxilium efficax, ut observaret præceptum. Deind. Cum in supremo dominio Dei esset, nō obstante tali translatione * conferre cuilibet personæ particulari auxilium efficax ad detestationem peccati eliciti à suo capite; si sic se gereret Deus, estò permitteret caput morale peccare; non tamen pro illo, qui efficacitèr eius peccatū detestaretur; sed pro alijs, quibus prædictum auxiliū efficax denegasset.

* Quia manet quasi in suspenso ut aliter pro suo libito disponet circa mēbra.

Idem suo modo dicendum pro casu, quo decerneret efficacitèr caput morale observare præceptum, & simul permitteret aliquem hominem voluntate personali peccare. Huic enim ob tale peccatum nō daretur gratia habitualis prævisa sub conditione observationis præcepti. Deus enim ita promisit gratiam infundendam alijs hominibus sub conditione observationis præcepti; ut simul includeret conditionem

10

nem

nem de eo,quod prædictum caput morale illud impleret, prout erat caput morale operans in actu 2.nomine aliorum,quæ conditio non poterat verificari,usquedùm Deus decerneret non permittere peccatum actuale homini, qui pro priori erat contentus in suo cap.morali. Ex quibus solvitur instantia sub sequenti forma proposita. Implicat promissionem conditionatam Dei nō adimpleri per positionem eius, quod promittit purificata conditione; sed Deus suppositā translatione voluntatum promisit infusionem gratiæ alijs hominibus;si caput eorū morale observaret præceptum : ergò implicat posita tali observatione non infundi eis gratiam:aut dicendum Deum illis non posse permittere peccatum actuale.Solvitur inquam : Nam ultra talem conditionem est alia ibi subintellecta, scil. *Si dùm observaveris præceptum,observaveris illud,ut formaliter contentivum aliorum, & nomine ipsorum*;quæ conditio deficeret pro casu, pro quo aliquis peccando personaliter resisteret positivè voluntati capitali,& infusioni gratiæ.

Instabis.

Respond.

11 Dices 3.Potest Deus obligare voluntatemadulti in suo cap.etiamsi adultus renuat talē obligationem:ergò pariter quamvis ipse efficacitèr retractaret peccatum capitis,posset peccare in capite.Prob. conseq. Ideò 1. est verum, quia Deus in obligando adultum in capite non requirit consensum ex parte illius;&hoc ob supremum eius dominium;sed ut transferat voluntatē adulti in voluntatem capitis, hæc eadē ratio militat:ergò si obligatio capitis est moralitèr obligatio adulti,etiamsi tali obligationi positivè resistat; pariter peccatum capitis erit peccatum adulti, etiamsi illud efficacitèr retractet.

Instab. 3.

Solutio. Resp.Rationem discriminis esse : quia obligatio legis non petit esse subiecto, cui imponitur phyticè, aut moralitèr voluntaria ; ut autem peccatum aliquod cuicumque subiecto imputetur, requirit necessariò esse ei saltim moralitèr voluntarium:quę voluntarietas nequit componi cum efficaci retractatione,& nolitione erga peccatum capitis.Accedit ad hoc,quod etiamsi ipsum caput morale renueret talem obligationem, adhùc maneret obligatus; & tamen non posset peccare nolendo efficacitèr peccare.

§. III.

Quid dicendum de parvulis, & adultis sanctificatis per gratiam?

OBijcies 2. Ex alio inconvenienti. Si Deus posset voluntatem adulti collocare in alio tanquam in capite morali(& idem dicendum de parvulo) ita ut illo peccante adultus peccaret; id ipsum concedendum est etiamsi iustus, & sanctus existat ; sed hoc repugnat:ergò.Mai. constat. Nàm supremum dominium Dei sup.voluntates hominum æquè se extendit ad adultum, sive peccatorem, sive sanctum. Min. vero prob. 1. Nam si illud posset contingere,sequer: Deum posse auferre gratiam suam ab eo,quia eam habet,etiamsi nō peccaret propria voluntate;cum peccatū habituale, quod contraheret ex capite peccante, sit incomponibile cum gratia sanctificante. Atqui repugnat Deum auferre gratiam ab aliquo, antequam peccet propria voluntate;cum iuxta Apostol. ad Rom.11. *Sine pœnitentia sint dona, & vocatio Dei*: ergò. 2. Nam iuxta Trid. *Deus semèl iustificatos sua gratia non deserit,nisi prius deseratur ab eis.* Sed huiusmodi desertio fit per peccatum actuale ab ipsis commissum:ergò implicat Deum privare gratia sanctificante adultum sine peccato personali præcedente,& solum ob peccatum capitis.

12

Ratio pro parte negativa.

Propter hoc P.Suarez asserit adultum existentem in gratia (& idem de parvulo iam sanctificato) non posse constitui in alio tanquam in cap. morali,ita ut ex peccato illius derivaretur ad prædictum adultum peccatum habituale.Ita disp.9.de pecca.sect.4.Cui consentit ex parte P.Vazquez dis.133. c.3.n.11.loquens de adulto iustificato per proprios actus.Quia licet tùnc casus posset privari gratia ob peccatum Parentis;maneret tamen sanctus ex vi operum, quibus antea fuisset sanctificatus, & gratiam, & gloriam de condigno promeruisset. Quapropter loquendo de parvulo sanctificato, & de adulto iusto absque proprijs actibus, concedit ex peccato cap.derivandum

13

Succumb P.Suarez & Vazq. ex parte.

fore ad ipsos peccatum habituale eos privans gratia,& sanctitate.Cui modo dicendi subscribit Meratius disp. 14. de peccat. sect. 2.

14 Sed discrimen assignatum à P. Vazquez nullius roboris est. 1. Nàm Deus non minùs gaudet supremo dominio supra voluntatem adulti, etiam si ad gratiam per actum charitatis se disposuerit, & actus meritorios exercuerit; quam si à Deo fuerit iustificatus sine huiusmodi dispositione, & absque eo, quod aliquem actum meritorium exercuerit: ergò sicut potest voluntatem illius transferre in voluntatem alterius, ita ut altero peccante, peccaret in illo (proindèque peccatum habituale ex ipso contraheret) idem dicendum &c. Secundo: Nàm falsum est adultum constitui sanctum per actum charitatis, per quem disponitur ad gratiam habitualem, aut per actum charitatis ad ipsum subsequtum, per quem meretur augmentum gratiæ, & gloriæ. De quo latè Theolog. contra ipsum tract. de iustificatione: ergò ratio discriminis ab illo assignata falsò inititur principio.

Impugn. Vazquez. 1.

Secundo.

15 Tertio.& principaliter.Iuxta doctrinam P.Vazquez,Capite morali peccante, adultus iustificatus dependentèr à proprijs actibus, charitatis scilicèt,vel contritionis, privaretur gratia habituali ob peccatum capitis.Sed huiusmodi privatio gratiæ esset peccatum habituale: ergo contraheret peccatum habituale: Cumque hoc iuxta sententiam P. Vazquez pugnet essentialitèr cum omni sanctitate,prædictus adultus nullo modo maneret sanctus. Prob. min. Privatio gratiæ habitualis voluntaria voluntate capitis est peccatum habituale; cum talis privatio sit macula relicta ex peccato actuali. Tũ quia privatio gratiæ habitualis voluntaria saltim moralitèr, & voluntate capitis,est aversio habitualis à Deo,ut fine ultimo voluntaria moralitèr. Sed huiusmodi aversio nequit non esse mala.& peccaminosa: ergò esset peccatũ habituale.Deinde:Nàm privatio iustitiæ originalis,quæ modo datur in parvulis,est peccatum habituale, etsi soliũ sit voluntaria voluntate capitis;sed privatio gratiæ, & iustitiæ in adulto esset eiusdem rationis cum illa, tàm ut voluntaria, quam secundum oppositionem ad legem: ergò esset peccatum habituale.

Tertio.

16 Ex hac doct.reijcitur limitatio assignata à Meratio negante possibilitatẽ casus in adulto,qui promeruit augmentum gratiæ,& gloriæ; qui etsi ob peccatum capitis posset privari 1.gratia,non tamen illa parte gratiæ, quam suis actibus promeruisset. Ad contractionem vero peccati habitualis requiritur privatio omnis gratiæ: ideòquè tùnc casus non contraheret peccatum habituale.Reijcitur inquam.Nàm contractio peccati habitualis consequitur ex natura rei ad hoc,quod est peccare actualitèr in cap.huiusmodi autem modus peccandi provenit, ex quo Deus voluntatem unius collocet in voluntate alterius, eique sic constituto in esse capitis moralis peccatum permittat. Atqui Deus ob supremum dominium,quo sup.omnium hominum voluntates gaudet, non minus est potens transferre voluntatem adulti,qui promeruit augmentum gratiæ,& gloriæ,quam eius, qui actum meritorium non exercuisset:ergò ex capite morali peccante contraheret peccatum habituale.2.Quia si Deus adultum,qui augmentum gratię promeruisset,posset ob peccatum capitis illum privare parte gratiæ independentèr à merito illius infusæ,posset illum punire pœna spirituali, & satis gravi,ut de se constat; sed hoc repugnat, nisi sit particeps peccati procedentis à cap. morali, ut expressè docet D.Th.1.2.q.87.a.8.ergò fatendum est peccatum actuale capitis moralis esse moraliter voluntarium adulto, etiamsi actus meritorios elicuisset. Hoc autem concesso debet etiam concedi contractio peccati habitualis. Deniq; quia si benignitati Dei, eiusque bonitati, non opponitur aliquem privari tota gratia infussa sine propria dispositione;nec paritèr opponitur privari illo gradu gratiæ, quem suis actibus promeruit.

Impugn. Meratius 2.

Secundo.

Ultimo.

17 His ergò solution. omissis Respond. concedendo sequelam inspecta potentia absoluta, & supremo dominio Dei. Si enim Deus de facto propter peccatum primi Parentis posteros protùnc impotentes peccare, eos pœna æterna dignos existima-

Vera solutio.

mavit. illoſque à ſu amicitia poſitivè repulſit, antequam aliquid boni, vel mali egiſſent; & hoc quidem abſque aliqua nota, aut etiam ſpecie crudelitatis: ſine ſimili inconvenienti concedi poteſt Deum poſſe hominem iuſtum in voluntate alterius tanquam in capite morali collocare; huicque peccatum permittere, per quod denominetur alter moralitèr peccans, & ex conſequenti contrahens peccatum habituale omni gratia, & ſanctitate illum privans. Nec contra hoc faciunt probationes adductæ in contra. Occurritur prob. argum. Nàm hominem Deum deſerere, abutique dono gratiæ ſibi collatæ; dupliciter contingere poteſt; vel deſertione, & abuſu proprio, & perſonali, eique phyſicè voluntario; vel deſertione capitali, ipſique purè voluntaria moralitèr, quatenùs conſideratur, ut membrum alicuius capitis moralis. Licet igitur de facto repugnet Deum auferre ſua dona, hominemque deſerere, niſi deſeratur priùs ab illo, aliquo ex his modis; non tamen requiritur attenta potentia abſoluta Dei præcedere deſertionem determinatè voluntariam perſonalitèr. Undè prædictæ authoritates ſolùm convincunt iuxta præſentem providentiam; cùm etiam iuxta communem Theologorum ſententiam Deus poſsit auferre ab homine iuſto gratiam habitualem independentèr ab omni peccato, & ipſum iuſtum privare in æternum beatitudine ſupernaturali. Ad quod reſpiciens Div. Auguſtin. ſup. Pſalm. 70. dixit: *Si Deus damnaret iuſtum, quis ei diceret, quid feciſti?* Quanta ergò miſericordia, ut ſanctificet iniuſtum. * Ad idem faciunt illa verba Apoſt. ad Roman. *9. An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa &c.* Dices: Gratia habitualis eſt eminentèr retractatio peccati. Tùm quia eminentèr continet dilectionem. Tùm quia hac ratione ſe ſola infuſſa deſtruit peccatum habituale: ergò ſi voluntariè retractans non contrahit peccatum, nec iuſtus. Reſp. Hoc probare hominem iuſtum in *A* non poſſe peccare in capite protùnc; ſecùs autem nõ peccare in cap. pro *B*, pro quo non erit iuſtus.

§. IV.

Quid dicendum de voluntate Chriſti Domini, & beatorum?

QUia Adverſ. inferunt ex noſtra ſententia ſequi poſſe etiam Deum utentem ſupremo dominio collocare voluntatem Chriſti D. vel ſaltim voluntates beatorum in voluntate alterius hominis, eique hac translatione ſuppoſita permittere peccatum; proindèque debere concedi ut poſsibile inſpecta potentia abſoluta Dei, Chriſtum D. vel ſaltim quemlibet beatum poſſe peccare actualitèr in capite, & ex illo derivari peccatum habituale eos in propria perſona inficiens. Quod quidem inconveniens nõ ſine ingenti temeritate concedi valet. Ut huic difficultati occurramus. 15

Dicendum 1: Loquendo de humanitate Chriſti Domini idem argumentum poſſe fieri, etiamſi fuiſſet formata ex virili ſemine, & contenta in Adamo ſecundum ſeminalem propagationem: quod igitur Adverſ. reſpondeant pro illa hypotheſi, dicimus, & nos pro caſu præſenti. Sed pro omnibus Reſp. cum M. Bolivar. tract. de impeccabilitate Chriſti dub. 4. §. 3. humanitatem unitam hypoſtaticè Verbo in inſtanti generationis, nec poſſe contrahere peccatum originale propter oppoſitionem huius cum ſanctitate unionis; neque debitum contrahendi peccatum originale; nec peccare in Adamo. Ratio eſt: Nàm voluntas impotens antecedentèr poſitivè ad peccandum non poteſt in alio peccare; ſolum enim voluntates peccabiles poſſunt transferri moraliter in voluntatem alterius, ira ut illo peccante, cæteri prudentèr exiſtimentur peccare. Sed voluntas Chriſti Domini pro quacumque hypotheſi eſt antecedentèr poſitivè impotens ad peccandum: ergò. 19 Reſp. negativè. Probatio

Nec obſtat 1. quod in dicto caſu humanitas Chriſti contineretur in Adamo, tanquam in capite. Si ergò nos peccavimus in Adamo, quia fuimus in illo, tanquam in cap. idem dicendũ de Chriſto D. cuius humanitas eſſet formata per ſeminalẽ propagationem. 2. 20 Duplici inſtant. occurritur.

Nàm etiam parvuli in instanti conceptionis sunt impeccabiles, utpotè carentes usu rationis; & tamen omnes peccaverunt in Adamo: ergò etsi Christus D.&c Non inquam obstat: Nàm tùnc casus solum cõtineretur in Adamo tãquam in capite naturali, non tamen morali, in quo, cum posset pro se, & pro alijs peccare, & non peccare, solum fuerunt tanquam in capite morali voluntates de se indifferentes ad peccandum. Ad 2. Resp. 1. impeccabilitatem parvulorum pro instanti suę conceptionis provenire ex imperfectione, scilicèt ex defectu usus rationis; non autem ex aliqua perfectione sanctitatis excludentis, tùm peccatum; tùm potentiam antecedentem ad peccandum, & huiusmodi est impeccabilitas conveniens humanitati Christi D. Resp. 2. Voluntates posterorum non fuisse contentas moraliter in Adamo, prout considerãtur secundum statum, quem habere poterant pro instanti suæ conceptionis, sed pro alio tẽpore, quo gauderent usu rationis, & liberi arbitrij: sub quo statu sunt, & præsciuntur à Deo, ut peccabiles. Sed tamẽ quia erant in illo ut in capite naturali, & peccatum derivandum erat per generationem; ideò illud contrahunt in instanti suæ conceptionis. Oppositum verò contingit in humanitate Christi Domini.

Ad 2. respond. 1.

Secundò.

21 Ex quibus constat; cùr repugnet voluntatem Christi Domini transferri moraliter in voluntatem alterius; ut capitis moralis; ita ut illo peccante humanitas Christi Domini posset in ipso peccare. Si enim hoc repugnat, etiam si Christus Dominus contentus fuisset in Adamo tanquam in capite naturali ob rationem sup. assignatam: cùr non idem dicendum pro omni casu? Accedit ad hoc, quod aliquem peccare in suo capite morali, est peccatum actuale illius, esse ei moraliter voluntarium; nequit autem dici peccatum aliquod moraliter voluntarium subiecto, cui simpliciter repugnat potentia antecedens ad peccandum. *Tũ quia si adultus execrans efficacitèr peccatum sui capitis moralis non peccaret in illo ut sup. diximus; cum unio hypostatica sit eminentèr retractatio efficax omnis peccati, utpotè perfectissima sanctitas, repugnat humanitatem unitam hypostaticè Verbo Dño. pro aliquo casu peccare in capite.

Prosequitur assum.

* S D. sup. Matth. 1. lit. E difficilia profert. Illa expone iuxta hàc provid. & exmeritis naturæ.

Consequentèr ad hæc dicendum 22
de beatis, scilicèt, eos non posse collocari in alio, tanquam in cap. morali in ordine ad demeritum, sive peccatum; ita ut non solũ non contrahant peccatum aliquod habituale in seipsis, verumetiam, nec verificari possit eos in capite peccare. 1. Quia beati sunt ab intrinseco impotentes antecedentèr ad peccandum, ut cum Aug. Præc. docent eius discipuli. Tùm quia visio beatifica est eminentèr retractatio efficax cuiuscumque peccati: vel quia est eminentèr sanctitas, ut pluribus placet; vel quia est retractatio omnis iudicij defectuosi necessario requisiti ad peccandum. *Tùm quia cum ex illa necessario sequatur dilectio efficax Dei super omnia, & hæc sit incomponibilis cum hoc, quod est peccare actualitèr in cap. ut sup. diximus (quia videlicèt repugnat esse moraliter voluntarium peccatum aliquod subiecto diligenti actu Deum super omnia) planè infertur beatum nõ posse collocari in alio tanquam in capite morali, ita ut hoc peccante, ille in capite peccaret. *An autem parvulum, qui peccavit in Adamo, possit Deus ita prævenire in benedictionibus dulcedinis, ut possit illam beatificare pro instanti suæ conceptionis? vel etiam unire sibi hypostaticè eius humanitatem?* Hoc inquam quæsitum continet difficultatem, quã resolvit Mag. Bolivar ubi supra: quia tamen non militat specialitèr pro casu nostræ quæstionis ab illa supersedemus, & doctrinæ prædicti Mag. libentèr subscribimus.

Pro Beatis Resp. negativè.

* De quo Tom. 1. dub. 8. & 9.

Inquiret.

§. V.

Quid dicendum de Angelis pro 1. instanti suæ creationis?

SUpponendum est: Angelos absolutè posse peccare in alio Angelo constituto à Deo capite morali illorum, ac proindè ex peccato ipsius derivari ad cæteros peccatum habituale, non obstante doctrina communi Thomist. asserentium Angelos non posse potentia añi. peccare pro

23 Supposit. quædam pro resp.

1. instanti suæ creationis. Ratio est. Nàm potuit Deus creare Angelos sine gratia, & sine elevatione ad finem supernaturalem. Similitèrque potuit creare eos cum elevatione ad ordinem supernaturalem, infundendo ipsis fidem supernaturalem pro 1. instanti: sed tamen sine gratia habituali, pro alio instanti infundendam, si se disponerent ad illam. Hac ergò suppositione statuta, datur in Angelis, in secundo, vel tertio instanti potestas ad peccandum, vel non peccandum pro illis. Si igitur Deus constituat unum Angelum caput morale aliorum cum omnibus principijs ad operandum supernaturalitèr in 2. vel 3. instanti, transferendo scilicèt voluntates aliorum iam existentium, & postquam rectè operati sunt in 1. instanti, & ob suum supremum dominium permittat Angelum constitutum in esse capitis moralis peccare; cæteri tanquam membra moralia ipsius peccarent in eo, & ex consequenti peccatum habituale in ipsis contraherent. Nàm in his instantibus, & suppositionibus factis, Angeli sunt capaces peccandi in se, & in alio. Undè si ipsi possunt per proprium actum voluntatem personalem transferre in voluntatem alterius, multò magis id poterit Deus ob supremum dominium sæpè ponderatum.

Prob. relatè ad 2. & 3. inst.

24 Hoc suppositio propart. negativa relatè ad 1. instans stat ratio dubitandi: Implicat peccare actualitèr in alio, tanquam in capite pro instanti aliquo eum, qui pro tali instanti est impotens antecedentèr voluntate personali actualitèr peccare; sed huiusmodi est Angelus, ut communitèr docetur à Thomistis: ergò repugnat Angelum pro 1. instanti suæ creationis peccare in alio Angelo tanquam in capite: ac proindè contrahere prò tali instanti peccatum habituale. Confirm. 1. Si Angelus pro instanti suæ creationis posset ex peccato alterius Angeli contrahere peccatum habituale, vel hoc contingeret; quatenùs alter Angelus esset constitutus caput morale, & simùl peccaret, antequam alij crearentur; vel in ipso instanti creationis aliorum? Neutrum potest dici: ergò. Min. quòad 1. part. prob. ratione sup. adducta scilicèt repugnare aliquem ante sui existentiam peccare in alio, qui, dùm statim, ac existit, non habet libertatem ad peccandum. Deindè: Nàm peccare in alio, tanquam in capite est peccatum capitis esse alteri moralitèr, & reputativè voluntarium; sed repugnat talis voluntarietas interpretativa in subiecto, quod, dùm primo existit in rerum natura, est impotens antecedentèr ad peccandum: ergò.

Ratio dubit. pro parte negativa.

25 Quòad 2. etiam prob. ex eisdem ferè principijs: Nàm Angeli, etsi possint à Deo creari sine gratia, & sine auxilio supernaturali ad diligendum Deum dilectione supernaturali, sunt tamen necessitati saltim quòad specificationem ad diligendum Deum A. naturæ super omnia, ut communitèr docetur à Thom. tract. de Angelis. Sed hoc ipso nequeunt in 1. instanti suæ creationis peccare in alio, tanquam in capite: ergò. Prob. min. Dilectio naturalis Dei super omnia est retractatio efficax, sive nolitio efficax cuiuslibet peccati; sed hoc ipso nequit cum illa compati peccare actualitèr in alio, tanquam in capite; ut supra diximus de adulto retractante efficacitèr peccatum furti v. g. commissum à suo capite morali: ergò. Deniq. Nàm etsi Angelus possit liberè omittere talem dilectionem naturalem Dei super omnia, sufficit necessitas quòad specificationem, ut quodlibet peccatum sit etiam ei moralitèr involuntarium; cùm libertas etiam quòad specificationem pugnet cum necessitate quòad specificationem in ordine ad diligendum Deum super omnia: ergò non est excogitabilis modus, iuxta quem Angelus in 1. instanti suæ creationis possit esse peccator; si est impotens antecedentèr peccare pro tali instanti.

26 Ad hæc Resp. quod quāvis voluntas Angeli sit impeccabilis pro 1. instāti, est tamen peccabilis pro alijs instantibus, ut omnes fatentur. Deus igitur nō poterit transferre voluntatem Angeli consideratam relatè ad 1. instans in voluntatem alterius Angeli potentis peccare, ita ut verificetur prædictū Angelum respectivè ad 1. instans peccare adhùc in suo cap. (ut argum. sup. posita efficacitèr convincunt) poterit tamen

Respond. affirmativè.

transferre voluntatem Angeli consideratam pro alijs instantibus, pro quibus est indifferens ad peccandum, & non peccandum. Hac ergò translatione facta à Deo ante creationem Angelorum poterunt isti, suppositò peccato alterius Angeli, in primo instanti suæ creationis ex illo contrahere peccatum habituale. Licet enim nemo possit esse particeps culpæ habitualis, nisi perprius fuerit particeps culpæ actualis saltim in capite; Hoc enim requisitum non deficeret in prædicto casu. Unde quamvis hæc propositio esset falsa: *Voluntas Angeli relatè ad primum instans suæ creationis est potens peccare actualitèr in suo capite.* Secùs tamen hæc: *Voluntas Angeli relatè ad secundum, & tertium instans, est potens peccare &c.*

27 Quam solutionem sequenti exemplo illustrabis. Certum enim est: Voluntates parvulorum pro instanti suæ conceptionis esse impeccabiles; imò etiam pro primo instanti physico usus rationis in eis, ut communitèr tuentur Thomistæ. Quid ergò faciet huiusmodi impeccabilitas? Profectò; quod Deus voluntates illorum relativè, & restrictè ad illa duo instantia non potuerit transferre in voluntatem Adami potentem peccare, secùs tamen relativè ad alia instantia. Undè licèt quando peccavit Adamus, non potuerit verè affirmari parvulos respectivè ad instantia, pro quibus non possūt peccare, peccasse in Adamo; oppositum verò dicendum de voluntate ipsorum respectivè ad alia instantia. Sicut ergò posse parvulos peccare in Adamo per respectum ad alia instantia, & posse peccare absolutè in se ipsis, est sufficiens, ut peccatum originale contrahant ex Adamo pro primo instanti suæ conceptionis; ita discurrendum de Angelis, quos Deus crearet, postquam alter Angelus peccaret.

Explic.

28 Cum hac tamen doctrina rectè cohæret 1. Voluntatem Christi Domini, aut quamlibet aliam unitam hypostaticè personæ Divinæ, & similitèr voluntatem cuiuslibet beati; non posse transferri à Deo in voluntatem alterius subiecti peccabilis; ita ut de illis verificetur saltim in suo capite peccare. Ratio est: Nàm prædictæ voluntates non solum respectivè ad unum, vel alterum instans, sunt impeccabiles, sed etiam simpliciter, & absolutè. Cohæret 2. Manere illibatam doctrinam D. Thom. de impeccabilitate Angeli pro primo instanti suæ creationis; illa enim procedit expressè de peccato actuali personali; nè videlicèt attribueretur Deo ut Authori speciali, si prima operatio in Angelis esset defectuosa. Vel; à Deo procederet tanquam à causa speciali dictamen defectuosum Angeli, utpotè necessario requisitum ad peccandum: & alia inconvenientia, quæ ibidèm ex doctrina Ang. Mag. inferunt Thomistæ pro persuadenda repugnantia peccati actualis in primo instanti.

Discrimé inter Christ. & Angelos.

29 Cohæret insuper: Nàm ex quo Angelus in primo instanti contraheret peccatum habituale, non sequeretur Deum creantem illum ullo modo positivè influxurum in tale peccatum. Primo: Nàm de facto proximi parentes causant genitum, & non causant peccatum geniti. Similitèr Deus creat animam parvuli, eamque activè unit corpori, ad quam unionem sequitur infectio, & contractio peccati originalis; quin Deus sit causa talis contractionis. Ulteriùs. Potentia peccandi saltim radicalis conveniens Angelis pro primo instanti, licet non ad peccandum prò primo instanti; non reducitur in Deum tanquam in causam, sed in naturam ipsorum, proùt facta est ex nihilo. Quapropter similitèr discurrendum de peccato habituali Angelorum pro primo instanti, scilicèt; illud reduci tanquam in causam in caput morale defectuosum, & peccatum capitale ipsius.

30 Sed restat difficultas in conciliando huiusmodi contractionem cum necessitate in eis ad dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia; quæ quidem videtur incomponibilis cum peccato actuali, & habituali. Ad quod Resp. potest 1. quod iuxta sententiā aliquorum Thomistarum asserentium de facto Dæmones diligere Deum ut Auth. naturæ super omnia (de quorum numero est M. Lezama disp. 24. dub. 1. §. 3. & M. Ferre tract. 16. de Angelis q. 15. §. 5.) nulla appareat difficultas

Occurritur rationibus in contra.

tas in eo, quod in primo instanti suæ creationis contrahat peccatum habituale, & simul prorumpat in talem dilectionem; plùs enim opponitur prædicta dilectio actuali odio Dei, quam peccato præcisè habituali. Si autem tueatur sententia Illust. Godoy, quam sequitur M. Baiona cum alijs, scilicèt, *dilectionem naturalem Dei esse incomponibilem negativè cum peccato habituali*; duplici via difficultati propositæ occurri potest Primo distinguendo duplicem dilectionem Dei ut A. naturæ; unam appreciativam, & amicabilem; aliam vero terminatam ad Deum, proùt est universum principium essendi, & causa omnis perfectionis convenientis Angelo; quæ quidem non includit necessario propositum efficax non recedendi à Deo per peccatum servando eius præcepta.

31 Qua distinctione suppositâ dicendum: Angelos esse necessitatos ad dilectionem Dei, ut Authoris naturæ, non quidem primo modo sumptam, sed secundo modo acceptam, ut satis efficaciter colligitur ex Div. Thom. 1. p. q. 60. a. 5. ad 4. & ad 3. Licet ergò prima dilectio sit incompatibilis negativè cum peccato habituali, non tamen dilectio secundo modo accepta. Iuxta quam doctrinam salvatur illud proloquium Div. Dionys. scilicèt: *Naturalia in Angelis, etiam post peccatum, integra permansisse.* Quam solutionem veriorem, & probabiliorem alibi existimo, ægre ferens concedere Dæmones dilectione appreciativa adhùc naturali amare efficaciter Deum super omnia.

32 Quod si arguens velit Angelos esse necessitatos ad dilectionem appreciativam Dei Authoris naturæ super omnia, & simùl velit ei admitti sententiam Ill. Godoy, & aliorum asserentium prædictam dilectionem esse incompatibilem negativè cum peccato habituali (præterquamquod est nimia petitio, quæ solum ex inopia ad arguendum efficaciter procedere potest) adhùc responderi potest; dicendo, doctrinam D. Thom. de tali necessitate intelligendam esse de voluntate Angelica secundùm se considerata, & in sui integritate naturali à Deo constituta, & nullo modo corrupta per peccatum habituale personale, aut capitale. Hàc enim ratione, etsi voluntas humana secunndùm se considerata diligat Deum plùs quam se ipsam naturali dilectione; sicut & quælibet pars naturaliter plùs diligit totum, quam seipsam, ut q. 60. a. 5. iam citato probat D. Thom. quia tamen natura humana mansit corrupta per peccatum originale sequendo bonum privatum, indiget speciali auxilio gratiæ eam sanantis, ut possit Deum ut Authorem naturæ super omnia diligere. Ita docet idem Ang. Præc. hac 1. 2. q. 109. a. 3.

Notandum. Deum posse in dicto casu infundere Angelo pro primo instanti actus fidei, spei, & aliarum virtutum, non pugnantes cum peccato habituali. Nec obstat, quod Angeli sunt obstinati in malo; ideòque nequeunt rectè operari. Non inquam obstat. Nàm hoc est verum, dum propria electione peccant; idque probat ratio S. D. & quia semper operantur ex fine, quẽ sibi proprio arbitrio præfixerunt: qua ratione inomnibus actibus permanet virtualiter 1. peccat. Hinc concedam illũ posse emundari à peccato habituali per actum charitatis se disponendo adgratiam. Imò etiam per actum efficacis displicentiæ de illo. Hoc enim non est propriè retractare; cum illud peccatum non fuerit commissum propria voluntate. Quod videtur concedendum: tùm nè talis Angelus ponatur necessariò miser. Tùm quia in dicto casu adhùc teneretur converti ad Deum. Quæ omnia poterunt (si placeat) ab illis illustrari. Ex dictis potest propugnari sequens conclusio.* Repugnat necessario Angelum posse peccare in primo instanti suæ creationis. Possibile est Angelum esse peccatorem in primo instanti &c. * Nàm ly *peccare* denotat actum peccati propria voluntate commissum; at vero ly *peccatorem* denotat peccatum habituale ex alio contractum. *Et hæc de hoc dub. applic. lit. M. in 2. d. 30. §. 11. ad hoc & §. 12. & dist. 31. §. 3.*

33 Nota.

✠

DU-

DUBIUM VI.

AN PECCATVM ADAMI SIT causa efficiens moralis peccati originalis posterorum?

§. I.

ALIQUA PRÆNOTANTUR, ET REFERUNTUR SENTENTIÆ.

N. 1 PEccatum Adami fuisse causam, à qua principalitèr originem trahit nostrum peccatum originale; certum est apud omnes Catholicos. Constatque ex illo Pauli Ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum.* Et rursùs: *In quo omnes peccaverunt.* Ubi illa particula *per* denotat Adami peccatum fuisse causam principalem traductionis peccati originalis in posteros; ut rectè docuit Aug. Præcep. hic q. 83. a. 1. dicens: *Peccatum ergò originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam, sicut in prima causa principali secundùm illud ad Rom. 5. In quo omnes peccaverunt.* Constat etiam ratione: Nàm respectu peccati originalis debet assignare aliqua causa, à qua sit tanquam à primo principio (eo modo, quo privationes dicuntur habere causam, ut à sententijs præscindamus) cum non sit aliquid increatum, nèc habens esse à se, adhùc in ratione defectus, ut ipsum nomen *originalis* ostendit. Sed huiusmodi principium nequit esse Deus, ut est certum, neque ipsi parvuli; cùm illud propria voluntate non commisserint, & independentèr ab eorum consensu eos afficiat. Restat ergò huiusmodi principium fuisse peccatum capitale Adami.

Not. 1.

2 Sed quia causa efficiens principalis communitèr dividitur in physicam, & moralem: hinc oritur dubium, in quo genere causæ dicendum sit, peccatum Adami fuisse causam principalem peccati originalis? Nè tamen in æquivoco laboremus, advertendum est, causam moralem respectu alicuius effectus diversimodè accipi posse; uno modo impropriè per ordinem ad entitatem, vel subiectum, quod dicitur causa, non habito respectu ad modum causandi; in quo sensu omne id, quod est aliquid morale, & si non moralitèr, sed physicè influat in effectum, potest dici causa moralis. Hac enim ratione peccatum actuale dici potest causa moralis respectu peccati habitualis, & oppositio illius cum gratia sanctificante, estò essentialis, dici potest oppositio moralis; quia, etsi peccatum habituale physicè, & ex natura rei consequatur ex peccato actuali mortali; quia tamen peccatum actuale secundùm sui malitiam est formalitèr de linea morali, ideò non absurdè, etsi non propriè, dici potest peccatum actuale esse causam moralem peccati habitualis, & similitèr; opponi moralitèr cum gratia sanctificante.

Secundo.

Secundo modo, & cum proprietate dicitur causa moralis, id, 3
quod per modum meriti, aut demeriti, oratione, obsequio, consilio, præcepto, aut alio simili modo concurrit ad productionem effectus. Hæc enim acceptio est propria causæ moralis; in ea enim non tàm attenditur ad entitatem, quæ causat; quàm ad modum causandi, & influendi in effectum;

tum; quæ consideratio se habet magis de formali respectu causæ. Unde, etsi actus charitatis sit in se quid physicum, & physicè in rerum natura existens, non dicitur causa effectiva physica respectu augmenti gratiæ, & beatitudinis, sed tantùm causa moralis; eò quòd tàm augmentum gratiæ, quàm beatitudinem purè per modum meriti efficit. Hinc collig. Causam moralem proprie dictam non exequi effectum immediatè, & ratione sui, sed mediante voluntate alterius, quam moralitèr allicit, & excitat ad productionem illius; ut constat in eo, qui præcibus, aut meritò aliquid impetrat: cuius existentia non provenit immediatè simplicitèr à merente, sed ab eo, qui ob meritum illius movetur, ut effectum in re physicè exequatur.

4 Consequentèr ad hæc notand. 3. Causam effectivam physicam principalem posse accipi etiam dupliciter; Tertiò. uno modo impropriè; denominatione scilicèt desumpta ab entitate causæ, non habito respectu ad modum causandi: in quo sensu quidquid in se physicum est, & aliquid causat, dici potest physica ipsius; cùmque præceptum Superioris, & oratio sint in se quid physicum in rerum natura physicè existens, possunt dici causa physica rei præceptæ, aut petitæ. Sed hanc acceptionem esse impropriam quis non videat? Secunda igitur acceptio causæ effectivæ physicè desumitur penès modum causandi; ita ut causa illa, quæ per se, & ratione sui ponit effectum aliquem in executione, & non movendo, vel aliqualitèr excitando alterius voluntatem, dicatur propriè causa physica respectu illius. Hæc enim ratione gratia habitualis iuxta sententiam Thomist. dicitur physicè expellere peccatum habituale: & similitèr peccatum actuale physicè effectivè causare peccatum habituale, sive maculam in anima; quamvis utrumque peccatum sit in se de linea morali. Eò quòd gratia ex natura rei opponitur peccato habituali, & peccatum actuale secundùm sui naturam, & essentiam causat tanquàm terminum sui peccatum habituale. Undè Aliqui AA. inter quos Mag. Boliv. Tract. de Iustific. dub. 6. §. 4. num. 22. ad tollendam omnem æquivocationem dicunt peccatum læthale opponi physicè cum gratia sanctificante, non quidèm physicè philosophicè, sed theologicè: hoc est, oppositione conveniente ei ex natura rei præstando effectum formalem incomponibilem cum effectu formali gratiæ.

4. Notand. Causam effectivam 5
physicam communiter dividi in principalem, & instrumentalem: ex quibus causa principalis dicitur illa, quæ virtute propria, & ratione sui continet effectum; instrumentalis verò, quæ virtute aliena, sive ut physicè mota à causa principali, illum producit. Denique notand. In peccato originali parvulorum posse considerari, Ultimò. & id, quod dicit quantùm ad sui essentiam, scilicèt, maculam, & rationem culpæ habitualis, per quam redduntur inimici Dei, & constituuntur formalitèr peccatores; vel id, quod dicit concomitantèr, & consecutivè, videlicèt, pœnam damni, & alias miserias, quas Deus pro tali peccato infligit. Et de omnibus his agemus; cùm ex peccato actuali Adami omnia indiscriminatim originem trahant. 4. Not.

Nèc in præsenti dubitatur: An 6
peccatum Adami fuerit causa efficiens *ut quod* peccati originalis? cùm talis modus causandi sit tantùm conveniens Adamo iuxta illud: *Actiones sunt suppositorum.* Solùm igitur dubitatur: An peccatum illius fuerit causa effectiva, *ut quò*, sive tanquàm id, medio quo Adamus influit in peccatum originale? Consulentes maiori claritati solùm exagitamus de causalitate morali: Tot enim sunt modi dicendi circa causalitatem physicam, ut eidem motivo innitentes, de illa diversis dubijs sit agendum.

His ergò prænotatis, Prima 7
sententia affirmat, peccatum Adami fuisse causam physicè effectivam transfusionis peccati originalis. Ita Div. Bonav. in 2. dist. 31. art. 1. q. 1. Driedo lib. de Captivit. Tract. 2. cap. 2. p. 1. M. Alvarez lib. 6. de Auxil. disp. 44. num. 18. Et in præsenti disp. 171. Martinez hic art. 4. concluſ. 3.

Illust.

Illuſt. Herrera cap. 6. & 7. PP. Salm. Mag. Gonet, Mag. Ferre, & Alij in manuſcriptis. Secunda ſententia eſt negativa, quam tenent Mag. Zumèl hic quæſt. 18. art. 1. dub. 3. Curiel, Illuſt. Godoy, P. Suarez diſp. 9. de Peccatis ſect. 3. num. 2. & Alij cum P. Vazquez diſp. 133.

§. II.

STATUITUR PRIMA CONCLUSIO,

Peccatum Adami fuit cauſa efficiens moralis peccati originalis parvulorum.

8 ITA communiter Theologi, quam probant hac unica ratione: Omne id, quod tranſit de non eſſe ad eſſe, & exiſtit de novo, neceſſariò requirit aliquam cauſam efficientem ſaltim moralem: ergò cùm huiuſmodi ſit peccatum originale parvulorum, debet neceſſariò aſsignari aliqua cauſa effectiva ſaltim moralis ad ſui contractionem. Sed hæc non poteſt eſſe Deus, ut eſt certum; deindè non parvuli; utpotè illud contrahentes independenter à propria voluntate: ergò cùm alia cauſa præter peccatum Adami aſsignari nequeat, fatendum eſt illud eſſe cauſam efficientem moralem talis peccati. Confirm. hoc: Nàm ſic comparatur peccatum actuale Adami in eſſe capitis moralis ad peccatum originale, ſicut peccatum habituale propria voluntate ab aliquo commiſſum ad peccatum habituale perſonale. Sed huiuſmodi peccatum eſt cauſa efficiens ſaltim moralis peccati habitualis perſonalis: ergò ſimilis cauſalitas concedenda eſt peccato capitali Adami reſpectu peccati originalis. Sic communiter probant Theologi ſupponentes concluſionem ut omninò certam, & quaſi nihil difficultatis in ſe includentem. Sed tamen: ſi ea, quæ in notabilibus dicta relinquimus, memoriæ recolantur, prædicta ratio examine indiget, & contra illam aliqua non contemnenda ſe offerunt. Ut autem a facilioribus incipiamus.

Ratio probativa.

Confirm.

§. III.

Solvuntur argumenta.

OBijcies 1. Id, quod nec phyſicè, nec moraliter actù exiſtit, nequit eſſe cauſa effectiva moralis; ſed huiuſmodi eſt peccatum Adami; cùm ei fuerit à Deo dimiſſum per gratiam ſanctificantem; illudque perfectè retractaverit per actum contritionis, & charitatis; in qua retractatione conſiſtit deſtructio permanentiæ moralis peccati: ergò. Confirm. Si peccatum actuale Adami eſſet cauſa effectiva moralis pecti originalis, modò verificaretur Adamum aliquomodo actù peccare. Conſeq. eſt abſurdum. ergò. Sequela prob. Actù cauſare peccatum in altero eſt actù peccare; cùm ſit actù pravè operari: ergò ſi peccatum, quod derivatur de facto ad parvulos, provenit ab Adamo, ut cauſa effectiva morali &c. 9

1. Arg.

Confirm.

Reſp. Peccatum Adę fuiſſe capitale, & perſonale; perſonale quidèm; quatenùs ſibi ſanctitatem amiſsit; capitale verò; quatenùs omnibus poſteris prædictam ſanctitatem perdidit. Prædictum igitur peccatum fuit illi dimiſſum, & efficacitèr retractatum ab ipſo in prima conſideratione; non vero in ſecunda; eò quòd in ordine ad pœnitendum de tali peccato, non fuit conſtitutus à Deo caput omnium hominum. Undè bonum ſuæ pœnitentiæ non potuit in poſteros transfundere. * Ad Confirm. neg. ſequelam. Sicut enim actù influere in peccatum alterius eſt pravè operari, ita actù cō-ſervare peccatum habituale videtur eſſe actù pravè operari; & tamen quamvis peccatum habituale perſonale dependeat in conſervari à peccato actuali, non verificatur de homine, cui peccatum habituale non eſt dimiſſum, actù peccare: ergò ſimiliter &c. Quapropter etſi peccatum quod parvuli contrahunt, dependeat, à peccato Adami ut capitali; quia tamen huiuſmodi dependentia eſt ſine novo egreſſu, & nova libertate diſtincta ab illa, qua ut caput naturæ 1. peccavit; ideò non verificatur modò 10

Solutio.

* D. Thom. ad Rom. 5. lect. 1.

Ada-

Adamum ut caput naturæ peccare, sed sufficit illum peccecasse, ut caput naturæ, & peccatum illius non fuisse dimissum, & efficacitèr retractatum, quatenùs fuit capitale.

Instabis, & objicies 2. In peccato actuali Adami prior fuit ratio peccati personalis, quàm capitalis, & quasi fundamentum huius; sed destructo priori, destruitur etiam posterius, & pereunte fundamento perit etiam res fundata: ergò si peccatum actuale Adami fuit destructum etiam moralitèr ut personale, non potest modò perseverare moralitèr, ut capitale. Confirm. 1. Ideò peccatum Adami fuit moralitèr destructum ut personale, quia de illo pœnituit; sed eodem modo se gessit circa illud ut erat peccatum capitale: ergo sub nulla consideratione peccatum Adami modò permanet moralitèr. Prob. min. Ratio capitalis in peccato actuali Adami fuit circunstantia vehementèr aggravans peccatum illius; ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 4. & insuper prob. ex doctrina ipsius hac 1. 2. quæst. 73. art. 8. ubi docet: *Quantitatem nocumenti, quod consequitur ex actu peccati, dummodò sit præviſſum, augere gravitatem illius.* Atqui Adamus per actum contritionis de suo peccato efficacitèr doluit de illo secundùm omnem malitiam, & omnem circunstantiam vehementèr gravitatem illius augentem: ergò.

11 Secund. argum. Confir. 1.

2. Si peccatum actuale Adami non fuisset ei dimissum, sed modò permaneret moralitèr, quatenùs fuit peccatum capitale, modo esset verum diceret, * Deum odio habere Adamum ratione peccati capitalis.* Sed hoc videtur absurdum: ergò. Sequela prob. 1. Si modò permaneret moralitèr peccatum actuale Adami, ut personale, esset verum dicere, Deum odio habere Adamum: ergò paritèr. Conseq. constat: Nàm sicut peccatum Adami fuit ab ipso, ut erat personale; ita paritèr processit ab illo, fuitque ei voluntarium, quatenus erat peccatum capitale. 3. Iuxta doctrinam D. Thom. infra quæst. 113. a. 1. Implicat Deum deponere odium inimicitię circa aliquem hominem propter illius peccatum, nisi fiat ei positivè pacatus, ipsumque amicabilitèr diligat, qua ratione concludit ibidem Ang. Doct. *Non posse intelligi remissionem culpæ absque infusione gratiæ.* Modo inquiro: Vel Deus de facto conservat odium inimicitiæ, quod concepit adversùs Adamum, quando peccavit, ut caput totius naturæ, vel non? Si primum: videtur absurdum concedere, cum modo Adamus æterna fœlicitate fruatur. Si secundum: ergò stat Deum deponere odium inimicitiæ erga Adamum, ut peccantem peccato capitali, absque eo, quod ei fuerit remissum per gratiam sanctificantem in ratione capitalis: quod est ponere remissionem peccati sub aliqua consideratione fieri per extrinsecam condonationem, quam ibi expressè negat D. Thom.

12 Secundo. Tertio.

Resp. communitèr distinguo mai. Fuit prior, & fundam. quantum ad fieri, conc. mai. Quantum ad conservari, neg. mai. Et cum eadem min. dist. neg. conseq. Non enim repugnat aliquem actum moralitèr pravum retractari efficacitèr; proindèque destrui moralitèr secundum unam formalitatem, & non secundùm aliam. Hoc constat in actibus peccaminosis, ex quorum repetitione, & generatur habitus vitiosus, & peccatum habituale privans animam gratia sanctificante; quiquidèm per actum contritionis, & receptionem gratiæ, non permanent moralitèr in esse causantis, & conservantis peccatum habituale; bene tamen in esse causæ conservantis moralitèr habitum vitiosum; cùm hic quòad sui substantiam maneat in recentèr iustificato, & solum per repetitionem actuum virtutis excludatur. Constat etiam in sententia asserente actum charitatis ratione sui non esse essentialitèr inconiungibilem cum peccato habituali; iuxtaquem modum dicendi in peccato actuali distinguitur, & formalitas denominandi, voluntatem conversam ad obiectum pravum; & formalitas denominandi hominem actualitèr moraliter aversum à Deo ut fine ultimo, sub qua consideratione est causa conservativa peccati habitualis. Qua distinct. suppositâ dicunt actum charitatis ratione sui destruere perseverantiam moralem

13 Solutio.

lem peccati actualis sub prima consideratione; non verò sub secunda, licèt hæc sit posterior, & consequentèr se habens ad illam. Idem dicendum de voto, quantum ad effectum denominandi hominem affectū circa cultum, & obsequium Dei (etsi quis doleat de voto) & quantum ad vim inducendi obligationem ad sui adimpletionem. Videantur dicta Tom. 2. *

* Dub 2. & 3. de peccat. habit.

14 Ex quo inquam exemplo Resp. ad 1. confirm. Nàm si Petrus v. g. in quem transtulit suum consensum Paulus ut nomine eius operaretur, quod sibi placuerit, iustificetur agendo pœnitentiam de peccato ab ipso commisso; Petrus, inquàm, non solùm dolebit efficacitèr de prædicto peccato, ut ab ipso nomine sui elicito, sed etiam ut elicito, & commisso nomine Pauli; cùm etiam sub hac consideratione pravè, & in ruinam Pauli operatus fuerit; Et tamen ex hoc non convincitur peccatum illud fuisse dimissum, ut moralitèr processit a voluntate Pauli, de quo supponimus non egisse pœnitentiam pro illo. Igitur stat dolor efficax alicuius peccati ea ratione, qua est malum alterius, & non esse dimissum à Deo sub tali consideratione. Ratio huius est: Nàm aliud est doluisse efficacitèr Adamum de malitia capitali sui peccati; aliud doluisse de illa dolore capitali. Ad 1. enim sufficit, rationem capitalis in peccato Adami fuisse circunstantiam aggravantem suum peccatum, ipsique voluntariam. Ad secundum verò erat necesse, quòd voluntas Adami in se actu moralitèr contineret voluntates parvulorum in ordine ad pœnitendum pro illis; quod quidèm in præsenti providentia non habuit Adamus. Nàm etsi gesserit vices totius naturæ humanæ ad peccandum, non tamen gessit vices ad pœnitendum pro illa.

Ad 1. cónfirm.

Quod explicari potest in Christo Domino constituto à Deo capite morali ad merendum hominibus remissionem peccati, & satisfaciendum pro illo. Siquidèm per actum, quo necessariò complaceret, tùm in dignitate capitis, tùm in actibus, quibus promeruit hominibus gratiam, & remissionem peccatorum, non se gereret formalitèr, ut caput morale, nèc talis actus esset propriè capitalis, utpotè etsi Christo Dom. utilis, alijs tamen non proficeret per modum meriti, aut satisfactionis. Ex quibus constat, quòd ad retractationem efficacem peccati in esse capitalis, & destructionem moralem illius, non sufficit dolor de malitia capitali ipsius, sed quòd prædictus dolor, vel satisfactio sit capitalis, hoc est, proveniens ab aliquo constituto in esse capitis moralis; ut perditio, quæ ex capite processit, per ipsum caput destruatur.

15 Explicat. Solutio.

Ad 2. Resp. * Peccatum actuale Adami non fuisse ei dimissum, ut capitale; sive adhùc permanere moraliter * duplicitèr posse concipi; vel ita ut in Adamo permaneat adhùc moraliter aliqua inordinatio reperta in tali peccato, vi cuius denominetur moralitèr pravè operans, Deumque offendens; vel ita, ut tantùm dicat non esse dimissum, proùt formalitèr fuit peccatum parvulorum in sensu morali supra explicato. Dùm igitur communitèr affirmatur, peccatum Adami &c. non accipitur in primo sensu, sed in secundo. Prædictum enim peccatum sub tali expressione potiùs erat peccatum aliorum, quam Adami; cùm Adamus sub munere capitis, non pro se, sed pro alijs operaretur. Igitur asserere sub hac expressione non fuisse dimissum Adamo, est dicere, * non fuisse dimissum, quatenùs fuit malum respectu aliorum. * Cum quo rectè cohæret, Deum nullatenùs modò displicere in Adamo, sed eum perfectè amicabilitèr diligere.

16 Ad 2.

Sed quia circunstantia capitalitatis fuit intrinseca peccato actuali Adami, licèt dependens ab aliquo extrinseco; proindèque fuit intrinsecè egrediens, & recepta in eius voluntate; semper restat difficultas in explicando, qualitèr prædicta circunstantia non fuerit ei per gratiam dimissa, & cum hoc componere, Deum Adamum nullatenùs odio habere. Ad quod Resp. Rationem capitalitatis posse considerari sub duplici respectu, scilicèt ad Adamum, & ad eius posteros. Primo modo fuit circunstantia prava, & aliquod malum illius,

17 Cuidā difficultas.

illius. Secundo modo fuit tantùm mala posteris; quatenùs eos privavit dono iustitiæ originalis concesso toti naturæ. Dicimus ergò, quod licèt ratio capitalitatis in peccato Adami sub primo respectu fuerit ei dimissa; quia de illa etiam pœnituit; manet tamen moraliter accepta sub secunda consideratione. Quapropter Deus non odio habet Adamum, sed tantùm posteros, usque dùm peccatum originale eis dimittatur per gratiam. Quæ doctrina roborari potest exemplo sup. adducto de retractatione efficaci eiusdem actus pravi sub una formalitate, & non sub altera. Per quod constat ad primam probat. sequelæ. De quo plura M. Prado Tom. de Pœnitent. fol. 288.

18 Ad 3. Resp. eligendo secundam partem dilemmatis, scilicèt, Deum dùm infudit gratiam iustificantem Adamo, depositisse odium, quod conceperat adversus illum, nedùm ut personam particularem, sed etiam ut caput totius naturæ; cùm sub utraque consideratione peccaverit. Cùm autem arguens subsumit:* & tamen peccatum in ratione capitalis non fuit dimissum Adamo per gratiam sanctificantem: Resp. cum distinct. Non fuit dimissum in ratione capitalis secundùm quòd talis ratio fuit malum Adami, & circunstantia aggravans illius peccatum, neg. Secundùm quòd talis ratio fuit malum respectu posterorum per modum causæ, conced.* Sub hac enim ratione non provocat Deum ad odium Adami, sed solùm posterorum; quodquidem non deponit Deus, usque dùm eis infundit gratiam sanctificantem. Quapropter nunquàm verificatur peccatum aliquod sub ea ratione, sub qua est malum alicui, remitti ipsi absque ulla dilectione ex parte Dei communicativa alicuius doni intrinseci. His ergò præsuppositis, restat explicare, qualitèr prædictum peccatum dicatur causa effectiva moralis peccati originalis posterorum. Ratio dubitandi est: Nàm causa efficiens moralis influit per modum meriti, aut demeriti, vel etiam per modum præcipientis, aut consilientis; atqui peccatum actuale Adami nullo ex his modis influit in peccatum originale posterorum: ergò absque ullo fundamento dicitur communitèr ab AA. fuisse causam efficientem moralem illius. Pro quo.

Solut. ad 3. confir.

§. IV.

Peccatum Adami non fuit causa efficiens demeritoria peccati originalis posterorum.

ITA communitèr Theologi contra Scotum in 2. dist. 32. quæst. unica §. *Ad argumenta* in solutione ad 3. ubi dicit, quod cùm peccatum originale consistat formaliter in privatione iustitiæ originalis, tantùm habet duas causas; unam negativam, hoc est, non dantem iustitiam, & hæc est Deus; alteram verò demeritoriam, & hæc est ipse Adam peccans. Et subdit Scotus huic non obstare peccatum illud Adæ iàm diù transisse; quia sicut meritum, licèt transeat secundùm se, nihilominùs manet in divina acceptatione; quia Deus sic confert pro eo præmium, ac si præsens esset; ita demeritum, licèt transeat quantùm ad actum, manet tamen in divina scientia, ex eò, quòd sic punit propter ipsum, ac si præsens esset. Quam opinionem sequitur Cunnerus Tract. de Peccat. originali cap. 7. In eandem opinionem inclinant Gregor. Martinez, Ferrara 4. contra Gent. cap. 52. §. *Advert. quoque* Conrad. quæst. 82. art. 2 §. *Pro quo*, & quæst. 83. art. 1. §. *Nota.* Sed ut in impugnatione illius clarè procedamus; advertendum conclusionem intelligi de peccato originali formaliter in ratione culpæ; non verò de privatione gratiæ originalis (si fortè in ipsa potest dari ratio pœnæ) vel de pœnalitatibus, quæ ex tali peccato originali consequuntur. 19

Prob. conclus. ratione efficaci: Demeritum formaliter qua tale non est, nisi respectu pœnæ, sicut meritum respectu præmij; sed peccatum originale formaliter, & quatenùs est culpa habitualis parvulorum, non habet rationem pœnæ: ergò peccatum actuale Adami non fuit causa demeritoria peccati originalis parvulorum. Mai. videtur certa, & min. prob. 1. 20

Ratio probativa.

Pœ-

Pœna formaliter qua talis est conformis rectæ rationi, iustè dispositа, & ordinata à Deo; sed peccatum originale parvulorum formaliter acceptum, & quatenùs est culpa habitualis eos moraliter afficiens, nihil horum habet, ut est certum: ergò sub hac consideratione nequit sortiri rationem

2. Prob. min. pœnæ. 2. Omnis pœna, qua talis, est à Deo ut Author. ut communiter docent Theologi ex illo Amos 3. *Si est malum in Civitate, quod non fecerit Dominus.* Cuius ratio est: Nam omnis inflictio pœnæ à Deo est actus proprius iustitiæ vindicativæ. Quapropter talis inflictio aliquam complacentiam ex parte Dei necessariò includit, qui omne, quod iustum est, diligit. Sed repugnat peccatum formaliter acceptum esse à Deo ut Authore, & aliquam dilectionem ex parte sui terminare: ergò repugnat peccatum originale parvulorum sortiri rationem

Ultimo. pœnæ. Denique. Nam de ratione pœnæ est, ut sit reparativa culpæ, ideòque ordinatur ad reintegrandam ordinationem destructam per peccatum; sed hæc omnia repugnant peccato originali formaliter accepto; cùm pròut sic habeat rationem culpæ, & mali moralis: ergò.

Nec valet si dicas, quòd quamvis peccatum originale propter dicta non sit propriè pœna; potest tamen dari causa demeritoria respectu

21 illius; hæc enim salvatur sufficienter in condignitate, ut Deus deneget parvulis iustitiam originalem; quæ quidèm condignitas negari nequit peccato Adami; cùm attenta eius gravitate in esse capitalis dignum fuerit, ut posteris ab eo descendentibus Deus denegaret iustitiam originalem.

Resp̃sio quædam.

Non inquam valet 1. Sic se habet demeritum respectu pœnæ, sicut


22 meritum respectu præmij; sed implicat meritum propriè dictum, cui non correspondeat præmium propriè acceptum: ergò similiter repugnat causa demeritoria propriè talis, cui pœna propriè dicta nequit correspondere: ergò, aut negari debet Adamum per suum peccatum demeruisse propriè posteris peccatum originale; aut dicendum illud sortiri veram rationem pœnæ. Secundò. De ratione causæ propriè demeritoriæ est causare effectum, non immediatè, & ratione sui, sed mediate, scilicet, movendo voluntatem agentis ad illius executionem; ut constat ex dictis in notabilibus: ergò si peccatum Adami fuit causa moralis propriè demeritoria peccati originalis, hoc habuit movendo, & alliciendo voluntatem Dei ad illius existentiam. Sed hoc est ponere Deum fuisse A. peccati originalis: ergò non fuit effectus peccati Adami in genere causæ demeritoriæ.

Impug. 1.

Secundo.

Tertiò. Ex quo peccatum Adami ut capitis moralis fuerit dignum, 23 ut Deus propter illud deneget iustitiam originalem, non infertur demeritoriè causasse peccatum originale. Assumptum prob. 1. Si Adamus observaret præceptum à Deo impositum, & sub cuius conditione fuit promissa posteris iustitia originalis, absdubiò esset dignus, ut posteri nascerentur cum iustitia originali; & tamen non diceretur de facto propriè de con digno mereri eis talē iustitiā: ergò ex quo propter peccatū ab illo commissum fuerit dignus &c. 2. Ex tali cōdignitate tantùm sequitur denegationem concursus Dei ad infundendam parvulis iustitiam originalem fuisse effectum peccati Adami in genere causæ demeritoriæ. Sed hoc minimè probat Adamum demeritoriè causasse peccatum originale: ergò doctrina solutionis nullius roboris est. Prob. min. Carentia iustitiæ originalis non habet rationem peccati in parvulis, quatenùs est à Deo non infundente illam: sed quatenùs est privatio voluntaria inducta ex voluntate capitali Adami, ut negare non valet Scotus; ergò ex quo Adamus demeruerit subtractionem concursus infusivi iustitiæ originalis, minimè probatur &c.

Tertio. propter inefficac. fundam.



§. V.

Solvuntur argumenta.

24 COntra hanc conclusionem potest opponi 1. probando unum peccatum quoad sui malitiam posse esse pœnam alterius; sed quia hoc negatur à Div. Thom. hic quæst. 87. art. 2. quem sequũtur omnes eius Discipuli, inter quos videndus Mag. Gonet disp. 8. de Peccatis art. 5. hoc omisso. Obijcies 1. ex illo Pauli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors &c.* Sed mors intravit per peccatum, tanquam per causam demeritoriam; ut est certum, & constat ex illis verbis: *In quacumque die comederis ex eo morte morieris*: ergò peccatum intravit in hunc mundum per unum hominem, scilicèt, Adamum &c. Confirm. 1. ex Apostol. ibidem dicente: *Sicut per inobedientiam unius constituti sunt multi peccatores; ita & per unius obedientiam iusti constituuntur multi.* Sed homines constituuntur iusti per obedientiam Christi, tanquàm per causam meritoriam iustitiæ: ergò inobedientia Adami fuit causa demeritoria &c.

Arg. 1. ex testimon. Pauli.

Confir. 1.

Confirm. 2. ex Apostol. ibid.

25 *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*: ergò sicut iustitia Christi transijt in iustificationem hominum, quatenùs est causa moralis meritoria, ita discurrendum de delicto Adami. Confirm. 3. ex D. Leone serm. 5. de Natali Domini, ubi ait: *Adam obtemperans Diabolo usque ad prævaricationem meruit, ut in illo morerentur omnes.* Tùm sic: omnes posteri moriuntur in Adam, quatenùs ex ipso contrahunt peccatum originale: ergò si delictum Adami fuit causa meritoria &c. Deniquè. D. Thom. 3. part. quæst. 19. art. 4 in argumento *Sed contra* probat ex verbis Apostoli relatis: *Demeritum Adæ derivari ad condemnationem aliorum.* Igitur peccatum Adæ influxit per modum demeriti in peccatum originale posterorum.

Confir. 2.

Tertio ex S. Leone.

Ultimo eo S. D.

Sed ab hoc ultimo incipiendo dubitare non licet de mente D. Thom. Sic enim habet in 2. distinct. 20. quæst. 2. art. 3. ad 3. *Dicendum, quod peccatum non pertransit ad posteros à primo Parente per modum demeriti, quasi ipse omnibus mortem meruerit, & infectionem peccati, sed per modum traductionis consequentis traductionem naturæ.* Et loco citato ex 3. part. in solut. ad 3. *Peccatum Adæ non derivatur ad alios, nisi per carnalem generationem.* Et hic quæst. 83. art. 1. *Infectio peccati originalis nullo modo est à Deo, sed à solo peccato primi Parentis originem trahit.* Atqui si talis infectio proveniret à peccato Adami, tanquàm à demerito propriè dicto, prædicta infectio non posset non esse à Deo; cum demeritum non aliter causet suum effectum, nisi movendo voluntatem Dei ad executionem illius: ergò talis causalitas procùl est à mente D. Thom.

26 S. D. stat pro nobis

Ad 1. testimonium Apostoli Respond. negando consequentiam. Adest enim ratio aperta discriminis, ut illa particula *per* diversam causalitatem importet; mors enim utpotè pœna iustè inflicta à Deo, potest provenire à peccato capitali Adami, tanquam à causa per se demeritoria; peccatum autem originale, cum proùt tale sit culpa, & non à Deo; nequit ab eodem peccato Adami, ut à proprio demerito procedere. Quapropter Concilium Tridentinum sess. 5. exponens illa verba: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum*, de introitu per propagationem, & transfusionem intelligit; qui introitus longè abest à causa demeritoria. Ad confirm. Resp. Ly *sicut* in verb. Apost. non significare eundem modum causandi, sed tantum; quod sicut Adam fuit caput, & principium nostræ perditionis: ita Christus Dominus est principium omnis nostræ iustificationis: quamvis sit diversitas ex parte modi causandi, desumpta, tùm ex parte Adami, tùm Christi Domini; tùm etiam ex parte nostræ iustificationis,

27 Solui. ad 1. testim.

Ad confir. Resp.

&peccati originalis. Iustitia enim cum sit bonum, potest obtinere rationem præmij actionis meritoriæ: malum autem culpæ differt à pœna, quæ solum est terminus demeriti. Per quod patet ad 2. confirm. Quæ solutio potest confirmari exemplo Evæ, & Beatissimæ Virginis Mariæ, de qua asseritur à PP. *Fuisse principium nostræ restaurationis: quemadmodum Eva fuit principium nostræ perditionis*; & tamen Virgo Maria fuit principium, & causa meritoria saltim de congruo; non autem Eva.

28 Ad Div. Leonem Resp. ibi loqui de morte corporali, de qua nullum est inconveniens concedere fuisse effectum peccati Adami (in genere causæ demeritoriæ. Si autem loquatur de morte spirituali in privatione gratiæ consistente, quod nobis verius videtur: Resp. secundo. Ly *meruit* non sumi stricte prout dicit rationem causæ moralis moventis voluntatem divinam, sed late, prout significat idem ac *obtinuit*, sive *fuit dignum*; in quo sensu dicitur etiam de Cruce Christi Domini fuisse *dignam*, ac *meruisse* portare Regnum Cœlorum, ac Dominum. De qua acceptione plura Tractat. de Merito.

Ad testim. ex S. Leone.

Ad ultimum. Ad testimon. Div. Thom. Resp. 1. ibi tantum intendere Adamum per suum peccatum demeruisse nobis: quòd optimè subsistit, dùm mors corporalis, & aliæ pœnalitates correspondeant peccato illius, tanquam demerito; esto non peccatum originale. Resp. secundo. Testimonia in argumento, sed contra adducta à D. Thom. non esse absolutè efficacia; præsertim, quando oppositum docet in solut. ad 1. & ad 3. idemque facit hic q. 83. a. 1. in præsenti.

29 Obijcies 2. Carentia iustiæ originalis est peccatum originale in parvulis, ut plures tenent; sed Adamus peccando meruit, nè Deus infunderet parvulis iustitiam originalem: ergò fuit causa meritoria peccati originalis. Min. probat. Adamus peccando meruit Deum subtrahere gratiam originalem à parvulis; cum subtractio gratiæ, ut pote proveniens à Deo, possit habere rationem pœnæ: ergò. Confirm. 1. Etsi peccatum habituale personale in privatione gratiæ consistat, ut dixi Tom. 2. distinguitur in illa, & ratio culpæ, & ratio pœnæ, iuxta Div. Thom. quæst. 28. de Veritat. art. 6. ergò etsi peccatum originale in privatione iustitiæ originalis consistat, poterit in illo distingui &c. Secundo. Aut peccatum Adami fuit dignum, ut parvuli nascerentur sine iustitia originali, vel non? Si primum: ergò cum meritum in dignitate ad aliquid consistat; sicut & peccatum originale in carentia iustitiæ originalis; planè infertur peccatum Adami fuisse causam demeritoriam peccati originalis. Si secundum: ergò Deus denegando iustitiam originalem parvulis propter peccatum Adami iniustè se gessit, utpotè operans supra illius condignitatem.

Arg. 2. à ratione.

Confir. 1.

Secundo.

Propter hæc videbitur alicui in peccato originali opportere distingui rationem culpæ, & rationem pœnæ, atque adeò, licet sub prima consideratione non sit, nec à Deo, nec effectus peccati Adami tanquam causæ demeritoriæ: benè tamen sub secunda. Cui modo discurrendi adhæret in præsenti quæst. 3. §. 6. Mag. Ferre referens in oppositum PP. Salmanticens. & Illustrissim. Godoy. Sed meo videri immeritò, nisi prædictus Magist. loquatur in sensu improprio. Ratio est: Nàm licèt in carentia iustitiæ originalis possit distingui; & ratio culpæ, quatenùs est voluntaria voluntate capitali Adami; & ratio pœnæ, quatenùs est à Deo subtrahente infusionem iustitiæ originalis in parvulis; secùs tamen in hoc concreto, scilicèt, *peccato originali*, eo quòd carentia iustitiæ originalis in parvulis non est, nec dicitur peccatum originale, nisi quatenùs dicit esse inductam voluntate capitali Adami; cumque sub hac formalitate obtineat rationem culpæ; sicuti in ipsa culpa nequit cum proprietate loquendo distingui, & ratio culpæ, & ratio pœnæ, ita similitèr dicendum de peccato originali.

30 Quædam solut non placet.

Quæ doctrina exemplo satis efficaci roborari potest. Est enim frequens sententia Thomistarum asserens peccatum habituale personale consiste-

31

fistere in privatione voluntaria gratiæ sanctificantis, hoc est, inducta ex peccato actuali; quam sententiam tuetur in præsenti M. Ferre q. 4. §. 9. Licet igitur communitèr Thomistæ illam tuentes distinguant cum Ang. Præcept. q. 28. de Verit. art. 6. & q. 4. de Malo art. 2. & in 2. dist. 42. art. 2. ad 4. in ipsa absentia, sive carentia gratiæ, rationem culpæ, in quantum est terminus derelictus ex actu peccati præcedente, & rationem pœnæ secundum se considerata, quatenùs est à Deo subtrahente concursum conservativum gratiæ; attamen Nemo, nisi impropriè loquatur, audebit dicere in ipso peccato habituali oportere distingui, & rationem culpæ, & rationem pœnæ. Ratio est. Quia licèt absentia, sive carentia gratiæ de se sit indifferens ut accipiatur, vel per ordinem ad Deum subtrahentem gratiam, vel per ordinem ad voluntatem creatam inducentem ipsam medio peccato actuali; hoc tamen concretum *peccatum habituale* tali indifferentia non gaudet; sicuti nec hoc nomen *macula*: significat enim determinatè privationem gratiæ, ut voluntariè inductam ex peccato actuali. Unde sicuti privatio gratiæ ut voluntariè inducta ex peccato actuali, nullatenùs fortiri potest rationem pœnæ, ita dicendum de peccato habituali. Qualiter autem possit componi, quod carentia gratiæ prout est à Deo subtrahente illam, sit pœna peccati actualis; si aliàs peccatum actuale connectitur essentialitèr cum tali carentia, & subtractione; difficultas est alibi examinanda. Interim videatur M. Boliv. tract. de Iustificat. dub. 6. §. 4. à num. 24.

32 His pro proprietate locutionis prænotatis facilè Resp. ad argum. permittendo scilicèt carentiam iustitiæ originalis in posteris per ordinem ad Deum eam non infundentem obtinere rationem pœnæ: proindeque Adamum per suum peccatum demeruisse illius subtractionem ex parte Dei; attamen hoc minimè concedendum de ipsa carentia iustitiæ originalis, quatenùs fuit moralitèr voluntaria parvulis, aut voluntaria voluntate capitali Adami. Per quæ constat ad confirm. quę nihil amplius cõcludit. Ad 2. Resp.

Vera solutio.

1. Solum probari denegationem iustitiæ originalis secundùm se inspectã, & proùt se tenentem ex parte Dei, fuisse pœnam peccati actualis Adami; secùs tamẽ quatenus est privatio voluntaria ex tali peccato inducta, sub qua consideratione est peccatum originale.

Ad 2. confirm. duplex solutio.

Resp. 2. Non quamcumque dignitatem esse sufficientem ad rationem meriti; ut patet in peccato actuali respectu maculæ; qui enim peccat actualitèr, dignus est, ut maculetur ex illo. Unde sicuti hic dignitas sumitur pro efficacia ad causandam maculam; ita similitèr dici potest peccatum actuale Adami fuisse dignum ut derivaretur ad posteros; quatenùs scil. eius traductio fuit iuxta gravitatem, & malitiam repertam in illo, quod est dicere, *parvulos contrahere peccatum originale ex Adamo non superat magnitudinem malitiæ, sive gravitatem repertam in eius peccato.* Requiritur ergò ad rationem meriti, aut demeriti dignitas, autindignitas actus movens moraliter voluntatem Dei, ut iustum iudicem; ita ut non se habeat, ut purè permittor eius, quod correspondet merito, aut demerito. Sed statim replicabis in favorem Scoti: ipse enim ut constat ex dictis n. §. 4. tantum asserit ptivationẽ iustitiæ originalis in parvulis esse à Deo, tanquam à causa negativa, hoc est, non infundente ipsis prædictam iustitiam: ergò solutio data argum. est sententia Scoti, quam impugnamus.

33

Replic.

Resp. 1. Scotum loco citato expressè affirmare peccatum originale sub hac expressione habere Deum pro causa negativa, non infundendo scil. iustitiam originalem; & pro causa meritoria peccatum actuale Adami; quod dictum nullatenùs nos asserimus. Resp 2. Quod si Scotus tantum velit subtractionem iustitiæ originalis, proùt se tenet ex parte Dei, correspondere peccato Adami tanquam causæ demeritoriæ, inconsequent. ad rectũ modum loquendi, & suum assertum procedit. Ratio est: Nàm cum talis subtractio gratiæ sit bona, & iustè inflicta à Deo, peccatum vero originale à Deo non sit, sed vera iniustitia, atque iniquitas, ponere ex una parte peccatum Adami fuisse solum causam demeritoriam subtractionis gratiæ, proùt

34

Prima solut.

Secunda.

se tenet ex parte Dei ; & ex alia asserere fuisse causam demeritoriam peccati originalis, est inconsequentèr procedere. Si autem velit fuisse etiam causam demeritoriam peccati originalis, ut peccatum est; cum causa moralis non ponat immediatè, & ratione sui in executione suum effectum ; oportet assignare causam executivam talis peccati; quæ quidem nequit esse alia præter Deum. Nec sufficit dicere esse à Deo, ut non agente. Primo : quia etiam pœnæ privativæ sunt hoc modo à Deo ; & tamen Deus dicitur Author earum. Secundo: Nàm licèt Deus tùnc positivè non influat, requirit tamen positivam complacentiam in carentia illius, quod non agit : si aliàs carentia obtinet rationem pœnæ correspondentis demerito; siquidem in inflictione illius honestè, & iustè se gerit.

§. VI.

Exponitur sensus, in quo communitèr dicitur peccatum Adami esse causam moralem peccati originalis. Et aliquæ instantiæ solvuntur.

35 EX antecedentibus constat causalitatem moralem, quam communitèr attribuunt Theologi peccato Adami respectu peccati originalis, non esse strictè moralem consistentem in demerito, aut in aliqua ratione movente, & excitante divinam voluntatem ad illius executionem ; quod necessario requiritur ad rationem causæ moralis strictè talis : quia hæc semper debet habere comitem causam physicam, scilicèt, illam voluntatem, quam allicit, & movet ad executionem effectus iuxta modum, quo potest existere, scilicèt, positivè, aut tantum remotivè, si sit quid privativum. Igitur prædictus modus causalitatis moralis, prout distinctus à causalitate physica, pensandus est iuxta modum, quo peccatum originale resultat, & consequitur ad peccatum capitale Adami. Si enim non resultet per aliquam actionem verè talem, & physicè verè influentem in ipsum, quamvis ex natura rei ad illud consequatur ; tantum dependebit ab illo, tanquam à causa morali. Cum ergò dubium sit inter Theologos : An peccatum actuale Adami per influxum physicum media aliqua virtute, aut privatione vigoris ad traducendam iustitiam originalem in posteros ex illo relicta, influat in illius existentiam, & non sit dubium inter eos, An fuerit causa effectiva peccati originalis; ideò præcisivè à tali litigio, supponunt communitèr fuisse causam moralem.

Quæ causalitas explicari potest à simili in sententia Illust. Godoy, & aliorum ; asserentium peccatum habituale consistere in aliquo positivo tantum morali relicto ex peccato actuali, respectu cuius non assignatur causa effectiva physica, sed tantum moralis; non quidem per modum demeriti, aut causæ ex natura rei inconnexæ cum peccato habituali; sed quia, cum hoc peccatum non sit aliquid physicũ, sed purè morale, ideò tantum assignatur pro illius existentia causa moralis. Idem constat in obligatione pupilli ad adimpletionem contractus celebrati à Tutore ; & similitèr in obligatione personali resultanti ex voto, & alijs contractibus : quæ quidem obligationes, quia non resultant ex illis per influxum positivum physicum, aliquid realitèr physicè in rerum natura existens producentem ; ideò dicuntur communitèr provenire à prædictis contractibus, tanquam à causa morali. Quòd tandem explicari potest in pura omissione peccaminosa ; ad quam licet necessario, & tanquam ad causam adæquatam, sequatur peccatum habituale ; quia tamen non influit in illud influxu propriè tali ; ideò dicitur esse causam, non physicam, sed moralem ipsius. Huic accedit; quòd modus causandi rei, prout est in acceptatione, aut abominatione Dei, est moralis; & sic contingit in præsenti.

36 Explic.

Secundo.

Ultimo.

Sed contra hanc explicationem dices 1. In ea impropriè accipi rationem, & nomen causæ effectivæ moralis ; cum de ratione illius propriè acceptæ sit causare movendo voluntatem alterius mediante præcepto, consilio, aut merito : ut ex notabi-

37 Instab. 1.

bilibus; & ex his, quæ docetur in Philosophia, constat. Dices secundo. Secundo. Eo dicitur peccatum actuale Adami, esse causam effectivam moralem, & non physicam peccati originalis, quia non influit in illud per influxum realiter, & propriè talem; sed hæc ratio non obstat: ergò. Prob. min. Nulla causa producens ex consequenti privationem alicuius formæ in subiecto (v. g. ignis producens per se primo calorem in aqua, & ex consequenti privationem frigiditatis) dicitur propriè influere in illam: eo quod, cum influere, & agere causæ efficientis sit dare esse; id, quod propriè non est, non requirit influxum propriè acceptum; & tamen causa efficiens huius privationis, sicut & aliarum, non dicitur moralis, sed physica: ergò. 3. Nàm in sententia asserente peccatum actuale læthale esse essentialiter inconiungibilem cum gratia sanctificante; non tantùm moraliter, sed physicè effectivè causat privationem gratiæ; ut docet D. Thom. 2. 2. q. 24. a. 10. Et tamen influxus ex parte peccati actualis in privationem gratiæ non est propriè, & strictè talis: ergò. Tertio.

Ad 1. Resp. neg. assumpt. Sicut enim oppositio physica unius formæ cum alia duplicem acceptionem admittit, scil. & physicam Philosophicè. & physicam Theologicè, ex quibus 1. solum convenit formis, quæ sunt in se quid positivum de linea physica, & physicè (hoc est, ex natura rei) ab eodē subiecto mutuo se expellunt, quales sunt albedo, & nigredo v. g. Secunda vero convenit formis, quæ etsi sint de linea morali, sunt tamen ex natura rei, & ratione suorum effectuum formaliū in eodem subiecto inconiungibiles, qualis est oppositio inter peccatum actuale, sive omissionis; sive commissionis cū gratia sanctificante, ut constat ex usu, & acceptione pluriū Theologorum, quos sequitur M. Boliv. ubi sup. n. 4. propter quod nemo audebit eos increpare de improprietate locutionis, aut abusu vocum; ita similiter possumus distinguere duplicem acceptionem causæ moralis, unam proùt accipitur à Philosophis, quæ quidem consistit in influxu per modum meriti, consilij &c. aliam vero in sensu Theologico magis universaliter accepta. Sub qua cōsideratione, quidquid ad lineam moris spectans causat aliud sine actione physica aliquid physicum producente; quia videlicèt, nec in se, nec in aliquo sui actū virtualiter existit: sed quia permanet tantum moraliter in divina abominatione, vel in carentia retractationis; potest dici causa effectiva moralis respectu illius absque nota abusus vocum, & improprietatis in modo loqnendi. 38 Respon-sio ad 1.

Quod fulciri potest exemplo habitus vitiosi dependentis in sui conservatione ab actibus vitiosis, quibus fuit acquisitus: & similiter exemplo peccati habitualis dependentis in sui conservatione à peccato actuali moraliter permanenti, sive non retractato. Respectu horum est sententia satis plausibilis plurium Thomistarum asserentium actus vitiosos, ut moraliter manentes in voluntate, conservare effectivè moraliter habitum vitiosum: similiterque peccatum actuale, ut moraliter perseverans, sive ut non retractatum, conservare effectivè moraliter peccatum habituale; & tamen huiusmodi causalitas effectiva moralis nec consistit in causalitate demeritoria, nec propter hoc AA. illam adstruentes impropriè, & abusive loquuntur; sed illam excludunt à ratione causalitatis physicæ; eo quod tàm actus vitiosi, quàm peccatum actuale physicè non existunt, nec proindè possunt aprehendere ex parte illorum aliquem influxum physicum in permanentiam habitus vitiosi, aut peccati habitualis: 39 Roborat.

Ad 2. Respond. negando causalem ut adæquatam; sed ideò; & quia peccatum actuale Adami non existit physicè in se, aut in aliquo ex illo physicè derivato, sed tantum permanet moraliter in abominatione divina. Ex quo constat ad exempla in contrarium adducta. Privatio enim frigiditatis consequitur physicè ad introductionem caloris; cumque hic physicè effectivè procedat ab igne; ideò talis privatio pariter effective physicè ab illo procedit. Peccatum autem actuale Adami; nec Adamus ratione illius, aliquid physicum effectivè producit 40 Ad 2.

in posteris, ad quod physicè consequatur peccatum originale. Unde constat esse apertam rationem discriminis. Ad 3. constat ex dictis: Nàm etsi influxus peccati actualis in privationem gratiæ non sit propriè, & strictè talis; cum non det aliquod esse, sed potiùs destruat esse gratiæ; cum tamen physicè existat pro instanti expulsionis gratiæ, & physicè inhæreat eidem subiecto, in quo est gratia, denominando ipsum actualiter transgredientem præceptum Dei (cum quò est physicè incomponibilis habitus gratiæ, & charitatis) ideò dicitur effectivè illam destruere. Peccatum autem actuale Adami in proprio subiecto ob rationem dictam potuit physicè causare peccatum habituale in privatione gratiæ consistens; non tamen in alieno subiecto; ut sunt posteri ex illo descendentes. Hanc eandem doctrinam tenet M. Serra. *Et hæc de hoc dub. applicand. litt. M. ubi præced.*

Ad tertiâ

DUBIUM VII.

AN PECCATVM ADÆ SIT CAVsa physicè effectiva peccati posterorum media aliqua virtute, aut privatione vigoris inducta in semine ex tali peccato?

§. I.

SUPPONVNTVR ALIQVA.

N. 1

Primo.

AGgredimur punctum explicatu satis difficile, & quod præcipuum est in hoc tractatu, maximè vero propter testim. SS. PP. & D. Ang. ex quibus varij modi sunt excogitati ad tuendam causalitatem physicam in peccato Adæ relatè ad peccatum posterorum. Ut igitur maiori claritate procedamus, mentem nostram tribus dubijs proponemus. Suppositis his quæ dub. antec. diximus de causalitate physica, proùt distincta à morali, modò supponendum 1. quòd cum semen decissum à generante sit virtus instrumentaria generationis hominis, quatenùs vi illius, & formatur corpus, & etiam activè pertingit ad unionem illius cum anima rationali; omnis causalitas physica excogitabilis ex parte Adami, & illius peccati in peccatum originale contractum à recentèr genito, debet transire (ut ita dicam) & suum influxum exercere mediâ virtute seminis proximi Parentis; de quo post tot sæcula, etiam verificatur trahere originem ex Adamo, tanquam ex principio activo, propter continuatam seriem generationum Adam relatè ad suos filios, & istorum in reliquos Parentes; ob cuius originem omnes Nos sumus filij eius, & ab ipso per seminalem propagationem descendentes.

Hinc apparet, quod si in semine 2
nullus datur influxus physicus proximus in peccatum originale, quòd ani- Secundo.
ma contrahit, quando unitur corpori; nequit Adamus physicè in tale peccatum influere. Patet hoc. Causa enim, quæ nec physicè ratione sui, nec in vi alicuius virtutis ex ipsa provenientis, dat esse effectui, non dicitur propriè in illum physicè influere; cum ergò in illa mirabili, occultissimaque animatione cor-

corporis, solum concurrunt duo principia activa; scilicèt, Deus creans animam ration. illam uniēs, infundensque corpori; & semen à generante decissum post formationem, & elaborationem corporis pertingens etiam ad prædictam unionem iuxta doct. S. D. 3. p. q. 32. a. 1. & 1. p. q. 118. a. 2. ad 4. sitque omninò certum; peccatum originale à Deo non provenire; solum restat assignare pro principio etsi instrumentali semen generantis. Sed hoc opus; hic labor! Adamus enim iam physicè præterijt: peccatum illius, quòd ponitur ut principium peccati originalis; fuit etiam remissum, & abolitum à sua voluntate: semen decissum à proximo Parente nihil habet superadditum ex dependentia (estò longissima) ab Adamo supra vim generativam. Unde ergò, aut, à quo causatur physicè effective tale peccatum? Ut autem nihil difficultatis dissimulemus: supponimus peccatum originale esse intrinsecum animæ parvuli, tanquam privationem gratiæ, aut tanquam quid positivum morale causatū ex peccato Adæ, ab illoque realitèr distinctum. Si enim illud sit ipsum peccatum actuale Adami ut afficiens moralitèr parvulos, subindèque eis ex parte obiecti extrinsecum: non adest specialis difficultas pro illius traductione.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Semen non causat peccatum originale per suam virtutem innatam, aut per aliquem modum, aut respectum ei superadditum ex peccato Adæ.

3 PRob. 1. pars. Implicat semen esse virtutem instrumentariam productivam peccati originalis, nisi illud in se præcontineat; sed huiusmodi præcontinentia repugnat virtuti innatæ seminis: ergò. Pr. min. 1. Vis nativa seminis non præcontinebat in statu puræ naturæ peccatum originale, ut est certum: ergò nec modo illud præcontinere potest. Pr. cons. Nequit virtus eadem omninò intrinsecè transire de nō præcontinente intrinsecè aliquem effectum, ad ipsum intrinsecè præcontinendum; quòd quidem verum tenet de omni causa, sive principalitèr, sive instrumentalitèr operante iuxta communem Thomist. doct: qua ratione asserunt causam instrumentalem debere elevari per aliquam motionem intrinsecam virtuosam in ipsa receptam, ut effectum excedentem vim nativam illius producere valeat. Sed virtus nativa seminis est eadem omninò in hoc statu, ac instatur puræ naturæ quòad omnem virtutem suam physicam; cum per peccatum Adæ non sit physicè immutata virtus illius: ergò si in statu puræ naturæ &c.

Prob. 1. pars.

Oppositum 2. part. tenet Gregorius Mart. hic dub. 4. conc. 6. dicens: *Semē se habere de facto eodem modo quātum ad substantiam, atque in puris naturæ, modalitèr tamen, & formalitèr diverso modo se habere; quia in statu naturæ lapsæ dicit ordinem ad concupiscentiam effrenatam, quam in statu puræ naturæ nullatenùs diceret.* Sed contra hanc doctrinam sic arguo. Quod semen modo decidatur ab Adamo peccatore, non variat intrinsecè illud: ergò talis decisio non est aliquis modus intrinsecus superadditus illi. Pr. añs. Semen esse decissum ab Adamo peccatore solum superaddit ad ipsum, ut in statu puræ naturæ, peccatum Adami. Sed ex tali peccato (cum fuerit actus immanēs voluntatis) nequit derivari aliquis modus intrinsecus ipsi semini: ergò. Confir. Id, quòd realitèr non superadditur semini, nequit illud intrinsecè variare; sed quod sit decissum ab Adam peccatore, & dicat ordinem ad concupiscentiam effrenatam, nihil reale positivum entitativè, aut modalitèr superaddit: ergò. Min. quòad 2. p. pr. Ille novus modus superadditus, vel ponitur permanentèr in semine, vel solum transeuntèr; cum scil. actu concurrit ad generationem? Hoc 2. nequit dici; siquidem prædicti modi intrinseci transeūtis deberet poni ut causa productiva physicè peccatum Adæ: quod quidem esse non potest, cum modo non existat. Nec etiam potest dici primum: Nam vel talis entitas modalis realitèr superadita est corporea; vel spiritualis?

4 Secunda pars pro.

Confirm.

Si ſpiritualis; quomodò eſt rei corporeæ modus, & in illa permanentèr receptus? Si corporea; ut quid ſuperadditur de novo ad effectum ſpiritualem? Ergò talis modus ſuperadditus eſt repugnans.

5 Explic. & roborantur dicta: Nequit cauſa inſtrumentalis de ſe impotens producere aliquem effectum, reddi potens ad productionem illius, niſi elevetur ad illum; ſed ſemen eſt de ſe impotens ad productionem peccati originalis, ut conſtat, ſi conſideretur homo productus in pura natura: ergò ut modò fiat potens producere peccatum originale; indiget aliqua cauſa illud elevante.* Tum ſic: Sed talis cauſa nequit eſſe Deus; aliàs poſſet ſpecialitèr operari, & influere in exiſtentiam peccati; Deindè: non peccatum Adami; cùm hoc phyſicè non exiſtat: ergò talis phyſicæ elevationis nulla eſt aſſignabilis cauſa. Confirm. hæc ratio: Peccatum Adami fuit actus immanens ſuæ voluntatis. Sed ponere aliquam actionem immanentem elevare phyſicè ſemen illud conſtituendo intrinſecè potens permanentèr ad effectus derivandos in tot poſterorum generationes eſt prorsùs incredibile, & extraneum à Philoſophia: ergò.

Explicat.

* Elevationem voto, quia extra vim innatam, & in alio ordine remotive.

6 Nèc valet ſi dicas: Quòd licèt peccatum Adæ ex natura ſua non habuerit cauſare talem elevationem, illam tamen habuit ſuppoſito pacto ex parte Dei conſtituentis Adamum caput totius naturæ. Non inquam valet: Nàm vel ſolutio intendit, quod peccatum Adami habuerit illam vim præcontentivam ex elevatione Dei efficientis ipſam, vel ex ſuppoſitione pacti ſe habentis pure ut conditionis, ut peccatum Adami illam virtutem explicaret? Si 1. ergò Deus eſt cauſa, & Author peccati. Prob. conſeq. Deus ut ſpecialiter, & ſupra naturam rerum concurrens ad productionem virtutis, aut modi unicè, determinati ad exiſtentiam peccati eſt cauſa ſpecialis, & A peccati; ſed huiuſmodi eſt talis elevatio virtuoſa ſeminis; cùm ſoli productioni peccati originalis deſerviat: ergò. Secundum autem nequit ſuſtineri. 1. Quia pactum celebratum cum Adamo ſolùm addidit peccato ipſius aliquid morale, ſcilicèt gravitatem malitiæ illius in ratione capitalis; ſed ex additione ſolius moralitatis nequit derivari aliqua vis phyſica effectiva ſubiecto, quod ſecundùm ſibi intrinſeca eſt phyſicè impotens cauſare talem elevationem: ergò peccatum Adami nequit etiam ex ſuppoſitione pacti ſe habentis per modum conditionis elevare ſemen, ut præcontineat peccatum originale. Secundò. Nàm id, quod intrinſecè non præcontinet effectum, nequit illum præcontinere per appoſitionem ſolius conditionis: ergò ſi peccatum Adæ eſt huiuſmodi ad communicandam virtutem, & elevandum ſemen ſui, & poſterorum, ut phyſicè influat in peccatum originale; parùm prodeſt conditio pacti alias extrinſeca, ut peccatum Adami cauſet talem elevationem.

Impugn. quædam ſolutio.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Semen non cauſat media aliqua virtute ipſi poſitivè ſuperaddita peccatum originale.

CONcluſio hæc conſtat 1. ex dictis contra M. Gregorium Martinez: plùs enim eſt ſuperaddere virtutem poſitivam, quam tantum novum modum virtutis. Si ergò hæc ſuperadditio repugnat, à fortiori repugnavit & illa. Ulteriùs: Nàm quotiès D. Thom. concedit ſemini rationem cauſæ inſtrumentalis ad traductionem peccati originalis ſimul cum natura humana, non facit mentionem alicuius virtutis poſitivæ ei realitèr ſuperadditæ, ſive permanentèr, ſive tranſeuntèr in illo exiſtentis; ut videre eſt in ipſo Sanct. Doct. imò potiùs, ſi alicubi mentionem facit de aliquo ſuperaddito, hoc quidem aſſerit eſſe* privationem, ſive defectum vigoris ad traducendam iuſtitiam originalem;* quiquidem defectus ortum ducit ex peccato Adami.

7 Sic PP. Salmant. diſp. 16. dub. 2. Ferre 4. cap. 50.

Prob. ex S. D.

Sic enim habet quæſt. 4. de Malo art. 1. ad 9. *Ex peccato primi Parentis deſtituta eſt caro eius illa virtute, ut ex ea poſſet decidi ſemen, per quod*

quod originalis iustitia in alios propagaretur. Et sic in semine defectus huius virtutis est defectus moralis corruptionis, & ex hoc est etiam ibi virtus ad similem imperfectionem. Et in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 2. ad 4. ait: *Ex hoc ipso, quod in semine est talis dispositio, quæ privatur illa impassibilitate, & ordinabilitate ad animam, quam in primo statu corpus humanum habebat, sequitur, quod in prole efficiatur originale peccatum in actu.* Similia habet in solutione ad 5. Et dist. 31. ad Anibal. art. 1. ad 1. & alibi. Atqui privatio vigoris ad traducendam iustitiam originalem in posteros longè distat à virtute positiva superaddita: ergò talis virtus non est de mente D. Thomæ.

1

9 Ratio est. Talis virtus positiva superaddita, aut ortum ducit ex peccato Adami per influxum physicum ab illo descendens; vel causatur à Deo, quoties semen activè concurrit ad generationem? Primum nequit dici: Nàm cum peccatum Adami fuerit actus immanens voluntatis, nequit aliquid physicum positivum in corpore suo producere. Pro quo videantur rationes, quibus probant communiter Theolog. contra Ricard. & alios antiquos asserentes ex peccato Adami derivatam fuisse quandam qualitatem morbidam in semine, per quam traducatur activè peccatum originale. Si secundum; sequitur Deum esse causam specialem peccati originalis; siquidem causa conferens virtutem de se ordinatam ad peccati traductionem, & per quam elevatur aliquod instrumentum ad illam, est causa specialis talis effectus; ut patet à simili, si esset causa per se infundens habitum vitiosum, vel cognitionem allicientem unicè ad peccandum. Sed talis esset illa virtus positiva, utpotè unicè deserviès traductioni peccati originalis: ergò. Ex his potest ulteriùs roborari idem assumptum. Nàm talis virtus superaddita vel esset permanenter in semine, vel tantum esset in illo transeuntèr; neutrum dici potest: ergò. Min. quòad 1. part. prob. Nulla virtus in se spiritualis potest permanenter recipi in subiecto corporeo; nisi ad summum Deo supernaturaliter operante; sed talis virtus esset in se spiritualis, utpotè ex natura sua unicè destinata, & ordinata ad productionem effectus suo modo spiritualis, scil. peccati originalis: ergò illius permanentia in semine esset à Deo ut supernaturaliter operante: quod repugnat.

Prob. ratione.

Alia ratio.

Quoad 2. verò partem prob. Omnis qualitas fluida requirit causam efficientem sui; sed huiusmodi causa nequit assignari: ergo. Prob. min. Talis causa efficiens nequit esse solus Deus: tùm quia aliàs esset causa per se qualitatis unicè ordinatæ ad peccatum, quod repugnat: sicuti & esse causam per se peccati. Tùm quia in dicto casu Adamus non esset causa efficiens physica traductionis peccati originalis; utpotè non producens efficienter virtutem traductivam illius. Deindè talis causa nequit esse peccatum Adæ. Quod sic prob. Nequit esse causa physica effectiva id, quod nèc physicè in se formaliter existit, nèc virtualiter in aliquo ex se derelicto; sed peccatum Adami modo non existit physicè in se, nèc virtualiter in aliquo ex se derelicto ad productionem physicam talis qualitatis fluidæ; cùm antecedenter ad hanc qualitatem, de qua est litigium, non sit assignabilis alia: ergò.

10

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO PRINCIP.

Asserere semen, ut privatum vigore, seu virtute supernaturali ad traductionem gratiæ ut sanctificantis posteros, causare instrumentaliter in ipsis peccatum originale, non est de mente S. D.

OPpositum huius tenent PP. Salmant. in præsenti dub. 3. §. 4. & 5. & Mag. Ferre hic §. 4. num. 1163. Quamvis in fine videatur dicere oppositum. Nostram tamen conclusionem tenent Zumel hic art. 1. in solut. ad 4. prope finem, Gregorius Martinez, Montesinos quæst. 2. à num. 27. Illust. Godoy, & alij. Pro cuius intelligentia notandum, quod iustitia originalis, vel erat donum

11

Sensus concl. explicatur.

num realitèr distinctum à gratia sanctificante (ut plures probabilitèr tenent) connexum tamen, & radicatum in ipsa ; vel erat cutitativè ipsa gratia habitualis, à qua propter aliquem modum ipsi superadditum, ultra effectum primarium illius, scilicèt, reddere animam gratam, & acceptam Deo; radicabat donum integritatis, per quod appetitus sensitivus erat perfectè subditus rationi : & insuper donum immortalitatis, aliasque perfectiones, quibus Adamus fruebatur in statu innocentiæ, & cum quibus nascerentur eius posteri, si ipse non peccasset. Pro distinctione, aut identitate inter gratiam habitualem, & iustitiam originalem videatur Magist. Gonet Tract. de Gratia disp. 3. art. 1. & Mag. Boliv. Tract. de necessitate Gratiæ dub. 5. PP. Salmant. hic disp. 16. dub. 3. à n. 57.

Ex his clarè percipitur sensus conclusionis. Non enim intendimus
12 pronùnc impugnare sententiam aliquorum asserentium,* semen in statu innocentiæ habiturum esse quendam vigorem ad traductionem iustitiæ originalis, proùt hæc subijcieba t appetitum sensitivum rationi, & corpus animæ ; de quo in sequenti:* sed solùm *negare semen in dicto statu habiturum esse quendam vigorem supernaturalen ad traducendam instrumentalitèr in posteros gratiam sanctificantem ; vel iustitiam originalem, (ſ hæc non distinguitur realitèr ab illa) quantùm ad primarium eius effectum, scilicèt, subijciendi animam Deo, & reddendi eam ipsi amicabilitèr dilectam.*

Authores enim oppositum nostræ conclusionis tuentes sic conan-
13 tur componere Adamum fuisse causam efficientem physicam peccati originalis. Supponunnt enim peccatum originale consistere in privatione iustitiæ originalis quòad munus sanctificandi. Deindè conantur suadere semen in statu innocentiæ habiturum esse quendam vigorem supernaturalem ad traducendum in posteros gratiam, vel iustitiam, etiam quòad effectum sanctificandi, quo quidèm vigore fuit privatum semen Adæ ob illius peccatum. Ex his ergò

Modus tuendi sent. oppositæ

inferunt ; quòd quemadmodùm virtus positiva causæ inducit perfectionem positivam in effectu, ita privatio virtutis causæ est sufficiens inducere imperfectionem privativam in effectu. Quia ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio debet esse causa negationis : ergò cum peccatum originale consistat in privatione iustitiæ originalis, optimè componitur semen destitutum, & privatum vigore illo supernaturali, quo polleret in statu innocentiæ, causare physicè instrumentalitèr prædictum peccatum. His ergò suppositis.

Prob. prima pars conclusinis ex Div. Thom. 1.p.quæst.100.a. 1.ad 2. 14
dicente: *Cùm radix iustitiæ originalis consistat in subiectione rationis ad Deũ,* Prob. ex S. D.
quæ est per gratiam gratum facientem, necesse est dicere, quòd si pueri nati fuissent in iustitia originali, quòd etiam nati fuissent cum gratia. Non tamen propter hoc fuisset gratia naturalis, quia non fuisset trnsfusa per virtutem seminis, sed fuisset collata homini statim cùm habuisset animam rationalem, sicut etiam statim cum corpus est dispositum, infunditur à Deo anima rationalis. Ubi expressè negat gratiam perseverante statu innocentiæ transfundendam fore per virtutem seminis, aut habendam esse per generationem carnalem. Insuperque asserit, ita deberi tùnc infundi à Deo Animabus parvulorũ, sicuti modò infunditur à Deo Anima corpori dispositò : ergò quem admodùm Deus infundit Animam corpori, quin ex parte illius semen instrumentalitèr in prædictam infusionem concurrat ; ita dicendum de infusione gratiæ sanctificantis, si status innocentiæ perseveraret.

Id ipsum affirmat in 2. dist. 20. 15
quæst. 2. a. 3. in sol. ad 5. dicens: *Gratia non propagaretur in posteros à Parentibus, quasi per virtutem seminalem* Aliud Testim.
gratiam filij consequerentur ; sed quia cum transfusione naturæ, cui ex promissione divina gratia debebatur, simul gratia infusa fuisset. Quam doctrinam tradiderat in fine corp. & in solut. ad 1. Ex quibus verbis potest formari sequens discursus : Gratiam infundi à Deo simùl cum transfusione naturæ facta in posteris Adæ per

vir-

virtutem seminalem tantùm dicit infallibilem concomitantiam inter infusionē gratiæ,& transfusionem naturæ : ut constat ex significatione huius particulæ *cum* , prout differt ab hac particula *per*. Hæc enim significat aliquam causalitatem , illa verò solùm simultatem , & concomitantiam. Atqui iuxta Div. Thom. gratia non infunderetur posteris per transfusionem naturæ factam per virtutem seminalem , sed simul cum transfusione naturæ: ergò iuxta ipsum fatendum est in statu innocentiæ nullum dari vigorem in semine ad transfusionem gratiæ in posteros. Eadem ponderatio potest fieri ex verbis Anselmi lib. de conceptu Virg. cap. 10. dicente. : *Simul cum rationalem haberent Animam, iusti essent , quos generaret homo , si non peccaret.* Ubi illa dictio *simul* solam concomitantiam denotat.

16 Ad hæc Resp. PP. Salm. & M. Ferre : Gratiam habitualem infusam perseverante statu iunocentię dupliciter posse considerari : uno modo , ut perficiebat Animam absolutè , & secundùm se acceptam , hoc est, in ordine ad Deum , & ad actus , qui ab ipsa Anima independentèr à corpore poterant exerceri : alio modo, quatenùs perficiebat Animam formalissimè ut unitam , & informantem corpus. Cùm ergò negat Div. Thom. Gratiam in statu innocentiæ non fore traducendam per virtutem seminis, sed unicè à solo Deo infundendam; loquitur de gratia primo modo accepta. Cum hoc tamen componitur ipsam gratiam quantùm ad unionem cum corpore attingi per semen ratione vigoris supernaturalis ei superadditi. Undè sicut Anima rationalis entitativè , & secundùm subsiantiam accepta,à soloDeo fit per creationem; quòad unionem verò cum corpore attingitur à generante mediante semine secundum suam virtutem naturalem ; ita cum proportione discurrendum de gratia habenda in statu innocentiæ.

Solutio Adversi.

17 Sed contra est 1. Implicat gratiam perficientem animam formalissimè,ut unitam corpori, attingi effectivè per aliquam virtutem seminis ; si unio animæ ad corpus præcedit infusionem gratiæ ; sed sic contingeret in statu innocentiæ iuxta doctrinam D. Thom. ergò in tali statu gratia nullatenùs attingeretur per vigorem superadditum semini. Mai. constat,tùm quia gratia ut unita corpori est posterior se ipsa , ut infusa à Deo , & ut perficiente absolutè Animam: ergò si infusio gratię à Deo supponeret unionē Animæ ad corpus;proindeque supponeret omnem concursum activum seminis ultimo terminatum;& cōpletum ; paritèr illum supponeret gratia, ut unita corpori. Tùm etiam quia si precedente unione animæ cum corpore infusionem gratiæ,posset generans attingere unionem gratiæ cum corpore , sequeretur , quòd talis attingentia effectiva gratię quòad unionem,præcederet infusionē gratiæ, ut perficientis absolutè Animam ; sed hoc est apertè falsum , & negatum ab AA solutionis: ergò. Min. vero prob. Hominem habere animam rationalem dicit formalissimè , & constitutivè Animam esse unitam corpori : ut est certum ; sed iuxta Div. Thomam gratia non infunderetur à Deo , usque dùm homo haberet animam rationalem : ergò non infunderetur Animæ à Deo,neque eam absolutè perficeret , nisi pro posteriori ad unionem animæ cum corpore.

Ipmug.1.

18 Urgetur hoc retorquendo argum. à contrarijs adductum. Si concursus activus seminis ad unionem Animæ rationalis cum corpore præcederet actionem creativam Dei, per quā ipse producit Animam entitativè, & quòad substantiam acceptam ; talis cōcursus seminis esset chimericus.Cuius ratio est:Nā sicut in Anima rationali prius intelligitur ratio formæ spiritualis per se subsistentis , & in se perfectæ , quam ratio formæ , ut unitæ, & informantis corpus ; ita similiter prius intelligitur pro aliquo signo Anima , ut terminus actionis creativæ Dei , quàm ut terminus actionis unitivæ ex parte generantis. Quomodò enim posset esse terminus unionis, si non præsupponeretur forma habens esse , quod posset attingi per ipsam unionem ; quando hæc non potest producere formam entitativè

Urgetur.

sump-

sumptam, ut contingit in actione unitiva Animæ rationalis: ergò si unio Animæ ad corpus præcedit iuxta D. Thom. actionem Dei infundentem gratiam in Anima, actio generantis uniens Animam corpori præcedit gratiam ut infussam à Deo. Sed hoc ipso nequit talis actio unire gratiam corpori: ergò iuxta Div. Thom. gratia nèc entitativè, nèc unitivè sumpta attingeretur per generationem. Min. subsumpta prob. Nequit actio, quæcúque sit, attingere purè unitive aliquã formam, quæ in signo talis actionis unitivæ non est, nèc intelligitur præexistens; prius est enim formam absolutè existere, quàm existere ut alteri purè unitã, sed si actio unitiva Animæ ad corpus præcederet gratiam, ut à Deo infussam, in signo talis actionis non intelligeretur gratia, ut aliquomodo existens: ergò &c.

19 Secundò.

Contra 2. Si talis virtus supernaturalis non produceret in Anima gratiam sanctificantem, ut absolutè illam perficientem; superfluè ponitur talis virtus ad uniendam gratiam mediatè cum corpore: ergò talis virtus supernaturalis non est admittenda. Prob. antec. Superfluè ponitur aliqua virtus ad aliquem effectum, qui æquè existit deficiente tali virtute: sed deficiente tali virtute supernaturali subsisteret gratia sanctificans perficiens animam unitam corpori, proindèque ut hanc mediatè unitam: ergò. Prob. min. Implicat gratiam sanctificantem uniri Animæ, eamque perficere, & quòd Anima uniatur corpori; quin talis gratia perficiat etiam Animam ut corpori unitam. Constat hoc in gratia sanctificante infussa homini peccatori, per quam non solùm perficitur Anima illius absolutè, & in ordine ad Deum, sed etiam quatenùs est eminentèr forma corporis, radicando, scilicèt, plura dona, & virtutes morales infussas, quibus perficitur appetitus sensitivus: pro quarum radicatione non ponitur aliquis influxus activus supernaturalis distinctus ab actione infusiva gratiæ: ergò semèl quòd Deus se solo infunderet gratiam in statu innocentiæ, produceret illam ut perficientem Animam, tùm absolutè, tùm etiam, ut est forma corporis, radicando scilicèt perfectiones proprias illius status.

Obstat 3. Concursus activus talis vigoris supernaturalis, vel uniret activè gratiam Animæ cum corpore purè materialitèr, vel etiam formalitèr? Si 1. Superfluè ponitur talis virtus supernaturalis. Assumptum prob. Superfluè ponitur virtus, & concursus supernaturalis ad unionem, quæ pròut est terminus talis concursus, non est aliquid supernaturale; sed concursus activus terminatus ad unionem gratiæ cum corpore tantùm materialitèr, non respicit pro termino aliquid supernaturale; cùm tantùm habeat unire corpori Animam, quæ aliàs supponitur habens à Deo gratiam supernaturalem: ergò. Si 2. Vel talis concursus requiritur, ut gratia infussa Animæ uniatur immediatè corpori: quod est chimera; vel ut gratia infussa Animæ radicet aliqua dona, & perfectiones proprias corpori in statu innocentiæ? Sed hoc 2. inconsequenter affirmari potest ab Authorib. prædictæ solutionis: ergò. Prob. min. Dona illa, & perfectiones convenientes corpori, & appetitui sensitivo in statu innocentiæ, radicarentur in gratia habituali ratione alicuius modi ipsi à Deo superadditi; ut tenent prædicti PP. Salm. ubi supra citati; sed ultra concursum effectivum principalem alicuius formæ superfluè additur concursus effectivus instrumentalis, ut talis forma radicet proprietates, & perfectiones, quæ ad illam consequuntur: ergò.

20 Tertiò.

Denique. Si talis vigor supernaturalis non influebat activè in existentiam gratiæ ut perficientis Animam subjiciendo eam Deo ut Auth. supernaturali, sed solùm quòad unionem cum corpore, & quòad radicationem donorum integritatis, & impassibilitatis (præterquamquòd subsistit veritas nostræ conclusionis, ut ex ipsis terminis, quibus est proposita, & ex notabilibus ibidèm adductis constat) privatio talis vigoris in semine ob peccatum Adami, nequit conducere ad traductionem physicam peccati originalis in posteros: ergò positio vigoris supernaturalis, & illius privatio ob peccatum Adami, inutilis

21 Ultim. ex concessis.

est

est pro traductione physica peccati originalis. Antec. prob. Privatio talis vigoris in semine ob peccatum Adami solùm potest inducere effectivè privationem illius effectus, quem positivè induceret talis vigor, si Adamus non peccasset; sed iuxta solutionem prædictus vigor non causaret effectivè gratiam in Anima, quatenùs eam reddit subiectam Deo ut Authori supernaturali; in qua subiectione consistit formaliter ratio sanctitatis: sed solum attingeret effectivè gratiam quòad alia dona consecuta ad munus sanctitatis: ergò privatio talis vigoris solum est potens inducere in anima privationem gratiæ ut unitæ corpori, & ut radicantis donum integritatis, & impassibilitatis, quibus trueretur natura in statu innocentiæ. Tùm sic: sed peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiæ, proùt hæc subjcit Animam Deo, eamque ipsi gratam constituit; non vero in privatione illius, proùt erat radix doni integritatis, aliarũque perfectionum, ut AA. solutionis expressè tuentur: & apertè constat in parvulis baptizatis, quibus per gratiam infussam remittitur peccatum originale, absque eo quod talis gratia in eis radicet donum integritatis, & immortalitatis: ergò.

§. V.

Non congruit rationi.

22 TAlis vigor, sive virtus supernaturalis, vel esset permanenter in semine, vel solùm transeuntèr, cùm actũ concurreret ad generationem? Neutrum dici potest.

Prob. 1. quia nequit dici virtus permanens.

Non quidem 1. Quia; quòd virtus spiritualis sit permanenter in subiecto corporeo, nequit contingere, nisi Deo specialitèr, aut miraculosè intra ordinem supernaturalem operante. Atqui concedere Deo huiusmodi specialem modum operandi intra ordinem supernaturalem caret ratione efficaci, & solùm ex authoritatibus Sacræ Script. posset deduci: ergò. 2.

Secundò.

Quia non est congruum rationi concedere semini in statu innocentię virtutem supernaturalem perfectiorem, vel quòad substantiam, vel quòad modum existendi, quàm sit virtus, quæ confertur Sacramentis Novę Legis in ordine ad productionem gratiæ; pro quorum institutione Christus Dominus divitias sui amoris effudit, & quibus merita suæ Sanctissimę Passionis communicavit. Sed virtus supernaturalis his communicata solùm est in eis transeuntèr iuxta expressam doctrinam Div. Thom. quam omnes eius Discipuli sequuntur: ergò. 3.

Tertiò.

Quia virtus sic permanentèr communicata peteret radicari in iustitia originali; non enim datur permanentia in virtute, nisi habeat radicem permanentem; sed talis radicatio in gratia collata Adamo caret omni authoritate Script. & SS. PP. ergò.

23 Quod vero talis virtus supernaturalis nequeat poni transeuntèr, probat. 1. ex dictis. Siquidem hoc esset æquare semen in statu innocentiæ cum Sacramentis novæ legis quo ad virtutem producendi gratiam: & asserere illud; ex opere operato illam causare; quod quidem assertum quòad utramque partem ratione caret. Siquidèm ad ea, quæ sunt supra naturam, solum authoritas divina pro ratione efficaci deservire potest, ut rectè docet D. Thom. 1. p. q. 99. a. 1. propter quod ibi asserit * in statu innocentiæ pueros non statim habituros fore perfectam virtutem ad motum membrorum; quia videlicèt, talis virtus est supra vires naturæ humanæ, proindèque non nisi inniten̄do authoritati divinæ (quæ quidem non datur) concedi potest: * ergò cum nulla sit authoritas pro communicatione talis virtutis supernaturalis in semine ad traductionem gratiæ; illam adstruere, etiam per modum transeuntis, est voluntarium.

Probat. 2. qnia nec esse valet quid transiens.

24 3. Pr. Talis virtus supernaturalis non erat necessaria ad salvandam promissionem factam Adamo, scilicèt, quod si observaret præceptum, posteri nascerentur cum iustitia, & sanctitate. Nã ad hoc nullatenùs esset necessaria positio talis virtutis: siquidem Deo eis infundente statim, ac habuissent Animam rationalem, gratiam, sive iustitiam originalem, verificaretur cũ proprietate, quod *pueri nascerentur*

Prob. 3.

cum

cum sanctitate, & iustitia originali; ut de se constat, & exempla Beatissimæ Virginis Mariæ conceptæ in iustitia, & Adami, & Angelorum convincunt: de quibus verè affirmatur fuisse à Deo in sanctitate, & iustitia creatos; quamvis independenter à concursu effectivo alicuius virtutis instrumentariæ: ergò. Deniquè. Quia ponere talem virtutem supernaturalem, & entitativè spiritualem communicatam semini videtur parùm decens, & decorum excellentiæ, puritati, & exaltationi gratiæ supra omnem rem corpoream: ergò.

§. VI.

QUARTA CONCLUSIO.

Idem dicendum de privatione vigoris, quem haberet semen pro statu innocentiæ ad traducendam iustitiam originalē, prout hæc dicit dona, quibus appetitus erat subditus rationi, & corpus animæ.

25 PAtres Salm. & Mag. Ferre agnoscentes aliquam difficultatem, & duritiam in adstruendo pro statu innocentiæ vigorem supernaturalem in semine ad causandum instrumentalitèr in posteris gratiam sanctificantem, sive iustitiam originalem quòad primarium eius effectum, scilicèt, subiectionem mentis ad Deum; aliam viam suo videri non ita arduā meditati sunt; scilicèt, distinguendo iustitiam originalem à gratia sanctificante, saltim quòad effectum secundarium in illa repertum; quiquidèm consistebat in eò, quòd appetitus sensitivus erat perfectè subditus rationi, & corpus subditum animæ, vi cuius subiectionis nullus poterat esse motus inordinatus contra ordinem rationis, & corpus præservabatur à corruptione, alijsque passionibus inducentibus ad mortem. Hac distinctione suppositā asserunt, semen in statu innocentiæ habiturum vigorem ad producendum donum integritatis, per quod vires inferiores formaliter subderentur rationi, & donum integritatis, per quod Anima dominaretur corpori præservando illud à corruptione. Hoc enim vigore propter peccatum Adami mansit semen privatum; ideòque mediante tali privatione ex tali peccato derelicta, consequitur in prole defectus iustitiæ originalis, in quo peccatum originale consistit. Ita PP. Salm. ubi sup. num. 77. & Mag. Ferre num. 1162. & §. 5. ferè per tot. Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 70. §. *Sed Respondetur.*

Sensus concluſ.

Contra hunc modum obstat 1. Nàm donum integritatis, per quod appetitus sensitivus erat perfectè subditus rationi, fuit entitativè supernaturale, ut probat Mag. Boliv. dub. 5. de Necessitate gratiæ §. 2. num. 7. ex Div. Thom. 1. part. quæst. 95. ar. 1. contra P. Suarez Tom. de Statibus naturæ Prolegom. 4. cap. 5. & ratio à prædicto Mag. adducta id efficacitèr suadet: Quia subiectio appetitus sensitivi ad rationem, ut ordinatam ad finem supernaturalem, nequit non esse supernaturalis; sed talis erat subiectio appetitus sensitivi ad rationem pro statu innocentiæ; cùm ratio in tali statu esset extrinsecè, & intrinsecè ordinata ad finem supernaturalem: ergò. Idem dicendum de vigore, quo Anima in tali statu dominabatur corpori illud præservando à morte, & corruptione. Ita expressè Div. Thom. ubi sup. per hæc verba: *Manifestum est autem, quòd illa subiectio corporis ad Animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis, alioquin post peccatum mansisset &c.* Et quæst. 97. art. 1. ad 3. *Vis illa præservandi corpus à corruptione non erat Animæ humanæ naturalis, sed per donum gratiæ.* 26

Reijcitur 1. ex frequenti doct. Th.

His testim. ducitur M. Ferre tom. 3. in 1. 2. q. proem. §. 13. ad asserendum (contra aliquos ex Thomistis) donum integritatis, proùt importabat vigorem, quo vires inferiores subdebantur rationi in statu innocentiæ, & insuper vigorem illum, quo corpus plenè subdebatur Animæ; fuisse entitativè supernaturale. Quo suppositō statim se offert argumentum contra prædictum Mag. ad probandum semen in statu innocentiæ non habiturum vigorem ad traductionem iustitiæ originalis, proùt hæc addit donum integritatis superiùs recen- 27

Ex illare darguitur M. Ferre.

si-

situm supra gratiam, vel supra se ipsam, ut sanctificantem. Talis vigor, seu virtus physicè instrumentalitèr productiva iustitiæ originalis deberet esse entitativè supernaturalis, utpote ex se unicè ordinata ad productionem effectus entitativè supernaturalis; sed hoc asserere (præterquam quòd videtur voluntarium, ut infra constabit) est parùm decens excellentiæ virtutis, & gratiæ intrinsecè supernaturalis: sicuti & asserere, virtutem seminalem in statu innocentiæ elevandam fore ad ordinem supernaturalem, quotiès actù concurreret ad generationem prolis: ergo talis vigor supernaturalis &c.

28 Quia tamen PP. Salm. M. Gonet, & Alij, tuentur donum illud integritatis in duplici subiectione supra relata consistens, esse entitativè naturale, solùmque quoad modum supernaturale, hoc est, non debitum naturæ humanæ, nèc ab illa exactum, sed à Deo gratuitò concessum. Ex quo colligitur vigorem requisitum ad illius traductionem non debere esse entitativè supernaturalem: ideò ulteriùs probatur ratione magis universali nostra concluſ. Donum integritatis (sive quod idem est, iustitia originalis, quoad effectum subijciendi perfectè appetitum rationi, & corpus Animæ pro statu innocentiæ) proveniebat à gratia sanctificante tanquam à radice physica illius; sed hoc ipso nequit concedi in semine vigor ad traductionem prædicti doni, sive iustitiæ originalis: ergò. Mai. conceditur à prædictis Authoribus, & meritò, utpotè expressa Div. Thom. 1. part. quæst. 100. art. 1. ad 2. dicentis: *Radix iustitiæ originalis, in cuius rectitudine factus est homo, consistebat in subjectione supernaturali rationis ad Deum, quæ est per gratiam gratum facientem.* Quod priùs dixerat ibi quæst. 95. art. 1. in corp. Min. verò prob. 1. Si tale donum radicatur physicè in gratia sanctificante, per eandem actionem, per quam Deus infunderet talem gratiam, causaret secundariò, & ex consequenti prædictum donum: sicuti per eandem actionem, per quam producitur natura, producuntur etiam proprietates, quæ radicantur in illa. Sed iuxta Adverſ. solus Deus absque interventu alicuius causæ instrumentalis infunderet gratiam sanctificantem: ergò superfluè poneretur in semine vigor ille &c.

1. Ratio.

Probatur min. 1.

2. Licèt Deus possit connaturalitèr loquendo adhibere secum concursum instrumentalem creaturæ ad productionem dispositionis ad aliquam formam introducendam; quam tamen solus Deus entitativè acceptam producit propter excessum specialem perfectionis in tali forma (uti contingit in creatione Animæ rationalis, ad cuius tamen unionem cum corpore semen instrumentalitèr concurrit) secùs verò asserere Deum absque interventu alicuius causæ instrumentalis producere, & introducere aliquam formam in subiecto, & ponere ad hoc, ut talis forma radicet aliquas proprietates, (præsertim ordinis inferioris) ipsum uti concursu instrumentali alicuius creaturæ. Ratio est: Nàm illa prima actio Dei debet poni ut perfecta, & completa; proindèque ut attingens formam, & ea, quæ consequuntur ad formam: ergò si prædictum donum radicatur &c. Ex quo probat. 3. illa minor. Nequit poni vigor in semine ad effectum, qui æquè subsisteret illo deficiente; sed etiam si deficeret prædictus vigor subsisteret in prole donum integritatis: ergò. Probat. minor. Etiam si deficeret talis vigor, Deus se solo infunderet gratiam sanctificantem in prole statim, ac habuisset Animam rationalem, ut fatentur Adverſ. acquiescentes secundæ solutioni: sed infusa tali gratia statim dimanaret ab illa donum integritatis, iuxta superiùs dicta, & adducta ex D. Thom. ergò.

29 Secundò.

Tertiò.

30 Prob. 2. concluſ. Nulla adest necessitas adstruendi in semine pro statu innocentiæ vigorem ad traductionem physicam iustitiæ originalis: ergò. Anteced. prob. Si aliqua necessitas occurreret, maximè ut verificaretur, quod parvuli nascerentur in iustitia originali; sed ad hoc non erat necesse: ergò. Min. prob. 1. In tali statu non solùm esset verum, quòd pueri nascerentur in iustitia originali, sed etiam, in gratia, & sanctitate, proindèque Deo grati, & filij adopti-

2. Ratio.

vi illius, ut expresè docet D. Thom. 1. part. quæst. 100. art. 1. ad 2. Sed hoc secund. optimè subsisteret Deo se solo infundente gratiam ut sanctificantem statim, ac conciperetur puer: ita ut non posit assignari instans, in quo verificaretur, quòd esset filius Adami, & non filius adoptivus Dei: ergò. Ex quo exclusa manet alia ratio necessitans ad ponendum talem vigorem, scilicèt, iustitiam originalem fuisse promissam, & concessam a Deo omnibus posteris Adæ, si ipse non peccasset. Manet inquam exclusa: Nàm etiam gratia ut sanctificans fuit terminus talis promissionis, & tamen hoc non cogit ad asserendum, illam ut sanctificantem Animam, debere traduci instrumentalitèr per aliquem vigorem superadditum semini. Quòd si dicatur iustitiam originalem fuisse promissam, ut propagandam, & traducendam in posteros per generationem carnalem. Si hoc, inquam, dicatur, & sit locutio de traductione per se, & non purè concomitanti traductionem naturæ; est manifesta petitio principij; cùm de hoc sit litigium, insuperque necesse erat adducere aliquam authoritatem Scripturę: aut PP. distinguentem inter iustitiam originalem, quòad munus radicandi donum integritatis, & quòad munus sanctificandi; ut sub 1. munere esset ex traduce, & non sub 2.

Excludit. quoddam fundam. Adversi,

31 Prob. 3. Peccatum originale consistit formalitèr in privatione gratiæ sanctificantis, non verò in privatione doni subijcientis appetitum rationi, & corpus Animæ, ut fatentur AA. quos impugnamus; constatque manifestè in gratia collata per Baptismum, per quam iuxta Concil. Tridentin. *Tollitur totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet.* Cùm tamen appetitus adhùc permaneat in Baptizato rebellis rationi, & corpus illius passibile, & mortale: ergò defectus in semine, vi cuius est impotens causare gratiæ sanctificantis privationem, est insufficiens ad traductionem peccati originalis. Sed defectus vigoris in semine ad causandum effectivè donũ integritatis est huiusmodi; cùm talis deffectus solũ causet privationem doni subijcientis appetitum rationi, & corpus Animæ; quæ quidèm privatio longè differt à privatione gratiæ sanctificantis: ergò. Vel alitèr: Defectus talis vigoris inducit privationem illius formæ, quam posset producere vigor ille, si adesset; sed iuxta Adversi. prædictus vigor non erat potens producere gratiam sanctificantem, sed solùm donum integritatis supra relatum: ergò deffectus talis vigoris solùm est potens inducere privationem huius doni, non verò gratiæ sanctificantis.

32 Quædam solut. re. ijcitur 1.

Nèc valet dicere: Donum integritatis esse talitèr connexum in statu innocentiæ cum dono gratiæ sanctificantis, ut neutrum posset existere sine alio; proindèque ex defectu immediato, & directo unius sequeretur mediatè, & directè defectus alterius. Non inquam valet 1. Nàm connexio doni integritatis cum dono gratiæ sanctificantis erat à posteriori tanquam radicatum in radice, ut fatentur prædicti AA. sequentes D. Thomam 1. part. quæst. 100. art. 1. ergò defectus talis doni supponit pro priori defectum gratiæ sanctificantis. quia ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio debet esse causa negationis. Sed hoc ipso defectus gratiæ, ut sanctificantis, nequit consequi ad defectum doni integritatis: ergò. Secundò 2. Quòd appetitus sensitivus hominis sit rebellis rationi, & corpus illius sit passibile, provenit, tanquam ex radice, ex quo homo conceptus sit in peccato originali, ut est innegabile iuxta Div. Thom. infrà quæst. 85. art. 3. & 5. & Opusc. cap. 186. & 195. ergò provenit tanquàm ex radice à privatione gratiæ sanctificantis. Sed hoc ipso talis privatio nequit esse pro posteriori, & ex consequenti ad defectum integritatis: ergò.

(o)

§. VII.

Reijcitur alius modus dicendi præcedenti affinis excogitatus à RR.

33 ALij RR. difficile percipientes ſemen pro ſtatu innocentiæ elevandum fore ad cauſandum inſtrumentalitèr iuſtitiam originalem, adhùc, proùt dicit ſubiectionem appetitus ſenſitivi ad rationem: (eo quod talis ſubiectio proveniret tanquam à radice à gratia ſanctificante, ad quam ſemen in tali ſtatu nullatenùs phyſicè inſtrumentalitèr pertingere poſſet, iuxta doctrinam D. Thom. aductam §. 6. à num. 26.) alia via prætendunt explicare, qualitèr ſemen manſerit infectum ex peccato Adami, ita ut media tali infectione cauſet inſtrumentalitèr peccatum originale. Quorum doctrina ad ſequentes terminos compendiosè redigitur.

Aliorum opinio refertur.

34 Primo ſupponunt, quod omnis forma neceſſariò exigens ad ſui introductionem, vel conſervationem, diſpoſitionem ſibi proportionatam in ſubiecto: hac deficiente paritèr, & forma deficit, ut conſtat in formis naturalibus, quæ ſtatim corrumpuntur, ac deficiunt diſpoſitiones requiſitæ pro earum conſervatione. Quam doctrinam extendit etiam Ang. Præcept. in 3. ad Anibald. diſt. 31. q. unic. a 1. ad Gratiã. Hoc ſuppoſito procedunt aſſerendo iuſtitiam originalem ad ſui introductionem requirere in corpore hominis perfectas diſpoſitiones naturales abſque ullo defectu in potentijs, organis, complexione corporis, & temperie humorum. Hanc igitur perfectam diſpoſitionem habuit Adamus conditus a Deo cum omni perfectione intra lineam naturæ: propter quam manſit moralitèr propenſus ad virtutes, & abſque ulla prava inclinatione. Ut autem Adamus huiuſmodi perfectam diſpoſitionem, tàm ex parte corporis, quàm ex parte appetitus, conſervaret: Deus gratuitò conceſsit tàm ipſi, quàm ſuis poſteris, ſi non peccaret, iuſtitiam originalem; quæ inter alios effectus conſervabat illam perfectionem naturalem, in qua fuit conditus Adamus.

Proſequitur.

Peccante ergò Adamo amiſsit 35
ſibi, & nobis iuſtitiam originalem, & conſequentèr amiſsit etiam perfectam diſpoſitionem naturalem ſupra recenſitam: cuius conſervatio erat dependens à iuſtitia originali, proindèque Adamus per peccatum indeteriùs mutatus eſt tàm ſecundum animam, quàm ſecundum corpus, utpotè obnoxium corruptioni, & morti. Ex hac igitur alteratione ſecundum corpus proceſsit, quod ſemen Adami manſit privatum illa perfectione virtutis naturalis ad generationem prolis, quam habuiſſet, ſi non peccaſſet; proindèque manſit cum impotentia ad generandos filios cum illa perfectione naturali ex parte corporis, quæ requiritur, ut anima ornata iuſtitia originali infunderetur corpori. Ex hac igitur doctrina iam percipitur; qualitèr ſemen infectum ex peccato Adami poſsit cauſare in prole defectum iuſtitiæ originalis, in quo peccatum originale conſiſtit; quatenùs, ſcilicèt, ratione ſuæ infectionis cauſat directè defectum perfectæ diſpoſitionis naturalis requiſitæ ad exiſtentiam iuſtitiæ originalis, & ex conſequenti, & indirectè defectum talis iuſtitiæ.

Plura militant contra hunc modum dicendi, utpotè plura involven- 36
tem. 1. Nàm ita adſtruit in Adamo perfectam diſpoſitionem corporis quoad complexionem, & temperiem humorum, ut non eſſe obnoxium corruptioni, & mortalitati, ponat utdonum non proveniens à iuſtitia originali. 2. Quia aſſerit perfectam ſubiectionem appetitus ſenſitivi ad rationem in Adamo non proveniſſe tanquam à propria cauſa, à iuſtitia originali. Quæ quidem duo videntur expreſsè dicta contra D. Thom. 1. p. q. 95. a. 1. dicentem: *Erat enim rectitudo primi ſtatus ſecundum hoc, quod ratio ſubdebatur Deo; rationi vero inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem ſubiectio erat cauſæ ſecundæ, & tertiæ.* Et infra: *Manifeſtum eſt, quod illa ſubiectio corporis ad Animam, & inferiorum virium ad rationẽ non erat naturalis.* Idem habet hic q. 81. a. 5. Ex quibus

Reijcitur 1.

verbis convincitur falsitatis id, quod quidam Authoradhærens prædicto modo dicendi conatur suadere; scilicet, perfectam subiectionem appetitus ad rationem, & corporis ad Animam spectare ad ordinem naturæ etiam attenta sola providentia conditoris.

37 Convincitur inquam: Nàm id, quòd erat gratiæ beneficium, & gratia magna, nequit, nisi abusivè, dici perfectio debita, sive connaturalis naturæ humanæ, attenta sola providentia conditoris; sed huiusmodi fuit immortalitas primi hominis, & subiectio appetitus sensitivi ad rationem: ergò. Prima pars minoris constat ex propositione 78. Michaelis Baij damnata à. SS. Pio V. & Gregorio XIII. quæ talis est: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis.* Secunda etiam pars constat ex D. Augustin. lib. 4. contra Iulianum cap. ultim. dicente: *Gratia magna erat, quod terrenum, & animale corpus, bestialem libidinem non habebat*: ergò. Videatur Mag. Bolivar Tractatu de Gratia Dei dub. 3. §. 5. & Mag. Gonet ibidem disput. 1. de statu puræ naturæ, & Mag. Ferre tom 3. in 1. 2. quæst. procœmial. §. 5. & 7. contra P. Rosende, & Vincentium Contenson, ubi probant: donum integritatis naturæ concessum Adamo fuisse gratiam specialem supra beneficium creationis; quamvis iuxta Aliquos fuerit entitativè naturale; quod parùm ad præsens refert.

Opponitur in duob. doctiss. D.

38 Nec sufficit dicere, quòd quamvis perfecta subiectio appetitus sensitivi ad rationem adeò firma, & immobilis, ut nullatenùs posset caro concupiscere adversus spiritum, fuerit gratia specialis in Adamo, & proprius effectus iustitiæ originalis; secùs tamen subiectio non adeò perfecta, sed consistens in propensione ad virtuosè operandum, absque aliqua rebellione, vel prava inclinatione ex parte appetitus. Hæc enim non excedit ordinem naturæ, sed maximè ipsi congruit; cum ordo naturæ exigat, quod inferius sit subiectum superiori, proindèque: quod appetitus sensitivus sit subditus rationi. Idem dicendum de dono immortalitatis corporis concesso Adamo in statu innocentiæ; cum quo tamen componitur aliam perfectam subiectionem illius ad Animam mediante temperie, & æqualitate humorum fuisse in eo independenter à iustitia originali.

Respond.

39 Non inquam sufficit; & ab hoc ultimo incipiendo, stat in oppositum Div. Thom. in 2. dist. 19. art. 1. quæst. 1. ubi ait: *Secundus modus corruptionis est excessu inordinato alicuius contrarij, & contra istum defectum subveniebatur homini in primo statu per quandam virtutem animæ collatam, ut tribueret corpori perpetuam æqualitatem complexionis.* Sed temperies humorum, nisi accedat ad æqualitatem complexionis, semper illud relinquit obnoxium morti, & corruptioni: ergò quòd corpus Adami in statu innocentiæ fuerit quovis modo impassibile, & immortale, fuit effectus iustitiæ originalis. Videatur Div. Thom. ubi supra, & in 2. ad Anibaldum distinct. 19. quæstion. unic. art. 3.

Sed contra est 2, ex S.D.

40 Ex quibus impugnatur distinctio tradita circa subiectionem appetitus ad rationem. Dùm enim asserit ordinem naturæ exigere appetitum sensitivum titulo inferioritatis subijci rationi; vel loquitur de subiectione tantum politica, vel de subiectione etiam despotica? Si primum: ergò appetitus sensitivus Adami pro priori ad iustitiam originalem, nihil habuit speciale, quam si esset conditus in statu puræ naturæ. Consequentia patet, quia etiam in tali statu prædicta subiectione gauderet; cum multotiès sequeretur imperium rationis. Si secundum: ergò cum talis subiectio necessario includat carentiam facultatis ad resistendum rectæ rationi; Adamus pro priori ad iustitiam originalem ita habuisset appetitum subditum rationi, ut non posset concupiscere adversùs spiritum. Sed hoc est manifestè asserere donum integritatis non fuisse gratiam specialitèr concessam Adamo supra beneficium creationis, proindèque non provenisse à iustitia originali; quod est pa-

2. Ob insufficientiam distinctionis quatitur

patùm tutum in doctrina fidei iuxta ea, quæ animadvertimus contra Baium: ergò.

41 Aliter impugnat. hic modus dicendi.

Displicet modus iste dicendi, dùm asserit utramque perfectam dispositionem corporis, & appetitus sensitivi concessam Adamo pro priori ad iustitiam originalem fuisse dependentem ab ipsa in sui conservatione, non quidem per se, sed tantùm per accidens, & tanquam à removente prohibens. Nàm id cuius defectus provenit à defectu, sive carentia iustitiæ originalis tanquam à causa propria in sui existentia, & conservatione, fuit dependens à iustitia originali, tanquam à causa per se, & non tantum per accidens; sed quod appetitus sensitivus in Adamo caruerit subiectione ad rationem, & corpus subiectione ad Animam, fuit effectus proprius carentiæ, & amissionis iustitiæ originalis, per quam, & appetitus cohibebatur, nè insurgeret contra rationem, & corpus præservabatur à morte, & corruptione, teste Sanct. Doct. hic quæst. 75. art. 5. ergò.

42 Explic.

Explicatur hoc. Peccatum Adami directè opponebatur cum iustitia originali sub munere sanctificantis, proindèque cum omni dono tàm naturali, quàm supernaturali in ea radicato; quale erat donum integritatis, & impassibilitatis; ad modum, quo actio destructiva directè alicuius formæ destruit ex consequenti reliquas perfectiones ab illa, tanquam à radice provenientes. Nùnc rogo: Si illa perfecta dispositio ex parte corporis, & appetitus sensitivi non proveniebat à iustitia originali, sed fuit ab illa independens, proindèque, & à gratia; cur fuit amissa per peccatum? Siquidem nulla re destruitur nisi causæ à quibus per se dependet, cessent ab influxu conservativo illius. Quare Adamo non peccante, etsi Eva peccaret, filius nasceretur cum iustitia originali, licet Eva esset mortalis, & passibilis. Ita Div. Thom. quæstion. 81. art. 5. Unde infertur materiam generationis ministratam fore mortalem, & passibilem; proindeque semen decisum ab Adamo non posse formare corpus cum illa perfectione, quam adstruit hic modus: Nàm etsi virtus agentis sit perfecta, si tamen materia est indisposita, naturalitèr evadit effectus imperfectus; & tamen ille nasceretur cum iustitia originali; non ergò passibilitas præcedens in corpore ante animationem impedit physicè illam.

43 Motivum Adversar. prob esse inefficax.

Sed quia prædictus modus dicendi præcipuè nititur in eo, quòd talis perfecta dispositio ex parte corporis erat dispositio requisita ad hoc, ut anima ornata iustitia originali infunderetur corpori, qua quidem perfectione mansit semen Adæ, & posterorum privatum ob peccatum illius; proindèque semen inducens directè defectum talis perfectionis in corpore, inducit ex consequenti defectum iustitiæ originalis: Placet hanc doctrinam aliquatenùs discutere, & ex illa deducere esse insufficientem ad traductionem physicam peccati originalis. Talis perfectio naturalis ex parte corporis (& si velis etiam ex parte appetitus sensitivi) nequit dici dispositio, sive proximè, sive remotè positivè conducens ad infusionem iustitiæ originalis; quod videtur innegabile in doctrina Div. Thomæ, quam omnes eius discipuli sequuntur, tuentes hominem per actus naturales, etiam elicitos per auxilium speciale gratiæ intra ordinem naturæ, non posse se disponere positivè ad receptionem gratiæ; quorum ratio est: Nàm omnis dispositio quovis modo positivè conducens ad aliquam formam, dicit positivam proportionem, & aliquā connexionem cum illa, sed hoc repugnat entitati purè naturali respectu formæ in se supernaturalis: ergò. Videatur M. Gonet de Prædest. disp. 2. a. 3. §. 2. Primò.

44

Quapropter prædicta perfectio ad summum dici poterat dispositio negativa ad infusionem iustitiæ originalis in anima; vel ad summum aliqua conditio liberè adiuncta ex pacto Dei, ut in posteris descendentibus ex Adamo infunderet iustitiam originalem. Sed hoc admisso non sequitur semen privatum modòtali perfectione naturali causare

physicè privationem iustitiæ originalis: ergò prædictus modus dicendi est insufficiens. Probatur minor. Tùnc instrumentum defectuosum causat physicè privationem alicuius formæ, quando saltim causat physicè carentiã alicuius dispositionis physicè, & ex natura rei conducentis ad existentiam talis formæ; si enim talis dispositio purè extrinsecè, & unicè ex ordinatione divina conducat ad existentiam formæ, defectus illius solum moralitèr, & extrinsecè conducet ad deffectum formæ: ergò si perfectio naturalis supra recensita est huiusmodi, ex quo semen Adami sit impotens physicè producere illam in corpore prolis descendentis ab ipso; non sequitur, quod physicè instrumentalitèr influxerit in privationem iustitiæ originalis.

45 Secundo, & urgentiùs.

Urgetur hoc. Peccatum originale formalitèr, & constitutivè acceptum consistit in privatione iustiæ originalis quòad primarium eius effectum, scilicèt, reddendi Animam Deo gratam, & ipsi amicabiliter dilectam, quod etiam fatentur Adversar. ergò ut verificetur peccatum Adami fuisse causam efficientem physicam principalem peccati originalis, necesse est, ut ex illo physicè derivetur aliquid physicè impediens iustitiam originalem in posteris quòad effectum formalem sanctitatis. Tùm sic: sed privatio vigoris naturalis in semine ad producendum corpus perfectè dispositum non inducit aliquid physicè impediens infusionem iustitiæ originalis sub munere sanctitatis: ergò. Prob. min. Carentia talis perfectæ dispositionis in corpore non est carentia alicuius physicè conducentis, aut disponentis physicè prolem ad hoc, ut Deus ei infundat iustitiam originalem sub munere sanctitatis, ut constat ex dictis: ergò quod semen non possit producere talem dispositionem &c. Quod roborari potest in casu, pro quo Deus promitteret alicui intensionem gratiæ ut octo v. g. si eliceret aliquem actum purè naturalem, absque eo quod obligaret sub præcepto ad illius elicientiam; in quo casu omittens talem actum non diceretur physicè causare carentiam gratiæ intensæ ut octo, sed ad summum fuisse causam moralem illius. Et ratio est: Nam cum talis carentia actus non sit physicè incomponibilis cum intensione gratiæ infundendæ à Deo; sicuti nec ipse actus erat physicè conducens ad eius infusionem; ex quo homo ille physicè impediret existentiam actus, non diceretur cum proprietate impedisse physicè intensionem gratiæ.

Ulteriùs: Nàm ut peccatum Adami sit causa principalis physica traductiva peccati originalis, necesse est, ut destitutio, sive privatio vigoris in semine Adami proveniat physice à peccato illius: Nàm nequit aliquid per modum causæ principalis producere physicè aliquem effectum, nisi perseveret in aliquo ex illo physicè derelicto. Sed iuxta hunc modum dicendi, quem impugnamus; privatio vigoris in semine Adæ non fuit physicè proveniens ex peccato illius: ergò. Prob. min. 1. Peccatum Adami solum fuit causa efficiens physica privationis gratiæ, & iustitiæ originalis existentis in ipso; proindèque causa physica privationis illarum perfectionum, quæ à gratia, & iustitia originali ut à causa propria, & tanquam à radice proveniebant; Atqui iuxta modum dicendi vigor naturalis, quo pollebat semen Adami ad procreandos filios cũ perfectione naturali in corpore, non proveniebat tanquam à causa, vel radice à gratia, vel iustitia originali, sed fuit debitus Adamo attenta providentia Creatoris: ergò quamvis ob magnitudinem sui peccati fuerit privatum moralitèr tali vigore, non tamen physicè; stando doctrinæ, quam in sui favorem affert prædictus modus dicẽdi.

46 Tertio.

§. VIII.

Solvuntur argumenta.

47 Arg. 1.

OBijcies 1. Iustitia originalis, utpotè donum perfectissimum, exigebat ad sui infusionem, quod corpus prolis esset perfectè dispositum: ergò causa impediens physicè talem dispositionem, impedit ex consequenti infusionem iustitiæ originalis. Sed semen infectum, sive pecca-

catum vigore naturali ad producendam perfectam dispositionem in corpore, eam physicè impedit: ergò ratione talis privationis impediet ex consequenti introductionem iustitiæ originalis in anima: ergò cum ex peccato Adami manserit semen privatum tali vigore, erit eius peccatum causa principalis inductiva privationis iustitiæ originalis. Explicat. Explicatur hoc. Quia perfectus usus rationis requirit rectam dispositionem ex parte corporis, & organorum; semen ita debilis virtutis, ut corpus, & organa sensuum perfectè disposita producere nequeat, ex consequenti producit defectum usus rationis; ex quo provenit aliquos homines esse amentes, & stolidos: Quin obstet contra hoc; amentiam, & stultitiam esse defectus spirituales animæ: ita Sanct. Doct. q. 16. de Malo art. 6. & 4. cont. Gent. cap. 51. ad 4. ergò paritèr non repugnabit iustitiam originalem ad sui introductionem in anima prolis exigere rectam dispositionem in corpore, & perfectam temperiem humorum; proindèque non repugnabit, quod semen ratione defectus virtutis producens corpus imperfectum, producat ex consequenti defectum iustitiæ originalis.

48 Obijc. 2. & dicta robor. ex D. Thom. in 2. d. 30. q. 1. a. 2. ad 4. Ubi cum comparasset defectum peccati originalis proùt in semine defectui lepræ recepto in semine leprosi (qui proùt sic non est formaliter lepra, sed virtualiter) ita subdit: *Similiter ex hoc ipso, quod in semine est talis dispositio, quod privatur illa impassibilitate, & ordinabilitate ad animam, quam habuit in primo statu corpus humanum; sequitur, quod in prole, quæ est susceptiva originalis peccati, efficiatur peccatum originale in actu.* Ubi explicat D. Thom. qualiter anima ex unione ad corpus inficiatur peccato originali: quia, videlicèt, propter peccatum Adami semen mansit privatum ad producendum corpus cum perfecta dispositione subijcibilitatis ad animam; proindeque producit illud sine dispositione sufficienti ad recipiendam Animam cum iustitia originali, licèt sufficienti ad eam recipiendam cum peccato originali. Videatur idem S. D. in expositione Epist. ad Rom. cap. 5. lect. 3. ubi doctrinam huiusmodi dicendi efficaciter insinuat.

Ad 1. Resp. 1. iuxta dicta §. antec. disting. añs. Dispositione physicè, aut ex natura rei conducente ad infusionem iustitiæ originalis, neg. añs. Dispositione non sic conducente, sed tantum per modum conditionis liberè statutæ à Deo pro illius infusione, permitto añs. Tunc enim agens dicitur physicè causare privationem alicuius formæ, quando excludit à subiecto illius id, à quo physicè, & ex natura rei quòad esse, & conservari dependet; quod minimè verificatur de perfecta corporis dispositione in rectitudine complexionis, & subijcibilitate ad Animam consistente: ut constat ex dictis ubi sup. & insuper clarè conspicitur in parvulis baptizatis, quibus deletur peccatum originale, & restituitur iustitia originalis quantum ad primarium eius effectum; in quibus tamen remanent imperfectiones ex parte corporis. 49 Resp. ad 1.

Ex qua doctrina constat disparitas ad explicationem in contra adductam. Usus enim rationis in homine verè, & propriè dependet ex recto usu imaginativæ, & aliorum sensuum circa species sensibiles; quapropter nostra cognitio iuxt. Phil ortum habet à sensibus, & iuxta D. Thom. hac 1. 2. q. 74. a. 4. ad 3. *Bonitas imaginationis est dispositio conducens ad scientiam.* At vero perfectio naturalis, quam adstruit in corpore prolis, modus dicendi, quem in præsenti impugnamus; nequit ex se conducere proximè, aut remotè, ad infusionem doni supernaturalis, qualis est gratia sanctificans. Unde defectus talis dispositionis nequit physicè inducere defectum privativum gratiæ, in quo peccatum originale consistit. Quapropter defectus alicuius perfectionis spiritualis purè naturalis, & dependentis positivè, saltim ministerialiter, ab aliqua perfecta dispositione corporis, potest ex defectu huius provenire; secùs vero defectus privationis perfectionis spiritualis adæquatè supernaturalis, qualis gratia sanctificans. 50 Ad explicat.

51 Alia solutio.

Resp. 2. Quòd ut defectus perfectionis naturalis ex parte corporis in subiectione ad Animam consistens, & defectus subiectionis appetitus sensitivi ad rationem induceret ex consequenti defectum, seu privationem iustitiæ originalis quòad munus sanctitatis; erat necesse, quòd talis deffectus non duceret ortum ex defectu iustitiæ originalis: Nàm solùm in illo eventu esset verum dicere: *Quia deficit talis perfectio naturalis &c. deficit perfectio gratiæ.* Quod quidèm non sic evenit; cùm potiùs ex defectu subiectionis Animæ ad Deum (in quo defectu essentia peccati originalis consistit) proveniat, tanquam ex radice in unoquoque rebellio carnis ad spiritum, & corruptio in corpore, tanquàm vulnera inducta ex peccato originali, ut sæpè profert, & docet Div. Thom.

52 Solut. ad 2. arg.

Ad 2. ex D. Thom. Resp. In illo non affirmari, quòd ex defectu seminis causetur formalitèr originale peccatum, sed quod ex tali defectu *sequitur, quod in prole efficiatur originale peccatum.* Ad cuius veritatem sufficit, quod infallibilitèr iuxta præsentem providentiàm productionem humanæ naturæ per virtutem seminis decisi ab Adamo committetur infallibiliter originale peccatum. Nec exempli adducti à Div. Thom. desideranda est paritas in omninò; alias sicut lepra est quædam positiva scabies, & distemperies, proveniens physicè positivè ex infirmitate seminis ex natura rei; ita dicendum foret de peccato originali quòad sui essentiam: quòd Adversarij nequeunt concedere. Licet ergò lepra in prole, quia qualitas morbida naturalis, possit provenire ex infirmitate seminis, sicuti & perfecta sanitas ex vigore naturali ipsius: defectus tamen gratiæ originalis; utpotè defectus formæ spiritualis, & supernaturalis, in nullo defectu seminis contineri valet; quemadmodùm nec in aliquo vigore seminis iustitia originalis in ratione sanctitatis effectivè physicè contineri potest, saltim iuxta providentiàm à Deo in statu innocentiæ stabilitam; ut supra probatum relinquimus ex D. Thom. Sed de hoc latiùs infr. *Dicta sufficiant applicand. litt. M. ubi præced.*

DU-

DUBIUM VIII.

AN NEGATA OMNI EFFICIENtia physica in semine respectu peccati originalis Parvulorum plura testimonia Sanct. Doct. Aliorumque SS. PP. valeant rectè exponi?

N.1 DEcisio dubij propositi satis difficilis; sed necessaria pro veritate, & soliditate doctrinæ in anteced. traditæ. Ut igitur clariùs in puncto adeò obscuro procedamus; seorsim decidendum proponimus; ut redigendo in compendium plures propositiones primo aspectu hucusque dictis contradicentes; earum expositione in ipsis SS. DD. fundata; appareat efficacia impugnationum, quibus varios modos excogitatos ponendi efficientiã physicam Adami in peccatum posterorum, dub. antecedenti rejecimus.

§. I.

Cùr semen dicatur mansisse infectum, & immundum propter peccatum Adami?

2 ITa habetur Iob cap. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Et etiam apud Aliquos ex SS. PP. & Sanct. Doct. utentes hac voce *infectum, & corruptum.* Ita quæst. 4. de Mal. art. 1. & 4. cont. Gent. cap. 51. Cumque sermo non sit de immunditia purè corporali: oportet ponere in illo immunditiam spiritualem; quæ alitèr explicari nequit, nisi influendo instrumentalitèr in contractionem peccati originalis. Ita Aliqui cum Mag. Gregor. Martinez.

De hoc M.d. 3. 1. § Ad quòd.

3 Huic difficult. Resp. 1. Semen dici *immundum, & infectum*; non quidem quod in illo intrinsecè sit aliqua immunditia moralis, sed in sensu causali; vel potiùs ab eventu, qui ex illo, & eius virtute productiva, in hac providentia consequitur. Cum enim per virtutem seminis traducatur natura humana à Parente in prolem, & simùl infallibilitèr cum natura infectio, & immunditia naturæ; propter hoc satis opportunè dicitur immundum, & infectum. ita ægregiè docet S. Anselm. lib. de Conceptu Virg. cap. 7. *Semen dicitur immundum; quia in ipsa acceptione accipit homo necessitatem, ut cum habuerit animam, habeat peccati immunditiam.* Nàm quemadmodùm si Adamus servasset præceptum *semen diceretur mundum, & perfectum*, quia licèt in communiori sententia gratiam habitualem, seu iustitiam originalem non produceret; produceret tamen subiectum, quod sic productum, infallibilitèr committeretur munditia, & pulchritudo gratiæ; ita opposita de causa modò dicitur *vitiatum, & immundum.* Quod explicari potest exemplo ligni, *scientiæ boni, & mali*, de cuius fructu comedit Adamus; & propter quem transgressus est præceptum in Paradyso. Et insuper explicari potest communi loquutione, secundùm quam eos, qui iure hæreditario dignitatem, & splendorem honoris consequuntur, frequentèr dicimus *nasci ex semine nobili, & Regio*: è contra vero eos, qui à nativitate infamia aliqua laborant, dicimus *ex semine nequissimo, & vi-*

1. Resp.

li esse conceptos ; quin tamen propter huiusmodi loquutiones satis frequentes detur intelligi concursus aliquis effectivus in splendorem honoris, vel vitium infamiæ.

4 Secundo.

Resp. 2. Quòd cùm semen concurrens ad generationem decidatur à corpore Parentis destituto propter peccatum Adami treno, sive vinculo iustitiæ originalis, & ulteriùs decisio illius moveatur, & excitetur ab appetitu concupiscibili privato per peccatum Adæ debita subiectione ad rationem ; proindèque ab appetitu, ut infecto per peccatum originale : ideò huiusmodi infectio, & immunditia residens in appetitu concupiscibili, attribuitur etiam semini, quo utitur, ut virtute instrumentaria ad generationem. Ex quo constat huiusmodi infectionem, vitium, & immunditiam tantùm convenire ei extrinsecè, scilicèt, ratione infectionis residentis in appetitu, & in corp. Parentis, per quem excitatur, & movetur, ut deserviat generationi. Nàm quemadmodùm concupiscentia, seu fomes peccati, manens in sanctificatis per Baptismum, dicitur peccatum, non quia sit propriè tale, sed quia est effectus peccati iuxta expositionem Concilij Trident. Ita similitèr dicendum de infectione, & immunditia seminis decisi ex corpore Parentis. Quæ doctrina confirmari potest ex Div. Thom. qui exponens illa verba Job. lect. 4. ait : *Semen quidem hominis immundum est; non secundùm naturam, sed secundùm concupiscentiæ infectionem.*

§. II.

Cùr dicatur semen ob peccatum Adæ mansisse privatum vigore, quo pollebat in statu innocentiæ?

5 ITA S. Doct. quæst. 4. de Malo ar. 1. ad 9. & in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 2. ad 4. & alibi : ergò ex peccato Adæ manet in semine aliquis defectus physicus sufficiens, ut influat in peccatum originale in defectu privativo gratiæ originalis consistens, quam haberent parvuli Adamo non peccante. Ita Salm. Ferre, & Alij.

Resp. 1. Hoc testim. si efficax est, favere AA. propugnantib. vigorem illud esse talis conditionis, ut ratione illius semen physicè instrumentalitèr causaret iustitiam originalem sub ratione sanctificantis ; quod refutatur à prædictis MM. Prima Resp.

Deindè Resp. Defectum vigoris, aut virtutis in semine testificatum à Div. Thom. sufficienter, & satis idoneè iuxta ipsius doctrinam explicari de defectu purè extrinseco, & in causa, à qua deciditur, & excitatur; quatenùs scilicèt corpus Paternum, à quo deciditur, & appetitus concupiscibilis, à quo movetur, & excitatur, ut deserviat generationi; manserunt privata perfecta subiectione ad Animam, & rationem; qua gaudebant in statu innocentiæ. 6 Resp. 2.

Ità satis efficacitèr deducitur ex Div. Thom. quæst. 4. de Malo art. 1. ad 9. in illis verbis : *Ex peccato primi Parentis destituta est caro eius illa virtute* &c. Ubi destitutionem virtutis attribuit carni, sive corpori Parentis generantis. Et loco in Sentent. supra relato ait : *Semen modò esse privatum illa impassibilitate, & ordinabilitate, quam in primo statu corpus humanum habebat ad Animam.* Ubi notandum, non dixisse S. D. *quam in primo statu semen habebat.* Ex quo datur intelligi privationem vigoris, subiectionis, & impassibilitatis, quem modo adstruit in semine; esse tantum ei extrinsecam; eo quod deciditur à corpore, & ab appetitu concupiscibili destitutis dono impassibilitatis, & subiectionis ad rationem. Quæ enim, Rogo, impassibilitas, & ordinabilitas ad animam potest intrinsecè inveniri in ipso semine? Accedit ad hoc, quod D. Th. q. 4. de Malo a. 5. ad 1. postquam concessit infectionem originalis peccati pertingere, tùm appetitum concupiscibilem, tùm virtutem generativam, tùm etiam sensum tactus ait: *Infectionem peccati originalis esse in his potentijs tanquam in causa.* Atqui in sensu tactus nequit concedi infectio aliqua intrinseca in privatione alicuius vigoris, sive virtutis ipsi intrinsecæ consistens, sed unicè ratione inordinationis ex parte concupiscentiæ: ergò idem dicendum de infectione, & 7 Fundatur

desti-

destitutione vigoris in ipso semine. Idem habet hac 1. 2. quæst. 83. artic. 4.

§. III.

Qualitèr verificetur, concupiscentiam Patris esse causam peccati originalis, & per actum illius traduci tale peccatum?

8 SIC expressè S. Doct. quæst. 4. de Malo art. 2. ad 11. & 16. & M. P. lib. 5. de Nupt. c. 24. Sed non est causa moralis: ergò physica instrumentalis. Pro vera intelligentia notandum: Nomine concupiscentiæ non intelligere Div. Thom. actum inordinatum appetitus concupiscibilis, qui dicitur libido actualis: sed intelligere *pronitatem*, vel *habilitatem* ad inordinatè concupiscendum; ex eò quòd appetitus sensitivus non perfectè subditur rationi sublato freno originalis iustitiæ, sub qua consideratione est idem, ac *lex carnis*, seu *fomes peccati* consistens pro formali in defectu subiectionis ad rationem. Ita docetur ab eodem Angel. Præceptore quæst. 4. de Malo art. 6. ad 16. Ex quo infert ibid. *Quòd etiam si miraculosè fieret, ut actualis libido totalitèr removeretur in generatione; nihilominùs tamen proles traheret peccatum originale propter libidinem, sive concupiscentiam habitualem.* Similia docet in 2. dist. 31. quæst. 1. art. 2. ad 3.

Notandū.

9 Quo prænotato sensus talis propositionis non est *quòd concupiscentia, vel fomes peccati, sit virtus instrumentaria physicè influens in ipsam contractionem originalis peccati.* Quod suadetur 1. Nàm illa consistit formalitèr in privatione doni, sive vigoris subijcientis perfectè appetitum rationi; quæ quidem privatio ortum ducit ex carentia iustitiæ originalis subijcientis Animam Deo; ita PP. Salmanticens. tract. 13. de Peccatis disp. 16. dub. 1. ubi asserunt talem constitutionem esse expressam sententiam Div. Thom. eamque à pluribus Thomistis de illa ex professò tractantibus tueri. Sed hoc ipso nequit physicè instrumentalitèr influere in traductionem peccati originalis: ergò talis influxus non est de mente D. Thom. Probat. min. Nequit privatio talis rectitudinis habitualis influere physicè instrumentalitèr immediatè in contractionem peccati originalis, nèc physicè instrumentalitèr mediatè: ergò. Ass. quòad 1. part. videtur innegabile: Nàm influxus proveniens ab aliqua potentia non exequente, sed tantum imperante actum generationis, per quem traducitur immediatè peccatum originale; nequit esse influxus immediatus in illud, sed ad summum erit mediatus. Sed talis est influxus ex parte appetitus concupiscibilis: ergò.

Exponit. vers. S. D.

Quid sit fomes pro formali?

10 Quòad 2. verò part. prob. Nequit privatio iàm dicta physicè mediatè influere in traductionem peccati originalis, nisi derivetur ex illa aliquid elevans id, per quod immediatè traducitur peccatum originale, ut constat à simili in duobus instrumentis inter se subordinatis ad eundem effectum instrumentalitèr concurrentibus; sed ex tali privatione nihil physicum positivum, aut privativum, derivatur ad virtutem seminalem, quæ est virtus instrumentaria immediata ad actum generationis, per quem iuxta Adv. traducitur peccatum originale, ut sup. hoc dub. 8. §. 2. relinquimus probatum: ergo. Confirm. Virtus seminalis productiva ex superfluo alimenti residet loco, & organo distincto ab eo, in quo est appetitus concupiscibilis; solumque subordinatur illi, quatenùs potest ab ipso excitari, & moveri pro sui decisione; sed ex tali subordinatione non est ratio, cur privatio subiectionis ad rationem residens in appetitu sensitivo, possit derivare physicè privationem aliquam virtutem seminalem intrinsecè afficientem; sicuti non apparet ratio, ut ex dono intrinsecè rectificante appetitum sensitivum pro statu innocentiæ derivaretur physicè ad virtutem instrumentariam seminis aliquis vigor ei intrinsecus: ergò non apparet modus, quo fomes peccati physicè immediatè, aut mediatè influat in contractionem peccati originalis.

Confirm.

11 Restat ergò, ut *sensus talis propositionis sit de concursu causæ concomitantis; id est, qua ponitur subiectum sul-*

Explicat.

culpæ talitèr, ut ipsum sic positum infallibiliter comittetur ex generali lege culpa originalis. Nàm cũ iuxta præsentem providentiam culpa originalis non inficiat, nisi eos, qui per seminalem propagationem descendunt ab Adamo; & insupèr per seminalem propagationem decisam à Parente, cuius appetitus concupiscibilis sit rebellis rationi, seu quod idem est; in quo resideat lex carnis, seu fomes peccati, ideò &c. Ita exponit S.D.M.P. in 2. dist. 31. quæst. 1. a. 2. ad 5. & ad Anibal. in eadem dist. art. 4. ad 3. & 3. p. q. 27. a. 3. Ex quo infert Ang. Mag. quòd si in Parente aliquo extingueretur fomes peccati, seu concupiscentia, filius ex illo genitus non contraheret peccatum originale. Hinc per seminalem propagationem decisam ex imperio appetitus concupiscibilis sine freno iustitiæ originalis, non solum ponitur subiectum culpæ originalis tantum materialitèr; hoc est, quod aliàs est subiectum culpæ: sed talitèr, ut sic positum, & genitum infallibilitèr comittetur culpa originalis, & sit subiectum illius; infallibilitèr, inquam, infallibilitate orta ex generali lege statuta à Deo, ut omnes descendentes ex Adamo per seminalem propagationem decisam ab appetitu concupiscibili non subdito rationi contraherent peccatum originale.

Ob hanc rationem concupis-
12 centia in Parente non absurdè dicitur causa originalis peccati, quod est in filio: Nàm id, sine quo filius non contraheret peccatum originale, & quo posito infallibilitèr sequitur illius contractio; non absurdè dicitur concurrere per modum causæ ad traductionem peccati originalis; sed huiusmodi est concupiscentia effrenis in Parente: ergò non absurdè dicitur causa contractionis peccati originalis, quamvis physicè, & instrumentaliter non attingat ipsum peccatum. Min. constat ex Div. Thom. ubi supra immediatè: & mai. etiam videtur certa ex communi locutione, qua ea, quæ sic concurrunt ad existentiam alicuius effectus, nomine causæ dicimus.

13 Huic accedit quod D. Thom.
Roborat. in 4. d. 1. q. 1. a. 4. facit mentionem de causa modo dicto accepta. Adest insuper alia ratio (ut tacitæ obiectioni occurratur) satis efficax pro confirmatione huius doctrinæ. Nàm iuxta Parentem August. & D. Thom. in q. 4. de Malo a. 6. ad 4. *Filius non contrahit peccatum originale, quia præcisè genitus à Parente, sed quatenùs in illo remanet aliquid vetustatis Adami, à quo sumit initium contractio culpæ originalis.* Cumque hæc vetustas Parentis Adami efficacitèr, & quòad nos, manifestiùs appareat in fomite peccati, sive concupiscentia derelicta ex peccato Adami; ideò non absurdè dicitur à D. Thom. peccatum originale prolis contineri, ut in causa, in concupiscentia Parentis generantis. Idem habet hic q. 81. a. 3. ad 2.

§. IV.

Qualitèr verificetur Animam maculari & contrahere peccatum originale per unionem ad corpus, sivè ad carnem?

ITA S. Doct. in 2. dist. 30. quæst. 14
1. art. 2. ad 3. & ad 5. & quæst.
4. de Malo art. 2. ad 11. & alibi Respond.
sæpè. Ex quo videtur inferri in carne ratione seminis eam activè producentis contineri, ut in causa, peccatum originale. Ad hoc dicimus: *S. Doct. non loqui de infectione proveniente effectivè à corpore; sed quia in corpore destituto vigore subijciente illud Animæ; talis destitutio, licèt subsequatur in genere causæ formalis, præcedit in genere causæ dispositivæ, culpam originalem.* Prima pars constat: Nàm loco in Sent. ait: *Non quia corpus agat efficientèr in Animam*: ergò nèc in illo, nèc in carne datur ulla virtus effectiva peccati originalis. Secunda pars facilè prob. ex doctrina Div. Thom. Nàm si nomine destitutionis vigoris ex parte carnis, cui unitur Anima, intelligatur fomes peccati, seu concupiscentia; talis destitutio consequitur ex culpa originali maculante Animam. Ita expressè Div. Thom. hic quæst. 82. art. 3. in corp. *Inordinatio virium Animæ oritur ex aversione voluntatis à Deo.* Et quæst. 85. artic. 3. ubi expressè affirmat: *Vulnus concupis-*

piscentiæ, infirmitatis &c. esse effectum peccati originalis avertentis Animam à Deo. Ex quibus innegabile videtur, quòd infectio appetitus ortum ducit in prole ex eò, quòd Anima illius maculetur culpa originali. Cui accedit authoritas Trid. Sess. 5. vocantis *concupiscentiam*, sivè *fomitem effectum peccati.* Videatur idem S. Doct. quæst. 4. de Malo art. 2. ad 4. & in 2. dist. 30. quæst. 1. ar. 3. ad 2. & hic quæst. 83. art. 2. ad 4.

Si autem nomine destitutionis
15 virtutis in corpore prolis, cui Anima unitur,* intelligatur privatio impassibilitatis, & immortalitatis, qua corpus humanum gaudebat in statu innocentiæ;* eadem ratione, & authoritate convincitur talem destitutionem subsequi in genere causæ formalis ad culpam originalem ut maculantem Animam. Ratio est: Nàm talis privatio, sive destitutio nihil est aliud quàm passibilitas, & mortalitas corpori conveniens; sed quòd corpus prolis descendentis ex Adamo sit passibile, & mortale, obnoxiumque alijs defectibus, & pœnalitatibus, convenit ipsi ex quo Anima illius infecta est peccato originali; cùm mors, & aliæ pœnalitates convenientes corpori sint effectus, & pœna peccati originalis, ut est certum, & expressè tuetur Div. Thom. hac 1. 2. q. 85. art. 5. dicens: *In quantùm per peccatum primi Parentis sublata est iustitia originalis, per quam non solùm inferiores vires continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub Anima absque omni defectu; ideò subtracta hac originali iustitia per peccatum primi Parentis, sicut vulnerata est humana natura quantùm ad Animam per deordinationem potentiarum, ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Undè mors, & omnes defectus corporales consequentes, sunt quædam pœnæ originalis peccati.* Ergò ex privatione iustitiæ originalis, ut subjicientis Animam Deo consequuntur in genere causæ formalis, & deordina-
16 tio virium inferiorum Animæ, & passibilitas, & mortalitas in corpore.

Confirm. Alia pars, scil. *carnem, cui unitur Anima, ut infectam concupiscentia, & corpus, ut destitutum impassibilitate, & perfecta subijcibilitate ad Animam, qua gaudebat in statu innocentiæ, præcedere in genere causæ materialis, sive dispositivè infectionem Animæ.* Traditur expressè à Div. Thom. quæst. 4. de Malo art. 2. ad 11. ubi ait: *Concupiscentia secundùm quòd est in eodem, est causa originalis peccati per modum materiæ, sicut & corpus præcedit Animam in ordine causæ materialis: dictum est enim sup. quòd ex carne, ad quam pertinet concupiscentia, inficitur Anima, ad quam pertinet carentia originalis iustitiæ.* Hoc ipsum docuit Divus Thom. in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 2. ad 5. Ubi reddens rationem infectionis Animæ ex unione ad corpus, ait: *Forma recipitur in materia secundùm conditionem ipsius materiæ, cum omne, quod est in æltero, sit in eo per modum recipientis; & ideò ex hoc ipso quòd corpus illa virtute privatur, qua perfectè erat subijcibile Animæ, sequitur etiam &c.* Quæ omnia convincunt destitutionem vigoris, & doni integritatis in corpore, cui Anima unitur, in genere causæ materialis præcedere contractionem culpæ originalis maculantis Animam. Videatur quæst. 4. de Malo art. 4. in corp.

Ex his habentur duo. 1. Intelli- 17
ligentia propositionis superiùs relatæ, & sæpè assertæ à Div. Thom. scilicèt: *Animam infici per unionem ad carnem infectam propter peccatum Adami, sivè per unionem ad corpus destitutū impassibilitate, & subijcibilitate, qua pollebat in statu innocentiæ.* 2. Ex tali propositione nihil efficacitèr impugnans nostram conclusionem deduci posse; Ratio est: Nàm cùm huiusmodi infectio in corpore, sive carne, cui Anima unitur, sit posterior in genere causæ formalis, & quasi effectivæ contractionem culpæ originalis in Anima, nequit assignari causa instrumentalis physicè influens in prædictam infectionem, nisi illa priùs influat physicè effectivè in contractionem culpę originalis in Anima quòad sui essentiam. Cùmque hæc reiecta maneat ex præcedentibus; imo ipsi Adversar. solùm conentur adstruere influxum effectivum directè, & immediatè in aliquid impediens infusio-

duplex ratio in favorē nostrum.

sionem iustitiæ originalis, & ex consequenti, sive indirectè in privationem talis iustitiæ; ex authoritatibus Div. Thom. sup. adductis, & earum recta intelligentia nihil infertur contra sententiam, quam propugnemus.

18 Adest etiam alia ratio notanda, ut Anima dicatur infici, & contrahere peccatum originale ex unione ad carnem, sive corpus, quæ est huiusmodi, & traditur à Div. Thom. quæst. 3. de Malo art. 3. ad 1. & 2. & hic quæst. 81. art. 1. ad 1. Nàm cùm in præsenti providentia ex communi lege contractio culpæ originalis solùm sit annexa ei, qui descendit ex Adamo per seminalem propagationem, & qui filius ipsius denominatur; Anima autem rationalis non traducatur per seminalem propagationem, traducatur verò caro, sive corpus, & ratione huius verificetur, hominem descendere ex Adamo; ideò verificatur Animam non contrahere culpam originalem, nisi ex unione ad carnem, sive corpus, ut constitutum iàm in esse carnis. Ulteriùs: Nàm peccatum originale, cùm sit peccatum naturæ; non pertinet ad Animam, nisi in quantùm est pars humanæ naturæ descendentis originalitèr ab Adamo; sed humana natura fuit originaliter in Adamo purè secundùm aliquam partē sui, scilicèt, secundùm carnem, & secundùm dispositionem ad Animam, quæ unitur carni: ergò Anima ex unione ad carnem propagatam seminalitèr ex Adamo inficitur peccato originali; ita ut ly *ex* non dicat principium efficiens, sed tantùm conditionem, sine qua non, & ad quam infallibiliter in hac providentia sequitur infectio culpæ.

Roborâtur dicta alia rat.

§. V.

Qua ratione sit verum, peccatum originale contineri in semine tanquam in causa instrumentali?

19 ITA S. Doct. quæst. 4. de Malo ar. 1. ad 9. ad 13. & ad 16. & art. 3. hic quæst. 83. art. 1. ad 2. & alibi. Pro recta intelligentia supponendum, ut quid certum; peccatum originale substrativè sumptum traduci physicè per virtutem seminalem; quia hoc nihil ampliùs dicit, quàm per illam physicè produci subiectum peccati, & ita ut illius productioni iuxta præsentem providentiam sit annexa infallibiliter illius contractio. Quapropter difficultas versatur circa peccatum originale formaliter, & quasi abstractivè acceptum. An scilicèt virtus seminalis in ipsum pròut sic physicè instrumentaliter influat? In primis aliqua testim. Div. Thom. quæ referuntur, si attentè inspiciantur, nedùm contra nostram sententiam, sed etiam contra sententiam Salm. Ferre, & aliorum pugnant. Siquidèm iuxta ipsos talis concursus physicus instrumentalis non est per virtutem innatam seminis, aut per virtutem aliquam intentionalem ipsi superadditam, sed unicè per defectum privativum alicuius vigoris, aut virtutis; cùm tamen Div. Thom. quæst. 4. de Malo art. 1. ad 9. asserat: *Semen habere virtutem ad traductionem peccati per modum cuiusdam esse intentionalis, sicut color est in aere.*

Resp.

Deindè: Nàm Gregor. Mart. & Alij RR. concluf. ult. impugnati, etsi tueantur influxum physicum in peccatum originale; fatentur iustitiam originalem (si Adamus non peccasset) non fore traducendam physicè per virtutem seminalem; cùm tamen pluriès oppositum videatur affirmari à Div. Thom. dicente, iustitiam originalem fore propagandam, & traducendam in posteros Adæ simùl cum natura. Sufficiat ipsum audire ubi immediate: *Ex peccato enim primi Parentis destituta est caro eius illa virtute, ut ex ea possit decidi semen, per quod originalis iustitia propagetur.* Si igitur hæc propagatio iustitiæ originalis per virtutem seminis exponitur, & accipitur ab Adverf. in sensu comitanti; quatenùs scilicèt, per talem virtutem produceretur physicè natura humana, cui esset annexa infallibiliter infusio iustitiæ originalis; cur nobis non licebit in eodem sensu exponere testimon. Div. Thom. affirmantis per virtutem seminis fieri traductionem peccati originalis?

20

Qua-

21 Quapropter ſtandum eſt ſolutioni exponenti illa de influxu comittanti, quæ expoſitio prob. 1. ex ipſo, qui in præſenti quæſt. 81. art. 1. in quo totus eſt in explicando modum cauſalitatis ſeminis, & traductionis culpæ originalis: hæc habet in ſolutione ad 5. *Dicendum, quòd etſi culpa non ſit actu in ſemine, eſt tamen ibi virtute humanæ naturæ, quam concomitatur talis culpa.* In quibus verbis duo occurrunt ponderatione digna. 1. *Quòd virtutem in ſemine ad producendam humanam naturam noluit appellare S. Doct. virtutem ad producendam culpam, ſed quòd hæc concomitatur naturam per illam virtutem productam.* 2. *Eatenùs dici peccatum originale eſſe virtualiter in ſemine; quatenùs in illo eſt virtualiter humana natura, quam tale peccatum concomitatur.* Si autem ſentiret Ang. Præcept. ſemen effectivè producere ipſum peccatum originale, & non tantùm ſubiectum illius; concederet in ſemine virtutem ad productionem culpæ originalis: & rursùs concederet culpam originalem in ſe, & ratione ſui contineri virtualiter in ſemine; cùm omnis cauſa inſtrumentalis habeat virtutem; præcontentivam effectus intrinſecè & ratione ſui, & non ſolùm ratione *ſubiecti, quod concomitatur.* Quod exemplis aliarum cauſarum inſtrumentalium de linea phyſica, & earum effectuum ſatis efficacitèr roborari poteſt.

Ita Mag. Med hic ar. 1. pro pè finem.

22 2. Et redditur ratio huius expoſitionis: Nàm quod ita concurrit ad productionem peccati originalis, ut non ſolùm ſine illo non exiſtat, ſed etiam poſito eius influxu, ſtatim infallibiliter ſequatur contractio peccati originalis in ſubiecto terminante illius concurſum, non abſurdè dicitur, peccatum originale in illo contineri, tanquàm in cauſa; ſed ſuppoſito peccato primi Parentis, ita requiritur productio prolis deſcendentis ex Adamo ad contractionem peccati originalis, ut ſtatim àc verificetur de illa *eſſe conceptam ex virili ſemine, verificetur infallibiliter eſſe conceptam in peccato originali*; ut eſt certum, & ex quo inferunt Theol. cum Div. Thom. *Quòd ſi aliquis miraculosè formaretur ex carne humana, & non per ſeminalem propagationem, non contraheret peccatum originale*: Ergò ad abſolutè proferendum peccatum originale prolis contineri in ſemine deciſſo à Parente, tanquàm in cauſa inſtrumentali, ſufficit ſubiectum illius ea ratione, qua ad ipſum infallibiliter conſequitur infectio peccati originalis, provenire ab illo, tanquàm à virtute inſtrumentaria.

Secundò.

23 Quem ſenſum traditum eſſe videtur à Div. Thom. hic quæſt. 81. art. 1. ad 2. dicente: *Per virtutem ſeminis traducitur humana natura à Patre in prolem, & ſimùl cum natura naturæ infectio: ex hoc enim fit iſte, qui naſcitur conſors culpæ primi Parentis, quia naturam ab eo ſortitur per quandam generativam motionem.* Ubi Sanct. Doct. reddit cauſam traductionis infectionis naturæ ſimùl cum ipſa natura; quia ſcilicèt, cùm ſuppoſito peccato primi Parentis iuxta præſentem providentiam ſtatim, àc verificatur de aliquo, quòd ſortitur naturam ab Adamo per generativam motionem, verificatur de ipſo fieri conſortem culpæ Adami; ideò, dùm per virtutem ſeminis traducitur natura, traducitur etiam peccatum originale. Quæ doctrina ſatis opportunè roborari poteſt exemplo alicuius Familiæ, cui ex gratia Regis eſſet infallibiliter annexus propter facinus ægregium Parentis aliquis honor, ſtatim àc naſcerentur ex ſemine illius: In quo quidèm caſu verificaretur: *Generationem prædictæ Familiæ eſſe ſimùl propagationem honoris, àc ſplendoris, & per illam ſimùl cum natura honorem, & ſplendorem traduci*, & inſuper: *Huiuſmodi propagationem, & ius hæreditarium ad honorem in merito Parentis, tanquàm in cauſa principali; in ſemine verò tanquam in cauſa inſtrumentali contineri.*

Confirma.

(o)

§. VI.

Solvuntur argumenta contra expositionem traditam, & alijs testimon. occurritur latiori methodo.

24 OBijcies 1. iuxta Concilium Tridentinum sess. 5. canon. 4. & Milevitanum cap. 2. *Parvuli contrahunt peccatum originale per generationem, & propagationem ex semine Adæ.* Sed si semen tantum instrumentalitèr influeret in naturam, quæ est subiectum peccati originalis, & non in ipsum peccatum originale, talis loquutio esset valdè impropria: ergò nè hoc concedatur, dicendum &c.

Arg. 1.

Prob. min. Nàm iuxta Dialect. qui de proprietate significationum iudicant, verba significantia actionem, & causalitatem appellant supra formale termini, in quem feruntur: & ideò cum ipsis negant Theol. Deum esse causam peccati, licet sit causa entitatis, quæ est subiectum malitiæ se habentis de formali in peccato: ergò dùm Concilia, & PP. asserunt peccatum originale causari per generationem vitiatam, & semen infectum propter peccatum Adami, eius causalitas nedùm ad naturam, sed etiam ad peccatum originale extendi debet; nè illorum loquutio sit valdè impropria.

25 Confirm. 1. iuxta D. August. lib. 5. de Nupt. cap. 24. & alios Ecclesiæ PP. quos sequitur D. Thom. q. 4. de Malo a. 2. ad 16. & alibi: *Fomes, seu concupiscentia relicta ex peccato Adami in Parentibus est causa, ut filij nascantur infecti peccato originali.* Tum sic: sed talis causalitas nequit esse moralis; cum hæc consistat in merito, aut demerito, cuius non est capax concupiscentia relicta ex Adamo: ergò est causalitas physica. Sed non causalitas influens in peccatum originale purè in sensu materiali, & concomitanti, hoc est in naturam parvulorum, quæ substernitur peccato originali: ergò est causalitas physica in ipsum peccatum originale. Min. subsumpta non minùs facilè, quàm efficaciter probatur. Quod semen deciduum à Parente sit causa naturæ, quæ aliàs est subiectum peccati originalis, non habet, nec requirit fomitem peccati esse derelictum ex peccato actuali Adami, cum esse instrumentum generationis naturæ habeat ab ipsa natura: ergò.

Confir. 1.

Confirm. 2. iuxta D. Thom. *Peccatum originale est in peccato Adami, tanquam in causa principali, & in semine, tanquam in causa instrumentali.* Ita expressè pluribus testimon. in progressu dubij iam citatis; sed hoc ipso debet concedi, & peccatum Adami esse causam physicam, & non tantum moralem respectu peccati originalis: ergò. Prob. min. 1. Nàm causa moralis non exigit aliquod instrumentum physicum ad productionem effectus: ergò si peccatum Adami, ita influit in peccatum originale, ut indigeat concursu instrumentali seminis, non tantum moralitèr, sed etiam physicè influit in illud. Secundo. Nàm illum concursum instrumentalem attribuit semini D. Thom. quē in genere causæ principalis attribuit peccato Adami. Sed concursus causæ principalis huius in peccatum originale non est tantum in sensu concomitanti, per hoc, quod terminetur ad productionem substantiæ prolis, ut est certum: ergò. Tertio. Nàm quod semen influat instrumentalitèr in peccatum originale, habet ex ordinatione ad peccatum Adami, ut causam principalem, sed hæc subordinatio nequit subsistere, si tantum instrumentalitèr influat in substantiam prolis. Tùm, quia ad productionem huius non indiget peccato Adami. Tùm, quia subordinatio instrumenti ad causam principalem fit mediante virtute, aut motione aliqua ipsam intrinsecè elevante. Sed ut semen influat instrumentalitèr tantum in substantiam prolis hac virtute, aut motione ex peccato Adami provenienti non indiget: ergò.

26 Secundo.

27 Ad urgent. constat ex dictis §. antecedent. cum enim ad generationem ex semine Adami sequatur infallibilitèr, & necessario, supposito illius peccato in posteris contractio peccati originalis; ideò affirmatur à PP. & Concilijs huiusmodi peccatum generatione contrahi, & propagatione trāsfundi. Est enim frequens loquutio apud

Solutio.

PP.

PP. & D. Thom. ut quod infunditur alicui, tanquam annexum generationi naturali, per illam communicari, & haberi per propagationem naturæ. Do expressum testimonium D. Anſel. lib. de Conceptu Virg. cap. 10. ubi ait: *Quoniam Adam subditus noluit esse Dei voluntati, gratiam, quam de se propagandi servare poterat, perdidit.* En ubi concedit, Adamum habuisse virtutem propagandi gratiam, & tamen iuxta Adversar. (uno, vel altero dempto) negatur gratiam, aut sanctitatem esse transfundendam physicè per aliquam virtutem superadditam semini. Deindè: Nàm de iustitia originali pluriès asserit Div. Thom. fore propagandam, & traducendam in posteros, si Adamus non peccasset. Ita in 2. ad Anibal. dist. 2. quæst. 2. art. 4. & q. 4. de Malo art. 1. ad 9. Et tamen iuxta Adv. iustitia originalis quoad sui essentiam, & id, quod dicit in rectò de formali, non produceretur physicè per seminalem propagationem: quidquid sit, àn sic produceretur quoad aliquod donum, vel perfectionem naturalem se habentem ex consequenti ad ipsam.

Fundatur in S. Anſ.

28 Illustratur ex S. Doct.

Ulteriùs, & satis urgentèr prob. assumptum ex Div. Thom. 3. part. quæst. 28. art. 4. ubi asserit: *Beatissimam Virginem Mariam antequàm desponsaretur Joseph, non voviſſe absolutè castitatem; quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequàm ex illo populo Christus nasceretur.* En ubi S. Doct. *Cultum Dei provenientem ex fide, & virtute Religionis, asserit tempore legis scriptæ propagari secundùm carnis originem ex Parentibus fidelibus.* Similitèr in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. tenet eandem sententiã per hæc verba: *Tempore legis præferebatur virginitati matrimonium, propter expectationem benedicti seminis per viam generationis venturi.* En ubi benedictionem seminis in fide, spe, & Cultu veri Dei consistentem, affirmat S. Doct. Tempore legis haberi per viam generationis. Si ergò istæ locutiones non cogunt asserere, in statu legis Moysi virtutes, quibus colitur, & agnoscitur verus Deus, fuisse in aliquo vero sensu physice traductas per generationem carnalem (ut fateri debent omnes Catholici) paritèr dicendum de illis locutionibus, quibus affirmatur: posteros per generationem, & propagationem ex semine Adæ nasci infectos peccato originali. Undè sicut prædictæ locutiones tenent verum propter connexionem ortam ex promissione divina, iuxta quam solùm Populus Fidelis filios fideles, & colentes verum Deum procreabat; ita similitèr cùm detur infallibilis connexio suppositò peccato Adami, & præsenti providentia, inter generationem prolis, & contractionem peccati originalis; talitèr, ut ex ipsa conceptione accipiat homo necessitatem, ut cùm habuerit Animam rationalem, habeat peccati immunditiam (ut loquitur Div. Anſelm. lib. de Concept. Virg. cap. 7.) propter hoc asserunt Concilia, & PP. peccatum originale trahi, & propagari per generationem.

29 Occurrit prob in contra.

Ad probat. in contra Resp. inquirendo ab Adver. præsertim à Recent. quorum est argument. & quos supra impugnavimus §. 5. & 6. *An locutio D. Thom. affirmantis iustitiam originalem fore traducendam per generationem, si Adamus non peccasset, sit propria, vel impropria?* Et idem de illa propositione Anſelmi affirmantis: *Tùnc casus Adamum habiturum vim propagandi gratiam, & sanctitatem?* Et insuper inquirendo ab omnibus Theolog. *An locutio Div. Thom. asserentis, cultum veri Dei, & benedictionem filiorum, antequàm Christus nasceretur, propagari, & haberi per viam generationis in Populo Dei, sit propria, vel impropria?* Quòd ergò ipsi dixerint pro veneratione Sanct. Doct. & Nos paritèr dicimus. Mihi autem pro mea tenuitate videtur dicendum, *esse propriam, & non esse propriam.* Propriam quidèm attenta communi acceptione, & consuetudine loquendi, qua frequentèr asseritur, *gratiam aliquam, & honorem, vel etiam defectum alicuius gratiæ, vel infamiam convenientes alicui, statim àc nascitur, seu concipitur ex semine Parentis, cui hæc omnia fuerunt promissa, aut comminata, haberi per generationem, & propagari simùl cum natura, * vide sup. num. 23. Si verò sermo sit

de

de proprietate in rigore scholastico, aut philosophico, quiquidem est sermo disputativus; dicimus, illam non esse propriam quòad significatum de materiali; cùm actio generativa physicè non influat in ipsum peccatum originale. Nec per hoc aliquid detrahitur SS. PP. & Div. Thom. si enim omnes illorum propositiones cum omni proprietate rigoris acciperentur, quamplurima inconvenientia sequerentur. Et præsertim; cùm ad eas temperandas adsit grave fundamentum iuxta superiùs dicta.

30 Nèc instantia de causalitate Dei circa materiale peccati facit contra hoc. 1. Quia de Deo nihil, adhùc quoad apparentiam lædens eius puritatem, & sanctitatem, affirmari debet; qualitèr illam læderet, dicendo: *Deum esse causam peccati.* At verò asserere hominem per generationem ex Adamo, & per infectionem seminis, sive immunditiam illius, contrahere peccatum originale; nullum affert secum inconveniens, uno potiùs per has loqutiones maximè distant Catholici ab Hæreticis, & fortè propter hunc finem PP. & Concilia his loquti onibus utuntur ad confundēdum errorem Pelagij, & aliorum asserentium peccatum Adami intrasse in hūc mundum, non imitatione tantum, sed propagatione. In quo apparet alia ratio proprietatis in loqutione PP. pręter superiùs dicta; proprietatis, inquam, ad confirendam Catholicam doctrinam, & confundendam hæreticam perfidiam.

Ad inst. ibi Resp. 1.

Alia proprietas pro locutione.

31 Resp. 2. Rationem discriminis stare in eò, quod quamvis deformitas peccati infallibiliter sequatur ad entitatem peccati, non tamen pròut hæc à Deo est, sed pròut est à voluntate creata operanti illam sine attentione, & subiectione ad rationem, & legem divinam, ut latè fundavimus tract. de Peccat. Peccatum verò originale consequitur ad naturam prolis, pròut hæc descendit ex Adamo per seminalem propagationem, absque eo, quod ultra illius peccatum requiratur concursus alterius causæ ad peccati originalis contractionem. Quapropter licet de Deo causante entitatem peccati, quæ aliàs est subiectum malitiæ, nequeat affirmari esse causam peccati; de Parente tamen, in quo est fomes, sive concupiscentia relicta ex peccato Adami generantis prolem per seminalem propagationem, dicitur communitèr; per talem propagationem traducere etiam peccatum originale.

Secunda solut.

Ad 1. confirm. latè dictum est 32 dub. antec. ubi germanum sensum dictæ propositionis tradidimus, & tàm ratione, quàm authoritate ipsum firmavimus. Modò solum placet addere 1. quod si concupiscentia strictè accipiatur, scilicèt, pro defectu subiectionis appetitus ad rationem intrinsecè ipsum inficiente; cum appetitus concupiscibilis tantum excitativè, aut inclinativè deserviat ad decisionem seminis alio in loco residentis, & per virtutem digestivam ex superfluo alimenti producti, non facilè percipio, qualiter ex tali defectu in appetitu concupiscibili residenti derivetur physicè, & ex natura rei defectus aliquis in semine; ita ut ex subordinatione ad illum influat instrumentalitèr physicè in peccatum originale. 2. Nos non asserere semen decissum ex concupiscentia tantum concurrere instrumentalitèr ad productionem naturæ prolis: sed fatemur huiusmodi concursum instrumentalem, & insuper asserimus esse causam sine qua non, sive conditionem, ad quam infallibilitèr sequitur iuxta præsentem providentiam contractio peccati originalis. Unde distinguere oportet inter has propositiones: *Semen est instrumentum physicum tantum respectu productionis naturæ in prole*: *Semen decissum per concupiscentiam ex peccato Adami derelictum, tantum est instrumentum physicum productionis naturæ.* Prima est vera; secunda falsa, ut tantispèr consideranti patebit.

Ad 1. confirm.

Ad 2. neg. min. Ad 1. prob. 33 Resp. Illam esse veram per se loquendo; secùs vero attenta ordinatione divina, qua iuxta præsentem providētiam à Deo statutam, nemo fit consors culpæ originalis, nisi, qui per seminalem propagationem descenderit ex Adamo. Quam doctrinam tenentur admittere Adversr. in simili: Nàm si

Ad 2. confirm.

Ada-

Adamus non peccaſſet, omnes eius poſteri naſcerentur cum iuſtitia originali. Cuius quidèm transfuſionis duplex aſsignaretur cauſa: una phyſica, & principalis, ſcilicèt, Deus elevans virtutem generativam Adami ad transfuſionem gratiæ; altera verò moralis, ſcilicèt, Adamus: vel quia eam mereretur de congruo per obſervationem præcepti, ut placet pluribus; vel quia ad illam concurreret per actum obedientiæ ſe habentem per modum conditionis moralis: Et tamen his non obſtantibus, ut obſervantia præcepti in Adamo aliquatenùs influeret in transfuſionem iuſtitiæ originalis ad poſteros, exigebat concurſum inſtrumentalem per ſemen deciſſum ab illo, ut à cauſa principali generationis ipſorum: non ergò opponitur reſultantiæ morali peccati originalis ex peccato Adami exigere ad ſui contractionem concurſum cauſæ inſtrumentalis phyſicè influentis in naturam infectam peccato originali.

34 Ad 2. Reſp. Continentiam peccati originalis in ſemine, ut in cauſa inſtrumentali affirmatam à Div. Th. non eſſe propriè talem. Conſtat enim ex ipſo hic quæſt. 83. art. 1. ubi reddens rationem talis continentiæ, ait: *Eò quòd per virtutem activam ſeminis traducitur peccatum originale ſimùl cum natura humana.* Cùm autem iuxta Adverſ. peccatum originale in privativo conſiſtat; fateri debent, imò & expreſsè fatentur, non per virtutem activam, ſed per privationem virtutis, & vigoris, traduci peccatum originale. Undè ſicut illa verba D. Th. *per virtutem activam* &c. intelligenda ſunt de activitate in ſenſu committenti, hoc eſt, in ordine ad naturam, quæ eſt ſubiectum peccati, ita ſimiliter illa verba: *Peccatum eſt in ſemine, ut in cauſa inſtrumentali.*

Ad 2 probat. eiuſdem.

35 Ad 3. prob. eiuſdem min. Reſp. dupliciter. 1. diſt. min. Si tantùm influit in ſubſtantiam prolis abſolutè acceptam, conced. min. Si influit in ſubſtantiam prolis, ita ut ad ipſam ſequatur infallibiliter contractio peccati, neg. min. & conſeq. Licèt enim ad hoc, ut ſemen producat phyſicè naturam humanam, non requirat connotationem concupiſcentiæ, aut fomitis peccati, cùm hoc ei conveniat ab intrinſeco, quatenùs eſt virtus inſtrumentaria Animæ ut generantis, illam tamen exigit, ut natura prolis ab ipſo inſtrumentaliter producta contrahat peccatum originale iuxta præſentem providentiam à Deo ſtatutam pro tali contractione, ut ſuperiùs diximus Reſp. 2. diſt. min. Ad hoc, ut influat inſtrumentaliter tantùm in productionem naturæ, conced. min. Ad hoc, ut influat inſtrumentaliter tantùm in naturam, & ut ratione talis concurſus ſimùl ſit cauſa, ſine qua non, vel conditio requiſita ad contractionem peccati, neg. min. Diximus ſup. quod efficientia phyſica ſeminis, licèt tantùm ei conveniat per ordinem ad naturam prolis; eſt tamen in præſenti providentia conditio ſine qua non, & ad quam ſequitur infallibiliter contractio peccati originalis. Licèt ergò ſubordinatio ad concupiſcentiam derelictam ex peccato Adami non ſit in illo neceſſaria ſub primo munere, benè tamen ſub ſecundo. Per quæ conſtat ad aliam probationem. Licèt enim ſubordinatio inſtrumenti reſpectivè ad effectum, ad quem ut verum inſtrumentum concarrit, fiat media virtute derivata ex cauſa principali, ad illum tamen effectum, ſive potiùs defectum, ad quem ſe habet ut pura conditio, & ſine qua non, & ad quam infallibiliter ſequitur, ſufficit connotare aliquem defectum ex cauſa principali derelictum, & huiuſmodi eſt concupiſcentia, ſeu fomes peccati. *Et hæc de hoc dub. applic. litt. Mag. ubi præced.*

(o)

Ad 3. oro bat duplex ſolutio.

DUBIUM IX.

AN STANDO PONDERI RATIONUM, peccatum Adami dicendum sit causa physica peccati orig?

§. I.

RESPOND. NEGATIVE.

N. 1 ITa Thomistę citati, estque frequens inter AA. Societ. cum P. Suarez. Hinc immeritò miratur M. Ferre, qui referens Ill. Godoy dicentem: *Suam opinionem à maiori parte Theolog. tueri*, ait, *sed nescio, ubi hoc legerit.*

Zumel. Curiel. Ferrara. Córadus. Godoy. Serra, & Alij.

1. Ratio formatur ex dictis dub. 7. Implicat causam non existentem physicè in seipsa, aut in aliquo physicè ex ipsa derelicto, influere physice in effectum; sed peccatum Adæ non existit
2 modo physicè in seipso, nec in aliquo ex illo physicè derivato: ergò. Min. quòad 1.p. const. & quòad 2. pr. Tale physicum derivatum ex peccato Adami, vel esset quid privativum superadditum semini per modum virtutis permanentèr, aut transeuntèr existentis in illo, vel esset aliquid privativum? Neutrum affirmari potest: ergò. Min. quòad 1.p. const. ex dict. dub. 7. §. 3. ubi probavimus superadditionem virtutis positivæ in semine ad traductionē peccati originalis non habere fundamentum in D. Th. ad quod attendēs Em. Caiet. in præs. q. 81. a. 1. dixit: *Non oportet aliquam intentionalem qualitatem in semine fingere, qua productivum sit culpæ; hoc enim nec A. seminavit.* Quòad 2. vero pr. Tale privativum physicè derelictum ex peccato actuali Adami in semine esset, vel privatio vigoris, virtutisque supernaturalis, qua polleret in statu innocentiæ ad traductionem iustitiæ originalis, ut sanctificantis animā, vel ad traductionē iustitiæ originalis, prout hæc subijciebat perfectè appetitum sensitivum rationi, & corpus animæ; vel in privatione alicuius vigoris naturalis ad producendum corpus perfectè dispositum ad susceptionem iustitiæ originalis infundendæ à Deo pro instanti, pro quo anima uniretur corpori. Sed nulla ex his privationibus datur in semine, per quam possit physicè influere in peccatum originale; ut ex professò probatū relinquimus §. 4. 6. & 7. sigillatim agēdo de sing. ergò.

3 2. Ratio est. Peccatum originale formaliter sumptum consistit in carentia iustitiæ originalis, ut fatētur plures ex Adv. (& pronùnc talis cōstitutio debet admitti, ut vera) sed ut in parvulo detur carentia iustitiæ originalis, non requiritur aliquis influxus physicus: ergò. Pr. min. Per hoc præcisè, quod Petrus v.g. concipiatur ex semine Adæ, & non cōcipiatur cum originali iustitia, datur in Petro carentia originalis iustitiæ, ut de se patet; sed ut Petrus concipiatur ex semine Adæ, & non cum originali iustitia, solum requiritur influxus physicus ex parte seminis in existentiam Petri, non vero in ipsam carentiam originalis iustitiæ: ergò.

Prob. 2.

4 Nec valet dicere peccatum originale non consistere in carentia iustitię originalis utcumque, sed in carentia, quæ est privatio, cum sit carentia iustitiæ debitæ naturæ humanæ, si Adamus non peccasset. Et licèt ad carentiam iustitiæ, quę sit pura negatio, non requiratur aliquis influxus physicus in illam; secùs vero ad carentiam iustitiæ, quæ sit privatio; eo modo quo privationes possunt habere causā physicam sui. Quam dist. tradit Ang. D. 1. 2. q. 75. a. 1. ubi ait: *Quod licèt simplicis negationis sufficiens causa sit remotio causæ; respectu tamen privationis oportet assignare causam agentem illam per accidens*, sive ut ipse S. D. ibi subiungit, *causam impedientem existentiam formę, cuius datur privatio.* Igitur, ut carentia

Quædam Resp.

iusti-

iustitiæ originalis in parvulis sit privatio, necesse est assignare causam agentem illam per accidens, hoc est, causam efficientem alicuius impediētis infusionem iustitiæ originalis.

5 Non inquam valet 1. Carentia privativa iustitiæ originalis, est carentia iustitiæ debitæ naturæ humanæ ex ordinatione divina, sive pacto celebrato cum Adamo; sed ut parvulus concipiatur cum carentia iustitię sub hac consideratione, non requiritur aliquis influxus physicus in illam: ergò. Prob. min. Talis influxus nec requiritur ad talem caretiam secundùm id, quod dicit de defectu iustitiæ originalis, nec secundùm, quod dicit iustitiam originalem esse debitam Petro v. g. ergò. Añs. quòad 1. part. constat, & conced. in solut. Quòad 2. vero prob. Iustitiam originalem esse debitam Petro, provenit tanquam à causa extrinseca, imò & tanquam à forma, ab ordinatione divina decernente infundere eam Petro, si Adamus non peccasset; sed ad huiusmodi ordinationem divinam non requiritur aliquis influxus physicus in ipsam carentiam iustitiæ origin. ergo.

Reijc. 1.

2. Et urg. hoc. Privatio iustitiæ originalis non est carentia formæ debitæ subiecto ex intrinsecis ipsius, sed tantū carentia formæ debitæ ex ordinatione divina, & ex suppositione extrinseca perseverantiæ status innocentiæ, si Adamus nō peccaret: licet ergò ut existat in subiecto privatio formæ debitæ ab intrinseco ipsi, requiratur, quod causa producens tale subiectum efficiat aliquid, ex quo impediatur forma sic debita; ut tamen ponatur in illo privatio formæ debitæ unicè ab extrinseco, solùm requiritur, quod detur influxus physicus in subiectum, & negatio influxus in formam cum debito habendi illam. Sed nec ad existentiam talis debiti, nec ad negationem influxus in formam, requiritur, quod causa physicè producens subiectum impediat physicè existentiam talis formæ: ergò quamvis peccatum originale in privatione peccati originalis consistat; non propter hoc est necesse, ut semen physicè producens prolem, influat physicè in existentiam peccati originalis. Ratio huius discriminis est: Nàm cum omnis causa naturalis ex necessitate producat suum effectum, si non sit impedita, iuxta expressam Doct. D. Th. 1. cont. G. c. 67. nequit subiectum aliquod carere forma sibi ab intrinseco debita, nisi ex parte sui, aut ex parte causæ producentis illud, adsit aliquod impedimentum in debilitate, aut infirmitate virtutis consistens. Hac enim de causa multotiès contingit Oculatum genenerare hominem cœcum, & cum alijs defectibus corporalibus ex debilitate seminalis virtutis proveniētibus. Quando vero forma est supernaturalis, non debita subiecto ab intrinseco, sed unicè ex ordinatione extrinseca Dei: ut subiectum productum ab aliqua causa naturali denominetur privatum tali forma, non est necesse talem privationem provenire ex aliquo defectu ex parte virtutis productivæ illius se tenenti, sed sufficit, quod subiectū physicè producatur per talem virtutem, & quod propter aliquod impedimentum, sive physicum, sive morale, detur in illo carentia talis formæ.

Secundò.

6

Hæc doctrina manifestè percipitur, si attentè consideretur natura pacti celebrati à Deo cum Adamo, ex cuius transgressione processit, tanquam à 7 radice peccatum originale inposteros. Per illud enim promisit Deus Adamo, quod si observaret præceptū, posteri descendentes ab illo per seminalem propagationem, nascerentur in sanctitate, & iustitia originali. *En debitum quod fuit in posteris ad habendam iustitiā originalem; proveniens, inquam, unicè ex ordinatione divina absque eo, quod à natura ipsorum infusio gratiæ, & iustitiæ originalis esset ullo modo exacta.* Peccante igitur Adamo, & non purificante conditionem, sub qua fuit posteris promissa à Deo infusio gratiæ habitualis: cōsequutum fuit ex tali peccato, ut posteri descendentes ab ipso per seminalem propagationem, non nascerentur cum sanctitate, & iustitia originali. *En carentiam iustitiæ originalis in posteris coexistentem infallibilitèr existentiæ ipsorum descendentium physicè ab Adamo per virtutem seminalem; absque eo, quod influxus physicus talis virsutis se extendat ad influendum physicè in talem carentiam.* Quod si huic addatur gratiam, & iustitiā originalem fuisse debitam poste-

Roborat.

7

ris extrinsecè ex vi ordinationis divinæ celebratę cum Adamo; clarè cõspicitur existente unicè influxu physico in naturam posterorum statim resultare in ipsam propter peccatum Adæ, carentiam iustitiæ originalis eis ab extrinseco debitæ; proindèque privationem iustitiæ, in qua peccatum originale consistit.

8 Unde non negamus ad privationem iustitiæ originalis in posteris (per quod fit satis authoritati D. Th. in solutione adductę) oportere assignari causam impedientem infusionem talis iustitiæ; libentèr enim concedimus eam fuisse peccatum Adami, quatenùs fuit peccatum totius naturæ, & sub qua cõsideratione permanet moraliter in abominatione divina, usquedùm per infusionem gratiæ sanctificantis destruitur. Negamus autē huiusmodi impedimentum debere inveniri intrinsecè in virtute seminali, per quam physicè propagatur netura humana; quia vi delicèt talis influxus physicus nec requiritur ad contractionem peccati originalis, proùt hoc dicit carentiam gratiæ, nec proùt dicit carentiam gratiæ debitæ posteris ab extrinseco.

9 Et quidem sicut in naturalibus defectus privativus prolis derivatur physicè ex defectu virtutis in causis concurrentibus ad illius productionem, Explicat. ita rectitudo, & perfectio naturalis in prole, ex activitate, & perfectione virtutis reperta in causis provenit: & tamen non propter hoc cogimur asserere, quod si Adamus non peccasset, perfectio supernaturalis sanctitatis posterorum proveniret ullo modo physicè effectivè à virtute physicè productiva naturæ ipsorum, ut fatentur Adversf. (PP. Salm. exceptis) sive quod idē est; non cogimur asserere gratiã sanctificãtem fore physicè traducendam per generationem carnalem. Ergò pariter ut subsistat firmitas decreti divini, de eo, quod peccante Adamo omnes posteri eius nascerentur privati gratia sanctificante eis debita ex vi pacti, nõ est necesse talem privationem per generationem carnalem physicè traduci, sed sufficit, quod ipsis propter peccatum Adami non infundatur gratia, à quo physicè illorum natura procedit.

10 Dices. Privatio rectitudinis in actu præcepto (de quo loquitur D. Th. ubi sup.) est privatio perfectionis debitæ illi, non quidem ab intrinseco, sed ab extrinseco, ex lege scil. eam præcipiente; & tamen talis privatio causatur physicè per accidēs à voluntate, à qua effectivè per se provenit substantia actus: ergò quod iustitia originalis non debeatur naturæ humanæ ab intrinseco, sed ab extrinseco ex pacto celebrato cum Adamo, non tollit eius privationem provenire effectivè ab eadem causa, à qua effectivè procedit natura parvuli. Unde sicuti eadem voluntas producit substantiam actus, & privationem rectitudinis in illo; substantiam quidem; secundùm quod est efficiens; privationem verò; secundùm quod est virtutis deficientis: Ita discurrendum de concursu effectivo seminis respectu naturæ prolis, & respectu privationis iustitiæ originalis. Instabis.

11 Resp. 1. Quòd privatio rectitudinis in actu, utpote voluntaria indirectè per modum exercitij privativi, petit egredi ab ipsa voluntate, à qua egreditur directè substantia actus: ideòque deficiente huiusmodi egressu ex parte entitatis in actu, non posset esse voluntaria privatio rectitudinis. Peccatum vero originale posterorum tantũ fuit voluntarium Adamo terminativè, hoc est, tanquam quid consecutum ad suũ peccatum, non vero ut quid consecutum ad naturam posterorum: & ideò quamvis physicè influat Adamus in illorum existentiam, non petit influere physicè in peccatum ipsorum. 2. Nàm privatio rectitudinis in actu petit procedere à voluntate potente causare in illo directè, & per se rectitudinem moralem, cuius est privatio; & tamen privatio iustitiæ originalis ut sanctificantis animam (sub qua consideratione constituit peccatum originale) non petit in Adamo virtutem ad causandum directè, & per se gratiam ut sanctificantem, ut fatentur Adv. ergò ab omnibus concedenda est disparitas in utramque privationem. Unde licet ad utramque requiratur dari causam impedientem formam, cuius est privatio, (ut ibi docet universaliter D. Th.) pro diversitate tamen privationis, & formæ, cuius datur privatio; assignanda est etiam diversitas in causa impedien- Solvit. 1. Secundo.

diente, & hanc respectu iustitiæ originalis infundendam posteris, dicimus esse peccatum capitale Adami.

§. II.
Solvuntur argumenta.

12 OBijcies 1. Peccatum originale, etsi consistat in privativo, est effectus privativus realis, & Arg. 1. physicus; cum sit realis, & physica privatio gratiæ: ergò, ut ponatur de novo in posteris, necesse est quod proveniat ab aliqua causa physica effectiva modo possibili. Sed hæc non est alia, nisi peccatum Adæ: ergò peccatum Adæ est causa physica suo modo effectiva peccati originalis. Si dicatur ad existentiam privationis realis non requiri aliquem influxum physicum, sed sufficere negationem talis influxus in formam oppositam, ut ex secunda ratione probativa constare videtur. In contra arguit Mag. Ferre. Contr. est 2. Licet peccatum originale sit privatio, est tamen privatio physica, & realis; cum sit physica, & realis carentia iustitiæ originalis; sed omnis privatio physica requirit ad sui existentiam causam physicam, saltim influentem indirectè in illam, ut patet in cœcitate, privatione frigiditatis, & alijs: ergò.

Confirm. 1. ex alijs RR. Omnis immutationis physicæ in subiecto oportet designari causam physicam; 13 sed per peccatum originale, etsi in privatione consistat, physicè immutatur anima prolis; cum talis privatio sit physica, & iuxta Trident. unicuique ineſt: ergò respectu illius debet assignari causa physica, quæ alia esse nequit, nisi peccatum actuale Adami perseverans virtualitèr in semine infecto. Maior (si fortè negetur) prob. Omnis immutatio physica contingens, vel per formam positivam, vel per carentiam formæ positivæ, nō habet esse physicè à seipsa: ergò habet esse ab aliqua causa physica.

Confirm. 2. Privatio physica, 14 alicuius formæ nequit causari in subiecto per solam physicam causalitatem circa subiectum; sed peccatū originale est privatio non solum moralis, sed etiam physica iustitiæ originalis: ergò ad sui existentiam requirit aliquam causam physicè illud causantē. Mai. in qua est difficultas suadetur 1. Subiectum privari physicè aliqua forma, est privari forma, ad quam habet veram, & positivam exigentiam; sed ad hoc, ut subiectum physicè careat forma, quam verè, & propriè exigit, non sufficit ipsum physicè producere; cum physica productio illius non sit connexa cū carentia formę: ergò requiritur etiā produci physicè aliquid incomponibile cum tali forma. 2. Nullus effectus potest excedere causam principalem sui, sed potiùs debet cum illa, quantum possibile est, proportionari: ergò quando effectus positivus, vel privativus, non est purè moralis, sed physicus, & realis, requirit ad sui existentiam causam, nedùm moralem, sed etiam physicam, & realem: ergò si talis est privatio, in qua consistit peccatum originale, debet ei causa physica, & realis designari.

Confir. 3. ex D. Th. hac 1. 2. q. 75. 15
art. 1. ubi ait: *Quod licet simplicis negationis sufficiens causa sit remotio causæ, respectu tamen privationis oportet assignare causam agentem illam per accidens, hoc est, causam impedientem existētiam formæ, cuius datur privatio. Quod enim natum est in esse, & debet, nunquam abest, nisi propter aliquam causam impedientem.* Ex quo testim. roborantur dicta, & ulteriùs sic argum. Ergò respectu privationis physicę, & realis, quale est peccatum originale, oportet assignare causam physicè agentem illā per accidens, hoc est, physicè impedientem iustitiam originalem. Nec sufficit dicere D. Thom. loqui de privatione purè physica, non vero etiam morali, quale est peccatum originale; aut intelligendum esse de privatione formarū, quando hæc debentur debito physico, non vero debito purè morali, quale est debitum in posteris ad iustitiam originalem. Non inquam sufficit: Nàm privatio rectitudinis in actu peccati, de qua ibi ex professò agit D. Th. est carentia rectitudinis debitæ actui, non quidem physicè, aut ab intrinseco, sed moralitèr, & ex lege divina; qua ratione talis privatio dicitur moralis: ergò. 16

Roboratur idem assumptum ex D. Thom. q. 2. de Malo a. 1. ubi Roborat.

probat ad omissionem peccaminosam requiri aliquem actum voluntatis sequenti discursu: *Omne id, quod quandoque movetur, & quandoque quiescit, oportet assignare aliquam causam quietis*, iuxta Philosophum in 8. Physicorum: ergò *si voluntas non agit, quod agere debet, oportet huius esse aliquam causam &c.* Ex quo testimonio clarè deducitur, tàm privationis physicæ, qualis est quies, quàm privationis moralis, qualis est omissio peccaminosa actus debiti, requiri dari causam physicè influentem indirectè, causando, scilicèt, aliquid impediens existentiam formæ, cuius est privatio.

17 De materia huius argumenti latè dictum est §. anteced. ubi doctrinam solutionis, quæ optima est, explicatam, & probatam relinquimus. Ad eius 1. impugn. Resp. prænotando ultrà dicta de duplici privatione; (scilicèt, privatione formæ debitæ ab intrinseco; vel purè ab extrinseco:) Privationem aliquam duplicitèr posse dici physicam; uno modo attenta forma, cuius est carentia, alio modo attento etiam debito talis formæ. Ratio huius distinct. est: Nàm cum privatio essentialitèr importet, & carentiam formæ, & debitum ad illam; potest sortiri rationem privationis physicæ, vel per ordinem ad unum tantùm, vel per ordinem ad utrumque. Si ergò forma, cuius datur carentia in subiecto, sit physica, & physicè, hoc est, ab intrinseco, & ex natura rei illi debita; erit privatio illius absolutè, & simplicitèr physica. Huiusmodi sunt cœcitas, surditas &c. Si vero forma physica sit, non tamen debita physicè subiecto, hoc est, ex intrinseco sui, sed præcisè debitæ ab extrinseco ex lege divina, vel ex beneplacito Dei purè gratiosè ordinantis hominem ad susceptionem talis formæ; illius privatio non est absolutè dicenda physica, sed potiùs moralis. Qua ratione privatio rectitudinis in actu dicitur communitèr privatio moralis; quia licet verificetur de actu peccati non habere in se physicè talem rectitudinem; cum tamen debitum ad illam, per quod secernitur privatio à simplici negatione, sit tantùm morale proveniens, scilicèt, ex lege, privatio illius dicitur absolutè moralis. Cum igitur iustitia originalis, quamvis in se forma physica sit, tantùm debeatur posteris Adæ ab extrinseco, eius privatio absolutè dicenda est moralis.

Solut. data sustinetur.

Ex his ergò facilis est solut. ad 1. impugn. & ad exempla, quibus se protegit. Omnia enim hæc procedunt de privatione, quæ sit physica absolutè, & simplicitèr iuxta superiùs notata. Ad 1. confirm. Resp. Quod immutatio privativa physica per carentiam formæ, & in se physicæ, & debitæ debito physico, requirit causam physicam indirectam sui; secùs vero, quando talis immutatio privativa solum est physica attenta qualitate formæ; non vero debito ad illam. Et huiusmodi est immutatio physica contractionis peccati originalis, quæ absolutè, & in rigore dicenda est immutatio moralis, estò realitèr intrinseca. Nec enim anima parvuli contrahens peccatum originale dicitur physicè immutari; quemadmodùm non dicitur physicè mortua per peccatum originale. Ad prob. mai. Resp. hanc conseq. non esse bonam: *Privatio iustitiæ originalis non habet esse à se physicè: ergò habet esse physicè ab alio.* Arguitur enim à restricto ad non restrictum negativè sine constantia. Unde debebat argui sic: *Peccatum originale habet esse physicè ab aliquo, non à se: ergò à peccato actuali Adami.* Sed in hoc syllogismo maior est falsa; cum enim sit privatio debitæ formæ debito morali, sufficit resultare moraliter ex peccato capitali Adami.

18 Ad 1. confirm.

19 Ad 2. Ad 2. neg. mai. Ad illius prob. dist. mai. Exigentiam physicam, & ab intrinseco subiecti præcisè, neg. mai. Exigentiam physicam, & ab intrinseco, vel purè moralem, & ab extrinseca ordinatione Dei, conc. mai. Et cum cad. min. distinct. neg. conseq. Solutio constat ex supra dictis. Ad 2. probationem Resp. Quod si effectus privativus sit physicus absolutè, & simplicitèr, requirit pro sui existentia causam physicam; si vero solum sit physicus ex parte formæ, cuius est privatio; non vero ex parte debiti, sive iuris ad formā; non requirit huiusmodi causam, sed negationē influxus

cau-

causæ potentis communicare formam cum debito habendi illam. His enim duobus præciſsè ſtantibus verificatur de illo ſubiecto non habere formam, quam tenetur habere ; proindèque eſſe privatum illa.

20 Ad 3. ex authoritate Div. Thom. deſumptam Reſp. ex dictis §. 1. à num. 4. & præſertim à num. 7. & ſequentibus , ubi illam expoſuimus : & inſupèr inſtantiam adductam de privatione rectitudinis ſolvimus. Quapropter nè acta agamus, videantur ibi dicta. Ad 2. teſtimon. eiuſdem Sanct. Doct. Reſp. 1. Nos non negare debere aſsignari cauſam influentem in peccatum originale ; libenter enim concedimus illam eſſe peccatum capitale Adami, imò & cauſam principalem , & unicam , iuxta expreſſam doctrinam D. Thom. q. 4. de Malo art. 3. & hic q. 83. a. 1. & iuxta communem ſenſum Conciliorum , & SS. PP. Solum enim negamus tale peccatum debere phyſicè influere in peccatum originale poſterorū; contra quam ſolutionem non militat teſtim. D. Th. Quod ſi quieris (quo exemplo utitur ibi D. Thom.) oportet aſsignare cauſam phyſicam : hoc ideò contingit; quia eſt negatio , vel privatio phyſica abſolutè , & ſimpliciter. Reſp. 2. Illam propoſitionem D. Thom. deſumptam ex Philoſopho intelligendam eſſe de mobili , quod ſimùl eſt movens, id eſt , eliciens aliquam actionem ; quod quidem nequit ab illa ceſſare , niſi adſit aliquod impedimentum ; ideòque plures Thomiſtæ aſſerunt omiſsionem privativam actus requirere in volunrate aliquem actum , qui ſit cauſa, vel occaſio illius. At verò de mobili, quod ſit purè ſubiectum receptivum formę, vel illius privationis , dummodò hæc ſit moralis , & per actionem capitis moralis in illo introductam , & non voluntate propria ; nulla apparet ratio , ut reſpectu illius debeat cauſa phyſicè influens aſsignari.

Ad tert.

21 Sed dices 1. Peccatum habituale perſonale conſiſtit in privatione gratiæ debitæ , non quidem phyſicè , & ab intrinſeco , ſed tantùm moraliter , & ex ordinatione Dei ; Et tamen ad ſui exiſtentiam requirit cauſam phyſicam , vel poſitivè impedientem exiſtentiam gratiæ , ſi proveniat ex peccato actuali commiſsionis ; vel impedientem illam privativè, ſi voluntas peccet peccato omiſsionis : ergò etſi peccatum originale conſiſtat in privatione &c.

Inſtab. 1. cont. dict.

Dices 2. ex hoc ipſo. Ita comparatur peccatum originale noſtrum ad peccatum capitale Adami , ſicut habituale perſonale ad actuale perſonale ; ſed perſonale habituale eſt terminus phyſicè derelictus ex actuali : ergò. 3. Sic ſe habet Adamus in ordine ad conſtituendum peccatores eos , qui originaliter deſcendunt ab ipſo , ſicuti ſe habet Chriſtus Dominus in ordine ad ipſorum iuſtificationem , ut teſtatur Apoſtol. ad Roman. 5. Sed Chriſtus Dominus nedùm moraliter , ſed etiam phyſicè influit in noſtram iuſtificationem iuxta communem Thomiſtarum ſententiam : ergò pariter &c.

Secundo.

22 Reſp. Diſparitatem ſtare in eo, quod peccatum habituale perſonale ponitur in eodem ſubiecto, in quo eſt actuale; & inſupèr exiſtit hoc phyſicè in ſe , quando per illud ponitur privatio gratiæ: unde non mirum huiuſmodi privationem phyſicè cauſari ex peccato actuali. Peccatum vero capitale Adami ; nec modo phyſicè in ſe ipſo exiſtit, nec in aliquo ex ipſo phyſicè derelicto , tanquam virtute inſtrumētaria, ut probatum relinquimus. Et rursùs : quia cum fuerit actus immanens non facilè concedi poteſt influxus effectivus phyſicus in poſteros deſcendentes ab Adamo. Per quę conſtat ad 2. Ad 3. Reſp. Ly *ſicut* in teſtim. Apoſt. non denotare eundem modum cauſalitatis inter peccatum Adæ reſpectu peccati originalis , & inter gratiam Chriſti reſpectu noſtræ iuſtificationis. De quo dixim. dub. 6. cont. Scot.

Solutio.

23 Ratio igitur , ut prædictus influxus concedatur humanitati, & gratiæ Chriſti Domini tanquam inſtrumentis coniunctis divinitati eſt : quia prædicta gratia eſt elevabilis per actualem Dei motionem, ſeu fluidam aliquam qualitatem , ut inſtrumentaliter phyſicè influat gratiam in alios ; cumque quidquid dignitatis , & perfectionis eſt , attribuendum ſit Chriſto Domino ; ideò non ſolum mo-

Ad 1.

ralitèr, sed etiam physicè influit in nostram iustificationem. At verò peccatum actuale Adami, nec ratione sui, nec alicuius ex illo physicè derivati, potest elevare virtutem seminalem, ut physicè instrumentalitèr influat in peccatum originale nostrum. Pro quo videantur dicta in 1. ratione probativa. Si dicas: Christus Dominus solum est caput nostrum morale; Adamus verò fuit caput morale, & simul naturale, sive physicum: ergò si Christus Dominus &c. Resp. neg conseq. Nàm ad rationem capitis naturalis sufficit, quòd natura nostra physicè descendat ab Adamo; quæ quidē naturæ descensio; quia non convenit nobis per ordinem ad Christum Dominum, ideò tantum est caput morale respectu nostri. Ut ergò utroque modo Adamus sit caput nostrum, sufficit, quod ex peccato illius per influxum moralem contrahamus peccatum originale; & quod secundùm naturam nostram simus ab illo physicè descendentes.

Instabis.

Resp.

24 Arg. 3.

Objcies 2. Peccatum originale posterorum fuit voluntarium Adamo constituto à Deo capiti morali totius naturæ humanæ, sed de ratione voluntarij propriè dicti est procedere physicè à voluntate, vel directè per actum positivum; vel indirectè per modum exercitij indirecti ipsius voluntatis: ergò peccatum originale procedit physicè à voluntate Adæ. Sed huiusmodi voluntas non fuit alia, nisi eius primum peccatum: ergò peccatum originale procedit physicè à peccato Adami. Nec valet dicere, quod ad rationem peccati sufficit esse propriè voluntarium physicè, vel moralitèr; licet ergò peccatum originale non fuerit posteris voluntarium physice per modum termini: fuit tamen voluntarium moralitèr; quatenùs peccatum actuale Adami, quod fuit exercitium physicum voluntatis ipsius, fuit exercitium morale posterorum, ut contentorum in illo, tanquam in capite morali, ut latè fundavimus dub. 2.

Si Resp.

25 Cont. 1.

Non inquam sufficit. 1. De ratione voluntarij propriè dicti est procedere physicè à voluntate; quod quidem est verum; etiamsi tale voluntarium sit privativum, ut constat in pura omissione peccaminosa; est enim in sententia illam admittente, exercitium physicum indirectum voluntatis, ut non agentis: Licet interpretativè, sive moralitèr, sit exercitium illius, ut agentis; quatenùs perinde se habet, ac si positivè vellet omittere: ergò cum peccatum originale non procedat physicè per modum termini à voluntate posterorum, necesse est, ut sola voluntas Adæ sit principium, à quo physicè procedit. 2. Peccatum originale fuit physicè per modum termini voluntarium Adamo, ut capiti posterorum: ergò procedit physicè à peccato capitali ipsius. Consequentia patet, & ass. prob. 1. Peccatum originale fuit tantum moralitèr voluntarium posteris Adæ, ut contentis in illo, tanquam in capite: ergò fuit physicè voluntarium Adamo, ut capiti ipsorum: quem admodùm contractus celebratus à Tutore nomine pupilli procedit moralitèr à pupillo; physicè verò à Tutore. 3. Nàm Adamus fuit potens physicè vitare peccatum originale posterorum; cum fuerit potens physicè elicere actum præceptum, per quem contractio peccati originalis vitaretur: ergò fuit physicè voluntarium Adamo. 4. Nam iuxta Div. Thom. hic q. 83. a. 1. *Hoc modo ex voluntate primi Parentis peccatum originale traducitur in posteros; sicut à voluntate alicuius hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes. Sed hæc derivatio est per motionem, & influxum physicum voluntatis*: ergò.

Secundo.

Tertio.

26 Nota pro solutione

Pro huius argumenti solutione notandum peccatum actuale Adami fuisse personale, & simul capitale; personale quidem, ut propria ipsius voluntate commissum; capitale verò ut continebat in se ex vi ordinationis divinæ voluntates omnium posterorum. Sub prima consideratione causavit in ipso Adamo peccatum habituale personale; scil. privationem iustitiæ originalis; sub secunda verò maculavit totam naturam, causavitque in omnibus suis posteris eandem iustitiæ privationem. Ex quibus manifestè colligitur peccatum habituale, tàm personale Adami, quàm origi-

ginale posterorum fuisse terminativè voluntarium Adamo: cum utrumque fuerit ex peccato actuali illius consequutum; unum quidem per se, & secundùm speciem talis peccati; alterum vero per accidens, inspecta scilicèt, circunstantia capitalitatis illud vehementèr aggravanti. Dixi per accidens: quia deficiente pacto celebrato à Deo cum Adamo, ut fuit possibile, subsisteret idem peccatum quò ad speciem absque eo, quod per illud inficeret totam naturam.

27 Sed hinc oritur interrogatio. *An scilicèt huiusmodi circunstantia capitalitatis, vi cuius peccatum actuale Adami fuit gravissimum, fuerit physicè voluntaria Adamo?* Resp. affirmativè. Ratio est: Nàm talis circunstantia, suppositâ cognitione pacti, & præcepti obligantis ipsum, ut caput, fuit intrinseca ipsi peccato; voluntariè enim transgressus fuit Adamus legem impositam ei, ut capiti morali. Sed peccatum actuale Adami secundùm omnia intrinseca illius, tàm essentialia, quàm accidentalia, fuit ipsi physicè voluntarium Adamo. Quòd explic. potest exemplo contractus celebrati à Tutore nomine Pupilli; quiquidèm contractus, etsi Pupillo tantùm sit moraliter voluntarius, physicè tamen celebratur, & procedit à Tutore suppositâ translatione voluntatis in ipsum facta à Republica.

Cuidam interrog. fit satis.

28 His prænotatis pro intelligentia voluntarietatis, quam habuit peccatum actuale Adami, quòad omnia sibi intrinseca: Resp. negand. peccatum originale posterorum fuisse ipsi voluntarium physicè per modum termini. Ratio est: Nàm tale peccatum fuit capitale, causavitque in posteris peccatum originale ratione continentiæ, quasi activæ voluntatis omnium posterorum; sed hæc continentia non fuit physica, sed tantùm moralis; igitur causalitas peccati Adæ in ordine ad

Resp. directe.

peccatum originale posterorum fuit tantùm moralis. Vel aliter: Licèt Adamus peccando operatus sit pro se, & pro suis posteris; pro se tamen operatus est physicè, pro posteris verò tantùm moraliter; cùm tantùm moraliter fuerit voluntas illius voluntas posterorum: ergò peccatum actuale physicè causavit in ipso peccatum habituale; in alijs verò tantùm moraliter.

Nec huic obstat, quod circunstantia capitalitatis, vi cuius peccatum Adami causavit in posteris peccatum originale fuerit iuxta superiùs dicta ipsi physicè voluntaria. Non in quam obstat: quia ex terminis potest aliquod exercitium esse physicè voluntarium, & effectus ex illo proveniens tantum moraliter voluntarius; ut clarè constat in sumersione navis tantùm moraliter voluntaria Nauclero nolenti, aut omittenti gubernationem navis; cui quidem nolitio, aut omissio gubernationis, est physicè voluntaria. Constat etiam in obligatione afficienti pupillum ex contractu celebrato à Tutore, cui est physicè voluntarius, & ab ipso physicè procedit contractus, quin tamen sit causa physica obligationis convenientis pupillo ex tali contractu. Igitur stare poterit peccatum capitale fuisse physicè voluntarium Adamo, non tamen peccatum originale ex illo proveniens: quia scilicèt, etsi causetur ab aliquo physicè voluntario Adamo, non tamen physicè influenti in illud.

29 Occurritur cuidà instantiæ.

Unde claritatis gratia disting. mai. De ratione voluntarij terminativi personalis est procedere physicè ab aliqua voluntate, conc. mai. Voluntarij capitalis, neg. mai. Nec obstat instantia de pura omissione. Illa enim est voluntaria personaliter, & voluntaria per modum exercitij indirecti voluntatis. Ad 2. impugn. neg. añs. Ad illius prob. concess. añti. neg. conseq. Discrimen inter Adamum, & posteros, stat in eo, quòd his fuit tantum moraliter voluntarium, & peccatum originale per modum termini, & etiam peccatum actuale Adami, ex quo provenit tanquam ex causa. At vero licet Adamo tantum sit ter-

30 Solut. in forma.

Ad 2. impugnat.

terminativè moralitèr voluntarium peccatum originale ; peccatum vero actuale fuit ipsi physicè voluntarium per modum actus. Patet hoc in Pupillo , cui tàm obligatio , quàm celebratio contractus facti à Tutore tantùm sunt moralitèr voluntaria ; cùm tamen contractus physicè procedens à voluntate Tutoris, non influat physicè obligationem afficientem Pupillum , quæ se habet ut terminus derelictus ex celebratione contractus. Ex quibus constat, exemplum adductum in contra potiùs esse in nostrum favorem.

31 Ad 3. concesso anteced. neg. conseq. quæ quidèm instatur in Nauclero potente physicè impedire submersionem navis; cùm tamen pro casu non impediendi illam , non sit ei physicè voluntaria ; cùm tantum proveniat tanquàm à causa physica , à tempestate. De quo latè Tractat. de Voluntar. & involunt. Idem constat in Deo potente physicè impedire peccata ; cui tamen non sunt physicè voluntaria. Requiritur ergò ad rationem voluntarij physicè talis , & physica egressio à voluntate , & potestas physica impediendi illud. Ad 4. Resp. Illud exemplum afferri à Div. Thom. ad explicandam voluntarietatem peccati originalis respectu posterorum descendentium ab Adamo per modum membrorum à capite , non tamen ad suadendum eundem modum voluntarietatis. Licèt ergò manus v.g. utpotè existens formalitèr physicè in corpore , possit physicè moveri , & imperari à voluntate ad percussionem peccaminosam ; cùm tamen posteri non sic extiterint in Adamo , quando ipse peccavit ; nequit ex peccato illius aliquid physicum in ipsos derivari.

Ad 3.

Ad 4.

32 Arg. 3. ex PP. Salm.

Objicies 3. iuxta superiùs dicta dub. 6. Peccatum Adami , etsi fuerit ei dimissum , quatenùs fuit personale; secùs verò quatenùs capitale ; ideòque permanet moralitèr in abominatione divina , usque dùm unicuique posterorum infunditur gratia. Sed hoc ipso peccatum capitale Adami, sivè ipse Adamus, est causa effectiva physica peccati originalis: ergò. Min. prob. Causa producens physicè aliquid impediens physicè iustitiam originalem, physicè indirectè saltim, causat privationem iustitiæ originalis; cùm non sit alius modus causandi physicè aliquam privationem , nisi apponendo aliquem obicem physicum existentiæ , aut conservationi formæ ; sed peccatum capitale Adami ut non retractatum efficacitèr ab ipso , quatenùs fuit peccatum posterorum ; & ut permanens in abominatione divina ; est impedimentum physicum iustitiæ originalis in posteris; cùm physicè loquendo , & attenta providentia generali nequeat accidere , ut homini , qui peccavit in Adamo , infundat Deus pro primo instanti sui esse iustitiam originalem : ergò cùm Adamus fuerit causa physica talis peccati &c.

33 Confirm.

Confirm. & explic. hæc ratio: Causa producens aliquid , quod physicè , & ex natura rei impedit existentiam alicuius formæ , causat physicè privationem talis formæ ; ut constat in eo , qui ponit obstaculum aeris illuminationi : de quo verificatur esse causam physicam privationis lucis in aere ; sed peccatum capitale Adami, ut non remissum, seu efficacitèr nõ retractatum ab ipso , quatenùs fuit moralitèr peccatum posterorum ; impedit physicè , & ex natura rei infusionem iustitiæ originalis in posteris pro primo instanti suæ conceptionis: ergò cùm huiusmodi peccatum fuerit ab Adamo ut causa effectiva principali, per illud erit causa physica privationis iustitiæ originalis in posteris. Urg. hoc : Sic se habet peccatum actuale Adami , ut personale, ad inferendam in ipso privationem iustitiæ originalis , sicut se habet in ratione capitalis ad inducendam in posteris eiusdem iustitiæ privationem; sed quia prædictum peccatum physicè , & ex natura rei excludit gratiam habitualem , Adamus fuit causa physica privationis, & conservationis iustitiæ originalis in se ipso, quamdiù illud , ut personale efficacitèr non retractavit : ergò paritèr &c.

Vaget.

34

Hoc argumento moventur PP. Salm. ubi sup. §. 7. ad adstruendam causalitatem physicam effectivam peccati Adami in peccatum originale poste-

posterorum ; præscindendo ab eò, quòd semen à Parente decissum cauſet instrumentalitèr, vel non, traductionem eiusdem peccati. Quòd quidèm fundamentum satis solidè, & eruditè ab ipsis proponitur, & explicatur. Ulteriùsque roborari potest ex Doctrina Div. Thom. tùm quæst. 2. de Malo art. 11. tùm 2. 2. quæst. 24. ar. 12. per quam facilè percipitur modus, quo homo per peccatum actuale causat physicè in se ipso peccatum habituale; & præcipuè si hoc in privatione gratiæ sanctificantis consistat. Cui modo dicendi satis probabilitèr quis adhærere potest, & facilè occurrere argumentis in contrarium posſibilibus objici ; propter quæ omnia fui in ipsum valdè propensus. Quia tamen non iudico illum necessarium ad salvandum Adamum fuisse causam principalem traductionis peccati originalis, ideò illo omisso.

Addit. novû robur ex proprijs.

35 Resp. cum doctissimo quodam Recent. Impedimentum aliquod dici physicum duplicitèr; vel quia activitate physica excludit formam, cuius est impedimentum : vel quia licèt hanc activitatem non habeat, nullæ tamen sunt vires in natura ad componendam formam cum tali impedimento. Hac ratione impotentia ad cognoscendas omnes virtutes naturales collectivè dicitur à pluribus impotentia physica; quia videlicèt, nullæ sunt vires in natura ad removenda impedimenta pro tali cognitione, qualia sunt *ars longa, vita brevis* &c. Licèt reverà solùm sit impotentia moralis : cùm cognitio omnium veriratum collectivè contineatur intra activitatem physicam naturalem intellectus humani. De quo Mag. Boliv. Tract. de Gratia Dei dub. 5. §. 3. Requiritur ergò ultra dicta ad impedimentum physicum 1. modo acceptum existentia physica illius, vel in se, vel in aliquo ex ipso physicè derelicto ; Talis enim existentia indispensabilitèr requiritur ad causalitatem effectivam physicam. Peccatum autem Adami, ut capitale, sive quatenùs fuit moralitèr commissum à posteris, impedit physicè secundo modo infusionem iustitiæ originalis in posteris : quatenùs scilicèt ex vi providentiæ generalis, & secluſſo miraculo hominem, qui peccavit in Adamo, nequit Deus à contractione culpæ originalis præservare, licèt id possit absolutè loquendo. Quia verò tale peccatum pròut sic physicè non existit, nèc in se, nèc in alio, quod possit esse virtus physica ipsius, sed solùm moralitèr in carentia efficaci retractationis ; ideò non dicitur propriè physicè impedire infusionem iustitiæ originalis.

Resp.

Ad confirm. Resp. Peccatum actuale in proprio subiecto physicè causare peccatum habituale (maximè si hoc in privatione gratiæ consistat) & quia impedit physicè illius existentiam, & insuper, quia physicè existit, ideòque activitate physica impedit gratiam habitualem. Quæ ratio non militat in peccato Adami, ut capitali. Nec huic obstat : quod privatio gratiæ habitualis, in qua pronùnc supponitur consistere peccatum habituale personale, non solum quòad 1. sui esse, sed etiam quòad sui conservationem pro alijs instantibus causatur physicè à peccato actuali existente tantum moralitèr in suia non remissione. Non inquam obst t : Nàm hæc instantia falso nititur principio. Negamus enim talem influxum physicum conservativum, ut constat ex D. Thom. q. 28. de Verit. a. 2. ad 7. Sufficit enim concursus conservativus moralis : præsertim quando res conservata est quid privativum de linea morali. Imò etiam respectu privationis physicæ v. g. cœcitatis : licet pro 1. sui esse requiratur causa physica ; secùs tamen quòad sui conservationem. Sufficit enim subiectum cœcum non habere in se virtutem ad recuperandum visum. Idem dicendum de loco tenebroso.

36 Ad cõfir.

Sed dices alio ex capite 1. Concupiscentia, sivè fomes peccati in prole, est impedimentum physicum iustitiæ originalis : ergò proles sic descendens ab Adamo nascitur cum impedimento physico iustiriæ originalis. Sed quòd proles sic nascatur, provenit ex quo descendit ab Adamo peccatore per seminalem propagationem : ergò Adamus est causa effectiva physicè impediens infusionem iustitiæ originalis in prole. 2. Si peccatum origi-

37 Instab. 1.

Secundò.

nale

nale non producitur physicè per generationem, impropriè diceretur peccatum originale, cùm attenta communi acceptione, & significatione idem sit peccatum originale: àc per originem, sivè generationem naturæ esse traductum: ergò.

38 Resp. disting. anteced. Est impedimentum activum, & propriè dictum, neg. anteced. Impedimentum purè passivum, & latè dictum, conc. anteced. Diximus enim dub.ant. §.3. à num.8.concupiscentiam, seu fomitem peccati esse effectum privationis iustitiæ originalis, proindèque provenientem ex peccato originali in prole ut maculante illius Animam. Quam doctrinam probatam relinquimus ex Conc. Trid. & D. Thom. cui omnes Theol. in hac parte adhærent. Undè licèt talis concupiscentia sit incompatibilis cum iustitia originali à posteriori, & propter hoc possit dici impedimentum passivum respectu illius, secùs tamen à priori: quod erat necessarium, ut esset impedimentum activum, influensque in carentiam iustitiæ, ut sic verificetur, * deficit iustitia, quia existit concupiscentia; * cùm tamen res è conversò se habeat; nàm ideò existit concupiscentia, quia deficit iustitia. Vid. ibi dicta à num. 16.

Resp. ad 1.

39 Ad 2. Ad 2. Resp. rationem peccati originalis, pròut accipitur à Theol. & quatenùs differt à peccato personali, non requirere physicè produci per generationem carnalem, sed sufficere contrahi simùl cum natura, & in ipsa sui origine. Ita expressè D. Ansel. lib. de Conc. Virg. cap. 1. ubi reddens rationem, cur peccatum contractum à posteris descendentibus ex Adamo sit, & dicatur originale? ita respondet: *Est tamen peccatum, quod quisque contrahit cum natura, & in ipsa sui origine, & illud vocatur originale; quod potest etiã dici naturale: non quod sit ex essentia naturæ, sed quoniam propter eius corruptionem cum illa assumitur.* Quod confirmat idem S. D. exemplo Adæ, & Evæ, qui fuerunt originalitèr iusti; *eò quòd in ipso sui initio mox, ut homines extiterunt, sine intervallo iusti simùl fuerunt.* Ex quibus clarè constat sine interventu causalitatis physicæ ex parte actionis generativæ in peccatum originale, meritò dici, & esse tale; quia infallibilitèr comitatur generationem, & conceptionem prolis, & ipsi convenit ab initio suæ conceptionis, sine interventu propriæ voluntatis, per quod differt à peccato personale.

40 Instabis cõtra immediatè dicta. Nèc obstat, quòd iuxta dicta dub. 4. præced. potest quis constitui à Deo caput morale eorum, quorum non esset caput naturale; quo quidèm peccante, etiam isti contraherent peccatum ex illo; & tamen, ut ibidèm diximus, tale peccatum non esset propriè originale, quamvis inciperet, & infallibilitèr comitaretur ipsorum conceptionem: ergò talis concomitantia non sufficit ad rationem peccati originalis propriè talis. Non inquam obstat propter manifestam rationem discriminis: Nàm tunc casus illi, qui nascerentur, non contraherent peccatum ab eodem principio, à quo, & ex cuius semine propagarentur; sed ab uno principio contraherent peccatum; ab alio verò acciperent esse naturale. Nùnc verò ab eodem Adamo, à quo per seminalem propagationem accipiunt naturam, contrahunt etiam immunditiam peccati: & idem, qui est Parens secundùm naturam, est principium, & causa contractionis peccati: quapropter meritò appellatur peccatum originale, quia infallibilitèr annexum generationi passivæ prolis ab eodem principio, in quo continetur tanquam in cap. morali. An verò tale peccatum ex cap. tantũ morali proveniens, posset in verò sensu dici naturale? Vide circa hoc Div. Th. 3. p.q.1.a. 12. & servata proportione applica illius doctrinam.

Respond

41 Illatio Conseq. ad hucusque dicta exponendus est S. D. dùm q. 4. de Mal. a. 1. ad 9. & in 2. d. 2. q. 2. a. 4. asserit: *Perseverante statu innocentiæ traducendam fore iustitiam originalem.* Exponendus, inquam, in sensu comitanti cum infallibili connexione, ex promissione Dei facta Adamo, inter productionem prolis, & infusionem iustitiæ originalis, & gratiæ. *Et Hæc de hoc dub. applic. litt. Mag. in 2. dist. 30. & 13. dist. 21 §. 4.*

DU.

DUB. X. APPENDIX.

IN QVO VARIÆ DIFFICVLTATES ad præced. intellig. deciduntur.

§. I.

PRIMA DIFFICVLTAS.

N. 1 *AN, qui ſine concurſu ſeminis virilis formaretur miraculosè, aliundè ex carne humana, contraheret peccatum originale?* Reſp. negativè D. Thom. hic quæſt. 81. a. 1. quem omnes Theologi ſequuntur. Prob. 1. ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. de Iuſtific. cap. 3. dicente: *Quòd homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, nõ naſcerentur iniuſti.* Sed ille homo ſic formatus non naſceretur ex ſemine Adæ: ergò. Secundò prob. ratione Div. Thom. Nàm peccatum originale traducitur à primo Parente in poſteros, in quantùm moventur ab ipſo per generationem. Sed moveri ab ipſo per generationem eſt ab illo procedere per virtutem ſeminalem, quæ eſt vis activa in generatione: ergò. Mai. prob. à D. Thom. 1. à ſimili: Nàm ſi membrum v. g. manus nõ moveretur à voluntate ad actum, non derivaretur peccatum voluntatis ad tale membrum: ergò paritèr ſi poſteri Adæ &c. 2. Nàm peccatum Adami in hac providentia non tranſit ad poſteros, niſi in quantùm tota natura humana fuit in illo corrupta per ipſius peccatum. Sed eatenùs fuit in Adamo corrupta tota natura humana, quatenùs in illo, tanquàm in capite naturali, omnes poſteri eius continebantur: ergò.

Prob. ex Trid.

Ex S. D.

Dices 1. Ille homo ſic formatus ex carne humana eſſet, aut fuiſſet, aliquomodò in Adam; ſed peccatum originale tranſijt à primo Parente in omnes, in quantùm fuerunt in eo peccante: ergò. Reſp. diſting. mai. Fuiſſet materialitèr, ſive ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, conc. mai. Fuiſſet in eo activè, ſive ſecundùm ſeminalem rationem, neg. mai. & cum eadem min. diſt. neg. conſeq. Solutio eſt per ſe clara, eſtque expreſſa Div. Thom. ubi ſupr. Dices 2. Peccatum originale cauſatur in nobis, in quantùm Anima inficitur ex carne, cui unitur. Sed caro humana, ex qua formaretur ille homo, eſſet infecta, utpotè deſumpta ex homine perpriùs infecto per peccatum originale: ergò.

2 Occurritur 1. inſtant.

Reſp. diſt. mai. Ly *ex* dicente cauſam activam, neg. mai. Ly *ex* dicente cauſam materialem, aut diſpoſitivam, ſubdiſt. Si talis unio fiat per virtutem ſeminalem, conc. mai. Si non fiat per huiuſmodi virtutem, neg. mai. Doctrinam huius diſt. habemus ſup. explicatam dub. 8. §. 4. Nec obſtat in carne illa præcedere aliquam infectionem. Non inquam obſtat 1. Nàm anima non maculatur ex unione ad carnem, ad modum, quo præciosus liquor v. g. inficitur ex contactu ad vas immundum, in quod effunditur; Hæc enim intelligentia de ſe eſt ſatis craſa. 2. Nàm infectio carnis ſumpta, tàm pro paſſibilitate, quàm pro rebellione eius ad ſpiritum, provenit tanquam ex cauſa effectiva à contractione culpæ originalis, ut diximus ibidem: quapropter ſi aliqua infectio in ea præceſſit, antequam uniretur animæ (de quo non diſputo) inutilis eſt ſine concurſu virtutis ſeminalis ad cauſandum peccatum originale.

3 Occurritur 2.

Dices 3. Sic miraculosè conceptus non naſceretur cum iuſtitia originali: ergò cum carentia illius: ergo cum peccato originali in tali carentia conſiſtenti. Reſp. Diſting. 1. conſeq. Cum carentia privativa, neg. conſeq. Cum carentia negativa, conced. conſeq. Iuſtitia enim originalis ſo-

4 Occurritur 3.

solùm fuit promissa à Deo primo Parenti respectivè ad posteros, qui ex semine illius, & quorum esset principium activum, descenderent; cùmque debitum habendi iustitiam originalem unicè proveniat ex promissione divina; carentia iustitiæ originalis in homine sic miraculosè formato non esset privatio, proindèque nèc peccatum originale. Nec obstat, quòd talis homo sic formatus esset mortalis, experiretur que alias pœnalitates, tàm corporales, quàm spirituales, quæ se habent, ut effectus peccati originalis. Non inquam obstat: Nàm hoc omisso tales defectus essent in illo non per modum pœnæ, sed per modum cuiusdam defectus naturalis, qui consequitur ad naturam humanam, quatenùs composita ex qualitatibus contrarijs, & appetitu sensitivo, qui multotiès inclinat in bonum sensibile, quod adversatur rationi: sicuti accideret casu, quo Deus condidisset hominem in pura natura. Sic S. Doct. in 2. dist. 31. quæst. 1. art. 2. ad 3.

5 *An omnis homo medio semine virili conceptus, et si generatio illius sit præternaturalis, & fortuitò, vel ope dæmonis in matricem fœminæ inducatur (ut iuxta sententiam Div. Augusti. lib. 11. de Civit. Dei cap. 23. solent facere Dæmones, quos ibidèm incubos appellat) contrahat peccatum originale?* Resp. negativè. Ratio est: Nàm tùc verificaretur, quòd talis homo descendit ab Adamo medio semine virili activè operāte, ut virtute instrumentaria ipsius Adæ per modum causæ principalis: ergò cùm de omni homine descendenti ab Adamo per seminalem propagationem, verificetur ab illo trahere peccatum originale, id ipsum fateri debet de homine genito ministerio Dæmonis incubi.

Resp. negativè.

§. II.

Secunda difficultas.

6 *AN si Adamus peccasset post filios iàm genitos, isti iàm nati contraherent culpam originalem?* Resp. negativè: Ratio est: Nàm eatenùs posteri Adæ contrahunt peccatum originale, in quantùm in ipso Adamo peccante omnes peccaverunt, ùt asserit Div. Paulus, & Div. Aug. lib. 2. de Nupt. cap. 5. dicens: *Per unius hominis voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt.* Sed in dicto casu filij sic geniti non peccarent in Adamo peccante: ergò. Prob. min. Eatenùs omnes peccaverunt in Adamo peccante, quatenùs continebantur in illo, & erant unus homo cum eo, quando ipse peccavit. Ita expresè Div. Aug. ibidèm; sed filij iàm geniti postquàm Adamus peccasset, non erant in illo, aut unus homo cum ipso: ergò. Explicat. hoc: Ad contractionem peccati originalis duo requiruntur; & motio activa generationis in Adamo; & quòd peccatum illius præcedat ipsam generationem; nàm solùm his duobus concurrentibus verificatur naturam communicari proli per generationem vitiatam, nascique, & concipi ex semine immundo: ergò his deficientibus non daretur contractio peccati originalis. Oppositum tenent Cathar. de Casu hominis, Salmeron ad Rom. 5. disp. 49. art. 10.

Resp. negativè.

§. III.

Tertia difficultas.

7 *AN si Adam, antequàm peccaret, haberet congressum cum Eva; peccaret tamen, antequàm fœtus animaretur, iste nasceretur in peccato originali?* Doct. Curiel, Magist. Gregorius Martinez, & Alij tuentur partem affirmativam; negativam verò tuentur Mag. Medina, Alvarez, Montesin. & Alij. Quæ quidèm, ut probabilior tenenda est, & suadetur 1. Nàm iuxta Div. Augusti. sup. relatum dub. 8. §. 5. alioque Ecclesiæ PP. quos sequitur Div. Thom. *Concupiscentia carnis, sive libido habitualis consistens in pronitate ad inordinatè concupiscendum, est causa in Parente, ut filij nascantur infecti peccato originali.* Quòd à fortiori, & multò maiori cum ratione, fateri debet de Adamo, qui extitit 1. principium traductionis culpæ originalis. Sed in casu posito semen decisum ab Adamo non dece-

Resp. negativè.

Prob. ex SS. PP.

de-

deretur ex tali concupiſcentia: ergò filius ab eo genitus non contraheret peccatum originale. Ip ipſum ſuaderi poteſt ex alijs locutionibus SS.PP. exprimentium contractionem peccati originalis per hoc, quod eſt * hominē concipi ex ſemine immundo, & infecto per peccatum Adami * quæ quidèm infectio, & immunditia convenit ipſi ex infectione concupiſcentiæ, à qua excitatur, ut deſerviat generationi. De quo dub. 8. n. 10. Sed in caſu poſito ſemen Adæ non fuiſſet immundum, aut infectum, nèc natura prolis per generationem vitiatam traduceretur: ergò.

8 Ex quibus formatur ratio probativa: Iuxta præſentem providentiam ſolùm contrahunt peccatum originale illi, qui peccaverunt in Adamo peccante; ita Div. Auguſt. ubi ſup. num. 6. Sed in dicto caſu filius genitus non peccaret in Adamo peccante: ergò. Prob. min. Illi peccaverunt in Adamo peccante, qui continebantur in lumbis Adami, quando ipſe peccavit; ſed filius genitus in dicta hypotheſi, non continebatur in lumbis Adæ, quando ille peccavit, ſed eſſet iàm quoddammodò deciſſus, & ſeparatus medio ſemine: ergò.

Ratio probativ.

9 Dices 1. Filius genitus ab Adamo peccatore contrahit peccatum originale; ſed huiuſmodi eſſet ille filius: ergò. Prob. min. Tùnc propriè generatur aliquis, quando fœtus animatur; quia tùnc verificatur propriè dari originem viventis à vivente &c. ſed quando animaretur tùnc fœtus, Adamus erat peccator: ergò. 2. Talis filius non acciperet ab Adamo naturam ornatam iuſtitia originali; cùm Adamus per peccatum amitteret iuſtitiam originalem, & nemo poteſt traducere id, quod in ſe non habet: ergò acciperet naturam privatam iuſtitia originali, proindèque contraheret peccatum originale. 3. Nequit aliquis accipere naturam corruptam per peccatum, niſi ſimùl cùm natura contrahat infectionem peccati; ſed Adamus tùnc caſus ſuo peccato corrumperet totam naturam humanam; cùm peccaret nedùm, ut perſona particularis, ſed ut caput totius naturæ: ergò non poſſet filius ab Adamo tùnc genitus non contrahere &c. Deniquè. Membrum unitum capiti peccatori fit conſors peccati illius; ſed filius talitèr genitus eſſet membrum unitum Adamo peccatori: ergò. Min. conſtat: Filius ſic genitus tùnc unitur, ut membrum Adamo, quando animatur; ſed quando filius ſic genitus animaretur, Adamus iam eſſet peccator: ergò.

Inſtab 1.

Secundò.

Tertiò.

Ultimò.

Reſp. diſting. mai. Ly *peccatore* ſe habente purè materialitèr, conc. mai. Formalitèr, neg. mai. & cum eadem min. diſtinct. neg. conſeq. Illa enim, quæ accidunt generanti, poſtquàm ſemen eſt deciſſum ab illo, ſe habent purè concomitantèr, & purè materialitèr in ordine ad genitum: ut conſtat, tùm in morte Parentis, & in infirmitate lepræ, & alijs huiuſmodi, poſtquàm ſemen eſt deciſſum ab illo; quæ quidem non traducuntur in prolē; ſicque ſe haberet peccatum Adami in illa hypotheſi, utpotè contingens poſt deciſionem ſeminis; ideoque tantùm materialitèr compararetur in ordine ad animationem fœtus. Ad 2. conſtat ex latè dictis in dub. 7. Traductio enim iuſtitiæ originalis unicè effectivè cauſaretur à Deo, & virtute ſeminali deciſſ. ab Adamo unicè activè influente in naturam prolis; quapropter ex parte Adami ſolùm requirebatur, quod ſemen deciſſum ab illo non eſſet immundum, & infectum per peccatum, quæ omnia ſubſtiterent in præſenti hypotheſi. Quòd ſi iuxta ſententiam aliorum ſuperiùs impugnatam, reſpondere velis, dic illud ſemen, utpotè deciſſum ab Adamo tùnc iuſto, & ſancto, acceptū vigorem quemdam, vi cuius in illo eſſet iuſtitia originalis communicanda proli.

10 Solutio ad 1.

Ad 2.

Ad 3. Reſp. Falſum eſſe Adamum in illa hypotheſi ſuo peccato inficere totam naturam humanam univerſalitèr acceptam, ſed ſolùm natutam humanam illorum, qui in lumbis eius continebantur, quando peccavit; cùm in præſenti providentia iuxta Concil. & PP. ſolùm, qui deſcendunt ab Adamo media concupiſcentia, & infectione ſeminis contrahāt peccatum originale. Undè in dicta hypotheſi Adamus per ſuum peccatum ſolùm corrumperet, naturam in illis

11 Ad 3.

illis, qui per deciſsionem ſeminis ab illo propagandi erant. Ad ultim. Reſp. eodem modo, & cum eadem diſtinct. qua fuit reſponſum ad primam inſtantiam. Adamus enim ſolùm eſt caput ſecundùm illum ſtatum, & diſpoſitionem, in qua invenitur ante deciſsionem ſeminis, per quam incipit filios procreare; quæ verò ſuperveniunt prædictæ deciſsioni, non afficiunt ipſum formalitèr ut caput. Quapropter filius ſic genitus eſſet membrum unitum Adamo, ut capiti iuſto, & ſancto, non quidèm ſanctitate, & iuſtitia, quæ tùnc eſſet in illo, ſed quæ fuiſſet. Ex quibus colliges, quòd etſi generatio inchoetur in deciſsione vitali ſeminis, & compleatur in actione unitiva Animæ ad corpus: in hypotheſi, de qua loquimur, neutro modo diceretur immunda, & infecta; cum infectio illius tantùm proveniat, aut poſsit provenire ex eò, quòd virtus generativa, quæ eſt principium ipſius, excitatur à concupiſcentia inficienti perſonam, & naturam generantis.

Ad ultim.

§. IV.

Quarta difficultas.

12 *AN filij huius filij contraherent peccatum originale?* Reſp. negativè cum PP. Salmant. Ferre contra Mag. Medina, & Alios. Ratio probativa ex ſupra dictis ſic formari poteſt: Iuxtà hanc providentiam non contrahitur peccatum originale, niſi qui concipitur ex ſemine immundo; ſed huiuſmodi filij non conciperentur ex ſemine immundo: ergò. Prob. min. Semen dicitur immundum iuxta expoſitionem Div. Thom. ubi ſupra §. 2. & 3. ex infectione concupiſcentiæ, quatenùs ab illa excitatur ſine ſubordinatione ad imperium rationis pro ſui deciſsione; ſed in dicta hypotheſi ſemen non eſſet deciſſum ex concupiſcentia ſic inordinatè infecta: ergò.

13 Sed dices 1. Ille contrahit peccatum originale iuxta præſentem providentiam, qui ſupponit Adamum peccatorem, non tantùm quando animatur fœtus, ſed etiam quando deciditur ſemen ad eius animationem, ut conſtat ex immediatè dictis num. 10. Sed ſic accideret in filijs huius filij; cùm Adamus peccaret, priuſquàm talis filius decideret ſemen ad generandum: ergò contraheret peccatum originale. Reſp. diſting. mai. Deciſsione provenienti ab Adamo, ut peccatore, conced. mai. Non ſic proveniente, neg. mai. & cum eadem min. diſtinct. neg. conſeq. Semen, per quod generarentur filij, eatenùs procedere poſſet mediatè ex Adamo, quatenùs immediatè deciditur à proximo Parente ipſorum; ſicuti Nepos procedit mediatè ab Avo, quatenùs immediatè procedit à filijs eiuſdem Avi. Undè cùm Parens filiorum in caſu præſenti non eſſet infectus culpa originali, deciſsio ſeminis immediatè ab illo procedens non procederet mediatè ab Adamo peccatore; cùm ſolùm procederet ab illo ſecundùm id, quod derivavit in filium immediatè ab illo genitum, de quo ſupponitur nullam infectionem peccati ex illo contraxiſſe. Vide dicta in anteced. de Vetuſtate Adæ

Arg. 1.

Reſpond.

Dices 2. Iuxta præſentem providentiam omnes deſcendentes ex Adamo per ſeminalem propagationem ſuppoſito peccato illius, contrahunt peccatum originale. Quod eſſe certum ſecundùm fidem catholicam docet expreſsè Div. Thom. hic quæſt. 81. art. 3. ergò falsò aſſerimus in dicta hypotheſi illius filij filium non contracturum iuxta illam peccatum originale. Reſp. pro hac, & alijs inſtantijs notando ly *iuxta præſentem providentiam* poſſe ſumi, vel adæquatè, & ſecundùm omnia, quæ includit: vel inadæquatè; pròut dicit præciſsè ordinationem, ſecundùm quam Deus conſtituit de facto Adamum caput morale omnium poſterorum. Si primo modo accipiatur, includit decretum permiſsivum corruptionis totius naturæ in Adamo, & contractionem culpæ in omnibus ab illo per ſeminalem propagationem deſcendentibus: quapropter cum præſenti providentia ſic ſumpta non cohæret hypotheſis, quam admittimus, tàm in hoc corollario, quàm in immediatè præcedenti; cùm eſſet idem, ac inqui-

14 Secundò.

Excipitur Mater D.

Solvitur.

quirere ; An iuxta providentiam, ſecundum quam omnes contrahunt peccatum originale, poſsit aliquis in ullo caſu illud non contrahere ? quod eſt quæſitum de ſe implicatorium.

Unde per ly *iuxta præſentem providentiam* ſolum debet accipi ordinatio divina, quam Deus exercuit circa Adamum conſtituendo illum caput morale poſterorum, attenta eius formali, & eſſentiali tendentia. Quæ quidem, ſi fuerit intimata Adamo ſub hac expreſsione : *Si peccaveris quovis tempore, omnes poſteri ex te deſcendentes per ſeminalem propagationem contrahent peccatum originale.* Si, inquam, hoc modo, & abſque ulla reſtrictione celebrata fuerit, abſdubiò fatendum naſcituros ex Adamo, tam in prædicta hypotheſi, quàm in præſenti, contracturos fore peccatum originale. Si vero fuerit celebrata ſub hac tendentia : *Si peccaveris, omnes poſteri, qui in lumbis tuis pro tempore peccati virtualitèr continentur, tanquam in principio naturali, contrahent peccatum originale*; tùnc manifeſtum eſt eum, qui deſcenderet ex Adamo per ſeminalem propagationem provenientem ab illo iuſto, & ſancto non contracturū peccatum originale; cum quando Adamus peccaret, iam ille homo non eſſet in lumbis eius, ſed deciſſus, & ſeparatus ab eis. Quod vero ordinatio divina celebrata cum Adamo habuerit huiuſmodi tendentiam ; conſtat ex authoritatibus PP. & Concil. iuxta quos redditur pro ratione, & quaſi cauſa contractionis peccati originalis hoc, quod eſt concipi ex ſemine immundo, & accipere naturam ab Adamo per generationem viciatam ; quæ immunditia nequit ſalvari, niſi ſemen decidatur immediatè, vel mediatè ab Adamo, ut peccatore.

§. V.

Quinta.

16 AN *Adamo non peccante, etiamſi Eva peccaſſet, filij contraherent peccatum originale* ? Reſp. negativè. Ita D. Thom. hic q. 81. a. 5. Ratio deſumitur ex Sacris Litteris, in quibus affirmatur ſolum Adamum fuiſſe conſtitutum caput morale totius poſteritatis, eique ſoli fuiſſe commiſſum tàm pro ſe, quàm pro poſteris, propagationem iuſtitiæ originalis, ut conſtat ex illo ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum.* Et iterùm : *Per unius inobedientiam conſtituti ſunt multi peccatores* ; in quibus ſolum fit mentio de delicto, & inobedientia Adami. Si autem traductio peccati originalis penderet à peccato Evæ, abſdubiò illud aſsignaſſet pro cauſa Apoſtolus locis relatis. Unde in forma probatur ſic concluſio. Peccatum illius perſonæ, in qua non erant contenti omnes poſteri, tanquam in capite morali in ordine ad propagationem, vel amiſsionem iuſtitiæ originalis, nequit ipſis noſcere cauſando in eis privationem iuſtitiæ originalis ; cum tale peccatum non eſſet propriè capitale ; ſed ſolus Adam, non vero Eva, fuit conſtitutus à Deo caput morale totius poſteritatis in ordine ad propagationem, vel amiſsionem iuſtitiæ : ergò Adamo non peccante &c.

Reſpond. negativè.

Prob. 1.

Probatur.

Præter hanc rationem, quæ convincit aſſumptum ; adeſt etiam ratio congruentiæ aſsignata à Divo Thoma loco ubi ſupra, quæ talis eſt. Solus Adamus fuit conſtitutus à Deo caput morale totius poſteritatis : ergò ſolum peccatum illius poterat nocere poſteris deſcendentibus ab illo, non vero peccatum ſolius Evæ. Antecedens probatur. Solus Adam movet activè, eſtque principium activum totius ſuæ poſteritatis, iuxta doctrinam Philoſophorum aſſerentium tantum virum concurrere activè ad generationem, fœminam vero paſsivè, miniſtrando materiam illius ; ſed hoc ipſo ſolus Adam, & non Eva, fuit conſtitutus à Deo caput morale ſuæ poſteritatis : ergò. Probatur minor. Congruum eſt, ut ille ſolus conſtituatur caput morale poſteritatis, qui ſolus activè movet ad generationem illius. Tùm quia excellentia cap. magis congruit nobilitati principij activi, quā principo paſsivo. Tùm

17

Prob 2. ex S. D.

quia cum de ratione capitis sit, quod membra ab illo gubernentur, & moveantur; & movere sit proprium principij activi, sicut moveri est passivi; congruum est suavitati, & ordini divinæ providentiæ, ut solus vir, qui activè movet ad generationem, sit à Deo constitutus caput morale totius posteritatis: ergò solum Adamo peccante, poterat ex illo derivari ad posteros peccatum originale. Quæ ratio probat Evam non fuisse adhuc inadæquatè constitutam à Deo caput morale; quia cum in uno corpore non deceat esse nisi unum caput, non oportuit, ut Deus utrumque principium, scilicèt, tàm virum, quàm fœminam, sed unum ex eis tantum, in ea dignitate capitis constitueret.

18 Ex quibus constat immeritò P. Vazquez hanc rationem Div. Thom. reijcere ut impertinentem: Nàm licèt ratio demonstrativa, ut Adamus fuerit à Deo constitutus caput morale totius posteritatis (proindèque fuerit causa traductionis peccati originalis, & non Eva) unicè habeatur ex Sacris Litteris, per quas divinæ ordinationes nobis innotescunt; attamen hoc non tollit, quominùs respectu huius possint, & debeant à Viro Theologo aliquæ rationes congruentiæ pro eadem veritate explicãda adduci. Fatemur igitur, quod Deus absolutè potuit solam Evam, vel Evam, & Adamum, simul constituere caput morale totius posteritatis; ita ut tantum Eva peccante, aut ipsa simul cum Adamo, vel Adamo simul cum Eva, traduceretur peccatum originale; cæterùm hoc non fuit conveniens, & congruum attenta suavitate divinæ providentiæ, secundum quam Deus omnia sapienter disponit: eo quod cum excellentia capitis sit dignitas propria dirigendi, & movendi membra; congruum fuit, ut solus Adamus, qui activè concurrit ad generationem, estque caput naturale totius posteritatis, solus ipse fuerit etiam constitutus caput morale. Hoc modo se gessit Div. Thom. in dicto loco: Nàm postquam in argumento *Sed contra* ex Sacris Litteris probavit suam conclusionem, postmodùm in corpor. art. eam suam fit ex ratione congruentiæ superiùs adducta.

Impugnatur Vazq.

Nec obstat id, quod iterùm objcit Vazquez: *Scilicèt non esse certum fœminam passivè, & non activè, concurrere ad generationem; eum plures Medici oppositum tueantur.* Non inquam obstat: Nàm Div. Thomas loquutus fuit iuxta sententiam Aristotelis affirmantis solum virum activè concurrere ad generationem; cuius authoritas, etsi non sit sufficiens ad convincendam aliquam veritatem; est tamen sufficiens ad illam aliundè probatam, ex congruentia explicandam, & suadendam. Deindè: Nàm etsi fœmina habeat aliquem concursum activum; tamen concursus viri est principalior, & magis præcipuus iuxta omnium sententiam: quapropter solus vir dicitur principium activum simplicitèr; fœmina verò secundùm quid, & diminutè; & hoc sufficit, ut dignitas capitis, quæ uni tantùm tribuenda erat, Adamo potiùs, quam Evæ donaretur. Unde ratio Div. Thom. in omnium sententia congruentissima est. Quod si Pater Vazquez distinxisset inter rationem demonstrativè, aut ex terminis efficacitèr suadentem existentiam dignitatis capitis moralis in solo Adamo; & inter rationem congruentèr persuadentem constitutionem talis dignitatis, suppositâ aliunde eius veritate; non appellasset illam impertinentem. Ratio enim impertinens, nec demonstrativè probat, nec utilis est ad explicandam aliquam veritatem. In huius confirm. possunt adduci innumeri art. D. Thom. in quibus varijs rationibus explicat, & suadet veritates, quæ non nisi ex Sacris Litteris convinci possunt.

19 Iterũ impugnatur

Si dicas 1. Iuxta Ecclesiasticum cap. 25. *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur*: ergò. Resp. Prædicta verba intelligenda esse occasionalitèr; non vero principalitèr; quatenùs scilicèt Adamus suasus, sive allectus ab Eva, fregit præceptum: Ita Div. Thomas 1. ad Corinth. cap. 15.

20 Occurritur instãtiæ.

15. lect. 3. Si instes: Ergò similitèr ly *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum*, potest intelligi occasionalitèr. Resp. negando conseq. Tùm quia Paulus expressè loquitur de ingressu peccati provenienti ab illo, ut causa principali iuxta communem sensum PP. & Concil. Tùm quia postèà subdit, *in quo omnes peccaverunt*, quòd non rectè intelligitur de sola occasione peccandi; aliàs cùm suasio peccati à Diabolo inceperit, posset dici omnes in Diabolo peccasse. Tùm quia Paulus comparat inobedientiam Adami quòad traductionem peccati originalis obedientiæ Christi, quòad infusionem iustitiæ, & sanctitatis in omnes homines; quæ quidèm non tantùm occasionalitèr, sed causalitèr verè, & propriè provenit ab ipso.

Dices 2. Præceptum de non
21 comedendo de ligno vetito, & comminatio mortis æqualitèr fuerunt posita Evæ, & Adamo: ergo & pactum
Secundæ. inclusum in tali præcepto, & in comminatione mortis de transfundenda, vel non iustitia originali in posteros, fuit celebratum simùl cum Adam, & Eva. Resp. Quòd præceptum, & comminatio mortis fuerunt posita Evæ, ut personæ particulari, Adæ verò, ut capiti morali iuxta superiùs dicta.

Si dicas 3. Quòd iuxta varias
22 Historias aliqui homines procreati sunt ex congressu alicuius irrationalis cum muliere; ut ex congressu Ursi
3. instãtia ex varijs testim. cum fœmina refertur genitus strenuus vir, à quo genus Italicum originem trahit: de quibus negari nequit eos contraxisse peccatum originale; proindèque videtur non requiri nasci ex semine virili ad contractionem peccati originalis, sed illud posse
Respond. contrahi ex sola fœmina. Resp. Eas Historias esse merum figmentum oppositum doctrinæ fidei, iuxta quam dicitur Actorum 17. *Deum fecisse ex uno omne genus humanum*, id est, *ex uno homine Adamo*. Undè, quòd asseritur Italicum genus ab Urso originem traxisse; intelligendum est non de Urso bruto, sed de homine ei simili in aliquibus proprietatibus; v.g. ferocitate, aut cibi parcitate. Quod si admittatur ex congressu viri cum bestia fœminei generis, posse procreari filium rationalem, ut de Paletone refert Aristot. lib. 2. Paradox. Resp. Illum, utpotè verè descendentem ex Adamo, ut principio activo, & per seminalem propagationem, contracturum peccatum originale ex peccato illius. Quod potiùs confirmat conclusionem propositam.

Dices 4. ex Div. Anselmo lib.
23 de Conceptu Virgin. cap. 9. asserente: *Culpam Adami, & Evæ fuisse causam nostri peccati originalis, licèt culpa Adæ principatum obtineat.*
4. instãtia occurrit. Resp. Quòd loquitur Div. Anselm. de causa contractionis peccati originalis concretivè accepti, hoc est, de causa generationis naturalis, sivè naturæ prolis; ad quam concurrunt Adam, & Eva; etsi concursus Adami sit principalior, utpotè concursus principij activi. * Ex quibus colliges, quòd Eva peccante, non verò Adamo; filij eius nascerentur iusti, & sancti. Quòd si D. Anselm. loco citato asserit: *Tùnc casus Deum facturum aliam mulierem non peccatricem, nè ex peccatrice nascerentur iusti.* Exponendus est de congruenti dispositione, quam Deus assumeret in vi alterius providentiæ. Insuper colliges, quòd si Eva non peccasset personalitèr, etiamsi Adamus peccasset: non propter hoc contraheret peccatum originale ex peccato Adami. Ratio est: Nàm Adamus solùm fuit constitutus caput morale quòad propagationem, vel amissionem iustitiæ originalis, respectu eorum, qui ab ipso per seminalem propagationem descendunt; sed Eva non sic processit ab Adamo, licèt ex costa illius fuerit formata: ergò non fuit contenta in Adamo, tanquàm in capite morali transfusivo iustitiæ, aut peccati originalis: licèt Adamus fuerit caput Evæ gubernativum, & quòad alia munera propria etiam capitis.

* Vel dic: Culpam Evæ fuisse causa, quia fuit occasio.

(*)

§. VI.

Sexta difficultas.

24 INquires 5. *An si Adamo non peccante aliquis ex eius filijs v.g. Cain peccaret, filij huius contraherent peccatum originale stando præsenti providentiæ?* Supponimus cum Div. Thom. 1. par. q. 100. art. 2. Quòd quamvis Adamo non peccante, parvuli nascerentur cum iustitia originali, non tamen nascerentur in iustitia confirmati; proindèque possent peccare. Sed ab hoc præscindendo, modò solùm conditionalitèr procedimus asserendo, quòd Adamo non peccante, etiamsi aliquis ex eius filijs peccaret, posteri huius non contraherent peccatum originale. Ratio est: Nàm peccatum, quod non est capitale, nequit transfundere in alios peccatum originale; sed ex vi præsentis providentiæ, peccatum, quòd committeret Cain, non esset capitale: ergò. Prob. min. Peccatum capitale est peccatum commissum à subiecto constituto à Deo in esse capitis moralis; sed ex vi præsentis providentiæ solus Adamus est constitutus à Deo caput morale posterorum; ut ex dictis constat; & ratio à priori est; quia cum constitutio capitis moralis ex voluntate Dei pendeat, nequit nobis alitèr innotescere, nisi ex Sac. Script. & PP. per quæ divina voluntas nobis revelatur. Sed quòd Deus celebraverit pactum cum Cain de transfundendà iustitia originali in posteros, nèc in Scriptura, nèc in PP. adhùc levitèr insinuatur: ergò.

Resp. negativè, & prob.

Sed dices 1. Homo genitus ex 25
semine immundo, sive destituto vigore provenienti ex iustitia originali, contrahit in præsenti providentia peccatum originale; sed filij geniti à Cain peccatore essent huiusmodi: ergò. 2. In præsenti providentia parvulus, qui non nascitur cum iustitia originali, nascitur in peccato originali; nàm supposito debito ad illam ex parte posterorum Adami, carentia talis iustitiæ est carentia privativa; proindèque peccatum originale. Sed peccante Cain, posteri eius non nascerentur in iustitia originali. Tùm quia nemo dat, quod non habet. Tùm quia traductio talis iustitiæ deberet fieri medio vigore existenti in semine Parentis, & provenienti ex iustitia originali ipsius, quam quidèm iustitiam amitteret Cain per peccatum: ergò.

Arg. 1.

Secundò.

Ad 1. Resp. dist. mai. Ex semine immundo immunditia totius naturæ, conced. mai. Immunditia purè personali naturæ, neg. mai. & cum eadem min. distinct. neg. consequ. Immunditia enim seminis, ad quam consequitur traductio peccati originalis, est illa, quæ provenit ex concupiscentia appetitus, quæ sit vulnus naturæ humanæ; non verò, quæ tantùm sit vulnus alicuius personæ in particulari; & huiusmodi esset concupiscentia Cain, utpotè iuxta præsentem providentiam non constituto à Deo capite morali naturæ humanæ. Ad 2. neg min. Deus enim promittens aliquid sub conditione, nequit illud denegare pro casu purificationis ipsius; cùm igitur in constitutione Adami, ut capitis moralis, intervenerit pactum, sive promissio divina de transfusione iustitiæ originalis ipso non peccante; fatendum est posteros, de quibus loquitur argumentum, nascituros cum iustitia originali. Nèc obstant probationes in contra. 1. Quia talis traductio iustitiæ per vigorem provenientem in semine ex iustitia originali, ut oppositamenti Div. Thom. à nobis in hoc dubio reiecta est. 2. Quia talis vigor, si datur, posset communicari à Deo elevante virtutem seminis, ut staret promissis; quin in hoc adesset suppositа promissione divina aliqua indecentia; sicut non adest in eò, quòd communicet gratiam sanctificantem medijs Sacerdotibus peccatoribus infectis peccato; dùm exercent actum absolutionis, & Baptismi. 26

Respond. ad 1.

Ad 2. & illius probationes.

Sed dices, & difficiliùs ex Div. 27
Thom. quæst. 5. de Malo art. 4. ad 8. ubi ait: *Si ergò aliquis ex posteris Adæ peccasset, eo non peccante, moreretur quidèm propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit; sed posteri eius morerentur propter peccatum originale*: ergò iuxta expressam mentem D. Thom. Adamo non peccan-

Difficile testimon.

cante, filij Cain v.g. peccatoris contraherent peccatum originale. Si dicas cum PP. Salm.& Alijs, D. Thom. locutum fuisse in vi alterius providentiæ, secundùm quam *si decerneret permittere peccatum alicui non peccante Adamo, decrevisset paritèr constituere illum caput morale*; qua constitutione posita, sine dub. peccatum illius in filios traduceretur.

Dices.

28 Contra est 1. Nàm asserere in dicta hypothesi Cain v.g. fore constituendum à Deo caput morale suæ posteritatis, est pure divinare: ergo talis solutio non est admittenda. Prob. anteced. Quòd Cain peccaret, Adamo non peccante, non habet illam connexionem ex se cum eò, quòd Deus illum constitueret caput morale; aliàs nèc ex Sac. Script.(per quam divina voluntas nobis innotescit)constat, aut nobis insinuatur, extiturum in Deo decretum de constitutione capitis moralis pro casu permissionis peccati in Cain, & non permissionis peccati in Adamo: ergò. Secundò. Si Adamo non peccante, filij Cain peccatoris contraherent peccatum originale ex vi alterius providentiæ, sequeretur, quòd simul contraherent peccatum ex vi illius providentiæ, & illud non contraherent ex vi præsentis providentiæ circa Adamum; sed hoc est implicatorium: ergò. Mai. quoad primam partem conceditur ab AA. solutionis; quòad secundam prob. Iuxta præsentem providentiam Adamus, ita fuit constitutus caput morale omnium posterorum, ut si ille non peccaret, omnes illi nascerentur cum iustitia originali, ut constat ex communi doctr. fidelium; sed purificata conditione, sub qua Deus aliquid promittit, nequit non adimplere promissum: ergò.

Contr. 1.

Secundò.

(o)

(*)

§. VII.

Omissis alijs expositionibus placet solutionem datam propugnare, addendo aliquid ad illius soliditatem,

PRO quo supponendum, quòd D. Thom. quæst. 4. de Mal. a. 8. proponens idem argum. scilicèt: 29

Quòd in casu, quo primus homo non peccaret, & aliquis posterorum eius peccasset, tunc in eo fuisset corrupta natura humana; proindèque transfunderet peccatum originale in suos posteros. Resp. in solut. ad 2. negando expressè peccatum eius, qui peccaret, non peccante Adamo, fore capitale, & transitum ad posteros. Ex quo constat, D. Thom. in quæst. immediatè antec. negare pro dicta hypothesi peccatum Parentis proximi causaturum in filijs suis peccatum originale. Nè igitur dicamus D. Th. tàm immediate asserere eius positum, quod priùs docuerat; mihi videtur dicendum, illa verba: *Sed posteri eius morerentur proptèr peccatum originale*, legenda esse conditionare; quasi diceret: *Si fortè, non solùm Parens, qui peccavit Adamo non peccante*, scilicèt Cain, *moreretur, sed etiam posteri eius: hoc quidèm contingeret propter peccatum originale.*; ut hic mors semper sit pœna alicuius peccati originalis, vel actualis. Per quod directè occurrit argumento oppositum huius suadenti.

Solut. data sustinetur, & explicatur.

Nèc obstat, quòd Adamo non peccante, etiamsi aliquis ex posteris eius peccasset, filij huius nascerentur in iustitia originali; proindeque, nèc morerentur, nèc contraherent peccatum originale. Non inquam obstat: quia hoc solùm probat, prædicta verba non esse intelligenda in sensu absoluto, secùs vero conditionaliter, scilicèt, si morerentur; nihil enim refert ad veritatem conditionalis, quòd anteced. non sit verum, aut sit complicatorium. Si inquiras: An D. Th. loquatur de contractione peccati originalis ex vi præsentis providentiæ, vel alterius? Resp. affirmativè eligendo 2. partem. Nèc hoc est divinare; siquidèm ponitur pro ratione ad inferen- 30

Occurrit instantijs sup. posit.

dam in Deo existentiam alterius providentiæ, aliquid eam efficacitèr suadens: nimirùm, inflictio mortis supposita institutione naturæ humanæ à Deo cum dono immortalitatis, & impassibilitatis: inflictio, inquam, illata subiecto personalitèr innocenti.

31 Undè sensus propositionis à D. Thom. prolatæ est hic: *Si posteri eius, qui peccaret, Adamo non peccante, morerentur, hoc quidèm eveniret attenta Dei bonitate, & rectitudine suæ iustitiæ propter peccatum originale.* Ex quo infertur, quòd eadem probabilitate affirmari debet in tali hypothesi peccatum illius hominis fore capitale: sicut, & ipsum constituendum fore caput morale, si posteri illius ob prædictum peccatum morerentur; & hoc non est divinare. Nàm quemadmodo D. Th. 4. contra Gent. cap. 52. probabiliter suadet existentiam peccati originalis ex morte, & alijs erumnis, quas experiuntur omnes supposita immortalitate primi hominis orta ex suavi providentia, qua Deus illũ sic condidit; ita similitèr admisso, quòd illi morerentur peccante Par. proximo, & non peccante Adamo, asserit S.D. probabilitèr, huiusmodi mortem fore propter peccatum originale ex vi alterius providentiæ, qua ille homo constitueretur caput morale suorum posterorum.

(o)

§. VIII.

Septima difficultas.

32 *AN si Anima pueri descendentis ex Adamo crearetur à Deo separata à corpore pro aliquo tempore, contraheret peccatum originale?* Affirmativè Resp. Coninch. apud Oviedo Tract. de Merit. controv. 6. punct. 4. num. 56. Addit tamen, Animam non denominari maculatam pro tùnc, nèc in statu peccati. Oppositum tamen sine dub. tenendum: Nàm peccatum Adæ solùm transit ad homines, qui ex illo per seminalem propagationem descendunt; àc proindè solum ad Animas, ut unitas corpori, & non ut existẽtes in statu separationis.* In hoc ergò statu, sicut non peccaverat in Adam; ita nullam maculam contraheret pro illo. Etsi enim unio ad corpus non sit ratio, ut Anima posteri maculetur; est tamen conditio requisita, ut ex peccato Adæ maculetur; quod solùm transire valet ad suos posteros, & quatenùs peccaverunt cum illo, & in ipso. Hinc posset Deus talem Animam reddere sanctam pro illo tempore; cùm autem uniretur corpori, amitteret statum sanctitatis; nisi Deus vellet illam ab originali præservare. De quo alibi. Videatur Author citatus. *Et hæc de hoc dub. applicand. litt. Magist. ubi præced.*

* Anima non unita nõ est homo. S. D. 3. par. q. 50. a. 4.

DU-

DUBIUM XI.

AN ADAMVS PER QVODCVMque peccatum, dummodó esset primum, traduxisset in posteros culpam originalem?

N. 1 SUponimus solùm peccatum, quod primò fuit commissum ab Adamo fuisse de factò causam peccati originalis, & huiusmodi peccatum fuisse comestionem de ligno vetito, pro qua Deus comminatus est mortem corporis, & Animæ, tàm Adamo, quàm toti eius posteritati. Quæ suppositio, & si apud omnes certa, brevitèr suadetur. Illud peccatum, per quod Adamus amisit sibi, & eius posteris, iustitiam originalem, est causa peccati originalis; sed per comestionem de ligno vetito, quę fuit in illo primum peccatum, amisit Adamus sibi, & posteris iustitia originalem: ergò peccatum primò commissum ab illo fuit &c.

Suppositio quædam.

2 Sed cùm in tali peccato, & sit ratio 1. & ratio talis peccati in specie, dubium est, àn fuerit capitale, causaque peccati originalis, quia 1. vel quia tale? Vel alijs termin. * An scilicèt ex vi præsentis providentiæ, si Adamus aliud peccatum commisisset contra legem naturę, vel contra aliam legem; antequàm comederet de ligno vetito (imò etiam si nunquàm comedisset) tale peccatum esset capitale, & quod traduceret in posteros peccatum originale?* Partem negativam tenent Alensis, Catharinus, Suarez, Meratius, & Mag. Ferre acerrimè pro ea pugnans. Affirmativam verò tenent communitèr Thomistæ. Cui sententiæ adhærendum existimo, præcipuè proptèr Authoritatem Div. Thom. Fateor nàmque rationes pro utraque parte ab AA. aductas posse satis probabilitèr solvi. Nèc mirum, cùm difficultas versetur in indagãdo, quænam fuerit observantia præcepti, sub qua Deus promisit Adamo communicare suis posteris iustitiam originalem? Si enim fuit observantia totius legis; per quodlibet peccatum illam eis amitteret. Si verò solùm fuit non comedere de ligno vetito, etiamsi alia præcepta frangeret; posteri eius nascerentur cum iustitia originali.

Sensus dubij.

Sententię

§. I.

STATUITUR AFFIRMATIVA CONCLUSIO.

Primum peccatum Adami fuit causa traductionis culpæ originalis, non quia tale, sed quia primum. Undè si aliud commisisset, illud fuisset capitale.

3 ITA videtur expresè dictum à D. Thom. in 2. dist. 33. in fine in exposit. Text. lit. D. ad 2. dicend. *Quòd hoc est per accidens, quod tale nocamentum naturæ humanæ intulit, quia scilicèt, fuit primum peccatum, quod naturam humanam vitiavit. Quodcumq; aliud peccatum fuisset hoc modo primum, etiam similem effectum habuisset, sive fuisset peccatum operis, sive voluntatis: quamvis quidam aliter dicant dicentes: Si Adam* (en fundam. oppositæ sententiæ) *alio modo peccasset, non incurrisset necessitatem moriendi, quia hæc pœna illi tantùm culpæ videtur ordinata esse à Deo; cùm dixit: in quacumque die comederis &c. Sed in hoc os-*

Prob. ex S. D.

tenditur; etiam si alia peccata commississet, quod similem pœnam sustinuisset, quasi à minori: gravius est enim &c. Quo nihil clarius, & expressiùs potest dici in favorem nostræ assertionis.

Nèc valet dicere Div. Thom. 4 non loqui ex vi præsentis providentiæ, sed ex vi alterius, secundùm Respond. quam potuit obligare Adamum, & posteros eius ad observationem aliorum præceptorum; in quo casu verum est, quod si Adamus aliud peccatum priùs commisisset, sibi, & posteris iustitiam originalem amitteret.

Non inquam valet, 1. Nàm D. 5 Thom. asserit, primum peccatum commissum ab Adamo fore capitale ex vi illius providentiæ, iuxta quam Contra 1 Alij AA. oppositum sentiebant, ut patet ex illis verbis: *Quamvis quidam aliter dicant &c.* Sed prædicti AA. expressè negabant quodlibet aliud peccatum primò commissum ab Adamo fore capitale ex vi præsentis providentiæ: ergò. Prob. min. Prædicti AA. negabant quodlibet aliud peccatum primò commissum ab Adamo fo fore capitale, *quia comminatio mortis, & aliarum pœnarum, solùm fuit facta à Deo pro comestione de ligno vetito*, iuxta illud: *In quacumque die comederis &c.* Sed hoc motivum expressè, & unicè, innititur præsenti providentiæ, & ordinationi divinæ a Deo de facto statutæ: ergò.

2. Si vera esset solutio Mag. 6 Ferre, testimonium Div. Thom. reddit hunc sensum: *Si in alia providen-* Secundò. *tia (ut fuit possibile) Deus statuisset quodlibet peccatum primò commissum ab Adamo, sive operis, sive voluntatis, fore capitale, illud vitiaret totam naturam humanam, esset que causa peccati originalis in posteros*; sicut modo, & in præsenti providentia fuit comestio de ligno vetito; sed hic sensus prorsùs est alienus à mente Div. Thom. ergò. Prob. min. 1. Quia oppositum huius sensus nullus Author, adhuc mediocritèr instructus, potest probabiliter sentire, qualitèr sentiebant illi, quos supresso nomine citat D. Thom. 2. Quia in casu, quo oppositum sentirent, non essent reijciendi propter motivum, quo illos reijcit Div. Th. scilicèt, arguendo à minori ad maius; sed ex ipsa natura peccati capitalis, vi cuius non solùm caput, sed etiam membra habreet inficere; cùm hæc probatio sit convincens: ergò.

3. impugn. data solutio: Nàm 7 modò asserere, quòd si Adamus aliud peccatum primò commisisset, esset constitutus à Deo caput morale quòad Tertiò. sui transgressionem ex vi alterius providentiæ sic ordinantis, est purè divinare, iuxta D. Thom. ergò hoc asserere non est iuxta mentem illius. Prob. anteced. 1. Quia motivum Incarnationis Verbi Divini fuit redemptio generis humani à peccato originali ex vi præsentis providentiæ, asserere modò,* quòd deficiēti tali motivo, & occurrenti alio simili, Verbum Divinum assumeret carnem ex vi alterius providentiæ,* est iuxta Div. Thom. divinare; ita 1. ad Thimoth. cap. 1. lect. 4. ergò pariter. Confirm. Confirm. hoc: Quia Deus est liberrimus in decernenda Incarnatione, & hoc, quod est deficiente peccato Adami, occurrere aliud motivum pro decernenda Incarnatione, non habet annexionem cum tali decreto; asserere deficiente peccato Adami Verbum Divinum incarnandum fore ex vi alterius decreti, est iuxta Div. Thom. divinare. Sic enim habet loco citato: *Deus ordinavit fienda, secundùm quòd res fiendæ erant, & nescimus quid ordinasset, si non præscivisset peccatum.* Sed Adamum comittere aliud peccatum, priusquàm comederet de ligno vetito, non connectitur cum eò, quòd Deus decerneret tale peccatum esse capitale, sive quod idem est; non connectitur cum eò, quòd Adamus prædictum peccatum comitteret nomine sui, & omnium posterorum: ut est certum: ergò. Deniquè. Quia ex Ultimò. Sacra Scriptura, per quam divina voluntas nobis innotescit, nobis non constat, quòd etiamsi Adamus non peccaret, Christus veniret ex vi alterius decreti, asserere huiusmodi adventum est divinatoriè procedere. ergò cùm ex Sacra Script. non constet, quòd si Adamus aliud peccatum perpriùs comisisset, foret ex vi alterius decreti constitutus caput morale, hoc asserere erit divinare.

Se-

Secundò prob. concloſio ex
8 Div. Thom. in 2. diſt. 21. quæſt. 2. art. 2. ad 2. quòd ſic procedebat: *Ex hoc aliquid eſt malum, quia adimit bonum; ſed peccatum primi hominis plùs ademit de bono, totam naturam corrumpens, quàm aliud peccatorum ſequentium: ergò peius fuit alijs.* Reſpond. dicend. *Quòd hoc fuit per accidens, quod maiorem læſionem intulit; ex hoc ſcilicèt, quòd naturam integram invenit, quia hoc idèm, etiã ſequentia peccata feciſſent, ſi talem naturam inveniſſent:* Ergò iuxta Div. Thom. quodlibet peccatum commiſſum ab Adamo corrupiſſet totam naturam humanam; fuiſſetque capitale, dummodò eam integram inveniſſet. Sed quodlibet peccatum primò commiſſum eſſet huiuſmodi: ergò. Confirm. hoc ex eodem S. Doct. 2. 2. quæſt. 163. art. 3. ad 2. ubi hæc habet: *Dicendum, quod magnitudo pœnæ, quæ conſecuta eſt illud primum peccatum, non correſpondet ei ſecundùm qualitatem propriæ ſpeciei, ſed in quantùm fuit primum, quia ex hoc interrumpta eſt innocentia primi ſtatus, qua ſubtracta deordinata eſt tota natura humana* Ergò iuxta Divum Thom. quod peccatum Adami fuerit capitale, & infecerit totam naturam, habuit ex quo fuit primum: igitur hoc idem habuiſſet aliud peccatum, dummodò fuiſſet primum, quod eſt noſtrum aſſertum. Deindè: Eò aſſerit Div. Thom. primitatem peccati ſe habuiſſe ut conditionem formalem ad inficiendam totam naturam humanam, quia hoc, quod eſt corrumpeſtatum innocentiæ, ſolùm convenit quòad efficaciam primo peccato; ſed per quodlibet peccatum, quod Adamus primò commiſiſſet, interrumperetur in illo ſtatus innocentiæ: ergò.

Prob. 2. ex eodem S. Doct.

Confirm.

Ultra prædicta teſtimonia po-
9 teſt ſuaderi concluſio ſequenti ratione: Donum iuſtitiæ originalis conceſſum eſt Adamo, tàm pro ſe, quam pro ſua poſteritate, ſi Adamus in iuſtitia, & ſanctitate perſeveraret: ergò Adamo non perſeverante in iuſtitia, ſed eam per peccatum amittente; tàm ipſe, quàm eius poſteri, naſcerentur privati iuſtitia originali gratuitò à Deo conceſſa. Sed per quodlibet peccatum mortale primò commiſſum ab Adamo ipſe impediret perſeverantiã in iuſtitia: ergò quodlibet peccatum mortale primò commiſſum ab Adamo, inficeret totam naturam, eam ſcilicèt privando iuſtitia originali à Deo gratuitò poſteris oblata. Min. ſubſmp. conſtat ex term. Siquidèm perſeverantia in gratia includit neceſſariò obſervationem omnis præcepti, & excludit neceſſariò cuiuslibet præcepti fractionem. Prima conſq. etiam conſtat: Nàm quia gloria eſt promiſſa hominibus ſub conditione, quòd in obſervantia omnium præceptorum perſeverent, per quodcumque peccatum, quo homo impedit perſeverantiam in bono, manet ex conſequenti privatus conſecutione gloriæ: ergò ſi Adamo fuit conceſſa iuſtitia originalis pro ſe, & ſuis poſteris, dummodò in bono perſeveraret, obſervando, ſcilicèt, omnia præcepta ſibi impoſita, per quodlibet peccatum ab ipſo primò commiſſum, eius poſteri manerent iuſtitia originali privati. Unde tota difficultas reducitur ad. antecedens. Quòd prob. 1. ex Div. Thom. in 2. diſt. 20. quæſt. 1. art. 2, dicente: *Defectus iuſtitiæ originalis quæ homini in ſua creatione collata eſt, ex voluntate hominis accidit. & ſicut illud naturæ donum fuit, & fuiſſet in totam naturam propagatum homine in iuſtitia originali perſiſtente, ita etiam privatio illius boni in totam naturam perducitur.* Sed Adamum perſiſtere in iuſtitia eſt idem, ac in illla perſeverare: deſtruiturque perſeverantia per quodlibet peccatum primò commiſſum, ut eſt certum: ergò.

Prob. 3. ratione.

Confirm. hæc ratio prænotand. quod apud omnes eſt certum, ſcilicèt, quòd licèt Adamo fuerint aliqua dona, ut perſonæ particulari conceſſa, quæ etiam ſi in bono perſeveraſſet, non transfunderentur ad poſteros: uti fuerunt infuſio omnium Scientiarum, virtutum, & perfecta quantitas, roburque ex parte corporis; loquendo tamen de ſtatu iuſtitiæ originalis, tàm quòad eſſentialia, quàm quòad integralia, ſive per modum proprietatis à iuſtitia originali dimanantia, eodem modo, & ſub eiſdem conditionibus, ſub quibus

10

Confirm.

fuit

fuit promissus Adamo quòad sui conservationē, fuit etiam posteris quòad sui traductionem ; ratio huius est: Nàm oppositum asserere est omninò voluntarium. Rursùsque deberent poni in Deo duæ providentiæ circa iustitiam originalem pro conservatione huius in Adamo, scilicèt, decretum illum conservandi, si omnia præcepta servaret, & decretum transfundendi illam in posteros, si non comederet de ligno vetito, etiamsi alia præcepta violaret; sed hoc asserere videtur voluntarium: ergò dicendum statum iustitiæ originalis fuisse promissum a Deo quòad sui conservationem in Adamo sub eisdem conditionibus, sub quibus fuit promissus quòad sui traductionem in posteros. Tùm sic: Sed prædictus status, tàm quòad gratiam sanctificantem, quàm quòad donum integritatis, & donum impassibilitatis, fuit à Deo promissus in sui conservatione dependentèr à perseverantia, obediendo scilicèt omnibus præceptis à Deo impositis: ergò eodem modo, & sub eadem conditione, fuit iustitia originalis promissa Adamo, ut illam traduceret in posteros.

Hæc ratio præ alijs mihi videtur satis efficax, utpotè innitens Authoritati Div. Thom. ubi sup. Tùm etiam alibi sæpè asserentis, * donum iustitiæ originalis transfundendum ab Adamo in posteros fuisse concessum à Deo, quandiù supremum illius, scilicèt ratio, & voluntas essent subditæ, & obedientes præceptis divinis.* Ex quo datur intelligi, ut deficiente hac subiectione, & obedientia, non solùm Adamus iustitiam originulem pro se amitteret, sed etiam pro sua posteritate. Nàm, ut docet Div. Thom. Opusc. 2. cap. 198. *Status innocentiæ non potuit derivari in Altos, privato Adamo tali statu per suum peccatum.* Deindè: Nàm talis ratio complectitur alias rationes congruentiæ, quibus probari solet, Deum de facto comminasse mortem Adamo; si alia peccata primò commississet, & insuperè quia non est consentaneum divinæ providentiæ; si per illam decrevisset transfundere iustitiam originalem in posteros, etiamsi alia peccata committeret, dummodò observaret præceptum de non comedendo de ligno vetito: ergò.

11 Ponderatur efficacia rationis ex S. Doctore.

Complectitur, inquam, si teneatur, & probetur: Deum promisisse statum iustitiæ originalis, tàm Adamo, quàm suis posteris, dependentèr à perseverantia in bono per observationem omnium mandatorum. Qui modus decernendi videtur magis condecens, tùm providentiæ divinæ unica ordinatione respicienti bonum Adami, & bonum posterorum; tùm magnitudini doni promissi: quodquidèm non nisi perseverantibus in bono videtur congruum conferri: quemadmodùm consequutio gloriæ non nisi personalitèr in bono perseverantibus à Deo promittitur. Ex quibus constat, conditionem, sub qua Deus promisit Adamo traductionem iustitiæ originalis in posteros, fuisse huiusmodi: *Si obediens extiteris præceptis meis, vel si perseveraveris in bono, vel si non peccaveris.* Quæ conditio propter dicta satis colligitur ex illo Ecclesiast. cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta; si volueris conservabunt te.* Quæ verba intelligenda sunt de conservatione iustitiæ, tàm pro Adamo, quàm pro suis posteris. Sed cùm ibi fiat mentio de pluribus præceptis ei à Deo impositis, nulla apparet ratio, ut per illa verba: *Si volueris*, non intelligatur voluntas completa servandi omnia mandata, de quibus ibi fit mentio. 12

§. II.

Solvuntur argumenta.

OBjicies 1. Solùm peccatum capitale Adami potest traducere in posteros peccatum originale; sed stando præsenti providentiæ, solùm peccatum comestionis de ligno vetito potuit esse capitale: ergò. Prob. min. 1. Nàm de facto quando Adamus peccavit, & transgressus fuit præceptum de non comedendo de ligno vetito, præcefsit in eo peccatum superbiæ; siquidem ex appetitu inordinato similitudinis cum Deo in scien- 13

Argu. 1. quia sola comestio &c. fuit peccatū capitale.

tia

tia boni, & mali, motus fuit ad comedendum de ligno vetito; ita expresse Div. Thom. 2. 2. quæst. 163. art. 1. & 2. & tamen sola comestio fuit peccatum capitale. Cuius ratio est: Nàm soiùm illud peccatum fuit capitale, pro quo Deus punivit Adamum pœna mortis; atqui Deus assignans causam punitionis tantùm designavit comestionem de ligno vetito; ut constat ex illis verbis: *Quia comedisti &c.* ergò non obstante, quòd aliud peccatum præcesserit in Adamo, peccatum comestionis de ligno vetito, solùm hoc peccatum fuit peccatum capitale.

14 Secundò prob. eadem min. Solùm illud peccatum potuit esse capitale, quod esset commissum ab Adamo, ut capite morali posterorum; sed attenta præsenti providentia solùm peccatum comestionis potuit committi ab Adamo, ut capite morali posterorum: ergò. Prob. min. Solum illud peccatum potuit committi ab Adamo, ut capite morali posterorum, ad cuius vitationem tenebantur, tàm Adamus, quam posteri, pròut contenti in illo moralitèr. Atqui ex vi præsentis providentiæ posteri tantùm tenebantur (quatenùs erant moralitèr in Adamo) ad observandum præceptum de non comedendo de ligno vetito: Tùm quia asserere, eos teneri ad observationem omnium præceptorum, tàm naturalium, quàm supernaturalium, quæ fuerunt imposita Adamo, nimis rigidum videtur. Tùm quia cùm talis obligatio pendeat ex voluntate Dei, solùm ex Divina Scriptura, per quam voluntas Dei nobis innotescit, potest deduci. Atqui ex nullo Textu Sacræ Scripturæ deduci potest: ergò.

Secundò probatur idem assumptum

15 Tertiò: Solùm illud peccatum fuit esse capitale attenta præsenti providentia, pro quo Deus comminatus est Adamo, & posteris eius pœnam mortis, si tale peccatum committeret; atqui Deus solùm comminatus est Adamo, & posteris eius pœnam mortis, si comederet de ligno vetito, ut constat ex illo Genes. capite 2. *In quacumqee die comederis ex eo, morte morieris*: ergò. Urgetur hoc iuxta D. Thom. 1. part. quæst. 97. art. 3. ad 3. *Adamo simul fuit præceptum, ut à ligno Scientiæ boni, & mali abstineret, & ut de omni alio ligno Paradysi vesceretur: ergò sicut peccavit sumendo vetitum cibum, ita peccaret, si Adamus sibi non subveniret de cibo.* Tùm sic: Sed asserere Adamo fuisse comminatam mortem, *si non comederet*, videtur voluntarium, & contra Textum supra relatum: ergò.

Tertiò.

Urgetur.

Deniquè, & roborantur hucusque dicta. Quia in Sacra Scriptura semper redditur pro ratione adventus Christi peccatum Adami, hoc deficiente, sive Adamo non peccante, non veniret Christus Dominus ex vi præsentis providentiæ, ut cum Div. Thom. docent omnes Thomistæ 3. par. quæst. 1. ar. 3. Sed in Sacr. Scrip. solùm assignatur comestio de ligno, ut pœna debita peccato originali, ut constat ex supra dictis: ergò deficiente tali peccato comestionis, & quovis alio peccato primò existente, deficeret ex vi præsentis providentiæ pœna debita peccato originali; proindèque peccatum illud non induceret peccatum originale. Urgetur hoc. Quia ex Dei voluntate pendet decernere Incarnationem Verbi ob hoc, vel aliud motivum, & nobis solùm constat ex Sac. Script. remedium peccati originalis fuisse motivum, ob quod Deus decrevit Incarnationem, arguunt efficacitèr D. Thom. & cum eo omnes Discipuli, quòd si deficeret peccatum originale, etiamsi alia peccata existerent, Christus Dom. non veniret ex vi præsentis providentiæ; sed quòd Deus celebraverit cum Adamo pactum comminatorium mortis infligendæ, tàm ipsi, quàm posteris, si hoc, vel illud præceptum transgrederetur; pendet ex voluntate illius; & insupèr ex Sacr. Scrip. solùm nobis constat mortem utrãque fuisse ei comminatam, *si comederet de ligno vetito*: ergò stando præsenti providentiæ asserendum est, quòd deficiente peccato comestionis, etiamsi aliud existeret, mortis pœna non esset infligenda pro illo toti generi humano.

16 Roborat. Argum.

Urgetur.

17 Ad hoc argumentum, cui potissimè innititur sententia opposita, Resp. neg. min. Ad 1. eius prob. dist. min.

Solutio

min. Sola comestio de ligno vetito fuit peccatum capitale per modum actus exterioris, & imperati ex superbia, conced. min. Per modum actus interioris, & imperantis, neg. min. & consequens. Pro huius distinct. intelligentia notandum est ex Div. Thom. tùm 2. 2. quæst. 163. ar. 1. tùm hic quæst. 82. a. 1. ad 1. & alibi ex Aug. in Enchirid. cap. 45. Peccatum primi Parentis habuisse triplicem malitiam specie distinctam, scilicèt, superbiæ, inobedientiæ, & gulæ: superbiæ, quatenùs inordinatè appetivit similitudinem cum Deo quantùm ad scientiam boni, & mali; inobedientiæ, quatenùs ex amore inordinato prædictæ similitudinis, & excellentiæ, contempsit, & abiecit præceptum de non comedendo de ligno vetito; gulæ verò, quia inordinatè, & contra præceptum sibi impositum comedit. Ita Div. Thom. quæst. 4. de Malo art. 8. ad 1. dicens: *Fuit enim ibi superbia, inobedientia, & gula.* Cæterùm prædictæ malitiæ, ita adunatæ sunt in peccato primi Parentis, ut ex appetitu inordinato propriæ excellentiæ processerit inobedientia, & simùl malitia gulæ. Ex quibus omnibus completum, & consummatum fuit, tàm intentivè, quàm executivè, peccatum primi Parentis.

18 Si autem quæras: *An propter diversitatem malitiæ repertam in peccato actuali primi Parentis dicendum sit, illud fuisse unum, vel plura peccata?* Cuidam quæsit. fit satis. Resp. cum PP. Salmant. hic disp. 16. dub. 6. §. 3. num. 172. prædictum peccatum fuisse unum; quia nimirùm Adamus unico actu interiori inordinate amavit sibi propriam excellentiam, ut consequendam independentèr ab observatione præcepti, quòd ei fuerat impositum de non comedendo de ligno vetito. Ratione primi respectus fuit ille actus superbiæ, cuius obiectum est excellentia sine debita mensura: Ratione secundi fuit ibi malitia specialis inobedientiæ consistentis in contemptu, & abiectione divini præcepti. Ratione tertij fuit talis actus in specie gulæ in appetitu inordinato cibi consistente. Cùm autem hoc nomen peccatum, utpotè concretum, supponat pro subsracto, ideò absolutè dicitur fuisse unum peccatum cum triplici malitia specie distincta. Quemadmodùm communitèr dicitur de volitione furandi rem Sacram, aut rem in loco Sacro. Sed adhùc admisso Adamum hæc omnia appetijsse per plures actus voluntatis, potest dici fuisse unum peccatum iuxta doctrinam Div. Thom. 1. 2. quæst. 20. art. 3. ubi docet: Quòd sicut ex materia, & forma fit unum compositum; ita similitèr dicendum de actu interiori, & exteriori, sive de actu imperanti, & imperato; eò quòd actus imperans se habet, ut quid formale; & actus imperatus, ut quid materiale respectu illius. Si quæras 2. *Quænam ex his malitijs fuerit prima, & essentialis in peccato Adami?* quæsito Alteri Resp. Resp. Illam fuisse malitiam superbiæ. De quo exprofesso PP. Salmant. ubi sup. §. 3.

§. III.

In quo tuetur malitiam superbiæ fuisse capitalem.

19 HIS prænotatis, restat difficultas præsentem quæstionem concernens, & à cuius decisione pendet solutio argumenti: *An*, scilicèt, *malitia superbiæ reperta in peccato Adami fuerit capitalis, sive commissa ab Adamo, ut capite morali posterorum?* Malitia superbiæ fuit etiam capitalis. Quod expresse negat M. Ferre. Sed oppositum dicendum consequentèr ad superiùs tradita. Quòd prob. 1. Prob. 1. Nam illud peccatum fuit commissum ab Adamo, ut capite morali posterorum, quod verificatur in sensu morali fuisse etiam à nobis commissum, ut est certum iuxta superiùs à nobis dicta dub. 2. & expresse tuetur Mag. Ferre. Sed peccatum Adami, non solùm quòad malitiam inobedientiæ, & gulæ, sed etiam quòad malitiam superbiæ, fuit moralitèr commissum ab eius posteris: ergò, Min. prob. ex Div. Greg. Homil. 10. in Evang. ubi enumerans deformitates, & peccata, per quæ à Regione Paradysi discessimus, hæc habet: *A Regione quidèm nostra, superbiendo, inobedtendo, cibum vetitum gustando, discessimus.* Sed discedere superbiendo &c. est committere peccatum quòad malitiam superbiæ; ergò,

&c.

Secundò prob. & convellitur fundamentum Mag. Ferre. Peccatum ea ratione, qua per ipsum intravit mors in hunc mundum, fuit commissum ab Adamo, ut capite morali posterorum; sed huiusmodi fuit peccatum Adami, etiam attenta malitia superbiæ in illo reperta: ergò. Prob. min. ex Div. Thom. 2. 2. quæs. 163. art. 3. ubi, cùm in corp. art. determinasset peccatum primi Parentis non fuisse gravius omnibus alijs peccatis humanis, *eò quòd, quamvis fuerit peccatum superbiæ, maior tamen est superbia, qua quis Deum negat, vel blasfemat, quàm superbia, qua quis inordinatè divinam similitudinem appetit, qualis fuit superbia primorum Parentum*: objicit sibi secundum argumentum: *Pœna proportionatur culpæ; sed peccatum primorum Parentum gravissimè est punitum, quia per ipsum mors introivit in hunc mundum, ut Apostol. dicit: ergò peccatum illud fuit gravius cæteris peccatis.* Ad quod Resp. *Dicendum quòd magnitudo pœnæ, quæ consecuta est illud primum peccatum, non correspondet ei secundùm qualitatem propriæ speciei, sed in quantùm fuit primum.* Ergò cum iuxta ipsum Sanct. Doct. primum peccatum, de quo ibidèm sermonem instituit, fuerit peccatum attenta malitia superbiæ, expressè docet per illud secundùm malitiam superbiæ introisse mortem in omnes posteros Adæ.

20 Prob. 2.

Quod ulteriùs probari potest ex illo Ecclesiast. 10. *Initium omnis peccati superbia.* Et Thobiæ 4. *In ipsa,* (scilicèt superbia) *initium sumpsit omnis perditio.* Quæ verba intelliguntur à Div. August. lib. 14. de Civit. Dei cap. 13. de primo peccato Adami, à quo omnis nostra perditio ortum duxit. Ex quibus sic argumentor: Malitia illa, sive peccatum, à qua omnis nostra perditio ortum duxit, nõ immeritò dicitur capitalis; sed huiusmodi fuit malitia superbiæ reperta in peccato Adami: ergò. Videantur PP. Salm. hic disp. 16. dub. 6. ubi plures SS. PP. referunt ad idem assumptum probandum.

21 Tertiò.

Sed contra dicta instar M. Ferre 1. Quòd si malitia superbiæ in peccato Adami fuisset capitalis, illa esset traducta in posteros, sive (ut propriùs loquamur) in peccato originali posterorum inveniretur malitia habitualis superbiæ; quemadmodùm invenitur in illo malitia habitualis inobedientiæ, & gulæ; consequens est falsum: ergò. 2. Nàm si malitia superbiæ reperta in peccato Adami fuisset capitalis; proindèque reperta in peccato originali posterorum; idem posset dici de malitia inordinationis reperta in amore, quo Adamus Evam dilexit, & propter quem comedit de ligno vetito; consequens à nullo conceditur: ergò. 3. Quia solùm peccatum, quo Adamus quæsivit bonum commune, tàm sibi, quàm toti posteritati, fuit peccatum capitale; sed per peccatum superbiæ solùm quæsivit Adamus bonum privatum, scilicèt, non habere similem alium in terra, appetendo, scilicèt, inordinatè sapientiæ excellentiam: ergò.

22 Arguit in contra M. Ferre 1. Secundo. Tertiò.

Hæc tamen parùm urgent. Ad 1. enim concedimus sequelam, utpotè expressam in Div. Thom. hic quæs. 82. artic. 2. ad 1. ubi asserit: *Unumquemque hominem dici in iniquitatibus conceptum: quia in peccato primi Parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, scilicet, superbiæ, inobedientiæ, gulæ, & alia huiusmodi.* Quo nihil clariùs. Ratio huius est: Quia peccatum originale, & quodvis habituale, ultra privationem gratiæ includit respectum ad causam efficientem, quæ est peccatum actuale. Undè sicuti ex maiori, vel minori gravitate actualium deducitur peccatum habituale esse maius, vel minus grave; ita iuxta diversitatem malitiæ in peccato actuali repertam assignari debet in peccato habituali unitas, aut pluralitas specierum malitiæ.* Cùmque peccatum actuale commissum ab Adamo, per quod totam naturam infecit, & per quod etiam nos à Deo tùnc discessimus; fuerit malum malitia inobedientiæ, superbiæ, & gulæ iuxta authoritatem Div. Greg. supra adductam, à fortiori concedendum huiusmodi deformitates habitualitèr inveniri in peccato originali.

23 Respond ad 1.

* Vid. tom 2. dub. 7. de peccato habit.

24 Ad 2.

Ad 2. poterat Resp. 1. conced. sequelam, & negando min. Fortassè enim

enim propter malitiam inordinationis in prædicto amore, dixit D. Thom. ubi supra immediatè; in peccato primi Parentis, quod ad nos per originem traducitur, præter deformitates superbiæ &c. *fuisse alias deformitates.* Resp. 2. Prędictum amorē, quantumvis intensum, & affectuosum, non fuisse pravum intra propriam speciem, sed unicè ex prava circunstantia comestionis cibi vetiti: quapropter inordinatio illius non ponit in numero cum inordinatione superbiæ, & gulæ repertæ in peccato. Nèc mirari non possum in eò, quòd Mag. Ferre tàm acritèr contendat, solum peccatum comestionis in primo Parente traduci ad posteros, fuisseque originale originans; quandoquidèm Div. Th. 3. p. quæst. 3. art. 8. assignans rationem congruentiæ, ut Persona Filij potiùs, quàm alia Persona divina assumeret humanam naturam, hæc habet: *Potest accipi ratio huius congruentiæ ex peccato primi Parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur. Peccaverat enim primus homo appetendo scientiam, ut patet ex verbis Serpentis promittentis homini scientiam boni, & mali. Undè conveniens fuit, ut per verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per appetitum inordinatum scientiæ recesserat à Deo.* Sed malitia peccati, in cuius remedium Verbum caro factum est, fuit principalitèr malitia capitalis, & originalis originans: ergò malitia inordinationis in appetendo scientiam, & non sola malitia comestionis, fuit in Adamo malitia capitalis.

25 Ad 3. Ad 3. Resp. Illud, si quid probare, contra ipsum arguentem probare. Quodnam enim bonum intentavit Adamus comedendo de ligno vetito; nisi bonum proprium, & privativum, scilicèt, delectationem ex comestione cibi provenientem? Quā quidèm posteris eius desiderare, nèc fuit apprehensum ab ipso ut possibile. Quapropter ratio peccati capitalis non est pensanda ex eò, quòd Adamus per illud tentaverit acquirere sibi, & posteris aliquod bonum commune; cùm iuxta Div. Thom. 1. 2. quæst. 84. art. 2. *Finis ultimus peccatoris in omnibus temporalibus acquirendis sit, ut homo quandam singularem excellentiam habeat.* Quapropter peccatum illud meritò dicitur capitale, per quod peccans amittit sibi, & alijs bonum commune; & insupèr, quod committitur etiam in sensu morali ab alijs, ut in illo tanquàm in capite morali contentis. Cùm igitur iuxta Div. Thom. 2. 2. ubi supr. *Superbiendo amisserit sibi, & posteris iustitiam originalem*; & iuxta D. Greg. supra citatum: *Nos discesserimus à Deo superbiendo, & inobediendo*; peccatum primi Parentis quòad deformitatem superbiæ, & inobedientiæ, fuit etiam capitale.

Si dicas: Si in peccato Adami malitia superbiæ fuit prior inobedientia, & gula, per illam antecedenter ad istas perdidisset Adamus iustitiam originalem; utpotè malitia mortalis cum iustitia originali incomponibilis. Consequens est falsum; aliàs nullam aliam malitiam transmississet ad nostrum peccatum originale: ergò talis malitia superbiæ non fuit capitalis. Resp. 1. Hoc probare Adamum per solam malitiam superbiæ amisisse sibi iustitiam originalem, incurrisseque alias pœnas ei comminatas, & nullatenùs hæc damna fuere ei illata propter malitiam inobedientiæ, & gulæ: quod est falsum. Resp. 2. Quòd cùm peccatum primi Parentis fuerit completum, & consummatum per comestionem, licèt initiatum in appetitu superbiæ, ut imperanti prædictam comestionem; ideò ex vi malitiæ superbiæ intelligitur expulsio iustitiæ originalis inchoativè, & in fieri; completivè verò in facto esse per positionem inobedientiæ, & gulæ. Quapropter, etsi inter se prædictæ deformitates habuerint ordinem prioris, & posterioris, omnes tamen simùl influxerunt in expulsionem peccati originalis. Quæ solutio roborari potest ex volitione furandi rem in loco Sacro, & ex volitione homicidij ex intentione furandi pro priori relatè ad expuls. gratię. Resp. 3. In illo priori nullatenùs intelligi superbiam ut expellentem iustitiam originalem; quia illud prius solùm est prius causalitatis, & influxus in alias malitias: quapropter ab omni

26 Iterùm instabis.

eò, quòd, nèc rationem effectus, nèc causalitatis importat, pro illo priori præscinditur. Quemadmodùm in signo causalitatis materiæ respectu formæ solùm intelliguntur ea, quæ sunt ratio causandi, aut conditio, ut causet. Attamen non propter hoc concedi debet malitiam superbiæ coexistere iustitiæ originali; ut enim sic non coexistat, sufficit iustitiam originalem excludi positivè pro signo sequenti eiusdem instantis. Quod explicari potest in actu contritionis incomponibili cum peccato habituali; non tamen illud excludenti positivè pro signo, pro quo disponit ad gratiam.

§. IV.

Prosequitur solutio ad primum argumentum.

27 A Ad secundam probationem principalis argumenti propositam Resp. neg. min. & illius probationem. Sicut enim iustitia originalis fuit collata Adamo quòad sui conservationem dependenter ab observantia omnis præcepti ei impositi, ita ut quolibet peccato illam sibi amitteret; ita dicendùm de transfusione iustitiæ in posteros. Undè negamus, posteros eius non fuisse obligatos in suo capite ad observantiam omnium præceptorum. Nèc hoc rigorem aliquem inducit; cùm Adamus ob singularia dona, quibus fuit præditus in statu innocentiæ; gavisus fuerit summa facilitate non peccandi, ut loquitur sæpè Div. August. Ad aliam probat. ibi adiunctam Resp. Talem obligationem deduci ex illo Eccles. quod supra retulimus. Deindè Resp. Deduci attenta suavitate, & connaturalitate divinæ providentiæ, qua Deus se gessit ergà Adamum; nàm cùm donum iustitiæ originalis, ut ab ipso in posteros propagandum, fuerit maximum, & singulare privilegium, connaturalius est, quòd fuerit ei promissum, non solùm in observatione unius præcepti, sed sub conditione perseverantiæ in obediendo, & absque prolapsu in aliquod crimen. Quemadmodùm si Rex promitteret alicui Militi pro se, & filijs suis, feudum, aut privilegium, si clarũ facinus operaretur: quamvis expressè in vi huius promissionis non prohiberet ipsi alia crimina, nec fidelitatem perseverantem ei præciperet; secùs verò implicitè, & virtualitèr attentis naturis rerum. Quapropter si patrato tali facinore, aut antequàm illud patraret, crimen aliquod læsæ Maiestatis committeret, proculdubiò maneret privatus tali honore pro se, & pro filijs suis.

Ad 1. probationem argumenti

28 Ad 3. probat. resp. neg. min. Constat enim ex Div. Thom. 2. 2. ubi sup. Per peccatum superbiæ commissum ab Adamo intrasse mortem in hunc mundum, ex quo efficacitèr deducitur illam fuisse ei comminatam, & non solùm malitiæ gulæ in comestione de ligno vetito repertæ. 2. Nàm etsi talis comminatio solùm expressè constet ex Sac. Script. quòd facta sit sub conditione transgressionis præcepti de non comedendo; implicitè tamen, & virtualitèr facta est sub conditione transgressionis cuiusliber præcepti; quasi à minori ad maius, ut supra nos edocuit Div. Thom. Quod firmari potest satis oportunè exemplo principis comminantis mortem, vel privationem alicuius honoris, alicui, tàm pro se, quàm pro suis filijs, si aliquod crimen v. g. irreverentiam contra ipsum committeret; in quo casu, & ex vi talis decreti dubitari nequit, fuisse factam eandem comminationem, si principem alapis cæderet, aut ignominiosè eum tractaret. Per quæ constat ad urgent. Concedimus enim libentèr sequel. Peccaret enim tùnc casus contra præceptum naturale subveniendi sibi in necessarijs ad conservationem vitæ; quòd peccatum esset gravius, quàm fuit peccatum comestionis de ligno vetito.

Ad 3.

29 Ad 4. Resp. disting. mai. Quia redditur pro ratione, sive motivo, tàm formali, & explicito, quàm virtuali, & implicito, conc. mai. Quia redditur pro rarione, utcumque, neg. mai. & cum eadem min. dist. neg. conseq. Remedium peccati ita assignatur in Sac. Script. tanquàm motivum Incarnationis Verbi, ut excludatur quodcumque aliud motivum cum ta-

Ad 4. & ultimam.

tali remedio inconnexum, ut probant Thom. ex illo Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus.* Et rursùs Lucæ 5. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Quibus accedunt plurima testim. SS.PP. qui (sensum Sacr. Script. intimè penetrantes) sæpè asserunt, Christum nullatenus venturum, si Adamus non peccasset. His ergò fundamentis nititur Divus Thom. & cum eo omnes eius Discipuli, ad asserendum motivum omne, tàm formale, quàm virtuale Incarnationis Verbi fuisse remedium peccati, & quidquid cum illo connectitur, & ad ipsum conducit. At verò licèt soli comestioni de ligno vetito sit explicitè in Sacra Script. pœna mortis comminata, secùs tamen implicitè, & virtualitèr; Tùm quia ita asserit Divus Thomas; Tùm quia cùm Adamo sit comminata mors in se non solùm per comestionem prohibitam; sed etiam per transgressionem cuiuslibet præcepti, ut fatentur Adversar. licèt ex Script. talis comminatio expressè non constet; idem dicendum de eiusdem mortis comminatione in ordine ad totam eius posteritatem; nè absque urgenti fundamento diversam providentiam ex parte Dei pro conservatione iustitiæ originalis in Adamo, & pro illius transfusione in posteros adstruamus.

30 Arg. 2. Objicies 2. Si ex vi præsentis providentiæ per quodlibet peccatum mortale, dummodò esset primum, amitteret Adamus sibi, & posteris iustitiam originalem, propagatio talis iustitiæ solùm fuisset à Deo promissa sub conditione, quòd observaret omnia alia præcepta, & in bono perseveraret; sed hoc est falsum: ergò. Prob. min. 1. Quia hoc voluntariè dicitur, utpote absque fundamento in Sacr. Script. 2. Si iustitia originalis, ut transfundenda in posteros, fuisset promissa Adamo sub conditione perseverantiæ in bono; vel esset sub conditione perseverantiæ simpliciter dictæ, scilicet, usquè dùm raperetur ad visionem beatam; vel sub conditione perseverantiæ tantùm secundùm quid, scilicet, usque ad determinatum tempus? Primum dici nequit; aliàs filij geniti in illo intermedio tempore non nascerentur cum iustitia originali; cùm conditio talis perseverantiæ non esset tùnc casus impleta; quòd concedere videtur absurdum. Nec etiam dici potest secundum; cùm determinare tempus perseverantiæ, ad quam tenebatur Adamus, sit divinatoriè procedere: ergò propagatio iustitiæ originalis ex vi præsentis providentiæ non fuit alligata perseverantiæ in bono per observationem omnis præcepti.

Resp. conced. sequel. & neg. min. Ad eius primam probat. constat abundè ex dictis à num. 8. videantur ibi. 31 Ad 2. Resp. Eam instari in sententia Adversi. inquirendo ab ipsis: àn iustitia originalis fuerit promissa Adamo, ut transfundenda in eius posteros sub conditione, quòd nunquàm simplicitèr comederet de ligno vetito, vel tantùm pro aliquo tempore? Quod ergò ipsi respondeant, & nos paritèr respondebimus. Mihi, ut magis congruum rationi, videtur dicendum; quòd transfusio iustitiæ originalis fuit promissa sub conditione perseverantiæ in bono, antequàm haberet ullum congressum cum Eva. Ratio est: Nàm cum iuxta superiùs dicta infusio iustitiæ originalis esset simul cùm traductione naturæ, & processione prolis ab Adamo per seminalem propagationem; consequenter ad hæc dicendum Adamo perseverante in bono, dùm generaret filium, ei infundendam fore à Deo iustitiam originalem. Undè non poterat expectari ad propagationem talis iustitiæ, quòd perseveraret in bono simpliciter. Solutio

Attamen cùm ex alia parte, si affirmetur, quòd illo peccante, quando generaret secundum filium; amitteret iustitiam originalem pro se, & pro illo, ex hoc, inquam, sequeretur, quòd filij primi essent iusti, & immortales, filij verò secundi, & eius posteri, essent iniusti, & mortales; proindeque duæ Respublicæ æquè diversæ: Quòd concedere non videtur conveniens; ideò videtur dicendum; quòd dummodò perseveraret, antequàm generaret filium, etsi velis, etiam filium, propagaret in illos iustitiam originalem. Quòd si videatur in- 32

con-

conveniens, ut postea peccante Adamo filij geniti ab ipso nascerentur cum iustitia originali, Resp. potest, vel Deum non hic permissurum: Nè filij eius essent quasi duo Respublicæ æquè diversæ; vel dicendũ statim post quam genuisset filium, & filiam, confirmandum fore in gratia. Quæstio est parvi momenti, dic, quod tibi magis placeat.

33 Ultimo arguit. Deniq. obijcies. Solum potest dici peccatum capitale in præsenti providentia illud, pro cuius commissione Deus comminatus est Adamo pœnam mortis; sed huiusmodi pœna non est comminata Adamo pro commissione cuiuslibet peccati, dummodo esset primum: ergò comestio de ligno vetito fuit peccatum capitale, non quia 1. sed quia talis speciei. Prob. min. Si Deus comminatus esset mortem Adamo pro commissione cuiuslibet peccati, dummodo esset 1; casu, quo comestio de ligno vetito esset peccatum 2. ab Adamo commissum, Deus non infligeret ei pœnam mortis pro tali peccato (ut consequenter ad dicta affirmari debet) siquidem supponeret per 1. peccatum destructam iustitiam originalem, quòad omnia eius dona, tàm in Adamo, quàm in suis posteris. Sed hoc repugnat cum præsenti providentia: ergò. Probat. min. Implicat Deum comminari pœnam mortis tàm Adamo, quàm suis posteris, pro illo peccato, quo existente Deus nequit talem pœnam infligere; sicuti promittere præmium sub aliqua conditione, qua purificata, nequit illud exibere. Sed Deus iuxta præsentem providentiam expressè, & formalitèr comminatus est pœnam mortis, tàm Adamo, quàm suis posteris, si peccaret comedendo de ligno vetito (etsi admittatur virtualitèr, & implicitè comminasse eandem pœnam, si aliud peccatum 1. committeret:) ergò.

34 Urgetur Urg. hoc. Providentia. per quam Deus celebravit pactum cum Adamo de transfundendo in posteros iustitiam originalem, & per quam comminatus est mortem, si peccaret; non fuit de se indifferentèr coniungibilis cum hoc, vel illo peccato: ergò determinatè fuit alligata quòad vim comminatoriam peccato comestionis, & quòad propagationem iustitiæ originalis, illius vitationi. Prob. añs. Si talis providentia esset indifferentèr coniungibilis cum hoc, vel illo peccato, posset coexistere cum peccato comestionis, etiamsi hoc esset commissum post aliud peccatum; sed hoc repugnat: ergò. Probat. min. Nequit providentia comminatoria alicuius pœnæ sub conditione existentiæ peccati coexistere cum illo peccato, cui nequit iam pœnam comminatam infligere: aliàs coexisteret cum peccato ipsam irritam, & frustraneam reddente. Sed si peccatum comestionis esset commissum ab Adamo post aliud peccatum, Deus non posset iam infligere pœnã mortis pro tali peccato, & pro quo est innegabile fuisse expressè talem pœnam comminatam: ergò. Confirm. Si propagatio iustitiæ originalis fuisset promissa à Deo sub conditione, quod Adamus perseveraret in bono se abstinendo à quolibet peccato, hæc conditionalis esset falsa: *Si Adamus non comederet de ligno vetito, posteri eius nascerentur cum iustitia originali*; stare enim posset cum veritate añis. aliud peccatum impediens propagationem iustitiæ originalis, ac proinde posset stare cum veritate antec. falsitas consequentis. Sed hoc nequit dici, nisi voluntariè, & contra communem sensum omnium asserentium, * quod si Adamus non comedisset de ligno vetito, neutiquam perdidisset totam suam posteritatem: *ergò.

Confirm.

Nec valet dicere, quod pœna mortis fuit ex vi præsentis providentiæ comminata Adamo, si comederet de ligno vetito, dummodo talis comestio esset 1. peccatum; unde casu, quo Adamus comederet post aliud peccatum simplicitèr diversum, Deus non infligeret prædictam pœnam pro peccato comestionis; nec similitèr hoc posset dici peccatum capitale. Cæterùm ex hoc nihil infertur contra immobilitatem divinæ providentiæ, & veritatem comminationis; cum peccatum comestionis non existeret eò modo, sub quo fuit facta à Deo comminatio pœnæ.

35

Non inquam valet 1. Nàm dicere illa verba, quibus Deus comminatus

36 Reijcit. 1.

est pœnã mortis Adamo, si comederet de ligno vetito, dicens: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, intelligenda esse cum hac restrictione, videlicèt, dummodo talis comestio sit 1. peccatum, est omninò voluntarium, utpotè nec expressum, nec insinuatum in aliquo textu Sacr. Scrip. vel authoritate SS. PP. 2. Nàm eò tenore fuit mors comminata, quo comestio fuit prohibita, ut constat ex his verbis: *Non comedas de ligno scientiæ boni, & mali*, & rursùs: *In quacumque die comederis &c.* Sed comestio fuit prohibita absolutè, & absque ulla restrictione, & non solum pro casu, quo aliud peccatum 1. non committeret; aliàs si priùs peccaret, iam liceret ei comedere: Quod videtur absurdum, & contra verba textus dicentis: *In quacumque die*; quæ idem significant, *ac nunquam comedes*: ergò.

Secunda.

Omissa præcedenti solut. Resp. 37 Hoc argum. debere etiam solvi ab Adv. qui fatentur Adamum per quodlibet peccatum, dummodo esset primum, amissurum, saltim sibi, & pro se iustitiam originalem, & donum immortalitatis; cum quo tamen rectè componitur, ipsi etiam, ut personę particulari, fuisse comminatam mortem in verbis textus supra relati. Quibus suppositis inquiro. Providentia, qua Deus comminatus est mortem Adamo in se, si comederet; est inconiungibilis cum eo, quod præcesserit aliud peccatum; vel non? 1. est manifestè falsum: ergò debet dici 2. Tùm sic efformo argumentum. Implicat Deum comminari mortem Adamo sub conditione peccati, quo posito nequit illam infligere; sed in dicta hypothesi sic accideret; cum fuisset factus mortalis per 1. peccatum, quo iustitiam originalem, & omnia eius dona pro se saltim amisisset: ergò vel Deus in verbis sacri textus non est comminatus Adamo mortem, sed solum suæ posteritati, quod est absurdum; vel præsens providentia comminatoria fuit de se inconiungibilis cum eo, quòd Adamus aliud peccatum 1. committeret: quod est apertè falsum.

Vera solutio.

Duplicitèr ergò concipi potest 38 Deum non posse infligere pœnam posito peccato, pro quo illam fuit antecedentèr comminatus; scil. impotentia antecedenti, & absoluta; vel impotentia tantum consequenti ex aliqua suppositione libera provenienti. 1. repugnet seriebati, & immobilitati divinæ providentiæ: 2. autem minimè: & sic accideret in dicta hypothesi; quandoquidem impotentia, quam haberet Deus ad infligendam in re, & quòad efficaciam, pœnam mortis pro comestione, proveniret, ex quo permitteret Adam priùs aliud peccatum etiam morte, alijsque pœnis dignum patrare.

Sed adhùc insistes: Implicat Deum 39 decernere inflictionem alicuius pœnæ sub conditione peccati, & illam non infligere in actu secundo, & quòad efficaciam posito tali peccato: cum sit constans omnedecretũ conditionatum purificatà conditione transire in absolutum; sed implicat decretum absolutum inflictionis pœnæ pro aliquo peccato cum eo, quod talis inflictio deficiat, ut est certum: ergò.

Instabris

Propter hæc oportet doctrinam traditam magis explicare, distinguendo añs. Sub conditione peccati determinatè accepti, conc. añs. Sub conditione huius, vel illius peccati, nego añs. Quando enim à Deo comminatur pœna, vel promittitur præmium sub conditione cadente determinatè super aliquẽ actum; tùnc purificata conditione confertur in executione præmium, & infligitur pœna; si vero conditio disiunctivè versetur inter unum, vel alium actum, non oportet, ut etiam pro casu existentiæ unius pro prioris conferatur in executione pœna, vel præmium quòad substantiam per positionem actus subsequentis; sed ad summum, quòd novo titulo exhibeatur. De quo plura alibi. *Et hæc de hoc dub. applic. litter. Mag. in 2. dist. 33. ad illa verba: Natura humana non opere Dei. Et ubicumque agit de essentia peccati originalis.*

40

Respond.

DIS-

DISPUTATIO CELEBRIS DE CONSTITUTIVO PECCATI ORIGINALIS.

Difficultas in explicanda essentia peccati originalis adeò superat rationis humanæ vires, ut Divinum Augustini ingenium ea oppressum, à Beato Hieronymo cuperet pro eius recta intelligentia edoceri. Hinc provenit, ut Doctores Catholici, etsi concordes in abijciendis Hęreticorum erroribus circa quidditatem peccati originalis, ita talitèr inter se salva fide dissideant; ut penè innumeri sint modi, quibus unusquisque conatur essentiam peccati originalis exprimere. Ut igitur maiori claritate procedamus, præsentem disputationem in aliqua dubia dividimus, in quibus semèl statuto, quid non sit peccatum originale, postea determinabimus eius constitutivum formale.

DUBIUM I.

AN PECCATVM ORIGINALE ...bad sui essentiam consistat in ipso pec-...cato actuali Adami, ut aliquomodo afficiente posteros?

§. I.

...REFUTANTUR ALIQUI ERRORES, ET REFERUNTUR SENTENTIÆ.

...Rimo loco reijciendus venit Matthias Illiricus asserens peccatum originale non esse aliquod ...accidens animæ superadditum ad ipsam animam rationalem, quę tota substantialitèr mansit corrupta ex peccato Adami, & ex imagine Dei facta est imago Diaboli. Quod delirium esse manifestè doctrinæ Catholicæ oppositum. Probat. 1. ex Tridentino sess. 5. de peccato originali canon. 5. asserente: *Per baptismum tolli totum id, quod habet veram rationem peccati originalis.* Sed per gratiam, quæ confertur in baptismate, nihil substantiale animæ rationalis destruitur; ergò. 2. Nàm anima rationalis iuxta fidem Catholicam creatur à Deo, ab eoque secundùm omnia sibi substantialia, ut A. procedit; sed etiam est de fide, Deum non esse A. alicuius peccati: ergò.

Nec contra dicta obstant illa
2 verba Pauli ad Corinth. 5. *Expoliantes vos veterem hominem, & induentes novum &c.* Ex quibus sic arguit præSi obijc. 1 fatus Hæreticus. Div. Paulus præcipit in dicto testimonio expoliari peccatum originale. Sed præcipit expoliari veterem hominem: ergò peccatum originale est homo, & consequentèr aliquid substantiale. Ulteriùs. Quid-
Secundo. quid est legi difforme, sive à lege recedit, est peccatum. Sed anima per peccatum originale est huiusmodi: ergò. Non inquam obstat. 1. Nàm sicut Paulus prioribus verbis suadet
Resp. expoliationem peccati, ita in sequentibus persuadet acquisitionem gratiæ, & sanctitatis; & tamen gratia, & sanctitas animæ, per quam creatura induit novum hominem, non identificatur cum ipsa anima: ergò. 2. Illa verba idem significant, ac si diceretur, *expoliantes vos veterem consuetudinem, sive vetustatem peccati.* Eo quòd concretum sumitur pro abstracto, ut multotiès contingit in Sacra Scriptura. Ad 2. Resp. dist. mai. Quod ratione sui est legi disconforme; conc. mai. Quod ratione alterius, neg. mai. Et cum ead. minor. dist. neg. conseq. Solutio de se est satis clara, & argumentum instatur in peccatis actualibus, & personalibus distinctis realitèr ab ipsa substantia animæ rationalis. Ad 2.

Secundus error est Lutheri, 3
Calvini, & aliorum asserentium essentiam peccati originalis consistere in Alius error refutatur. concupiscentia, seu fomite peccati, per quem homo manet inclinatus, & propensus ad inordinatè operandum. Qui error manifestè damnatur à Concilio Tridentino sess. 5. can. 5. *Definiente concupiscentiam, sive inordinationem appetitus, aliarumque virium animæ, eatenùs in Sacra Scriptura dici peccatum; non quia verè, & propriè tale sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Quod ulter. suadetur. De fide est *in renatis per baptismum nihil damnationis manere in ipsis,* ut asserit expresè Paul. ad Rom. 8. Atqui in renatis remanet concupiscentia, vel fomes peccati, relinquiturque ad

ago-

agonem, & certamen : ergò in tali concupiscentia nequit culpa originalis consistere

4 Sed contra objiciunt hæretici. 1. Nàm quod subterfugit causalitatem Dei est verè peccatũ, iuxta illud Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, id est, *peccatum*, ut exponit Div. August. sed huiusmodi est concupiscentia ; Tùm quia provenit ex peccato ; Tum quia aliàs Deus inclinaret ad peccandum ; siquidem concupiscentia ad peccatum inclinat: quod de Deo dici nequit: ergò concupiscentia est formaliter peccatum. 2. Quidquid odio habetur à Deo, est peccatum, & malum morale ; sed talis est concupiscentia, Tùm quia sic docet D. Aug. ad illud Psalm. 35. *Malitiam autem non odivit.* Tùm quia id, quod odio habetur à iustis, potiori ratione odio habetur à Deo. Sed huiusmodi est concupiscentia, ut patet ex illo Pauli ad Roman. 7. *Quod odi malum, illud facio* : ergò. 3. Id, quod repugnat legi mentis, sive legi divinæ, peccatum est, ut constat ex illius definitione. Sed huiusmodi est concupiscentia iuxta Div. Paulum ad Rom. 7. illis verbis : *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* : ergo. 4. Nàm concupiscentia pluribus locis Sacræ Scripturæ, præsertim in Epistolis Div. Pauli, appellatur peccatum, & à D. August. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. *Dicitur esse effectum peccati, causam peccati, & ipsum peccatum* ; & quòd magis est Div. Thom. hic quæst. 81. art. 3. asserit in solutione ad 2. *Peccatum originale per baptismum auferri reatu, remanere tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem.* Sed peccatum originale, ut actu tale, dicit formaliter rationem culpæ, & mali moralis : ergò concupiscentia expectat ad constitutionem peccati originalis.

Dices 1.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

5 Resp. negando maiorem universaliter acceptam. Habitus enim vitiosus formaliter qua talis, & similiter potentia peccandi in voluntate, quoad rationem defectibilitatis, non causatur à Deo ut causa propriè, & per se, & tamen non sunt peccatum. Similiter error purè speculativus, & fictio entis rationis à Deo non causantur : in quibus tamen nulla reperitur ratio peccati. Ut igitur concupiscentia formaliter sumpta, hoc est, pro inordinatione virium animæ, non causetur à Deo, sufficit esse inclinativè, aut causaliter malam moraliter. Ad 2. constat ex dictis. Nàm habitus vitiosus formaliter qua talis etiam displicet Deo, cui solum rectitudo physica, aut moralis, placere possunt. Unde sicuti ad talem displicentiam sufficit habitum vitiosum esse malum moraliter ; inclinativè, & causaliter ; ita dicendam de concupiscentia formaliter accepta. Advertendum tamen huiusmodi odium non esse simpliciter dictum per modum inimicitiæ, aut deputationis ad pœnam æternam, sed solum secundum quid, & per modum simplicis displicentiæ, ut sic non opponamur Concilio Tridentino sess. 5. can. 5. asserente : *Deum in renatis per baptismum nihil odio habere.* Advertendum etiam, quod Paulus in testimonio relato non intelligit concupiscentiam habitualem per illa verba : *Odi malum*, sed motus inordinatos concupiscentiæ. De quibus dub. ult.

Ad 1. Resp.

Arg. 2.

6 Ad 3. Resp. negando maior. Sufficit enim ad talem repugnantiam inclinare ad peccatum : sicuti etiam habitus vitiosus dicitur repugnare legi mentis ob similem inclinationem ad peccandum. Unde claritatis gratia dist. mai. Quod repugnat directè, & ratione sui, conc. mai. Indirectè, & ratione alterius, neg. maior. Lex enim, sicuti solum præcipit directè elicientiam actuum, ita solùm directè prohibet eorum elicientiam ; cum solum ipsi sint in potestate, & dominio voluntatis. Ad 4. Resp. ex Concilio Tridentino ubi supra dicente : *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Nec inconvenit concedere, Apostolum prædicto loco impropriè accipere peccatum, pro inclinatione,

Ad 3.

scilicèt, ad peccandum. Non inquam inconvenit 1. quia ipse Apost. 2. ad Corinth. 5. illis verbis: *Eum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit*; impropriè accipit nomen peccati, scilicèt, hostiam pro peccato. Secundo. Nàm similis acceptio habetur Osseæ 4. in illis verbis: *Peccata populi comedent Sacerdotes*, id est, *hostias pro peccato*. 3. Quia cum ipse Apost. ex una parte asserat, nihil damnationis manere in renatis per baptismum, & ex alia, iuxta ipsum; maneat lex concupiscentiæ, cogimur interpretari ipsum de acceptione peccati non in proprio, sed in improprio sensu.

7 Ad 4. ex M.P.

Ad authoritatem Div. Augustin. Resp. Quod cum iuxta doctrinam D. Thom. locis infra referendis, peccatum originale sit materialitèr concupiscentia, & formalitèr defectus iustitiæ originalis; prædicta concupiscentia dupliciter potest considerari, scilicèt, vel putè materialitèr, vel ut formalitèr, & suo modo actu denominatur à defectu originalis iustitiæ. Quæ duplex acceptio communis est cuilibet subiecto, sive materiali alicuius formæ. Quando igitur Div. August. appellat concupiscentiam nedùm effectum peccati, & causam peccati, sed etiam peccatum, loquitur de illa, ut subest, & ut formalizatur à defectu, vel privatione iustitiæ originalis, non vero de illa in se, & secundùm sibi intrinseca considerata. Ex qua explicatione facilè percipitur; cur iuxta ipsum concupiscentia ante baptismum tenet hominem reum, per baptismum vero remittitur? Percipitur inquam: Nàm ante baptismum concupiscentia formalizatur, & actu subest peccato originali; secùs vero post baptismum: quapropter per eandem gratiam, per quam destruitur culpa originalis, desinit etiam esse concupiscentia in esse actu subsistantis, & denominatæ à culpa originali. Sicuti quia actio externa denominatur bona, vel mala moraliter ab actu voluntatis illam imperante, dùm desinit actus voluntatis esse bonus, vel malus moraliter, pariter actio externa (etsi entitativè eadem perseveret) desinit esse quoad denominationem bona, vel mala moraliter.

Ad testimon. Div. Thom. (de quo videri possunt Cayetanus, Ferrariensis 4. contra Gent. cap. 52. & Alij) Resp. Ex illo nihil concludi contra dicta; non enim dixit Sanct. Doct. absolutè *in renatis manere peccatum originale actu*, sed cum hac restrictione, scilicèt, *manere actu quantum ad fomitem*. Ad cuius veritatem sufficit, quod actu in renatis maneat fomes proveniens ex peccato originali, & ut quid materialitèr se habens respectu illius. Ex quo inferes, illam particulam, sive potiùs complexam dictionem, scilicèt, *actu quantum ad fomitem* alienare *hoc nomen peccatum originale*, accipiendo illud non pro eo, quod propriè, & constitutivè significat, sed pro illo, quod tantùm materialitèr, & ex consequenti importat. 8 Ad testim. S.D.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum originale posterorum non identificatur, nec consistit in peccato actuali Adami, proùt ab illo denominantur extrinsecè peccatores.

ITa communitèr Theologi contra Albertum Pighium controversia 1. de peccato originali, & Ambrosium Catharinum opusc. de casu primi hominis, & in libello, cuius titulus est: *Summa doctrinæ ad Sacros Theologos de peccato originali in §.* 3. quorum opinionem quamplurimi existimant, nedùm, ut apertè falsam, sed etiam ut erroneam, vel sapientem hæresim Pelagianam. Quidquid sit de prædictis censuris, conclusio clarè deducitur ex testim. Sacræ Script. & Conc. sæpè affirmantis peccatum originale *transfundi in posteros, eisque in esse, & insuper, unicuique posterorum esse proprium*: quæ quidem loquutiones, nisi in sensu improprio accipiantur (quod non licet DD. Catholicis) clarè significant posteros constitui peccatores, filios iræ, Deoque invisos, non per denominationem 9 Prob. ex Sac. Scrip.

purè

puræ extrinsecam, sed per aliquid ipsis intrinsecum.

Omnia prædicta testimonia compendiosè habentur in Concilio Tridentino sess. 4. can. 3. illis verbis: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfussam, omnibus inest unicuique proprium &c.* Et Can. 2. *Si quis dixerit Adamum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corp. tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, quod est mors animæ, anathema sit.* Sed si posteri tantum denominarentur extrinsecè peccatores à peccato actuali Adami, non verificaretur cum proprietate peccatum illius fuisse tranfussum ad posteros; nec similitèr esset verum dicere: unicuique posterorum in esse proprium peccatum: ergò fatendum eos denominari peccatores per aliquid ipsis intrinsecum. Deindè: Nam iuxta verba Concilij immediatè relata: eodem modo Adamus peccando transfundit morrem corporalem in posteros, ac peccatum, quod est mors animæ; sed mors corporalis, quam intulit Adamus per peccatum, est unicuique posterorum propria, & intrinseca: ergò pariter dicendum de peccato.

10 Prob. ex Trid.

Hoc argumentum desumitur ex illo Pauli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Si ergò introitus mortis non est extrinsecus, sed intrinsecus generi humano, idem dicendum de introitu peccati. Idem assumptum prob. ex illis verbis eiusdem Apost. in eodem cap. *Sicut per inobedientiam unius constituti sunt multi peccatores; ita per unius obedientiam iusti constituuntur multi.* Et rursùs: *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes iustificabuntur.* Sed asserere homines iustificari per obedientiam, & iustitiam Christi, ut illos extrinsecè afficientem, & per solam eius imputationem, est manifestus error in fide damnatus à Concilio Trid. sess. 6. cap. 7. ergò &c. Quod confirmari potest sequenti consideratione. Quia iuxta Tridentin. sess. 6. cap. 7. *Homo iustificatur per charitatem Dei diffussam per Spiritum Sanct. Scilicet, in cordibus nostris, eisque inest, sive inhæret;* probat ipsum Concil. & cum eo omnes DD. Catholici: iustificationem impij non fieri per formam extrinsecam ipsis, sed per aliquid donum eis intrinsecum; sed iuxta Concilium Tridentinum ubi supra, homines constituuntur peccatores per aliquid transfussum ex peccato Adami, eisque inhærens; ergò ob eandem rationem affirmari debet peccatum originale posterorum non consistere in aliquo extrinsecè denominante eos peccatores.

11 Robor. ex Apost.

Sed contra dicta objicit 1. Catharinus. Id, per quod constituitur parvulus peccator, est peccatum originale; sed parvulus constituitur peccator per aliquid ipsi extrinsecum: ergò peccatum originale consistit in aliquo extrinsecè denominante parvulos. Probat. min. Inobedientia actualis Adami fuit extrinseca parvulis; sed parvuli constituuntur peccatores per talem inobedientiam iuxta Paulum ad Rom. 5. ergò. Confirm. Solum peccato actuali Adami convenit ratio propria peccati; sed parvuli denominantur peccatores à peccato actuali Adami: ergò cum hoc fuerit eis extrinsecum, in aliquo extrinseco consistente debet esse peccati originalis. Prob. mai. Ratio propria peccati consistit in transgressione voluntaria legis divinæ, ut constat ex definitione Augustin. communitèr acceptata à Theolog. Sed transgressio voluntaria legis divinæ solum cum proprietate convenit peccato actuali Adami: ergò. Denique. Peccatum actuale Adami fuit in aliquo vero sensu iuxta PP. Ecclesiæ peccatum posterorum; sed unusquisque constituitur peccator per peccatum, quod est suum: ergò posteri constituuntur peccatores per peccatum actuale Adami. Sed constituuntur formalitèr peccatores per peccatum originale: ergò hoc consistit in peccato actuali Adami, ut extrinsecè denominante posteros.

12 Motivum Catharini. Confirm. Ultimo.

Resp. distinguendo min. Per aliquod extrinsecum in genere causæ formalis, neg. min. In genere causæ effectivæ, conc. min. Inobedientia enim Adami fuit causa effectiva peccati

13 Ad prim. Resp. 1.

cati originalis, non vero causa formalis. Quin huic doctrinæ obstet authoritas D. Pauli ad Rom. Nàm sicuti iuxta ipsum *per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi; ita per obedientiam Christi iusti constituuntur multi.* Atqui per obedientiam Christi non constituuntur multi formaliter iusti, sed solum effectivè: ergò ly *per inobedientiam unius* non denotat causam formalem in iustitiæ parvulorum, sed solum effectivam. Si dicas: hoc verbum *constituo*, si propriè accipiatur, denotare causam formalem, & non purè effectivam. Resp. 1. negando añs. ut constat ex illis verbis eiusdem Apost. *Per unius obedientiam iusti constituuntur multi.*

Resp. 1. Resp. 2. Quidquid sit de acceptione illius *verbi* in sensu metaphysico, & scholastico; secùs tamen iuxta frasim Scripturæ, aut PP. Sic enim acceptum significat idem, ac *facere, decernere*, & *stabilire*, ut constat ex illo Psalmi: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, & iterum: *Constituisti eum super opera manum tuarum*, & illud: *Nec enim odiens aliquid fecisti, aut constituisti.*

Ad Confirm. Resp. neg. mai.

14 Quidquid enim reddit hominem iniustum, & Deo invisum, dignumque pœna æterna, est verè, & propriè

Ad cõfir. peccatum; etsi non consistat in operatione, sed in aliquo per modum termini ex tali operatione derelicti. Nàm quemadmodùm iustitia dicitur, tùm de operatione, tùm de principio existenti in homine; ita discurrendum de iniustitia, sive iniquitate. Unde definitio illa tradita à Div. August. communiter accipitur à Theolog. de peccato actuali; quamvis suo modo accõmodari possit peccato habituali, quod etiam est voluntaria transgressio legis terminativè, & ex consequenti; quãvis non directè, & per modum actus.

Ad ult. Ad ult. Resp. Parvulos constitui peccatores per illud peccatum, quod est cum proprietate peccatum eorum, & per quod in ipsos transfunditur peccatum primi Parentis; quæ transfusio non subsistit, nisi ex illo aliquid deriverur ad posteros. Quapropter licèt etiam peccatum actuale Adami fuerit peccatum illorum, pròut erant in capite; non verò pròut existũt in se ipsis. Vel potest dici, quòd sicuti Christus dicitur à Div. Paulo sanctificatio, & iustificatio nostra; quia in *nobis* causat iustitiam, & sanctitatem; ob similem rationem peccatum primi Parentis dicitur etiam peccatum parvulorum; quia, scilicèt, fuit causa, & principium, ex quo ortum duxit culpa originalis eis intrinsecè inhærens.

§. III.

Proponitur modus frequens inter aliquos Recentiores circa constitutivum peccati originalis, & reijcitur.

ALiqui RR. videntes ex peccato actuali Adami nihil intrinsecum physicè, & realiter derivari ad eius posteros præter mortem &c. nisi concupiscentiæ, fomitem, & inordinationem aliarum virium animæ; & insuper privationem gratiæ sanctificantis; quæ omnia iuxta eorum existimationem longè exulant à constitutione peccati originalis quòad formale, & essentiale illius; eo quòd fomes concupiscentiæ remanet in renatis per gratiam; in quibus destruitur, & tollitur quidquid habet veram, & propriam rationem culpæ originalis iuxta Concilium Tridentinum: & aliunde privatio iustitiæ originalis est propriè pœna peccati originalis iuxta doctrinam D. Thom. coguntur asserere peccatum originale parvulorum esse idem peccatum, quod ipsi commisserunt in Adamo, & cum Adamo, ut in ipsis moralitèr perseverans, sive, ut à Deo eis non remissum. Nàm sicuti homo ex peccato præterito, quod physicè commisit verè, & propriè manet moralitèr peccator, quia actus præteritus non condonatus perseverat moralitèr per modum habitus; per quem homo est dignus odio Dei, & pœna æterna; sic omnes posteri Adæ ex peccato actuali, quod non solum in ipso, sed etiam cum ipso moralitèr commisere, manent propriè, & formaliter verè peccatores Deo invisi, pœnaque æterna digni.

15 Illorum sententia

Ex

16 Illatio ex dictis.

Ex quo modo dicendi colligitur iuxta ipsos peccatum actuale, & habituale non distingui realitèr, tanquàm res à re, sed solũ penès diversos status eiusdem peccati, ita ut peccatum, quod ut primò egrediens à voluntate, dicitur actuale; ut moralitèr perseverans, dicitur habituale, sive macula ex peccato præterito relicta. Hæc autem perseverantia moralis consistit in eo, quod peccatum actuale præteritum non sit à Deo remissum, tàm per condonationem purè extrinsecam, ut volunt plures; quàm per aliquod donum intrinsecum, ut de factò contingit in præsenti providentia. Hinc inferunt, & asserunt prędicti AA. peccatum habituale esse quid intrinsecum peccatori, non quidem physicè tale; cùm actus peccati physicè transierit; benè tamèn moralitèr eò, quod ita se habet ad denominandum hominem aversum à Deo ut fine ultimo, dignumque eius odio, àc si physicè existeret: Nàm sicuti, qui Regem offendit aliquo actu rebellionis, post actum adhuc censetur rebellis, hostis, reus, iræque, & vindictæ Regis subiectus, donèc Rex illi condonet; ita postquàm aliquis offendit Deum, censetur moralitèr aversus à Deo, & reus coràm illo, iræque Dei obnoxius, & pœna dignus, donèc talis offensa ei condonetur.

17 Discrimẽ notandũ.

Sed quia hic modus dicendi primo aspectu videtur coincidere cum modo dicendi Alberti Phigij, & Catharini asserentium posteros Adæ denominari peccatores per ipsum peccatum actuale Adami, & non per aliquid intrinsecum ex illo derivatum ab eoquè realitèr distinctum: ideò conantur adstruere discrimen inter unum, & alterum modum dicendi, vi cuius unus nequeat absque præiudicio Fidei Catholicæ defendi; secùs vero alter; imò potiùs cum maxima probabilitate. Albertus enim, & Catharinus asserebant posteros Adæ constitui, denominarique peccatores imputatione quadam, & extrinseca denominatione ex peccato primi Parentis proveniente: ex quo manifestè concedebant nihil intrinsecum dari in parvulis, quod veram, & propriam rationem peccati haberet. Prædicti vero AA. etsi conveniant cum primo modo dicendi in eo, quod nullam aliam causam formalem realitèr distinctam à peccato Adami assignent, per quam parvuli constituantur peccatores, & iniusti coram Deo; asserunt tamen huiusmodi peccatum, ut fuit ab ipsis moralitèr commissum, esse eis intrinsecum moralitèr, eisque intrinsecè inhærere. Ob quam rationem verificatur doctrina Concil. Tridentin. asserentis peccatum Adami propagatione transfundi in omnes posteros, eosque dùm producuntur in rerum natura, contrahere, nedùm pœnas peccati originalis, sed etiam ipsam culpam originalem.

18 Sententię.

Ita Cardin. de Lugo Tract. de Incarnatione disp. 9. sect. 3. Granados 1.2. Trac. 8. disp. 3. sect. 1. Oviedo Tract. 6. de Peccatis controv. 9. punct. 9. ubi plures in sui favorem adducit Doct. Marin disp. 7. de Peccatis. Sed oppositum huius communitèr tenent Thomistæ, quibus adhæret P. Vazquez, & Alij infra referendi, qui peccatum originale in privatione gratiæ, sive iustitiæ originalis consistere affirmant. Contra hunc igitur modum dicendi plura satis efficacia adduci poterant; Tùm ex Div. Thom. Tùm ex SS. PP. quibus probatur peccatum habituale personale non consistere in peccato actuali præterito à Deo non condonato, sed in aliquo positivo morali, vel privativo, per modum termini ex peccato realitèr derelicto; ex quibus manifestè consequitur peccatum originale non posse consistere in peccato Adami, ut commisso à posteris, & in eis moraliter ratione non condonationis à Deo perseveranti. Sed quia de hoc ex professò latè egimus Tomo 2. de Peccatis (quamvis Illust. Godoy, & M. Ferre prædictam difficultatem in præsenti exagitent) ideò pluribus omissis, & ad prædictum locum remissis, modum supra recensitum impugnabimus intra terminos peccati originalis.

(*)

§. IV.

§. IV.

Peccatum originale posterorum non consistit in peccato actuali Adami, ut ab illis moralitèr commisso, & in eis moralitèr perseseveranti.

19 PRæcipuum fundamentum huius conclusionis desumitur ex doctrina Concilij Tridentin. & authoritatibus Sacræ Scriptur: quibus §. 2. opinionem, sive potiùs errorem Alberti, & Catharini, reiecimus, quorum præcipuum fundamentum erat non agnoscere in posteris aliquid intrinsecum realitèr distinctum à peccato Adæ, per quod constituerentur peccatores; in quo quidem reipsa conveniunt prædicti Recentiores nihil malitię ex parte obiecti superaddēdo; sed solum quòad æstimationem, scilicèt, peccatum originale consistere in peccato capitali Adami, ut inhærenti moraliter parvulis, hoc est, secundùm prudentum existimationem; quatenùs eos denominat peccatores; dignosque pœna æterna; perindè ac si physicè ipsis inhæreret. Quam quidem denominationem intrinsecam moralem iuxta prudentum iudicium non constat certò, nec ex assertis colligitur, negatam fuisse ab Alberto, & Catharino. Unde sequitur hanc propositionem Catharini, scilicèt, *peccatum originale consistit in peccato actuali Adami, ut denominanti eius posteros peccatores* censuratam, ut erroneam à pluribus DD. Catholicis (ideòque aboleri iussa est in indice Expurgatorio, verbo *Ambrosius Catharinus*) solum cum hac additione, scilicèt, *peccatum originale posterorum est ipsum peccatum actuale Adami, ut eos denominans peccatores intrinsecè moraliter*, hoc est, *per ordinem ad prudentum existimationem, & quòad aquivalentiam*, non esse ullo modo, aut ulla nota dignam, sed potiùs sententiam magna probabilitate gaudentem.

Prob. 1.

20 Quòdsi dicatur opinionem Alberti, & Catharini censurari ut erroneam, non præcisè, quia asserebant peccatum originale parvulorum esse peccatum primi Parentis, quo constituuntur formaliter peccatores, sed quia asserebant ex peccato Adæ nihil derivari intrinsecum ad posteros, quod haberet veram rationem culpæ, sed tantum derivari in eos mortem corporalem, privationem iustitiæ, aliasque pœnas peccati. Si hoc inquam dicatur, obstat: Nàm ex hoc tantùm sequitur, quòd opinio Catharini, & Alberti, quantùm ad aliqua, quæ in vi consequentiæ ad suam doctrinam, coacti sunt concedere, meritò censuretur ut erronea; secùs tamèn quòad assertum principale, quod his terminis concludebatur: *Peccatum originale parvulorum non est aliud, quàm peccatum primi Parentis, quo ipse primùm, deindè omnes eius posteri peccatores constituti sunt; quare non est opus peccatum hoc in plura dicidi, ut singulis singula conveniant, sed uno, & eodem omnes peccatores constitui.* * Quod quidem assertum eisdem terminis videtur tradi ab aliquibus AA.

Si dicatur

Contr. est

* Ita refert P. Vazq. disp. 132. n. 6. sententiam Albert. & Catharin.

Sed ab omni censura libentèr abstinendo ob Authorit. tantorum DD. prob. 1. conclusio. ex Concilio Trident. sess. 5. can. 3. illis verbis: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione transfusum omnibus ineft &c.* ex quibus sic argumentor. Peccatum originale iuxta doctrinam Concil. consistit in eo, quod per generationem, & propagationem trasfunditur in posteros; sed hoc nequit convenire peccato actuali Adami, prout etiam fuit moraliter commissum à posteris: ergò. Prob. min. 1. Id, quod verè, & cum omni proprietate, realitèr non existit, nequit dici cum proprietate transfundi generatione, & propagatione in posteros; sed peccatum capitale Adami, ut etiam fuit moralitèr commissum à posteris, verè, & cum omni proprietate realitèr non existit; sed tunc extitit, & transijt de esse ad non esse: ergò. 2. Id, quod essentialitèr dicit esse actionem elicitam, & receptam in voluntate unius hominis, nequit realitèr cum proprietate transfundi in alios homines media generatione, & propagatione naturæ ipsorum; sed peccatum actuale Adami, etiam sub ratione capitalis, fuit huiusmodi; cum solus Adamus ut caput peccaverit: ergò.

21 Prob. ex Trident.

Con-

Confirm. Hæc conſeq. eſt infallibilis iuxta doctrinam Conc. Trid. *Homines iuſtificantur per charitatem Dei diffuſſam, & inhærentem cordibus noſtris per Spiritum Sanctum: ergò id, quo homines conſtituuntur formaliter iuſti, non eſt realitèr ipſe Spiritus Sanctus, ſed donum aliquod ab ipſo realitèr diſtinctum, & effectivè cauſatum:* ergò ſimiliter hæc conſequentia habenda eſt, & infallibilis: *Parvuli conſtituuntur peccatores per peccatum originale transfuſſum ad ipſos, eiſque inhærens per peccatum inobedientiæ in Adamo: ergò non conſtituuntur formaliter peccatores per ipſum peccatum actuale Adami, ſed per aliquid realitèr ab illo diſtinctum, & ab ipſo realitèr effectivè cauſatum.* Urgetur hoc. Iuxta Concil. Trident. ſeſſ. 5. canon. 2. *Adamus inquinatus per inobedientiæ peccatum, nedum mortem, & pœnas corporis, ſed etiam peccatum, in omne genus humanum transfundit.* Sed hoc nequit ſubſiſtere, ſi cum proprietate loquatur, abſque reali, & phyſica diſtinctione inter peccatum Adæ, & peccatum originale: ergò. Prob. min. Peccatum originale eſſe activè transfuſſum ab Adamo per inobedientiæ peccatum, eſt huiuſmodi peccatum eſſe actionem transfuſsivam, & peccatum originale eſſe terminum talis actionis transfuſsivæ; ſed actio realis, & terminus illius realitèr differunt inter ſe: ergò. Vel aliter. Benè valet: *Deus per dilectionem ſuæ voluntatis diffundit, & communicat nobis iuſtitiam, & ſanctitatem: ergò iuſtitia, & ſanctitas eſt donum realitèr diſtinctum ab actu dilectionit divinæ*: ergò ſimiliter benè valet: *Peccatum originale transfunditur ab Adamo per inobedientiæ peccatum: ergò eſt realitèr diſtinctum ab illo, tanquam effectus à cauſa.*

22

Confirm.

Urgetur.

Secundo prob. concluſio ex alijs verbis Concilij Trident. ubi ſupra, aſſerentis, *unicuique hominum in eſſe proprium peccatum originale.* Tùm ſic; ſed hoc ipſo nequit conſiſtere in peccato actuali Adami, ut moraliter commiſſo à poſteris, & in eis moraliter perſeueranti: ergò. Prob. min. 1. Unicuique poſterorum Adami in eſſe proprium peccatum originale eſt unumquemque habere in ſe peccatum originale diſtinctum à peccato alterius; ſed peccatum actuale Adami (quod etiam ipſi poſteri moraliter commiſerunt) non poteſt dividi in plura peccata, ſed fuit unicum tantum: ergò. 2. Hæc propoſitio tradita ab Ambrosio Catharino, ſcilicèt, *non ineſt unicuique ſuum peculiare originale peccatum*, iuſſa eſt aboleri in eius ſcriptis per Tribunal Sanctæ Inquiſitionis, ut conſtat ex Indice Expurgatorio: ergò contradictoria illius tenenda eſt. Sed idem eſt unicuique inhærere ſuum peculiare originale peccatum, ac diſtinctum originale peccatum: ergò talis diſtinctio peccati originali in uno, & in alio homine, tenenda eſt. Sed ſi omnes poſteri conſtituuntur formaliter peccatores per illudmet peccatum, quod Adamus commiſit, & ipſi in Adamo commiſerunt, nequit verificari unicuique poſterorum in eſſe diſtinctum, & peculiare peccatum originale, ut ex dictis conſtat: ergò. Ex quibus inferes prædictos Recentiores debere concedere hanc propoſitionem ab Alberto, & Catharino prolatam, quam in præſenti refert P. Vazquez, ſcilicèt, *non oportet peccatum originale in plura dividi, ut ſingulis hominibus ſingula conveniant, ſed uno, eodemque peccato omnes conſtituuntur peccatores.* Tenentur inquam concedere, imò eſt illorum expreſſa ſententia.

23

Aliter prob. ex eodem Trid.

Adeſt tamen diverſitas ſupra dicta.

Hinc audiendus non eſt P. Oviedo, qui ubi ſupra num. 71. aſſerit, *peccatum originale eſſe idem numero in omnibus hominibus, addens hoc aſſertum eſſe omnium Theologorum ſententiam.* Audiendus inquam non eſt, utpotè meo videri pugnans, tùm cum doctrina Concilij Tridentin. aſſerentis, *unicuique in eſſe proprium peccatum*, tum cum decreto Sanctæ Inquiſitionis affirmantis, *unicuique in eſſe peculiare originale peccatum.* Quomodo enim in unoquoque ineſt proprium, & peculiare peccatum, ſi omnibus ineſt unum, & idem numero peccatum originale? ut ex ipſa ſignificatione terminorum conſtat. Quomodo enim poteſt dici Petrum v. g. conſtitui peccatorem per culpam originalem peculiarem, & propriam ſui, conſtituitur peccator per id ipſum, quod

24

Quædam dost. reijcitur in vi conſeq.

quod est culpa originalis omnium aliorum hominum? Qua ratione existimo propositionem P. Oviedo non posse proferri in sensu absoluto, sed debere aliqua explicatione manu teneri.

25 Sed non licet omittere prædictum A. in sui favorem citare Ang. Præceptorem 2. 2. q. 88. a. 2. Sed quam falso nemo est, qui dubitare possit legendo eius scripta! Ibi enim oppositum expressè affirmat per hæc verba: *Et ideò peccatum originale est unum specie, & in uno homine non potest esse, nisi unum numero. In diversis autem hominibus est unum specie, diversum autem numero.* Similia habet in 2. dist. 33. q. 1. a. 3. & ad Rom. 4. lect. 1. litt. C. & alibi iuxta tabulam auream, verbo *Peccatum*, num. 300. Ex quibus facilè colliges, qua soliditate gaudeat id, quod prædictus A. addit, scilicèt, *talem unitatem numericam tueri à pluribus Theologis*; cum oppositum expressè doceant præter Thomist. primi Societ. Suarez, Vazquez, & Bellarmin. lib. 5. de amissione gratiæ cap. 16. asserens opinionem Alberti, & Catharini damnatam fuisse in Concilio Tridentino propter unitatem numericam peccati originalis, quam adstruebant in omnibus posteris.

Occurrit. eius motivo.

26 Si autem quæras: *Unde probetur, & tenenda sit tanquam quid certum, distinctio numerica peccati originalis in unoquoque posterorum?* Resp. à D. Thom. probari ubi supra, ex diversitate subiecti, in quo recipitur peccatum originale; illud enim sive positivum reale sit, sive privativum intrinsece inhærens, recipit unitatem, & diversitatem numericam ex subiecto, in quo recipitur. Ulteriùs probatur ex eo, quod iuxta Concilium Tridentinum *unicuique inest proprium peccatum originale, contrahitque propriam iniustitiam.* Unde quemadmodum, quia quilibet homo iuxta idem Concilium iustificatur per iustitiam suam, & recipiendo sibi propriam; inferunt DD. Catholici iustitiam unius hominis esse realitèr distinctam à iustitia alterius; imò & unicuique realitèr physicè inhærentem; ita dicendum in præsenti. Deniquè suadetur hoc ipsum à P. Suarez disp. 9. de peccatis sect. 2. num. 2. Ex illo ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, sed mors ita intravit in hunc mundum, ut unicuique sit propria, & in unoquoque realitèr distincta: ergò.

Cuidam quæsito sit satis.

Ulteriùs, & principaliter: 27 Nàm iuxta Concilium Tridentinum *peccatum originale, etsi sit unum origine, est tamen propagatione in omnes transfusum, omnibusq; hominibus inhærens.* Quod est idem, ac asserere * peccatum originale afficiens omnes posteros fuisse unum in sui causa, & origine, scilicèt, in peccato actuali Adami; in se autem multiplex per transfusionem, & inhærentiam in pluribus. * Unde etsi primo aspectu videatur Concilium post illa verba, *origine unum*, debere postea superaddere *in se autem multiplex*, sive *diversum*; consulto tamen meo videri, *addidit propagatione transfussum omnibus inhærens, & unicuique proprium*; ut his verbis maiori energia exprimeret; tum realem multiplicationem, & diversitatem peccati originalis, tùm causam huius diversitatis; tùm diversitatem attenta natura, & proprietate peccati originalis. Diversitatem quidem in illis verbis: *Transfussum in omnes, & omnibus inhærens; ita ut unicuique insit proprium*, hoc est, *peculiare peccatū originale*: Causam huius diversitatis in eisdem verbis; quod enim ita omnibus inest, ut sit unicuique proprium, nequit esse commune absque reali divisione, & per unitatem simplicitatis, ut constat in Deitate communi tribus personis. Et tandem designavit diversitatem propriam peccati originalis in esse talis; dùm eam descripsit fieri per transfusionem, & propagationem, sive generationem; per quod differt à peccato personali: quod solum ab unoquoque propria voluntate contrahitur.

Aliter impugnatur

28 Hoc fundamentum malè torquet Adversus. & ad illud variè conantur respondere. Cardinalis de Lugo asserit, quod licèt peccatum originale Petri v. g. sit physicè idem cum peccato Adæ, & etiam cum peccato originali Pauli, est tamen moraliter diversum, quatenùs ita se habet in ordine ad maculandum, & denomi-

Quædam solutio.

nan-

nandum peccatores, ac si essent distincta peccata. Sed hæc doctrina meo videri facilè reijcitur. 1. Nàm nequit accomodari in vero sensu testimonijs D. Thom. sup. adductis; ubi, etsi inter peccatum originale unius hominis, & peccatum originale alterius, adstruat unitatem specificam, expressè fatetur diversitatem numericam, desumptam ex diversitate subiecti; idque confirmat exemplo infirmitatis, quæ in quolibet homine distincta est realitèr ab infirmitate alterius. Dicere autem D. Thom. loquutum fuisse in sensu morali, & per æquivalentiam est eius mentem non sincerè exponere.

29 Secundo. Contra 2. Nàm illa propositio conditionalis, scilicèt, *ac si essent distincta peccata*, significat idem in re ac: *non sunt distincta peccata*; sed *æstimantur, ac si essent distincta*: ergo à parte rei, & cum proprietate loquendo *nõ ineſt unicuique proprium, & peculiare peccatum originale.* Cur ergo censuratur propositio Catharini; si loquendo de tali peccato iuxta id, quod habet in re, & præcisſa æstimatione prudentum de ly *perinde* est vera? Sed quid dicendum de Ansel. qui totus est capite 25. de Conceptu Virg. in probando esse distincta peccata? De quo infra.

31 Tertio. 3. Nàm ex solutione sequitur propositionem Concilij Tridentini, scilicèt, *unicuique in esse proprium peccatum originale* non esse veram cum proprietate, & absolutè loquendo; cum iuxta illius doctrinam peccatum originale sit reverà loquendo commune, & absque reali divisione in omnibus hominibus; & solum proprium quòad æquivalentiam; & existimationem prudentum. Quemadmodum etsi *triticum* v. g. æstimetur, ut *aurum; & voluntas purè omittens adimpletionem præcepti* prudentèr existimetur, *perinde ac si nollet positivè illud adimplere*; veriùs tamen dicitur, & absolutè profertur; *triticum non esse aurum, & voluntatem purè omittentem omni actu positivo carere*: ergo si

Quarto. &c. 4. Nàm iuxta Concilium peccatum originale posterorum aliter est unum in sui origine, & causa; aliter vero in seipso, & proùt inest omnibus posteris; ut constat ex illis verbis: *Origine unum, & propagatione transfusum, inest omnibus, & unicuique proprium*; sed peccatum originale in sui origine, ita fuit unum numero physice, ut etiam fuerit moralitèr plura peccata: ergò in se ipso est unum tantum specificè, plura vero numericè in sensu physico, & reali. Probat. min. Ideò iuxta Authores peccatum originale Petri, & Pauli sunt moralitèr plura peccata, quia perinde se habet in ordine ad maculandum eos, ac si essent plura; sed peccatum capitale Adami ita se habuit ad denominandum posteros peccantes in Adamo; ac si unusquisque propria voluntate illud commisisset: ergò.

30 Roborantur hæc omnia sequenti consideratione. Peccata illa, quæ quòad rationem culpæ, & maculæ verè, & propriè in sensu reali separantur; sunt verè, & cum omni proprietate, distincta realitèr in ratione peccati; sed sic se habent peccatum actuale Adami, & peccatum originale Petri v. g. & Pauli: ergò peccatum originale Petri v. g. distinguitur realiter actu, tùm à peccato Adami; tùm à peccato originali Pauli. Prob. min. Peccatum illud, quòd secundùm rationem culpæ, & maculæ verè, & cum omni proprietate remittitur uni, & alteri proùt sic verè, & realitèr non remittitur, sed manet verè peccator, & maculatus coram Deo; verè, & propriè realitèr separatur ab illo secundùm rationem culpæ, & maculæ: sed peccatum Adæ fuit hoc modo ei à Deo remissum; & potest remitti Petro v. g. peccatum suum originale, quin sit remissum Paulo: ergò. Explic. hoc. Iuxta Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. *Per gratiam collatam Petro v. g. in baptismo realitèr destruitur, quidquid in illo habet veram, & propriam rationem peccati originalis.* Ex quo datur intelligi ut omninò certum, in Paulo v. g. nondùm baptizato, dari veram, & propriam rationem peccati originalis; sed implicat eandem numero culpam realitèr loquendo, & solum diversam, quòad æquivalentiam, & penès prudentum existimationem, destrui, verè, & realitèr in uno subiecto,

Roborantur dicta.

&

& quòad eandem rationem perseverare cum proprietate in alio subiecto: ergò. Hinc infertur iuxta prædictam solutionem dicendum posteros Adæ non constitui peccatores per aliquid eis inhærens, & intrinsecè afficiens, sed tantum imputatione quadam, & denominatione extrinseca ex peccato Adami provenienti; in his enim denominationibus extrinsecis facilè percipitur, cum unitate formæ posse diversa subsstrata ab illa denominari, & realitèr deficere quòad denominationem in uno subiecto, integra quòad sui intrinseca perseverante in alio subiecto eadem forma.

31 Deniquè impugnatur solutio ex relatis verbis Concilij; & alijs sess. 6. cap. 3. *Omnes ex semine Adæ propagati propriam iniustitiam contrahunt. Unicuique inest proprium peccatum originale propagatione transfussum.* Quæ verba exponere de peccato proprio per æquivalentiam, & prudentum existimationem, nec consonat proprietati loquutionis, quam in re tàm gravi observare debet Concilium ad tollendam omnem Hæreticorum tergiversationem; nec congruit cum alijs testimon. Tùm Concilij. Tùm Sacræ Scripturæ; quæ, dùm simili loquutione uruntur, non licet iuxta dictum sensum exponere. Concilium enim Tridentinum sess. 6. cap. 7. asserit: *Unumquemque iustificari per iustitiam suam, sive propriam: eamque in unoquoque recipi secundùm propriam eius dispositionem.* Similitèr Paulus 1. ad Corinth. 3. ait: *Unumquemque propriam mercedem accepturum à Deo*; & similitèr 2. ad Corinth. cap. 5. *Affirmat: omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sive bonum, sive malum.* Et alia huiusmodi. Si ergò in prædictis testimon. ly *proprium* significat diversitatem, non solum quòad æquivalentiam, & penès prudentum existimationem cum unitate numerica in sensu physico, & reali; (quapropter iuxta DD. non esset tutum in fide asserere omnes homines *eadem numero physicè sanctitate iustificari, eademque numero dispositione ad iustitiam præparari, eademque numero gloria beatificari, & pro uno, eodemque numero merito, aut demerito in Tribunali Dei esse iudicandum*;) cùr licebit verba Concilij loquentis de peccato originali, in quibus nobis doctrinalitèr tradit regulam de illius traductione, unitate, & diversitate; exponere de proprietate, & distinctione tantum, quòad æquivalentiam, & penès hominum existimationem?

§. V.

Alia solutio ratione, & Authoritate reijcitur.

SEcundo Resp. Alij, quod quamvis peccatum originale sit physicè unum numero in omnibus secundùm quod dicit in recto, scilicet, actionem Adæ, est tamen physicè diversum, secundùm quod dicit in obliquo: quia in quovis dicit carentiam condonationis, quæ distincta est in uno, & alio. 32

Sed contra est. 1. Nàm iuxta Concilium peccatum illud ea ratione, qua fuit origine unum, & traducitur in omnes per propagationem, inest unicuique tanquam proprium, & peculiare peccatum; sed peccatum Adæ, nec fuit unū origine, nec præcipuè transfussum propagatione in omnes posteros, secundùm id, quod dicit de carentia condonationis, sed secundùm id, quod dicit de iniustitia, & iniquitate: cum posteri sint per propagationem effecti iniusti: ergò nequit dici peculiare, & distinctum in unoquoque &c. Reijcit.

2. Tùnc cum proprietate verificatur dari distincta, & peculiaria peccata, quando dantur distinctæ malitiæ, aut diversæ deformitates; vel si velis: quando dantur diversa subsstrata, pro quibus supponit *hoc nomen peccatum*; sed carentia condonationis non est aliqua malitia, aut deformitas, nec est subiectum, pro quo supponat hoc nomen peccatum: ergò purè ex carentia condonationis factæ uni homini, & non alteri, nō infertur diversitas peccati originalis. Secundo

3. Actus divinæ voluntatis, ut condonans uni peccatum originale, non differt realitèr physicè à seipso, ut condonanti alteri suum peccatum originale, ut est certum. Deindè talis actus voluntatis nullatenùs, nisi per Tertio

fic-

fictionem intellectus, ineſt homini, ut quid peculiare, & diſtinctum in unoquoque; cum identificetur cum ipſo Deo: ergò ex quo Deus poſsit uni, & non alteri condonare peccatum originale, vel ex eo, quod diverſis decretis velit pluribus hominibus peccatum originale condonare, non verificatur illa propoſitio Concilij: *Unicuique ineſt proprium peccatum originale, propagatione transfuſſum*, ſicut nec illa: *Omnes poſteri Adæ propriam iniuſtitiam contrahunt.*

Pro condon. extrinſeca.

4. Si homines conſtituerentur formaliter iuſti per iuſtitiam, & ſanctitatem increatam ex gratuita acceptione Dei eos moraliter afficientem, (ut aſſerebant Hæretici, quos reijcit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7.) falsò, aut impropriè diceretur: *Unicuique inhærere propriam iuſtitiam, & ſanctitatem.* Similiterque; ſi homines iuſtificarentur formaliter per iuſtitiam Chriſti eis moraliter imputatam ex Dei acceptatione; falſum eſſet aſſerere: *Unumquemque conſtitui ſanctum ſanctitate propria, & quam recipit ut ſuam, iuxta uniuſcuiuſque diſpoſitionem, & præparationem*: *qua ratione Concilium Tridentinum, dùm utrumque ex dictis ibidem canon. 10. Damnat, oppoſitum conſequentèr, ut verum definit. Et tamen in prædicta hypotheſi, eſtò daretur unitas ex parte illius, quòd in recto, & per modum formæ iuſtificaret; adeſſet nihilominùs diverſitas ex parte eius, quòd ingrederetur in obliquo; ſcilicèt, actus voluntatis divinæ acceptantis liberè hominem ad gloriam, & potentis alterum non acceptare: ergò ſola diſtinctio ex parte condonationis divinæ; vi cvius poteſt uni peccatum originale remittere, & non alteri; non ſufficit ad ſalvandum unicuique in eſſe peculiare, & proprium peccatum originale; & unumque propriam iniuſtitiam contrahere, dùm concipitur ex ſemine Adæ; ut affirmat Concilium Tridentinum. Idem argumentum fieri poteſt, caſu quò idem numero donum gratiæ habitualis exiſtens phyſicè in uno; adſtrueretur ut forma moraliter alios afficiens, eoſque ex acceptatione divina ſanctificans.

33 Quarto.

* Idem ſi ponatur ut moralit. intrinſeca.

Deniquè, & urgentiùs. Peccatum originale exiſtens in Petro v. g. realiter differt à peccato originali exiſtenti in Paulo, ea ratione qua ab illo realiter ſeparatur, ut eſt certum. Sed peccatum originale in Petro ſecundùm veram rationem culpæ, & maculæ realiter ſeparatur à peccato originali exiſtente in Paulo: ergò talia peccata originalia differunt realiter inter ſe quòad rationem culpæ, & peccati, & non ſolum quòad obliquum condonationis. Prob. min. Id quod ſecundùm propriam rationem peccati, & maculæ verè deſtruitur in Petro, & quòad huiuſmodi rationem perſeverat in Paulo, realiter ſeparatur ſecundùm rationem culpæ à culpa originali exiſtenti in Paulo; ſed per gratiam collatam Petro in baptiſmo, & non collatam Paulo, remittitur, & deſtruitur realiter in Petro peccatum originale ſecundùm rationem propriam peccati, & maculæ; ſecundùm quàm adhùc perſeverat in Paulo: ergò.

34 Ultimo.

Peccatum originale poſterorum diſtingui realiter à peccato Adæ; docet aperte S. Anſelm. cit. n. 29. pro cuius intelligentia advert. S. D. ſic deſcribere Titulum prædicti cap. *Quomodo nullus portet peccatum patris, ſed ſuum.* Ut ex ipſo declaret, & ſolvat motivum Hæreticorum negantium transfuſionem peccati originalis. Quandoquidem omnes, qui non ſalvantur per fidem, quæ eſt in Chriſto, portare videntur iniquitatem, & onus Adæ. Cui reſpondet: *Sed conſideret diligentèr* (ſic obijciens) *quia non portant peccatum Adæ, ſed ſuum. Nàm aliud fuit peccatum Adæ, aliud infantium, quia differunt, ut dictum eſt. Illud fuit cauſa, iſtud eſt effectus. Adam caruit iuſtitia quam ipſe deſeruit. Infantes carent ea, quam non ipſi, ſed alius dereliquit. Non eſt ergò idem peccatum Adæ, & infantium. Quapropter cum damnatur infans pro peccato originali: damnatur non pro peccato Adæ, ſed pro ſuo. Ita ergò non portat iniquitatem Adæ, ſed ſuam: quamvis ideo dicatur portare: quia iniquitas illius, peccati iſtius cauſa fuit.* Ubi tria docet S. Anſelm. 1. peccatum Adæ, & peccatum iuſantium *eſſe aliud*, & *aliud*

35 Prob. ex S. Anſelm

Reſp. obiectioni.

pec-

peccatum. 2. Prædicta peccata se habere inter se *ut causam*, & *effectum.* 3. Diversam esse carentiam iustitiæ (in qua iuxta Anselm. cap. 26. consistit tale peccatum) in Adamo, & in infantibus. Ex quibus infert infantem solum dici causaliter portare iniquitatem Adæ.

36 Ex Div. Thom.

Hæc doctrina eisdem ferè terminis habetur in D. Thom. hic q. 81. art. 1. ubi sic objicit: *Dicitur enim* Ezech. 18. *filius non portabit iniquitatem Patris: portaret autem, si ab eo iniquitatem traheret: ergò nullus trahit ab aliquo parentum aliquod peccatum.* Respondet ad 1. dicendum: *Quod filius dicitur non portare iniquitatem Patris, quia non punitur pro peccato Patris, nisi sit particeps culpæ: & sic est in proposito. Derivatur enim per originem culpa à Patre in filium, sicut & peccatum actuale per imitationem.* Ubi Sanct. Doct. ponit *ita* fieri parvulum participem culpæ Adam, eamque derivari ad ipsum per originem, sicut derivatur peccatum actuale per imitationem ad illum, qui peccando alterum imitatur. At qui huiusmodi derivatio fit per peccatum realiter distinctum, & imit. intrinsecum: ergò similiter &c. Alia plura adducentur infra dub. ultimo.

37 Ex Mag. August.

Favet etiam P. August. lib. 2. de Nupt. cap. 26. dicens: *Voluntarium peccatum primi hominis est causa originalis peccati.* Si autem est causa, absdubiò distinguitur realiter ab illo. Et lib. 1. de peccat. merit. cap. 9. *Sicut ergò ille (scilicèt Christus) in quo omnes vivificabuntur, præter exemplum dat suis fidelibus occultissimam gratiam, sic, & ille, in quo omnes moriuntur, præter imitationis exemplum, occulta etiam tale carnalis concupiscentiæ tabificat in se omnes de sua stirpe venientes.* Ubi Mag. P. confirmat rationem supra adductam pro transfusione peccati originalis per aliquid realiter distinctum à peccato Adami, ex paritate iustitiæ, qua homines dicuntur iustificati, relatè ad iustitiam, & sanctitatem Christi. Hinc percipitur, qua ratione P. Suarez hic cap. 9. de peccat. sect. 2. n. 2. postquam ponit hanc conclus. *Peccatum originale est aliquid à parte rei privativum, vel positivum, intrinsecè inhærens in homine concepto ex Adamo,* subdit. Censeo conclusionem hanc esse de fide. Notentur ly *à parte rei*, & ly *intrinsecè inhærens*, quæ nequeunt verificari de peccato Adami, quod iam transijt in nihilum. Hæc dixi, ut sententia opposita non ita arrideat AA. Societatis.

§. VI.

Annotationes remissivæ pro plena intelligentia dubij.

38 Annot. 1.

QUia Advers. ponunt pro constitutivo peccati originalis, saltim inadæquato, perseverantiam moralem peccati actualis Adami ut ab eis moraliter commissi: Restat eorum opinionem impugnare; probãdo talem perseverantiam non ingredi modo dicto ad peccati originalis constitutionem. Sed quia in huiusmodi probatione procedendum est ex eisdem rationibus, quibus, tùm à priori, tùm ab inconvenientibus, probavimus Tomo 2. tract de *Constitut. peccati habitualis personalis* dub. 3. & 4. Similem perseverantiam actus peccati ad illius constitutionem, nec inadæquate pertinere (quocumque modo explicetur) ideò, nè acta agamus, ad prædictum locum remittimus Lectorem.

39 Secunda

Restabat 2. ultra impugnationem eiusdem opinionis desumptam in præsenti ex identitate peccati originalis cum peccato actuali Adami (quam fusè prosequuti sumus) addere aliam probantẽ universaliter *peccatum actuale esse omninò extra constitutionem peccati, quod appellatur habituale; distingnique ab illo realiter, ut effectus à propria causa. * Sed quia de hoc latè egimus ibid. dub. 2. eodem motivo ad prædictum locum Lectorem remittimus. Quod si ibi posita placuerint, poterit Lector ex his, quæ etiam dub. 3. §. 2. adduximus, probare peccatum actuale (quodlibet illud sit) etiam ut physicè præteritum non constituere inadæquate peccatum habituale personale, vel originale.

40 Tertia

Restabat 3. solvere argumenta probantia ex genere hominem constitui peccatorem, filium iræ, Deoque abo-

abominabilem per modum habitus per ipsummet peccatum actuale, ut moralitèr perseverans in obligatione satisfaciendi Deo pro illo, vel in sui non remissione: quæ quidem facilè accomodari possunt constitutioni peccati originalis, dùm concipitur parvulus; si aliunde supponatur peccatum actuale Adami fuisse moralitèr commissum à suis posteris. Sed quia prædicta argumenta proposita manent ibid. dub. 2. §.12.& 13.ideò pronùnc illa, & eorum solutionem omittimus. Quod si arguens contendat probare peccatum actuale Adami, ut moralitèr commissum à posteris, & in eis moralitèr perseverans, dùm concipiuntur ex Adamo, illos immundos, & maculatos constituere. Pro huius argumenti solutione videri possunt ea, quæ ibid. dub. 7.adduximus probando, tùm authoritate S. D. tùm eius ratione, maculam peccati ut sic, &sub hac expresione*macula originalis,*consistere in privatione gratiæ voluntariè inducta tanquam ex causa ex peccato actuali.

Hinc si,quę opponantur testimonia SS. PP. asserentium Adamum per suum peccatum *maculasse* totam naturamhumanam,*eamque infecisse*,omnesque eius posteros per suum peccatum *reddi iniustos*, *mortuos spiritualitèr*, & alia huiusmodi;exponenda sunt in sensu causali;quatenùs tale peccatum fuit radix, principium, & origo peccati originalis. Quæ doctrina desumitur ex D. Anselm. ex M. P. & Ang.M.supra relatis.Ulteriùsque roborari potest ex Apost. ad Rom. 5. ubi asserit, *quòd sicuti per inobedientiam Adami constituti sunt multi peccatores, ita per obedientiamChristi multi constituentur iusti.* Rursus 1. ad Corinth. 15. *Sicuti in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Cum ergò iustificatio, & vita spiritualis hominum solum sit per obedientiam Christi causalitèr; & unusquisque iustificetur, dono gratiæ intrinsecè in eo receptæ,ab illaque realitèr distinctæ; ita dicendum de infectione, macula, & morte spirituali posterorum, relatè ad peccatum Adæ.

41 Quarta.

42 Quinta.

Quòd si clariùs(insistendo verbis Trid. latè in anteced. ponderatis;) eisdem argumentis,quis occurrere velit, & sine dubio magis solidè; hæc propositio: *Peccatum originale consistit in illo, per quod parvulus redditur iniustus, maculatus &c.* sic debet distingui: *Peccato, macula, iniustitia, vera propagatione, transfusione, & inhæsione*, per quam unusquisque contrahat *proprium*, & *peculiare peccatum*, concedo. Sine his formalitatibus, & rationibus, nego. Tunc enim solum erunt peccatores extrinsecè, non autem verè, & propriè intrinsecè, quod est illos esse formalitèr iniustos.

Quod si arguens recurrat ad inhæsionem, & proprietatem peccati in unoquoque,purè moralitèr talem; ostensum est in antec. hanc non rectè accomodari verbis Concilij; cum illa tantum sit inhæsio penès æquivalentiam; aut prudentum æstimationem; reverà tamen à parte rei nihil intrinsecum apponitur in parvulis. Illud enim peccatum actuale Adami transivit in nihilum; fuitque à Deo quòad omnem malitiam personalem, & capitalē remissum.Hac ratione non percipio quà consequentia P. Oviedo asserat peccatum originale consistere in peccato actuali Adami &c.& aliunde fateatur n. 54. peccatum originale propriè, & intrinsecè in esse posteris. Et hoc esse certum apud omnes Theologos. Nàm inhæsio propriè intrinseca, non est talis solum moralitèr penès æquivalentiam, & iudicium prudens. Rursùs. Quòd reverà, & propriè loquendo transijt in nihilum, & solum in abominatione Dei permanet, quo modo inhæret propriè intrinsecè animæ? Sed de his satis.

43 Ultima.

Et dicta sufficiant de hoc dub. applic. litt. Mag.in 2.d.33. & 34.per tot.

***

DUBIUM II.

AN SINT MOTIVA SPECIALIA, quibus probetur peccatum originale non consistere in aliquo physico, aut purè morali distincto realitèr à peccato Adami?

§. I.

APERITUR SENSUS DUBII, ET ALIQUA NOTANTUR.

N. 1 EX dictis dubio præcedenti constat peccatum originale consistere in aliquo realitèr distincto

Not. 1. à peccato Adami, ita ut hoc se habeat ut causa, illud vero ut effectus. Sed quia hoc realitèr distinctum potest esse positivum, vel privativum: perprius disputavimus de primo, & postea de secundo. Quærimus in titulo dubij: *An sit quid positivum etiam physicum, vel positivum purè morale?* Utrumque enim defenditur à Theologis. Aliqui enim asserunt ex peccato Adami derivari ad posteros quandam qualitatem modalem, & imperfectam, per quam anima ipsorum redditur conversa ad bonum commutabile, & aversa à Deo fine ultimo; in qua conversione, & aversione, macula originalis essentialitèr consistit. Ita Mag. Gregorius Martinez hic quæst. 82. art. 1. dub. 1. Mag. Nuño 3. part. quæst. 86. art. 2. dub. 2. & alij. Illustrissimus vero Godoy in præsenti disp. 36. & M. Zumel quæst. 82. art. 2. dub. annexo, & quæst. 86. disp. unica, tenent peccatum habituale, tàm originale, quàm personale, consistere quoad sui essentiam in quodam termino positivo purè morali realitèr distincto à peccato actuali; vi cuius homo est habitualitèr aversus à Deo, & habitualitèr conversus ad bonum creatum; ad quam quidem conversionem necessariò consequitur privatio gratiæ, tanquam pœna. Quare si tale positivum causetur in peccatore per actum propriæ voluntatis, erit peccatum personale; si vero per actum solius capitis, erit peccatum originale. Oppositū vero utriusque modi dicendi tuentur frequentèr Thomistæ, quorum Catalogum invenies apud PP. Salm. & Mag. Ferre, & ex infra à nobis dicendis constabit.

Sed quia Tom. 2. tractat. de Constitut. peccati habitualis personalis dub. 1. ex professò impugnavimus utrumque modum dicendi supra relatum probando, tùm authoritate D. Thom. tùm varijs rationibus ex ipso deductis, peccatum habituale personale non consistere quòad sui essentiam in aliquo positivo verè tali realiter distincto à peccato actuali; sitque certum destructa tali constitutione non remanere locum, ut peccatum originale in aliquo positivo realitèr distincto à peccato actuali Adami consistat; ut tantisper consideranti doctrinam Sanct. D. ibi adductam patebit: sitque certum; aversionem à Deo, & conversionem ad bonum commutabile ex peccato actuali derelictam, formaliùs, clariùsque apparere in peccato personali, quam in originali; ideò ut dubium præsens inter terminos peccati originalis contineatur, solum inquiritur: An sint aliquæ rationes speciales pro religanda prædicta constitutione; etiamsi rationes dubio relato adductæ, illam efficacissimè suadeant? 2 Secundò.

Motiva ibi proposita in compendium relata sunt. 1. Testimonia D. Thom. expressè asserentia *post actum peccati nihil positivè remanere in ani-* 3 Tertiò.

anima nisi dispositionem, vel habitum; de quibus expresse probat idem S. D. in eis non consistere maculam peccati, sive peccatum habituale. 2. *Non esse assignabilem conversionem positivam habitualem ad bonum commutabile; in qua consistat peccatum habituale.* Ita ibi §. 6. 3. Probatum est (quidquid sit de aversione à Deo ut fine) conversionem ad bonum creatum non posse constituere pro formali peccatum habituale, *eo quod talis conversio iuxta doctrinam D. Thom. se habet de materiali in peccato.* Ita asserit 3. p. q. 89. a. 4. ad 1. & q. 86. a. 5. His omnibus accedit *aversionem à Deo ut fine ultimo repertam, tàm in actu peccati, quàm in peccato habituali ex illo derelictam, nõ posse consistere pro formali in aliquo positivo.* Cumiuxta Ang. Præc. in 2. d. 42. q. 2. a. 2. & q. 2. de Mal. art. 1. ad 4. peccatum ex parte aversionis sit *nihil*, nec *fundamentum propriè*, nec *radicem habeat*; ex qua doctrina infertur repugnare essentiam peccati habitualis coalescere ex positiva formali conversione ad bonum creatum, & positiva, sive contraria, aversione à Deo ut fine ultimo.

4 Quarto.

Hæc, inquam, motiva facillimè possunt adaptari in præsenti pro impugnatione opinionis constituentis peccatum originale per aliquid positivum, arguendo contra modum dicendi M. Gregorij Martinez, sub hac forma. Si peccatum originale formaliter consisteret in aliquo positivo per modum qualitatis modalis, aut imperfectæ, derivatæ ex peccato Adami, pariter constitui debet peccatum personale habituale relatè ad actum proprium peccantis; sed huiusmodi constitutio repugnat, ut ex ibidem dictis constat: ergò. Si autem impugnetur opinio Ill. Godoy, poterit uti hac forma. Si post actum peccati nihil remanet positivè in anima, nisi habitus, vel dispositio ad similem actum; solumque remanet privatio coniunctionis animæ ad divinum lumen; nequit peccatum originale in aliquo positivo verè tali consistere; sed iuxta doctrinam D. Th. ubi supra, res ita se habet: ergò peccatum originale &c. Ulteriùs. Conversio apta ad constitutionem peccati habitualis (quodlibet illud sit) debet esse conversio formalis, & in essendo, & quasi per modum naturæ, & radicis immediatè afficientis animam: secùs autem conversio purè habitualis, & operativa; siquidem talis conversio debet poni, ut directè opposita gratiæ sanctificanti; sed talis conversio repugnat iuxta ibidem adducta §. 6. & sequentibus: ergò.

§. II.

Probatur duplici ratione speciali peccatum originale non posse consistere in aliquo positivo physicè, & verè tali.

5 Prob. 1.

PRima ratio. Peccatum originale consistit formaliter in illo, quod ex peccato Adami, ut causa principali 1. derivatur ad eius posteros; sed hoc nequit esse aliquid physicè positivum per modum dispositionis ei intrinsecè inhærentis: ergò in tali positivo &c. Prob. min. 1. Si peccatum actuale Adami, sive Adamus medio suo peccato, esset causa efficiens principalis talis dispositionis physicæ inhærentis posteris; necessariò haberet illapsum intra animas posterorum; siquidem causa effectiva principalis debet immediatè uniri subiecto, in quo producit suum effectum; sed talis illapsus est repugnans Adamo, & cuilibet creaturæ: ergò repugnat.

1. prob. min.

6 Explicatio.

Explicatur efficacia huius probationis. Esto causa instrumentaliter operans in anima effectum aliquem positivum non petat illapsum; ut constat in Sacramentis causantibus gratiam in anima; secùs tamen causa principalis gratiæ, qualis est Deus. Ob quam rationem probant communiter Thomistæ cum suo Angel. Doct. 1. part. quæst. 106. art. 1. unum Ang. non illuminare alterum per productionem alicuius speciei in intellectu illius; imò nec hoc audent concedere illuminationi, qua Ang. illuminant intellectum humanum: siquidem in tali hypothesi Ang. operaretur, ut causa principalis intra terminos intellectus, proindèque illaberetur animæ. Quæ prærogativa iuxta D. Bern. serm. 5. in Cantic. *Soli summo, & incircumscripto spiritui reservatur*: ergò si peccatum Adami, vel Adamus, ut

peccans esset causa principalis alicuius positivi ; physicè inhærentis animabus parvulorũ, necessariò illaberetur mentibus ipsorum. Ratio omnium est. Nàm omne agens principale physicum debet contingere passum, vel immediatè per se ipsum, vel mediatè per virtutem diffusam, & ab illo derivatam, qualiter Sol contingit physicè effectus, quos in visceribus terræ producit : unde ortum duxit illud Phil. *Movens, & motum oportet esse simùl* : ergò si in animabus parvulorum esset aliqua qualitas physicè derivata ex peccato Adami, ut causa principali, necesse erat concedere ; aut Adamum per se ipsum uniri mentibus parvulorum ; aut media aliqua virtute ab ipso derivata. Sed hoc secundum pariter repugnat, ac primum, cum talis virtus sit etiam creatura : ergò.

7 Secunda. 2. Probat. eadem min. Id, quod provenit, & continetur in peccato Adami, ut causa principali, continetur in semine ab illo propagato ut causa instrum. ita expressè fatentur AA. quos impugnamus ; & ratio hoc evidenter convincit. Nàm cum peccatum Adami physicè transierit, necesse est eius activitatem, & influxum, quem modo exercet, permanere saltim virtualiter in aliquo ex ipso derivato ; aliàs daretur effectus in re existens absque ulla existentia suæ causæ. Tùm sic ; sed nihil positivum per modum qualitatis potest contineri in semine propagato ex Adamo, tanquam in causa instrumentali : ergo. Prob. min. Tale positivum nequit contineri tanquam in causa instrument. in semine secundùm virtutem sibi intrinsecam, & innatam, ut dub. 7. §. 2. probavimus. Deinde nequit contineri in illo ratione alicuius virtutis instrumentariæ derivatæ ex peccato Adami, ut ibid. §. 4. ostendimus : ergò.

8 Duplici instantiæ occurritur. Contrà hanc rationem non militat instantia de causalitate morali, quam supra concessimus peccato Adæ respectu peccati originalis : nec similiter militat instantia, quæ fieri potest iuxta sententiam asserentem peccatum originale consistere in privatione physica gratiæ. Non quidem militat prima ; Nam causa moralis non petit talem illapsum, ut constat in Christo Domino merenti hominem gratiam ; & hoc quidem, quia talis causa non influit in executionem effectus immediatè, sed movendo voluntatem alterius, à qua talis executio immediatè procedit. Non secunda : Nàm ad causandum privationem intrinsecam gratiæ in anima, sufficit Adamum per suum peccatum posuisse obstaculum ad esse, & fieri illius, provenientis à Deo ; sicuti corpus positum inter Solem, & aerem, causat privationem lucis absque eo, quod sit immediatè præsens aeri. Ratio autem supra posita procedit de causa principali physica, & producenti aliquid positivum physicè tale : sicuti est qualitas constituens peccatum originale iuxta Adversf. etsi etiam sit prava moraliter.

9 Proponitur secunda ratio. Secunda ratio est : Adamus medio actu voluntatis, quo præceptum Dei fuit transgressus, est causa effectiva principalis peccati originalis posterorum ; sed hoc ipso huiusmodi peccatum nequit consistere in aliquo positivo per modum qualitatis : ergò. Prob. min. Adamus medio actu voluntatis nequit extra proprium subiectum producere effectivè principaliter aliquid positivum per modum qualitatis. Ratio est : Nàm actio immanens creata, qualis est actus voluntatis Adæ, nequit physicè effectivè immutare aliud extra se, & à seipso maximè distans, tùm loco, tùm tempore ; hoc enim est proprium actionis transeuntis, quæ ex se infert physicam passionem, & de se ordinatur ad perficiendum passum : ergò &c.

10 Confir. & explicatur. 1. Si actus voluntatis Adæ esset causa principalis physica talis qualitatis positivæ, aut prædicta efficientia conveniret illi naturaliter, & ab intrinseco, aut supernaturaliter ? neutrum potest dici : ergò. Min. quòad 2. part. constat : Nàm aliàs Deo attribueretur, ut causæ speciali influxus effectivus, quem haberet peccatum Adæ in peccatum posterorum, quod repugnat. Min. vero quòad 1. p. prob. ex dictis : actus voluntatis Adæ nequit habere naturaliter, & ab intrin-

trinseco influxum effectivum, qui est proprius actionis Dei virtualitèr transeuntis : & iuxta plures AA. etiam convenit Angel. in quibus non agnoscunt potentiam executivam realitèr distinctam ab intellectu ,& voluntate. Sed habere influxum physicum per modum causæ principalis in subiectum extraneum est proprium actionis Dei virtualitèr transeuntis: ergò.

11 Confirm. 2. Peccatum Adami iuxta speciem suam non fuit potens physicè effectivè producere aliquid realitèr positivum in animabus posterorum; cum idem peccatum quoad speciem commissiet, etiam si non fuisset constitutus caput morale illorum. Sed hoc ipso non est potens ad huiusmodi influxum per additionem circunstantiæ malitiæ capitalis in ipso repertæ. Quod sic prob. Talis circunstantia fuit in Adamo peccante per respectum ad ordinationem divinam , & pactum celebratum cum ipso de transfundenda iustitia in eius posteros, si non peccaret; sed hæc omnia non immutant physicè intrinsecè tale peccatũ: ergò ratione talis circunstantiæ nequit physicè effectivè producere aliquid positivum in posteris. Conseq. constat ex illo fundamento apud Thomistas irrefragabili,* scilicèt causa de se impotens producere physicè aliquem effectum nequit reddi potens ad illum, sine aliquo physico ei intrinsecè superaddito.*

Secundo.

§. III.

Solvuntur argumenta.

12 OBijcies 1. ex D. Thom. hic. q. 82. art. 1. cuius titulus est: *An peccatum originale sit habitus* ? Et postquam in corp. art. distinxit duplicem habitum : unum quo forma inclinatur ad agendum , alterum vero ; qui dicitur dispositio alicuius naturæ , secundum quam benè, vel malè se habet &c. Concludit: *Peccatum originale non esse habitum,* primo modo acceptum , sed secundo. Sed dispositio inordinata naturæ dicit aliquam qualitatem positivam : ergò. Confirm. 1. Iuxta S. D. ibidem ita se habet peccatum originale respectivè ad animam , sicuti se habet infirmitas corporalis respectivè ad corpus: Qua de causa appellat peccatum originale languorem naturæ. Atqui ægritudo corporis dicit formalitèr qualitatem positivam pravè disponentem corpus , & non tantum privationem sanitatis : ergò. Confirm. 2. ex D. Aug. lib. 1. de Nupt. cap. 25 . ubi peccatum originale nominat *affectionem malæ qualitatis* , & *vitium animæ.* Sed hæc omnia significant qualitatem positivam : ergò. 3. iuxta Conc. Trid. peccatum originale inest unicuique proprium. Sed inhærentia verè,& propriè talis est proprium qualitatis positivæ : ergò nè dicamus Concilium impropriè loqui, fatendum est peccatum originale &c.

Arguitur

Confir. 1.

Secundo.

Tertio.

Resp. D. Th. nomine dispositionis inordinatæ non intelligere aliquid, quod cum proprietate sit dispositio ad genus qualitatis spectans ; sed aliquid habens modum, & similitudinem dispositionis, scil. esse aliquid permanens, & insuper esse malum naturæ, eique disconveniens. Et quamvis privatio iustitiæ originalis non sit proprie habitus , aut dispositio ; quia tamen est aliquid de se permanens , & disconveniens naturæ humanæ , propter hoc verificatur de illa esse habitum, & pravam dispositionem naturæ. Ex quibus claritatis gratia explico D. Th. Peccatum originale est habitus , vel dispositio; secundùm omnia prædicata , quæ sunt de ratione habitus, vel dispositionis, neg. mai. Quantum ad aliqua prædicata, quæ sunt propria habitus , vel dispositionis , conc. mai. & cum ead. min. dist. neg. conseq. Solutio amplius constabit ex dicendis infra circa mentem D. Thom.

13 Solutio.

Ad 1. confirm. (omisso an infirmitas corporalis consistat in positivo, vel potiùs in privatione debitæ commensurationis humorum.) Resp. Peccatum originale assimilari infirmitati corporis in eo , quod quemadmodum ex illa omnes vires corporis patiuntur aliquod detrimentum ; ita similitèr ex deordinatione animæ per peccatum originale omnes vires illius manserunt inordinatæ ; utpotè destitutæ donis , & virtutibus , quibus in statu

14 Ad 1. confirm.

innocentiæ perficiebantur. Nec enim exempla debent tenere quòad omnia. Quaptopter, si cum proprietate loquendum sit, peccatum originale formaliter, & quòad essentiam acceptum *non est infirmitas, aut ægritudo, sed mors animæ*, ut affirmat Concil. Trid. quamvis peccatum originale secundum id, quod importat de materiali, & per modum effectus, sit infirmitas; eo quod ex privatione iustitiæ originalis in anima omnes vires illius sunt destitutæ proprijs perfectionibus; ideòque permanserunt infirmæ, & vulneratæ. Solutio est D. Th. ibid. a. 2. & 3. Ex his colliges, cùr D. Thom. hic art. 1. in solutione ad 1. dixerit: *Peccatum originale non esse puram privationem, sed quendam habitum corruptum*: quia, videlicèt, estò pro formali, consistat in privatione iustitiæ, importat tamen adæquatè sumptum, & pro materiali deordinationem aliarum potentiarum: quemadmodum iustitia originalis licet pro recto solum importaret gratiam sanctificantem: Ex consequenti tamen includebat omnium virium animæ rectam dispositionem.

15 Ad 2. arg. constat ex dictis ad testim. D. Th. Vocat enim Mag. P. peccatum originale *affectionem malæ
Ad 1. qualitatis, vitium, & languorem naturæ, *non quantũ ad omnia, sed quantum ad aliquid: de qua comparatione immediatè relinquimus dictum. Nec debet omitti huiusmodi testim. & alia, quæ in sui favorem adducit M. Martinez, probare manifestè contra ipsum. Siquidem in prædictis locis loquitur D. Aug. de concupiscentia proveniente ex peccato originali: & tamen iuxta prædictum M.q.82.a.3. d.1. talis concupiscentia nõ dicit aliquam qualitatem superadditã appetitivi, sed solum privationem iustitiæ originalis, ut subijcientis perfectè appetitum sensitivum rationi.

16 Objicies 2. Peccatum originale quòad sui essentiam est eiusdem speciei cum peccato Adami; sed peccatum Adami iuxta plurium Thom. sententiam, consistit in aliquo positivo
Arg. 2. spectanti ad genus qualitatis, utpotè identificato cum entitate physica actus; ergò. Mai. prob. Peccata illa, quæ eidem legi opponuntur, habentque similes effectus, sunt eiusdem speciei; sed sic se habent peccatum Adami, & peccatum posterorum; utpotè oppositæ eidem præcepto non comedendi de ligno vetito, & insuper; cùm, tàm Adamum, quàm posteros, eisdem donis gratiæ privaverit: ergò.

Confirm. 1. Peccatum actuale iuxta sententiam plurium Thom. consistit in conversione positiva per modum actus ad bonum commutabile: ergò peccatm habituale ex illo proveniens debet consistere in simili conversione per modum habitus. Conseq. prob. Peccatum habituale habet per modum habitus, sive per modum termini, & in facto esse, idipsum, quod peccatum actuale habet in fieri, & per modum actus: ergò si &c. 2. Quia peccatum actuale est aversio in fieri à Deo, ut fine ultimo, peccatum habituale est aversio in facto esse: ergò pariter si peccatum actuale est conversio positiva in fieri ad bonum commutabile, peccatum habituale erit conversio positiva in facto esse ad ipsummet bonum. Sed talis conversio positiva necessariò spectat ad lineam qualitatis; alia enim linea in qua collocetur non est excogitabilis: ergò. 17 Confir. 1. Secundò,

Resp. 1. dist. mai. Cum peccato actuali Adami, neg. mai. Cum peccato habituali, conc. mai. & cum eadem min. dist. neg. conseq. In Adamo enim extitit duplex peccatum, scilicet actuale, quod fuit actus inobedientiæ &c. à quo ipse Adamus dictus est peccans; & insuper peccatum habituale, quod fuit terminus talis actus, & per quod, illo transeunti, permansit cum denominatione peccatoris. Dùm ergò communitèr dicitur peccatum originale esse eiusdem speciei cum peccato Adami, intelligitur de peccato habituali illius, non vero actuali, consistenti in positiva tendentia ad obiectum dissonum legi. Quod si rationem huius doctrinæ desideras, ea est: Nàm peccatum actuale (in sententia satis probabili) consistit formaliter in privatione rectitudinis actualis debitæ actui; habituale vero, iuxta modũ dicendi, quẽ propugnamus, consistit in privatione rectitudinis habitus, scilicèt gratiæ; cum autẽ privationes differant specie 18 1. Solut.

pe-

penès formas, quibus privant, inde fit prædicta peccata ſpecie inter ſe differre.

Ulteriùs: etiamſi peccatum actuale, & habituale in poſitivo conſiſtant, adhùc differunt ſpecie inter ſe 19 diverſitate deſumpta ex diverſo modo reſpiciendi idem obiectum ſub eodem præcepto, ſcilicèt, per modum actus ſecundi, & per modum actus primi: ad modum, quo actus, & habitus, tàm in moralibus, quàm in ſpeculabilibus, ob eandem rationem differunt ſpecie inter ſe. Ex quibus conſtat mai. argum. intellectam de peccato actuali eſſe falſam iuxta omnium AA. ſententiã. Quod randèm roborari poteſt ex eo, quod peccatum actuale ut mortale, in quocumque conſiſtat, ex ſpecie ſua directè, & immediatè opponitur honeſtati actus charitatis; peccatum vero habituale ex ſpecie ſua directè, & immediatè opponitur gratiæ ſanctificanti; ſi autem prędicta peccata eſſent eiuſdem ſpeciei ſtrictè loquendo eidem formæ directè, & immediatè opponerentur.

Reſp. 2. (admiſſo maiorem intelligi de peccato actuali) illam diſting. 20 Fuit eiuſdem ſpeciei moralitèr, ſive appreciativè iuxta prudentem exiſtimationem, admit. mai. Fuit eiuſdem ſpeciei in rigore Scholaſtico loquendo, neg. mai. & conc. min. neg. conſeq. Ut enim prædicta peccata moralitèr, & in prudenti exiſtimatione pro eodẽ reputentur, parùm refert unũ in poſitivo, alterum vero in privativo conſiſtere. Conſtat clarè in peccatis omiſsionis, & commiſsionis, procedentibus ex eodem motivo, & oppoſitis eidem præcepto, ex quibus unum in tendentia poſitiva; alterum vero in privatione actus debiti conſiſtit: quo non obſtante dicuntur eſſe eiuſdem ſpeciei moralitèr, & per ordinem ad tribunal confeſsionis. Ad 1. confir. Reſp. conc. añti. neg. conſeq. Stat enim actionem inductivam alicuius termini cõſiſtere in poſitivo, & terminum illius conſiſtere in privativo; ut videre eſt in actione, qua unus homo alteri aufert viſum, vel vitam, & in interpoſitione corporis opaci: cuius terminus eſt privatio lucis in aere. Deinde adeſt ratio diſparitatis conſiſtens in eo, quod in tali ſententia peccatum actuale commiſsionis eſt in genere actus humani conſiſtentis in libera converſione ad obiectum; proindèque differentia conſtitutiva illius debet eſſe ſpecialis converſio. Peccatum vero habituale non eſt in genere habitus, vel diſpoſitionis, ut ex D. Th. expreſsè probatum relinquimus; ſed eſt in genere mali ſimpliciter talis, ac per conſequens nequit conſiſtere in aliquo poſitivo phyſicè tali.

Secunda.

Ad 1. cõfirm.

Ad 2. conc. añti. neg. conſeq. Ad 21 eius prob. diſt. añs. Peccatum habituale habet &c. quod habet peccatum actuale ea ratione, qua hoc peccatũ po Ad 2. nit aliquid, & eſt cõverſio, neg. mai. Ea ratione, qua peccatum actuale dicit privationem rectitudinis, & eſt averſio à Deo, conc. mai. Solut. eſt S. D. agentis de pec. orig. in 2. d. 32. q. 1. a. 1. & in 4. d. 18. q. 2. a. 2. q. 1. ubi de macul. peccat. eius remiſsione aſſerit: *peccatum actuale poſſe dupliciter conſiderari; 1. ea ratione, qua eſt quid poſitivum, & importat converſionem inordinatam voluntatis; 2. ea ratione, qua eſt quid privativum, & averſio à Deo ut fine ultimo. Qua diſtinctione ſuppoſita ſubdit peccato actuali ſub 1. conſideratione correſpondere tanquam effectum, & terminum habitum vitioſum, vel pravam diſpoſitionem inclinantem ad actus inordinatos: Sub 2. vero conſideratione correſpondere ipſi tãquam effectum, & proprium terminum, maculam conſiſtentem in privatione gratiæ, quæ eſt nitor, & pulchritudo animę. *Ex qua doctrina cõſtat de ratione peccati habitualis eſſe habere in facto eſſe, & per modum termini id, quod convenit peccato actuali, ea ratione qua eſt averſio à Deo ut fine ultimo; de ratione vero habitus vitioſi, aut pravæ diſpoſitionis eſſe habere in ſe per modum termini, quidquid converſionis poſitivæ invenitur in peccato actuali. Hanc ſolutionem tradit ipſe Mag. (cuius eſt argumentum propoſitum) hic q. 88. a. 2. dub. 1. §. *Ad argumentum.*

(*)

§. IV.

Peccatum originale nequit consistere in aliquo positivo morali, quo parvuli voluntas sit positivè conversa ad bonum commutabile.

22 PEr hanc conclusionem opponimur M. Zumel, & Illmo. Godoy; eamque probabimus duplici motivo specialitèr probanti de peccato originali; omissis pluribus alibi dictis pro peccato personali. Primum motivum desumitur ex D. Th. expresè negante dari in peccato originali conversionem positivam in bonum commutabile. Sic enim habet q. 24. de Verit. art. 12. ad 2. *In peccato originali est habitualis aversio à bono incommutabili, cum habens peccatum originale non habeat cor coniunctum cum Bono per charitatem.* Et sic quantum ad aversionem eadem ratio est de peccato originali, & mortali (id est personali) *licet in peccato personali super hoc sit habitualis conversio ad indebitum finem.* Nec prodest dicere D. Thom. solum negare conversionem habitualem propria voluntate contractam. Non inquam prodest: Nàm pari ratione negaret peccato originali aversionem ab incommutabili bono, cum hæc non sit, voluntate propria posterorum, sed primi Parentis, contracta. Confirm. hoc ex eodem S.D. q. 5. de Malo art. 2. ubi probat peccato originali non deberi pœnam sensus sequenti discursu: *Pœna proportionatur culpæ, & ideò peccato actuali mortali, in quo reperitur aversio ab incommutabili bono, & conversio ad commutabile, debetur pœna damni, & pœna sensus; sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio, scilicèt, destitutio animæ à iustitia originali; & ideò non debetur pœna sensus.* Ubi illa negativa, scilicèt, *in peccato originali nulla est conversio*: Et rursùs illa exclusiva, *sed est sola aversio*, clarè denotant D. Thom. omnem conversionem positivam à peccato originali relegare.

Prob. 1. ex S. D.

Confirm. ex eodem

23 Nec obstat si dicas D. Thom. q. 4. de Malo art. 2. expresè affirmare animam ratione peccati originalis esse habitualitèr conversam ad bonum commutabile: ergò nè dicamus D. Thom. apertè sibi contradicere: Dicendum est D. Thom. in prædictis testim. solum negare conversionem propria voluntate contractam. Añs. constat referendo eius sententiam. Sic enim habet: *Peccatum originale nihil aliud est, quam concupiscentia cum carentia originalis iustitiæ, ita tamen quod carentia se habeat de formali, concupiscentia vero de materiali: ut sic intelligatur anima aversa, & conversa, sicuti invenitur actus (ut ita dicam) aversus, & conversus.* Resp. Hoc testim. non favere Adversar. Nàm isti ponunt conversionem habitualem ex peccato originali provenientem, ut afficientem animam ratione sui, eamque verè maculantem talitèr, ut ex illa tanquam ex radice aliæ inordinationes virium inferiorum proveniant. Conversio autem, quam ibi describit D. Thom. solum consistit in pronitate, & habilitate appetitus ad inordinatè concupiscendum propter defectum iustitiæ originalis. Unde nec est propriè conversio ad finem ult imum creatum; cum hæc spectet ad voluntatem, cuius obiectum est finis; multòque minùs est conversio potens constituere peccatum originale. Siquidem concupiscentia, tàm pro materiali, quàm pro formali accepta, ad summum potest se habere, ut effectus peccati originalis intrinsecè residens in viribus inferioribus animæ.

Instabrs. cõt. di.

Solutio.

Idem fundamentum roboratur ab aliquibus ab inconvenienti, sub hac forma. Si parvuli ratione peccati originalis essent conversi ad bonum commutabile, punirentur pœna sensus, consequens est contra D. Thom. q. 5. de Malo art. 2. ergò. Sequela prob. Tali conversioni habituali debet correspondere aliqua pœna, cum sit verè, & propriè culpa. Sed pœna correspondens conversioni habituali, proùt hæc differt ab aversione, nequit esse pœna damni; cum hæc sit propria aversionis: ergò si parvuli &c. Nec valet dicere. 1. Pœnam sensus solum deberi conversioni, & fruitioni actuali alicuius boni temporalis, non vero conversioni, & fruitioni purè

24 Alio modo prob. ab aliquibus.

1. respõs. impugn.

purè habituali. Non inquam valet, quia homini, qui personalitèr peccavit, non solum debetur pœna sensus ratione conversionis actualis in bonum creatum, sed etiam ratione conversionis habitualis, ut fatetur Illustr. Godoy, & ratio est: Nàm quidquid invenitur in conversione actuali, ut in demerito actuali, invenitur in habituali conversione, ut in demerito habituali: ergò solutio est nulla.

25 Nèc valet dicere 2. Pœnam sensus solùm deberi conversioni actuali per se primò; & habituali ex consequenti; dummodo fuerit inducta, & causata cum delectatione actuali intrinseca peccatori; conversio autem habitualis reperta in peccato originali non est huiusmodi; cùm in ipsis non præcesserit aliqua delectatio actualis intrinseca alicuius boni temporalis Non inquam valet insistendo rationi supra positæ; scilicèt: Peccatum originale non solùm secundùm rationem aversionis, sed etiam secundùm rationem conversionis ad bonum creatum est verè, & propriè culpa, ut fatetur Illust. Godoy, & Alij: ergò peccato originali secundùm formalitatem conversionis, & quatenùs differt à formalitate aversionis, debet aliqua pœna proportionata correspondere. Sed huiusmodi pœna nequit esse solùm pœna damni, cùm iuxta expressam Div. Thom. doctrinam ubi sup. & alib. talis pœna correspondeat aversioni ab incommutabili bono: ergò.

Secunda solutio.

Reijcit.

Sed hoc fundamentum, meo 26 videri, sufficientissimè solvitur standō doctrinæ Div. Thom. siquidèm ipse S. Doct. in 2. dist. 33. quæst. 2. ar. 1. ad 4. hæc habet: *Dolor sensibilis correspondet delectationi sensibili, quæ est in conversione actualis peccati; concupiscentia autem habitualis delectationem non habet, & ideò illi pœna sensibilis non respondet.* Ergò pœna sensus non correspondet delectationi purè habituali, aut conversioni, nisi adsit, aut præcesserit conversio actualis: ergò ex positione conversionis habitualis ad bonum commutabile ratione peccati originalis, non probatur deberi pœnam sensus. Id ipsum videtur expressè assertum à D. Thom. quæst. 5. de Malo art. 4. ad 4. dicente: *Pœna sensus taxata (à Deo scilicèt) non debetur, nisi conversioni actuali: sed alia ratio est de pœna concomitante.* Quo testimonio loquitur expressè de pœna debita peccato originali: ergò videtur dicendum iuxta doctrinam Angelici Præcept. nullatenùs inferri ex quacumque conversione habituali ad bonum commutabile demeritum pœnæ sensus. Quam solutionem confirmat authoritas PP. Salm. disp. 18. de Peccatis dub. 3. §. 1.

Non convincit ratio adducta.

Nèc ex quo Div. Thom. quæst. 27 5. de Malo art. 2. probaverit, peccato originali non deberi pœnam sensus, quia videlicèt, *in illo non est conversio ad bonum commutabile, sed sola aversio*, infertur,* quòd si in ipso daretur conversio habitualis ad bonum commutabile, correspondēret pœna sensus.*Non inquam infertur. 1. Quia arguitur ab oppositō antecedentis ad oppositum consequentis; qui modus arguendi est defectuosus. 2. Nàm, ut prædicatum aliquod removeatur ab aliquo subiecto, sufficit removeri ab ipso, aliquid necessario requisitum, licet non sit causa; ratio, aut constitutivum talis prædicati; at vero, ut absolutè prædicatum affirmetur de subiecto, necesse est convenire omnia quovis modo requisita, & inclusa in tali prædicato. Quapropter, ut de aliquo negetur *esse hominem*, sufficit ipsum *non esse animal*, cum tamen *esse animal* non sit sufficiens *ad esse hominem*. Cum igitur conversio habit. ad bonum commutabile sit, attenta divina ordinatione, necessario requisita ad pœnam sensus, non tamen ut causa adæquata, nisi præcedat conversio actualis ad bonum commutabile; minimè infertur ex probatione adducta à D. Thom. quod si peccatum originale includat conversionem ad bonum commutabile, ei correspondeat pœna sensus.

Confirm. idéassum.

Si autem quæras rationem à 28 priori: *Cur scilicèt ex peccato actuali Adami à nobis moralitèr commisso, nequeat derivari conversio aliqua positiva moralis ad bonum commutabile; sicuti ex eodem peccato fuit derivata ad ipsum Adamum?* Resp. Exhibere talem rationem esse satis difficile; cùm ex doctri-

Cùr in peccato originali nó fit cõversio?

trina Div. Thom. ubi de hoc ex professò agit, non posit talis ratio deduci. Undè ad veritarem assertionis sufficit, tùm authoritas supra adducta, in qua talem conversionem negat. Tùm hoc ipsum probare ex defectu causæ effectivæ porētis influere talem positivam conversionem in posteros, ut infra, proponendo secundum motivum apparebit.

29 Sed tamen, nè penitùs videamur difficultati succumbere; ratio ad negandam talem conversionem ea est: In peccato enim actuali iuxta modum dicendi Adversſ. ita adunantur inter se conversio ad bonum commutabile, & aversio ab incommutabili bono; ut conversio habitualis ex illo derelicta correspondeat formalitati conversionis; aversio habitualis in privatione coniunctionis ad Deum consistens, correspondeat, ut terminus formalitati aversionis. Deindè peccatum actuale Adami solùm potest derivari ad posteros aliquid habituale ea ratione, qua fuit peccatum capirale, & quatenùs fuit moralitèr commissum à posteris; formalitates enim, quæ non conveniunt peccato Adami sub tali consideratione inspecto, etsi in ipso inveniantur, nō erunt capitales, sed personales. His ut omninò certis præsuppositis, dicimus: quod peccatū actuale Adami, etsi fuerit simùl conversio ad bonum creatum, & aversio ab incommutabili bono, non fuit capitale, nèc commissum moralitèr à posteris sub formalitate conversionis, sed solius aversionis, & prævaricationis legis divinæ; quapropter ex illo ad posteros nequit derivari habitualis conversio, sed solùm aversio habitualis. Ita colligitur ex doctrina PP. Salm. disp. 8. dub. 3. num. 96. Sed huius dicti nullam rationem ibi assignant prædicti AA. ob cuius defectum non erit parvus labor eam describere pro nostra tenuitate.

Nota pro respons.

30 Pro quo dicendum: finem ultimum peccatoris non esse bonum, quod inordinatè per modum obiecti diligit, sed esse bonum proprium ipsius peccati, ex cuius amore peccat, & transgreditur divina mandata; ut modò suppono ex his, quæ diximus tom. 1. Tract. de Ultim. fine conformitèr ad illam sententiam Div. Augusſt. *Amor sui usque ad contemptū Dei ædificat Civitatem Babilonis; amor verò Dei usque ad contemptum sui ædificat Civitatem Dei.* Ex quo manifestè deducitur, conversionem habitualem ad bonum proprium peccatoris ut finem ultimum, causari ex peccato actuali, non quidèm ea solùm ratione, qua est cōversio, & tendentia positiva actualis ad obiectum prohibitum, sed ea ratione, qua includit, & prę supponit amorem inordinatum sui. His stabilitis, possumus reddere rationem illius propositionis à PP. Salmant. prolatæ, scilicèt: *Peccatum actuale Adami fuit peccatum posterorum sub ratione aversionis, non verò sub ratione conversionis* Insistendo dist. traditæ, videl. considerando illius conversionem, nedū ut fuit tendentia in obiectum prohibitum, sed etiā pròut includebat, tanquā radicem omnis peccati amorem inordinatum Adami. Cumque hic amor inordinatus sub tali formalitate fuerit solùm personalis, utpotè respiciens bonum peculiare Adami præcisivè à bono posterorum, & à continentia morali voluntatum ipsorum: Ideò tale peccatum, pròut est causa habitualis conversionis ad bonum proprium, ut finem ultimum, non fuit capitale, nèc moralitèr commissum à posteris. Hac enim dist. salvatur illud commune proloquium de peccato Adami, scilicèt: *Primò infeciſſe personam; posteà verò naturam.*

Ratio designatur.

Nèc inconvenit ex pluribus formalitatibus concurrentibus in eodem actu, unam fuisse personalem, aliam verò capitalem. Constat hoc 1. in amore inordinato Evæ, ex quo Adamus iuxta plures ex PP. etiam motus fuit ad peccandum; quæ deformitas non fuit traducta ad peccatum originale posterorum. 2. Nàm casu, quo Adamus observasset præceptum, talis actus observationis esset & dispositio ad augmentum gratiæ, & meritorius de condigno, tū prædicti augmenti; tùm etiam gloriæ; & tamen licet talis actus esset capitalis, moralitèrque elicitus à posteris, ut adimpletivus præcepti; non tamen sub alijs formalitatibus recensitis, ut omnes Discipuli Div. Thom. expressè fatentur.

31 Explicat.

Nèc

Occurrit. cuidam instantiæ. Nèc huic obstat ; quòd cùm amor inordinatus sui in peccatore sit radix omnis formalitatis repertæ in peccato, non videtur posse communicari moralitèr posteris formalitatem radicatam absque prævia communicatione radicis. Non inquam obstat: Nàm ex terminis ita videtur difficile dari communicationem in radicato absque communicatione in radice, àc communicari aliquem actum, quòad aliquam formalitatem, & non quòad proprietates ad ipsam consecutas; uti sunt dispositio ad augmentum gratiæ, & ratio meriti de condigno gloriæ in actu adimpletivo præcepti possibili Adæ.

32 Quapropter : quamvis hoc verum teneat loquendo de communicatione orta ex naturis rerum, secùs verò de communicatione ortum ducente ab extrinseco, & purè ex ordinatione divina, per quam dùm Deus pactum inivit cum Adamo in ordine ad traductionem iustitiæ in posteros, & illius omissionem, sub conditione peccati ; solùm expressit munus capitis in ordine ad transgrediendum præceptum comedendo de ligno vetito, & illius observationem à tali comestione se abstinendo. Vel aliter potest Resp. dicendo : Quòd quando radix, & radicatum spectant ad bonum, vel malum naturæ, non stat communicatio in tali radicato absque communicatione in radice ; secùs tamen si radix per se primò sit bonum, vel malum personæ, & radicatum sit per se bonum, vel malum naturæ. Sicque contingit in peccato Adami, quod quidèm primò infecit personam, & postmodùm naturam ; è contra verò peccatum originale; primò infecit naturam, & ex consequenti personam.

Aliter occurritur.

Sed de his satis.

§. V.

Proponitur aliud motivum.

SEcundum motivum est ferè idem cum illo, quod §. 2. proposuimus ad impugnandam opinionem Mag. Martinez. Peccatum originale consistit in illo, quod derivatur ex peccato actuali Adami, ut causa effectiva principali ; sed nihil positivum intrinsecum parvulis potest derivari ex peccato Adæ, ut causa effectiva principali : ergò. Min. dupliciter probari potest. 1. Quia ut peccatum Adæ esset causa principalis talis positivi debebat habere illapsum in animabus parvulorum ; cum tale positivum non proveniret, iuxta sententiam Illust. Godoy, per aliquam virtutem diffusam ex tali peccato, sed immediate per virtutem, sive efficaciam ei inhærentem. Sed talis illapsus repugnat essentialiter cuilibet creaturæ : ergò. Secundo prob. eadem min. Peccatum Adami fuit actus elicitus ab illo, & receptus in eius voluntate ; sed hoc ipso nequit per modum causæ effectivæ principalis derivare aliquid positivum intrinsecum animabus parvulorum : ergò. Prob. min. In primis nequit derivare tale positivum derivatione conveniente ei ab intrinseco, & ex natura rei ; cum operari aliquid positivum extra proprium subiectum sit proprium actionis virtualiter tantum transeuntis in illis agentibus, in quibus potentia executiva non differt ab intellectu, & voluntate. Deinde non potest talis derivatio convenire illi ab extrinseco, & ex elevatione Dei ; aliàs Deus esset Author specialis traductionis peccati originalis : ergò.

33 Prob. 1.

34 Huic rationi Resp. potest Illust. Godoy illam efficaciter probare de causalitate alicuius entis positivi de linea physica, secùs tamen entis positivi pure moralis, & ab omni entitate physica destituti. Constat huiusmodi discrimen in obligatione afficienti pupillum ex contractu celebrato à Tutore continente moraliter eius voluntatem; quin ad hoc necesse sit Tutorem habere illapsum in volun-

Quædam solutio refertur.

ta-

tate Pupilli. Peccatum verò originale, etsi sit quid positivum verè intrinsecè afficiens posteros, est tamen purè morale, & ab omni entitate physica adhùc pro implicito denudatum. Undè ad illius traductionem, nec requiritur illapsus ex parte Adami, nèc paritèr aliqua elevatio ex parte Dei, sed sufficit, voluntatem Adami continere moralitèr voluntates posterorum.

35

Contra est 1. & prob. repugnare, positivũ purè morale.

Sed contra hanc solutionem obstat 1. Repugnare ens positivum purè morale, nisi sit aliquod ens rationis. Quod sic suadetur: Tale positivum, in quo consistit peccatum originale, vel existit verè à parte rei, & ante omnem considerationem intellectus, vel non? Si secundum, tantùm habebit esse obiectivè in intellectu, proindèque erit ens rationis, ut contendunt Hæretici asserentes, contractionem peccati originalis esse merum figmentum. Si primum: ergò tale positivum est saltim identicè, & pro implicito aliquid physicè existens. Probatur conseq. Nàm nomine entis physici, nisi sit litigium de voce, est id, quod verè, & realitèr à parte rei, & secluſa omni apprehensione, & existimatione hominum existit: ergò. Secundò, & explicatur hæc ratio. Licèt moralitas actus (& similitèr habitus, sive boni, sive mali) qua talis, non constituatur, nèc explicetur, per ordinem ad existentiam realem, quam in re habet, sed per respectum dissonantiæ, aut consonantiæ cum regulis morum; quia tamen verè à parte rei existit, verèque à parte rei, & secluſa omni fictione intellectus, homo denominatur benè, aut malè moraliter operans; prædicta moralitas est identicè, & in re quid physicum: ergò licèt constitutivum peccati originalis non explicetur, nisi per respectum dissonantiæ habitualis cum lege; si tamen realitèr, & à parte rei, secluſaque omni fictione intellectus, inest intrinsecè parvulis; nequit consistere in aliquo positivo purè morali ab omni entitate physica etiam identicè, & pro implicito denudato. Hoc ipsum confirmari potest exemplo veritatis creatæ; cujus constitutio, etsi per ordinem ad intellectum unicè exprimatur; implicat tamen aliquid realitèr, & à parte rei denominari verum, quin talis veritas sit in re identicè quid physicum.

Secundo.

Si moralitas sit extrinſ. erit à forma reali licèt extrinſ.

Nèc huic doctrinæ de se satis manifestæ obstant aliqua exempla, quæ adducit in sui favorem Illustr. Godoy. Primum desumitur ex dignitate pœnæ propter peccatum commissum: quæ quidem dignitas est aliquid positivum morale, quod tamen cum nullo ente physico realitèr identificatur, ut patet in pura omissione. Secundum: Nàm gratia per actus remissos iuxta plurium sententiam statim augetur in ratione gratiæ, & iuris ad gloriam, licèt non augeatur physicè in ratione qualitatis; ex quo sequitur, tale ius positivum esse quid morale cum nulla entitate physica identificatum. Tertiò: Nàm ex contractu celebrato à Tutore resultat, tanquàm terminus, positiva moralis obligatio in pupillo; quæ quidèm, ut de se constat, non est adhùc identicè quid physicum. Quartò: Nàm iuxta plures ex Thomistis ex Divina Maiestate offensa per peccatum derivatur ad ipsum quidam modus, vi cuius constituitur peccatum simplicitèr infinitum in ratione offensæ. Cùm tamen nequeat ex prædicta Maiestate aliquid physicum derivari. Non ergò adest repugnantia in possibilitate alicuius positivi moralis non identificantis secum aliquam entitatem physicam.

36

Quædam exempla in favorẽ Illustriſ. Godoy.

Non inquam obstat. Ad primum exemplum Resp. dignitatem pœnæ identificari realitèr cum peccato actuali, si sit dignitas per modum demeriti actualis; vel cum peccato habituali, si consideretur per modum demeriti habitualis. Undè, sicuti peccatum actuale, & habituale, sunt in re quid physicum positivum, vel privativum (si sit peccatum puræ omissionis.) Idem dicendum de tali dignitate. Et quemadmodum peccatum actuale physicè transiit, & tantùm moraliter in sui non retractatione permanet; ita dicendum de dignitate cum illo iden

37

Respon.

identificata. Quod si illa ad modum formæ intrinsecè, & realitèr afficientis hominem apprehendatur, tùnc efficietur aliquod ens rationis. Ad
Ad 2. secundum Resp. Augmentum gratiæ proveniens ab actibus remissis in tali sententia esse reipsa denominationem extrinsecam provenientem, tùm ex
Sic tuemur tract de Iustif. acceptatione divina; tùm ex prædictis meritis in illa moraliter permanentibus. Undè quemadmodùm talia merita sunt in re quid physicum; ita dicendum de iure positivo ad augmentum gratiæ, & gloriæ. Quia tamen gratia in esse gratiæ, & iuris ad gloriam explicat tantùm aliquid de linea moris, quæ modum loquendi non adeò rigorosum, sicuti linea physica exposcit; ideò absolutè dicitur, gratiam per actus remissos augeri in esse *gratiæ* non verò in esse *entis*, & *qualitatis*.

38 Ad tertium Resp. Obligationem illam realitèr acceptam esse denominationem extrinsecam ex con-
Ad 3. tractu, ut ex forma provenientem. Undè quemadmodùm contractus est quid physicum in actione vitali consistens; ita dicendum de obligatione; quapropter transeunte contractu physicè, transit physicè obligatio, solùmque permanet moraliter. Quod sufficit ad tribuendam, tàm pupillo, quàm Tutori denominationem propriam obligati. Quod si talis obligatio apprehendatur, ut verè intrinsecè à parte rei afficiens pupillum, vel Tutorem, tùm fiet aliquod ens rationis; uti contingit, dùm intellectus formam extrinsecè denominantem accipit ad modum formæ intrinsecæ.

Ad ultimum dicatur: In tali sententia rationem offensæ reper-
39 tam in peccato læthali identificari realitèr cum aversione à Deo, ut
Ad ult. fine ultimo, & consequi ad illam, non præcisè ea ratione, qua dicit privationem coniunctionis cum Deo, sed quatenùs dicit contemptum, & postpositionem Maiestatis Infinitæ. Cùm ergò gravitas offensæ sit iuxta gravitatem contemptus, & postpositionis; & homo per peccatum contemnat infinitè Deum, illum in affectu reputando, quasi bonum commutabile, & creaturam æstimando, quasi Deum; idò peccatum evadit infinitum in ratione offensæ; non quidèm per aliquem modum positivum superadditum, sed per ipsam aversionem, ut est contemptus Dei. Idem dicendum de valore infinito meritorum Christi in sententia pro-
Sic tenemur tract de merit. pugnante, illum consistere in quodam respectu transcendentali identificato cum actione ipsius, vi cuius respectus ad Personam divinam, actiones Christi Domini denominantur intrinsecè infinitæ æstimabilitatis, & dignitatis.

His pro repugnantia entis 40
Prob. repugnãtia entis purè moral. positivi purè moralis existentis verè, & à parte rei, animadversis aliter secundò impugnatur solutio data: Nàm tale positivum morale, etsi non sit quid physicum, est tamen verè ens in re, verèque intrinsecum posteris, & in quolibet illorum realitèr numericè distinctum, ut fatetur Illust. Godoy iuxta doctrinam Concilij Tridentini. Qua ratione impugnat eos, qui ponunt peccatum originale in peccato actuali Adami, prout fuit etiam moraliter commissum à posteris; quia videlicèt, tale peccatum nequit verè inhærere parvulis, sed tantùm potest eos denominare extrinsecè peccatores. Tùm sic: Sed implicat recipi in animabus posterorum aliquid verè positivum in rerum natura existens, verèque eis intrinsecè inhærens, quin ibi adsit vera virtus, aut actio influens tale positivum: ergò cùm non sit alia virtus, vel actio principalitèr influens, & dans ei esse, nisi voluntas Adami; necesse est ponere illapsum ex parte illius ad contractionem peccati originalis.

Explicatur hoc: Illud posi-
41 tivum verè inhærens posteris, non transfunditur per peccatum Adæ, quasi sit quidam terminus diffusus per aliquod medium; & quasi per motum localem exiens à voluntate illius, & perveniens ad voluntates posterorum, sed verè producitur per eductionem intrinsecam ex potentia defectiva animæ ipsorum. Nùnc rogo, est ne intra voluntates parvulorum actio aliqua educens, & dans

ei eſſe, vel non? Si primum: iàm conceditur illapſus. Si ſecundum: nequit tale poſitivum educi, & tranſire de non eſſe ad verè eſſe: ergò repugnat tale poſitivum ſine illapſu. Ulteriùs. Iuxta doctrinam Illuſtriſsimi Godoy; ſicuti ex peccato actuali derivatur terminus poſitivus moralis, per quem homo manet poſitivè converſus ad bonum commutabile, ut finem ultimum, ſic ex actu charitatis derivatur aliquid morale poſitivum, quo homo manet poſitivè converſus ad Deum, ut finem ultimum. Ita prædictus Magiſt. num. 72. Sed implicatorium eſſet, quòd unus homo produceret tale poſitivum in voluntate alterius, per modum cauſæ principalis abſque illapſu; ſiquidèm actio eius eſſet verè realitèr coniuncta, & intra terminos illius voluntatis: ergò.

42 Ex his conſtat ſecundo: Probationem minoris poſitæ pro ſecundo motivo firmam ſubſiſtere: Nàm (ut tacitè inſtantiæ occurratur) quamvis non valeat hæc conſequentia: *Peccatum Adæ ex natura ſua nequit nocere parvulis: ergò ſolùm poteſt eis nocere ex elevatione divina*; cuius falſitas conſtat clarè in præſenti providentia. Attamen quando impoſsibilitas nocendi alteri provenit, ex quo actio unius petit ex natura rei ſolùm operari poſitivè intra proprium ſubiectum; rectè infertur ad operandum ad extra indigere elevatione, & concurſu ſpeciali Dei; ſicuti, quia cauſa naturalis v. g. ignis petit poſitivè coniunctionem, & præſentiam phyſicam ad paſſum, ut illud comburat, nequit oppoſitum ſine miraculo contingere. Nèc prodeſt inſtantia de privatione iuſtitiæ originalis inducta in animabus parvulorum ex peccato Adæ abſque illapſu. Non inquam prodeſt propter dicta à numero 38. Videatur Magiſter Ferre acerrimè impugnans omni ex parte ſententiam Illuſtriſ. Godoy. Pro repugnantia entis purè moralis. Vide Boliv. Tract. de Moral. dub. 2. §. 3. *Et hæc de hoc dubio applicando Litteræ Magiſtri, ubi præced.*

DU-

DUBIUM III.

AN PECCATVM ORIGINALE consistat in privatione alicuius doni, vel iustitiæ originalis, próut hæc differunt realitér á gratia, & charitate?

§. I.

ALIQVA PRÆLIBANTVR.

N. 1 LIcet ex præcedentibus constet, peccatum originale (& similitèr habituale personale) consistere in aliquo privativo: quia tamen plures sunt privationes, quæ ex peccato Adami ad eius posteros, dùm concipiuntur, derivantur; ideò oportet privationem constitutivam peccati originalis in specie determinare. Quia tamen privatio accipit speciem, & diversitatem iuxta qualitatem, & numerum formarum, quarum est privatio; tot erunt privationes ex peccato originali provenientes, quot fuerunt dona, & perfectiones communicatæ Adamo pro se, & pro sua posteritate, si ipse non peccaret. Prima igitur perfectio, quam iustitia originalis præstabat Adamo, erat reddere eius animam conversam ad Deum, ut finem ultimum supernaturalem ratione gratiæ habitualis, quæ est participatio, & imago divinæ naturæ, & per quam erat ipse Adamus Deo gratus, sanctus, & ab ipso amicabilitèr dilectus cum iure adoptionis ad æternam beatitudinem.

Adver. 1.

2 Ex hac igitur perfectione, tanquam ex fonte, proveniebant dona, & virtutes supernaturales, tũ ad illius intellectum, tùm ad voluntatem spectantes, quibus erat potens operari rectè intra ordinem supernaturalem, & mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, & ipsius vitæ æternæ consecutionem; uti contingit in alijs hominibus per gratiam ex meritis Christi iustificatis. Deindè: Erat in eo perfecta subiectio appetitus sensitivi, & aliarum inferiorum virium animæ ad rationem, vi cuius non poterat contra ipsũ rebellare, nec in esse ei aliqui motus inordinati omninò prævenientes rationem. Hæc autem subiectio proveniebat ab aliquo vigore intrinseco ipsi appetitui, vel ab ipsis habitibus virtutum cum aliquo modo speciali in eo residentibus, ut tenent frequentèr Thomistæ; de quo M. Gonet Tract. de Statu innocentiæ; vel proveniebat unicè ex speciali providentia extrinseca Dei denegantis suum concursum ad motus inordinàtos, & rebelles rationi: ut sentiunt P. Vazq. & alij Recentiores. Deniquè. Ex parte corporis erat in Adamo plena subiectio ad Animam, vi cuius erat quoddammodo impassibile, & immortale; *non quidèm per aliquam dispositionem intrinsecam corpori inhærentem, sed per quandam virtutem supernaturalitèr datam animæ, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quandiù ipsa Deo subiecta manssisset*; ut docet Div. Thom. 1. part. quæst. 97. art. 1.

Secundò.

3 Hæc, & alia dona transfunderet Adam in posteros, si non peccasset; proindeque eo peccante, parvuli nascuntur primò privati iusti ia originà-

Tertio.

nali, pròut hæc subijcit animam Deo, ut fini ultimo supernaturali, eamque gratam, & sanctam constituit. Cùmque omnia dona Spiritus Sancti, & virtutes infusæ pertinentes ad intellectum, & voluntatem, à gratia sanctificante, tanquàm à radice proveniant; omnibus his ex consequenti posteri Adæ nascuntur privati. Deindè inest etiam ipsis posteris privatio doni integritatis perfectè subijcientis appetitum sensitivum rationi; ideòque manet in eis fomes concupiscentiæ, & aliæ inordinationes; vi quarum homo est pronus, & proclivis ad peccandum. Deniquè: Privati sunt omnes posteri propter peccatum Adami dono immortalitatis, & impassibilitatis, quod supra recensuimus; ad quam privationem sequuntur plures alij defectus in corpore, uti sunt fames, sitis, infirmitas, aliæ erumnæ, & calamitates.

4 Quartò. Certum est secundùm Fidem Catholicam, peccatum originale quòad sui essentiam, non consistere in privatione doni immortalitatis, & impassibilitatis relicta ex peccato Adami in suis posteris; sicuti, nèc consistere in privatione perfectæ subiectionis appetitus sensitivi ad rationem, vi cuius manet rebellis, & inclinat hominem ad peccandum, ut deliravit Lutherus. Ratio est: Nàm iuxta Concil. Trident. hæc omnia remanent in homine iustificato per Iesu-Christi gratiam, per quam iuxta ipsum Concil. tollitur, & destruitur, quidquid veram, & propriam rationem peccati originalis habet. Quo supposito oportet descendere ad alias privationes.

5 Sententia Subtil. D. Scotus in 2. dist. 30. quæst. 2. & dist. 32 quæst. unica §. *Quòad* 1. asserit, peccatum originale consistere in privatione iustitiæ originalis. Sed tamen est maximè notandum pro præsenti quæsito, iustitiam originalem iuxta ipsum Subt. Doct. eiusque Discipulos, fuisse donum realitèr distinctum à gratia sanctificante concessa Adamo: cuius proprium munus (ultra subiectionem appetitus sensitivi ad rationem, quam etiam præstabat) erat perficere voluntatem in ordine ad Deum, non quidèm sub ratione finis ultimi honesti amicabilitèr; sed sub ratione finis convenientis, & delectabilis voluntati. Ex quo manifestè apparet, tale donum, etsi supernaturale, & per modum habitus infusum voluntati (ut expressè asserit in 2. dist. 29.) esse realitèr distinctum à charitate; hæc enim ita convertit animam ad Deum, ut finem ultimum super omnia dilectum, ut sit vita spiritualis animæ reddens eam gratam Deo, & cum iure ad vitam æternam, & insuper est potès dignificare opera honesta in ordine ad merendum de condigno augmentum gratiæ, & consecutionem gloriæ. Quæ omnia non præstabat formalitèr iustitia originalis.

6 Prosequitur idem assumpti. Ex his ulteriùs constat iuxta hunc dicendi modum; donum iustitiæ originalis, & donum gratiæ sanctificantis ex natura rei, & absolutè loquendo, non esse inter se connexa, nèc unum includere alterum per vèram causalitatem, aut continentiam illius. Cum hoc tamen componitur, prædicta dona in statu innocentiæ habuisse inter se necessariam connexionem ex suprema ordinatione Dei. Decreverat enim Deus, ut iustitia originalis amitti non posset sine amissione gratiæ concomitantèr; unde consequens erat, ut carentia iustitiæ originalis virtualitèr ex ordinatione divina includeret carentiam gratiæ sanctificantis, proindèque aversionem virtualem à Deo, ut fine ultimo. Idemque dicendum de effectu formali constituendi animam viventem vita spirituali, & eam Deo amicabilitèr dilectam; scilicèt, quod licèt secundùm se inspecta iustitia originalis huiusmodi effectus non præstaret; ratione tamen connexionis, & concomitantiæ cum gratia sanctificante ex divina ordinatione, hęc omnia virtualiter, etiam præstabat.

7 Dividuntur inter se Discipuli Subt. Doct. Hunc sensum habere opinionem Subtilis Doct. asserentis peccatum originale consistere formalitèr in privatione iustitiæ originalis; latè, & eruditè probat Mastrius tomo 2. disp. 4. de peccatis q. 5. a. 5. Attamen inter Scoti discipulos adest, aliquod dissidium circa præfatam constitutionem. Aliqui enim asserunt peccatum originale adæquatè constitui per privationem iustitiæ originalis, pròut

hæc

hæc dicit habitum adæquatè distinctum à gratia, & charitate. Ita Anton. Andr. Tartaretus, Liquetus, Scotelus, Gratianus, Brixien. Nicol. de Nisse, Faber, & alij, quos refert Mastrius ubi sup. n. 111. Alij tamen tuëtur privationem utramque, scilicèt, & iustitiæ originalis, & insuper, privationem gratię sanctificantis, ingredi constitutionem adæquatam peccati originalis: ita ut nèc sola privatio iustitiæ originalis, nèc sola privatio gratiæ constitueret adæquatè peccatum originale, sed complexum utriusque. Ita Mastr. ubi sup. cum aliquib. Scotist. suppresso nomine ab ipso relatis. His non obstantibus plures Antiqui Theologi, & Moderni sentiunt, Scotum in 2. dist. 29. q. 1. §. *Potest dici*, & solut. ad 4. posuisse iustitiam originalem in quoddam dono entitativè naturali perficiente voluntatem in ordine ad Deum sub ratione boni delectabilis, per quod etiam appetitus subijciebatur rationi, & caro spiritui. Ita Mag. Lorca disp. 43. Mag. Zumèl q. 82. disp. 2. art. 3. Vazq. disp. 132. n. 28. & alij. Quapropter ut mai. dist. procedamus, & ut omnis modus tuendi sententiam Doct. Subt. impugnetur.

§. II.

STATUITUR PRIMA CONCLUSIO.

Privatio alicuius doni entitativè naturalis nequit constituere adæquatè peccatum originale parvulorum.

EST expressè contra Didacum de Payba lib. 3. Orthodoxarum explicationum, quem refert M. Zum. & contra D. Bonav. d. 30. a. 2. q. 1. Ricard. a. 4. q. 1. Gabr. & alios, * quos refert Vazq. si iustitiam originalem, in cuius privatione, pròut distincta à privatione gratiæ, constituunt adæquatè peccatum originale; asserant fuisse entitative naturalem; estò supernaturalem ex parte efficientis; quia infussa supra exigentiam naturæ. Prob. concl. Peccatum originale consistit in privatione illius doni, per quã posteri constituuntur iniusti, inimici Deo, & digni pœna æterna. Sed huiusmodi privatio nequit esse carentia doni entitativè naturalis: ergò in tali privatione &c. Mai. Videtur certa, & prob. Peccatum originale consistit in illa privatione, quæ se habet ut terminus *à quo* iustificationis, quæ fit per Sacram. Baptismi; sed terminus *à quo* talis iustificationis est hominem esse iniustum, Deo inimicum, & dignum damnatione æterna, ut constat ex Cõcil. Trid. sess. 6. c. 4. & 7. sic definiente præfatam iustificationem, scil: *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statũ gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per quam homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus*: ergò. Min. Prob. Nequit privatio illius doni constituere hominem iniustum, & inim. si tale donũ nequit reddere hominem formalitèr iustum coràm Deo, ipsique amicum, & hęredem secundùm spem vitæ æternæ; siquidèm privatio nequit pręstare denominationem oppositam immediatè ei, quam forma, cuius est privatio, præstare nequit. Atqui homo nequit constitui iustus coràm Deo, eique amicus, & cum iure ad vitam æternam per aliquod donum entitative materiale; cùm sit fide certum iuxta Conc. ibid. causam formalem nostræ iustificationis, à qua omnia supra dicta proveniunt, esse donum gratiæ habitualis: ergò.

8 *) De quo n. antec.

Probatur

9 Confirm.

Confir. Peccatum originale consistit in illa privatione, per quam homo redditur aversus à Deo, ut fine ultimo supernaturali; sed talis privatio nequit esse carentia alicuius doni entitativè naturalis: ergò. Min. constat: Nàm aversio à Deo, ut fine ultimo supernaturali, dicit essentialitèr privationem coniunctionis cum Deo, ut fine supernat. quæ quidèm coniunctio præstari debet necessariò à forma entitativè supernatur. Mai. præterquamquod videtur certa prob. 1. Peccatum originale consistit in illa privatione, quã homo nascitur filius iræ; hoc est: dignus pœna damni. Sed huiusmodi dignitas essentialitèr dicit aversionem à Deo, ut fine ultimo supernrali; cùm pœna damni consistat in carentia possessionis Dei, ut obiecti beatifici, & finis supernaturalis gratiæ: ergò. 2. Nàm homo per peccatum originale est offensus Deo, ut A. Supern. sed hoc est esse aversum à Deo, ut fine supernatur. ergò. Mai. prob. Homo per peccatum

originale est offensus Deo ea ratione, quà ipsum iustè punit propter peccatum. Sed dùm Deus punit hominem propter peccatum originale, punit ipsum, ut A. supernaturalis, scil. repellendo illum à gratia, & gloriæ participatione: ergò. Deniq. prob. concl. Si peccatum originale in privatione alicuius doni naturalis adæquatè consisteret, non exigeret per se ex natura rei ad sui remissionem donum aliquod entitativè supernaturale; privatio enim ad sui exclusionem solum per se requirit existentiam formę, qua privat. Sed consequens est manifestè absurdum; utpote contra doctrin. Concilij Trident. & PP. asserentium causam formalem nostræ iustificationis esse gratiam Dei: ergò &c. Dicta pro re adeo manifesta sufficiant.

Ultimo prob.

§. III.

STATUITUR SECUNDA CONLUS.

Peccatum originale nequit adæquatè consistere in privatione iustitiæ originalis, proùt hæc erat donum adæquatè distinctum à gratia sanctificante.

10 EST contra Antiqniores Scotistas, quos sup. n. 6. retulimus. & S. Bonav. Alensem, Ricardum, quos citat Lorca hic disp. 43. Et quibus pronùnc libenter concedimus tale donum iustitiæ fuisse entitativè supernaturale, illoque privatos nasci posteros descendentes ex Adamo. Pr. 1. concl. ex superius dictis. Peccatum originale iuxta Concil. Trid. consistit in morte spirituali animæ, ita sess. 5. can. 2. definiente: *Adamum per suæ inobedientiæ peccatum transfudisse in omne genus humanum, nedùm mortem, & pœnas corporis, sed etiam peccatum, quod est mors animæ*; consonatque Apost. ad Rom. 5. dicens: *Unius delicto omnes mortui sunt*, & tursùs: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Sed mors spiritualis animæ est privatio vitæ spiritualis ipsius: ergò peccatū originale in privatione eiusmodi vitæ consistit. Tùm sic, sed iustitia originalis, proùt est habitus à charitate, & gratia distinctus, nequit dici propriè vita spiritualis animæ: ergò. Min. prob. 1. à Mastrio ex mente Doct. Subtilis, in reportatis dist. 33. quæst. unica §. *Alia est via principalis*, ubi expresiè affirmat iustitiam originalem ratione sui non esse vitam spiritualem, ac supernaturalem animę. Deinde prob. Animam vivere vita spirituali supernaturali est esse unitam Deo, ut fini ultimo supernaturali, & posse mereri, sive elicere opera meritoria vitæ æternæ; hac enim ratione explicatur à Christo Domino Ioannis 4. talis vita supernaturalis illis verbis: *Fiet in illo fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam.* Cuius doctrinæ ea est ratio: quia cum vivere sit se movere; tùnc propriè anima vivit vita supernaturali, quando in se habet principium; vi cuius potest se movere merendo vitam æternam, & adhærendo per amorem Deo, ut fini supernaturali. Atqui nihil horum præstabat iustitia originalis, proùt erat habitus à gratia, & charitate distinctus; ut est certum, tùm ex prænotatis, tùm ex doctrina Doct. Subtilis; & ex distinctione inter prędicta dona: ergò iustitia origin. &c.

Prob. ex dictis

Confirm. Nàm admisso tale donum aliquatenùs vivificare supetnaturaliter animam, talis vita erit imperfecta, & longè inferior ad vitam præstitam à gratia sanctificante. 1. Quia ab illa non possent opera meritoria vitæ æternæ procedere, quæ quidem solum iuxta PP. & Concilia, dicuntur opera viva. 2. Quia principium ratione sui impotens digne perducere hominē ad vitam ęternam; non est propriè, & perfectè vita supernaturalis animæ. 3. Quia tale donum solum esset principium in voluntate alicuius amoris Dei, scil. sub ratione boni delectabilis; quiquidem amor est valdè imperfectus, & sine amore charitatis impotens vivificare nostra opera. Quæ omnia clarè constant; tùm in habitu fidei; tùm in habitu spei, & actibus ab illis procedentibus: in quibus, etsi inveniatur vitalitas supernaturalis, & coniunctio animæ ad Deum; est tamen imperfecta. Qua ratione etiam in sensu compositio illius, deficiente tamen gratia, & charitate, anima, dicitur spiritualiter mortua: eiusque similiter opera,

II

Confir.

ergò, aut fatendum est ab Adv. peccatum originale nõ esse propriè mortem spiritualem animæ; aut concedendum in privatione iustitiæ originalis adæquatè non consistere.

2. Pr. eadem concl. ex Conc. Trid. 12
sess. 6. ubi sup. sic definiente iustificationem impij, scil. *Translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, quo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus.* In qua definitione cõprehendi iustificationem hominis à peccato originali, est omninò certum; tùm ex illis verbis *primi Adæ.* Tùm quia Concilium assignat pro causa efficienti illius Sacram. Baptismi per se institutum ad remissionem peccati originalis. Quo supposito sic efformo discursum. Peccatum originale essentialitèr dicit illam privationem, quæ se habet, ut terminus *à quo* in iustificatione facta per Sacramentum Baptismi; sed huiusmodi privatio nequit adæquatè esse privatio iustitiæ originalis: ergò in tali privatione &c. Mai. constat: Nàm terminus *à quo* iustificationis impij est culpa, macula, & iniquitas illius. Min. vero pr. 1. ex illa particula *ex inimico amicus.* Privatio se habens ut terminus *à quo* in tali iustificatione est illa, per quam homo est Deo inimicus. Sed privatio solius iustitiæ originalis nequit ratione sui reddere hominem Deo inimicum: ergò. Prob. min. Nequit privatio illius formę reddere hominem inimicum Deo, quæ ratione sui non est privatio amicitiæ cum Deo; sed sola iustitia originalis non est ratione sui potens reddere hominem amicum Deo, ut est innegabile iuxta mentem Doct. Subtilis, & aliàs non differret à charitate: ergò.

Prob. 2. authorit.

2. Prob. eadem min. ex illis 13
verbis: *Filius primi Adæ.* Hominem nasci filium primi Adæ est iuxta Div. Paulum ad Ephesios 2. *Nasci filium iræ, & indignationis divinæ.* Sed sola privatio iustitiæ originalis nequit huiusmodi effectum præstare: ergò sola illa non est terminus *à quo* iustificationis impij. Prob. min. Hominem nasci filium iræ est esse dignum, ut Deus ipsum puniat iratus. Sed hæc punitio principalitèr consistit in carentia visionis, & amoris Dei, constituentium vitam æternam: ergò peccatum originale consistit formalitèr in privatione illius doni, per quod homo fit dignus visione, & amore Dei. Sed fieri sic dignum repugnat soli iustitiæ originali, & prout non includit gratiam, & charitatem: ergò ex vi privationis talis iustitiæ non nascitur homo propriè filius iræ &c. Eadem ponderatio deduci potest ex illis verbis, scilicèt: *Ex iniusto iustus*: privatio enim solius iustitiæ originalis non est propria iniustitia hominis coram Deo iuxta Adversar. cum iustitia originalis nequeat propriè denominare hominem iustum coram Deo; Tùm quia nequit illum constituere sanctum; Tùm quia nequit illum convertere ad Deum, ut filium ultimum simplicitèr, & illum ordinare ad vitam æternam. Quomodo enim potest quis esse iustus positivè coram Deo, si non rectè positivè est dispositus in ordine ad suum ultimum finem, cui debet subordinari.

2. Prob. min.

3. Probatur conclusio ex alijs 14
verbis Concilij Tridentini sess. 5. canon. 1. & 2. asserente: *Adam per inobedientiæ peccatum perdidisse sibi, & nobis, acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam.* Et omisso pronùnc nomine iustitiæ intelligi donum iustitiæ originalis à gratia, & charitate adæquatè distinctam: sic argumentor. Adam perdidisse nobis sanctitatem à Deo acceptam, est illam fuisse nobis debitam ex ordinatione divina, si ipse non peccaret: ergò carentia talis sanctitatis in nobis est vera privatio inducta ex peccato Adami. Tùm sic. Privatio formæ sanctificantis, ut inducta ex peccato Adami; nequit non constituere peccatum originale, semèl, quod in privativo consistat; sed talis privatio sanctitatis dicit formalitèr privationem gratiæ, & charitatis; cum ab his formis, non verò à iustitia originali, denominatio sancti provenire valeat: ergò in privatione solius iustitiæ originalis &c. Dicere autem cum Mag. Fabro iustitiam originalem constituere hominem sanctum, & amicum Dei: est prorsùs falsum, & contra Scot: & item confundere præ-

Tertia probatio.

Quædam responsio

dicata iustitiæ originalis,& gratiæ habitualis,& insuper sequeretur in Adamo fuisse duplicem sanctitatem ex æquo distinctam.

15 Quod si velis motiva supra adducta sub alia forma satis efficaci proponere,poteris uti sequenti forma.Semèl quòd peccatum originale in privativo cõsistat,ut tenẽt Adv.nequit à formali constitutivo illius privatio gratiæ sanctificantis excludi: ergò 1. admisso nequit adæquatè in privatione iustitiæ originalis consistere.Pr. añs.Nequit excludi à constitutivo peccati originalis in privativo consistentis, illa privatio quæ propriè constituit *hominem iniustum, Deo inimicum, & filium iræ*; sed huiusmodi est privatio gratiæ habitualis:ergò.Mai.pr. efficacissimè. Nequit excludi à constitutivo peccati originalis consistentis in privativo id, quod se habet, ut terminus *à quo* in iustificatione originalitèr impij; cum terminus *à quo* talis iustificationis sit culpa originalis secundùm rationem peccati,& maculæ. Sed privatio constituens *hominẽ iniustum,Deo inimicum,& filium iræ divinæ* dicit formaliter formalitates, & munia termini *à quo* iustificationis impij,ut evidenter constat ex definitione superiùs adducta : ergò. Min.vero etiam efficacissimè pr. Privatio formæ constituentis hominem propriè iustum,Deo amicum,& filium adoptionis, constituit hominem propriè iniustum,Deo inimicum,& filium iræ ; non enim aliæ denominationes magis immediatè oppositæ excogitari possunt pro forma,& privatione illius. Sed gratia habitualis constituit hominem propriè iustum, & filium adoptionis,Deoque amicabilitèr dilectum, ut est fide certum : ergò.

Alia forma probandi cõclus.

16 Confir.Nàm semèl quod peccatum originale sit *mors animæ*, ut fatentur Adv.ex Trid. nequit ab illius constitutivo excludi privatio illa, quæ mai. cum proprietate, quã privatio iustitiæ originalis,obtinet rationem mortis.At qui huiusmodi est privatio gratiæ habitualis,cum gratia habitualis sit propriè vita supernaturalis animæ, præbens ius homini ad vitam æternam: ergò talis privatio nequit excludi &c,

Confirm.

Urgetur. Urget. Apud constituentes peccatum originale in aversione creaturæ à Deo, ut fine ultimo, & per quem redditur abominabilis Deo, nequit aversio illa quæ est formalis, & perfecta aversio, ab illius constitutione excludi; sed huiusmodi est privatio gratiæ;cum gratia sit perfecta, & formalis conversio ad Deum,ut finem ultimum: ergò. Quod si fortè dicatur gratiam habitualem non fuisse debitam posteris;aut Adamum non fuisse obligatum ad illius traductionem mediante observantia præcepti; proindèque talem privationem non esse voluntariam,& culpabilem. Contra hoc stat expressè authoritas Concil.superiùs adducta, dicentis Adamum perdidisse nobis sanctitatem. Ulteriùs : Nàm si Adv. tenent Adamum fuisse obligatum ad traductionem iustitiæ in illis verbis : *In quacumque die comederis &c.* quomodo non fuit obligatus ad traductionem gratiæ sanctificantis, si privatio huius est maiori cum proprietate mors spiritualis animæ, quam ibi Deus comminatus est Adamo, & suæ posteritati, si peccaret?

17 Occurritur brevitèr aliquibus inst.

Contra hanc conclusionem nihil se offert speciale, quod ex dictis facile solvi nequeat. Si enim quis objiciat: privationem gratiæ sanctificantis non spectare ad constitutionem peccati originalis:vel quia est pœna illius, vel quia non fuit debita parvulis, etiamsi Adamus non peccaret ; eo quod durante statu innocentiæ parvuli nascerentur iustitia originali prædita, non vero gratia sanctificanti. Si, inquam, hæc objiciantur, facilè solvuntur dicendo, ex eis probari etiam privationem iustitiæ originalis non esse adæquatè peccatum originale;ut tantispèr considerànti patebit. Unde quod ipsi respondeant ,,nos etiam respondebimus.Illud,quod additur,scil. parvulos Adamo non peccante non fore nascituros cum gratia sanctificante;est omninò falsum,& voluntariè dictum , de quo expressè D.Th.1.p.q.100.ar.1.& contra Concil.asserens: *Adamum perdidisse nobis,tùm iustitiam,tùm sanctitatẽ*. Si rursùs objicias S. D. Anselm.lib. de Conc.Vir.c.26.affirmare *peccatum originale in sola nuditate iustitiæ consistere.* Resp.Hoc nomen *iustitia* apud Script. Concil. & PP. dùm fit sermo de illa, quatenùs reddit hominem iustum co-

ram

ram Deo, significare gratiam habitualem, quę est unica formalis nostræ iustificationis. Si tandèm obijcias: privationem iustitiæ originalis esse priorem privatione gratiæ sanctificantis; cū illa esset dispositio ad istam Adamo non peccante. Resp. (hoc omisso) esse priorem ordine executionis; secùs tamen ordine aversionis, & inimicitiæ cum Deo, ut ex superiùs dictis clarè constat; peccatum autem originale magis in hac 2. prioritate, quam in 1. consistit.

Si dicas.

Resp.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Privatio iustitiæ originalis, proùt hæc est habitus adæquatè distinctus à gratia habituali, non spectat adhùc inadæquatè ad constitutionem peccati originalis.

18 EST expressè contra Mastrium, & alios Recent. Scotistas, & iuxta ipsos contra Scotum in 2. d. 32. q. unic. §. quòad 1. & alibi. Admittimus pronùnc iustitiam originalem fuisse adæquatè distinctam à gratia, & ex natura rei inconnexam cum illa; cuius proprium munus erat unire voluntatem cum Deo sub ratione boni delectabilis, & subijcere appetitum rationi. Prob. 1. Peccatum originale adæquatè consistit in privatione iustitiæ originalis, proùt hęc dicit effectum formalem constituendi hominem sanctum, & Deo gratum: ergò non consistit adhùc inadæquatè in privatione iustitiæ; proùt erat donum distinctum à gratia sanctificante. Sed quia exprofessò veritas antec. ostenditur dub. speciali; ideò magis directè prob. concl. insistendo doctrinæ Adv. Peccatum originale formalitèr dicit aversionē à Deo, ut fine ultimo creaturæ rationalis iuxta fatim Sacr. Script. & SS. PP. ergò illius essentia consistit in illa privatione, per quam sic homo est aversus à Deo; sed privatio iustitiæ originalis non est huiusmodi: ergo nèc inadæquatè constituit peccatum originale, Prob. min. Privatio formæ, quę non est conversio formalis hominis ad Deum, ut finem ultimum simplicitèr, non est aversio à Deo, ut fine ultimo: cùm aversio in privatione conversionis cōsistat; sed iustitia originalis non est conversio creaturæ rationalis ad Deū ut finem ultimum, ut fatetur Scotus, & rursùs, quia ex oppositō sequeretur, non distingui à charitate: ergò.

Prob. 1.

Alia probatio.

Confir. Peccatum originale debet consistere in illa aversione, quæ dicit ex se oppositionem cum conversione, quam tribuit forma remissiva peccati originalis; sed forma remissiva peccati originalis est gratia sanctificans: ergò cùm conversio ab illa præstita sit conversio animæ ad Deum, ut finem ultimum supernaturalem simplicitèr, peccatum originale debet consistere in aversione à Deo, ut fine ultimo supernaturali simplicitèr: ergò cùm privatio iustitiæ originalis non sit huiusmodi, in illa nequit &c. Omnia const. & mai. prob. Peccatum originale consistit in illa aversione, quæ est vera iniquitas, & obtinet veram rationem culpæ; sed omnis formalitas iniquitatis, & culpæ ex se dicit oppositionem cùm forma remissiva sui: ergò. Urgetur. Iuxta Adv. iustitia originalis solùm uniebat voluntatē Deo sub ratione boni delectabilis, & non sub ratione finis ultimi supernaturalis; illa autem unio, ut ex se patet, erat tantùm secundùm quid, & valdè imperfectè talis, cum adhùc non pertingeret ad unionem, quàm præstat habitus supernaturalis spei, utpotè efficax tendentia in actu 1. ad consecutionem Dei sub ratione obiecti beatifici. Quo nō obstante unio animæ cum Deo per spem est secundum quid talis, & de se compatibilis cum peccato habituali. Ex quibus constat aversionem in privatione iustitiæ originalis consistentem esse secundùm quid, & imperfectè talem. Tùm sic: peccatum originale adęquatè essentialitèr sumptum est verè, & propriè iniquitas, & habitualis offensa Dei: ergò adæquatè sumptū vera, & propria aversio à Deo: ergò si aversio in privatione talis iustitiæ consistens, non est verè, & propriè talis; sicuti nec iustitia erat verè, & propriè conversio animæ ad Deum; nequit adhùc inadæquatè &c. Ex quibus inferes iuxta sententiam Adv. peccatum originale quòad sui essentiam esse partim aversionem à Deo secun-

19

Confir. 1.

Urgetur.

dùm quid talem,&partim aversionem à Deo simpliciter dictam. Quod assertum de se videtur absurdum, & ex illo sequitur peccatum originale dicendum fore, partim secundùm quid, & partim simpliciter peccatum.

20 Huic rationi Resp.Mastrius ex Scoto in Report.d.33.q.unic. disting. duplic.aversionem à Deo,unam formalē, & immediatam; aliam mediatam, & virtualem;qua dist.suppositа asserit ad rationem peccati habitualis originalis utramque aversionem pertinere. Et quamvis privatio iustitię originalis nō sit aversio formalis, & immediata à Deo; est tamen virtualis, sive mediata;ideòque ad essentiam illius inadæquatè spectare potest.Quod si quæras; cur talis privatio sit virtualis aversio à Deo,ut fine ultimo; cum iustitia originalis non converteret animam in Deū sub ratione boni supernaturalis?Resp. Mastrius ubi sup n. 122. & 124.quòd cùm ex divina ordinatione connecterentur iustitia originalis,&gratia sanctificans,talitèr,ut una non possit amitti,aut existere, sive altera; privatio unius;&similitèr,eius positio,essent virtualitèr, & mediatè positio, & privatio alterius.

Solutio Scotistar.

21 Hæc tamen solutio,quę totum fundamentum Adv.continet, & per quod occurrere prætendunt, tùm rationi supra positæ; tùm alijs infra ponendis: deficit 1. Nàm etsi fateamur cū Ang. Præc.2.2.q.20.a.1.& q.34.a.2.similem duplicem aversionem à Deo,quā describit solutio; ex quibus 1. convenit peccatis actualibus oppositis virturibus Theologicis,2.vero alijs peccatis; attamen in diverso sensu; cum iuxta S.D.aversio àDeo utfine mediatè,&ex conseq. tali, conveniat omni peccato mortali perse,&ex natura rei;eo quod in omni peccato læthali præponitur creatura Creatori quantum ad affectum peccatoris diligentis bonum commutabile sub ratione ultimi finis: ex qua præferentia affectiva necessariò sequitur aversio à Deo,ut ultimo fine. Scotus vero,&eius discipuli,adstruunt huiusmodi aversionem in privatione iustitiæ originalis propter connexionem extrinsecam, provenientem ex ordinatione divina connectenti iustitiam originalem cum gratia sanctificante.Ex quo discrimine apparet, immeritò,aut impropriè,dici prædictam privationem aversionem purè mediatā,sive virtualem à Deo ut fine ultimo simpliciter alij; res enim propriè denominantur ex effectibus, & prædicatis ab intrinseco ipsis convenientibus, & non tantum ab extrinseco ordinationis divinæ.

Rejic. 1.

Ex quo discrimine impugn.2.solut. Eatenus privatio iustitię originalis esset aversio à Deo,ut fine ultimo, quatenùs ex ordinatione divina talis privatio connectebatur cum privatione gratiæ sanctificantis.Sed hæc ratio est nulla: ergò & solut.doct.Prob.min.1.à paritate: Nàm licet ex divina ordinatione posito actu contritionis necessariò ponatur gratia sanctificationis, nequit propter hoc dici cum proprietate loquēdo*hominem iustificari per actum charitatis,aut contritionis, sive nequit affirmari, sanctitatem, & iustitiam hominis quòad essentialia consistere adæquatè in complexo ex actu contritionis,& gratia sanctificante,*ut frequentèr docent Theol.cont.P.Vazquez,& alios.Quod exemplum fortiùs urget,etiamsi actus charitatis, & contritionis physicè,& ex natura rei connectatur cum gratia habituali, sicuti ultima dispositio physica connectitur cum forma,ad quam disponit;quę quidem connexio placet Thomist.& alijs Theol.Fortiùs, inquam,urget propter intimiorem conexionē.Si igitur ex illa non licet inferre rationem iustitiæ, & sanctitatis inveniri cum aliqua proprietate in actibus charitatis,&contritionis,multò minùs aversio à Deo, ut fine ultimo,invenietur cum proprietate in privatione iustitię originalis propter connexionem provenientem ex ordinatione Dei cum privatione gratiæ sanctificantis.

22 Secundò.

Ratio à priori est: Nàm sicuti effectus formalis formæ nequit,nisi impropriè,& extrinsecè,appropriari dispositioni ad ipsam formam;ita privatio talis effectus formalis, non nisi impropriè, & extrinsecè,prædicari potest de privatione dispsitionis: & maximè; dū inter dispositionem, & formam adest extrinseca connexio. Quod dictum exemplis demonstrari potest, tàm naturalib. quàm supern. Atqui averti à

23 Roborātur dicta.

Deo

Deo ut fine ultimo ſupernaturali averſione habituali, quæ ſit culpa, & iniquitas, eſt proprius effectus privationis gratię habitualis; cùm cõverſio habitualis ad Deum, ut finem ultimum per modum ſanctitatis, ſit propria ipſius gratiæ, etiam in Adamo, ut fatetur Maſtrius impugnans Fabrum aſſerentem, iuſtitiam originalem conſtituiſſe Adamum Sanctum: ergò dicere averſionem à Deo, ut fine ultimo ſupernaturali, inadæquatè inveniri in privatione iuſtitiæ originalis, eſt impropriè loqui.

24 Nec prodeſt diſtinctio de averſione formali, & virtuali, ſive purè mediata. Non inquam prodeſt: Nàm hoc eſt tantùm ludere terminis; quod ſic prob. 1. Dùm dicis: privationem iuſtitiæ originalis eſſe virtualem averſionem à Deo, ut fine ultimo; vel concedis averſionem aliquam, quæ verè, & propriè ex parte obiecti ſit talis, vel non? Si 1. ergò debes fateri in ipſa iuſtitiâ originali daric onverſionem eiuſdẽ ad Deum, ut finẽ ultimum, quæ etſi virtualis ſit, verè, & propriè ex parte obiecti ſit converſio habitualis ad Deum. Conſeq. patet: Nàm iuxta modum auerſionis repertum in privatione formæ, eſt modus converſionis in forma. Tùm ſic: Vera converſio ad Deum, ut finem ultimum ſupernatulem, eſt ex terminis vera ſanctitas, & amicitia hominis cum Deo: ergò in iuſtitia originali debet admitti verus, & proprius conceptus ſanctitatis, & amicitiæ cum Deo: quod apertè negant Adverſ. Si 2. ſic argum. Nequit inadæquatè ingredi ad conſtitutionem peccati (quod in ratione talis eſt ſimplicitèr, & cum proprietate averſio à Deo, ut fine ſupernaturali) id, quod ſecundùm ſibi intrinſeca eſt tantùm impropriè, & ſecundùm quid averſio: aliàs peccatum originale non eſſet ſimplicitèr, nèc univocè peccatum, ſed partim ſimplicitèr, & partim analogicè cum alijs conveniens: ergò ſi eſſe averſionem virtualem &c.

Reic. 1. diſtinctio data in ſolut.

25 2. & explic. hoc. Dùm dicitur ab Adverſ. iuſtitiam originalem eſſe virtualitèr ſanctitatem animæ, & amicitiam hominis cum Deo propter connexionem ex ordinatione divina cum gratia ſanctificante: ideòque illius privationem eſſe virtualitèr averſionem à Deo, iniquitatem, & inimicitiam; ly *virtualitèr* eſt additum diminuẽs ita, ut à ſanctitate virtuali, & formali non poſsit abſtrahi conceptus verè univocus ſanctitatis propriè talis; vel non? Si 2. ergò in iuſtitia originali admittis conceptum verum, & proprium formæ ſanctificantis, etſi à te appelletur virtualitèr talis. Undè etiã propter eandem rationem affirmare poteris; actum contritionis verè, & propriè ſanctificare, etſi tantũ virtualitèr ſanctif. ſimiliterque lumen gloriæ eſſe veram, & propriam beatitudinem formalẽ, etſi tantum virtualitèr beat. & alia huiuſmodi abſurda. Si 1. ergò, aut fateri debes peccatum originale quòad ſui eſſentiam non eſſe adæquatè ſimpliciter iniquitatem, & inimicitiam hominis cum Deo, ſed partim ſecundùm quid, & partim ſimplicitèr, partim ſecundùm quid peccatum, & partim ſimplicitèr tale (quod eſt adſtruere aliquod aggregatum ſecundùm quid) aut negare debes privationem iuſtitiæ originalis &c.

Secundò.

Ex quib. conſtat inconſeq. in modo loquendi Maſtr. Siquidèm cùm n. 174. argum. convinctus fateatur peccatum originale conſiſtere in carentia illius habitus ſupernaturalis, *qui eſt vera ſanctitas, & vita ſpiritualis animæ*; ſubdit: *Hoc dumtaxat convenire gratiæ, & iuſtitiæ originali: illi quidèm formalitèr, huic verò virtualitèr ob neceſſariam connexionem, quam cum illa habebat in ſtatu innocentiæ.* Conſtat inquam: Nàm dicere, *iuſtitiam originalem eſſe veram ſanctitatem*; & ex alia parte aſſerere, *eſſe talem virtualitèr tantùm ex ordinatione divina cum gratia ſanctificante*; eſt apertè contradictio, & improprietas locutionis: non minus, quàm ſi quis affirmaret dicendo, *actum contritionis eſſe veram ſanctitatem animæ, & lumen gloriæ eſſe veram beatitudinem formalem; licèt tantũ ſit virtualitèr talis ob connexionem contrit. cum gratia, & luminis cum viſione.* Idem dicendum de actu atritionis ſupernaturalis cum Sacramento pœnitentiæ, & (ut magis ad præſens accedamus) de alijs prærogativis, etſi naturalibus entitativè, conceſsis Adamo pro ſtatu innocentiæ, & quas Deus decreverat non auferre, niſi privando

26 Maſtrius non ſatis conſeq. procedit.

do se gratia sanctificante per peccatum. Undè sicut de istis non propriè dicitur habuisse rationem sanctitatis, aut illorum privationem spectare ad essentiam peccati originalis, idem dicendum de privatione iustitiæ.

§. V.

Alia ratio, & variæ solutiones impugnantur.

26 Prob. 2. conclusio

SEecundo prob. eadem conclusio. Id, quod adhùc inadæquatè, non spectat ad terminum primarium *à quo* iustificationis impij per Sacramentum Baptismi, nec inadæquatè constituit peccatum originale; cum hoc secundùm totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sit iuxta Trident. sess. 5. can. 5. terminus destructus (quod est propriè esse terminum *à quo*) per gratiam collatam in baptismo. Sed privatio iustitiæ originalis, nec inadæquatè &c. ergò nec inadæquatè constituit peccatum originale. Prob. min. Terminus primarius à quo iustificationis impij est iuxta definitionem traditam à Concilio ubi supra num. 12. id, quo homo constituitur Deo inimicus, & filius iræ, hoc est dignus carentiæ æternæ fœlicitatis; sed privatio iustitiæ, adhùc inadæquatè non constituit parvulum v. g. inimicum Deo, dignumque, ut à Deo puniatur privatione æternæ fœlicitatis: ergò. Prob. min. ex superiùs dictis. Iustitia originalis iuxta veritatem, si consideretur, ut donum adæquatè distinctum à gratia, & iuxta mentem Scoti, non constituit adhùc inadæquatè hominem Deo amicum, aut dignum æterna fœlicitate: ergò privatio iustitiæ proùt talis nequit adhùc inadæquatè &c. Patet conseq. Nàm iuxta AA. quos impugnamus; hominem esse inimicum Deo, & nasci filium iræ, dicit constitutivè quid privativum: qua ratione asserunt peccatum originale in privativo consistere. Sed non privativum alterius doni magis immediatè oppositi, quam amicitiæ cum Deo, & dignitatis, sive iuris ad æternam fœlicitatem: ergò.

27 1. Resp. reijcitur.

Nec prodest recursus totiès repetitus ab Advers. asserendo, scilicet, iustitiam originalem esse saltim virtualitèr, sive mediatè amicitiam cum Deo, eodemque prorsùs modo constituere hominem dignum æterna fœlicitate: proindèque eius privationem esse inimicitiam virtualem cum Deo, reddereque hominem virtualitèr, sive mediatè filium iræ. Non inquam prodest iuxta superiùs dicta: & rursùs detegendo, quid significet ex parte obiecti ly *virtualitèr* positum ab Advers. Unde sic impugnatur solutio instaurando dicta. Iustitiam originalem dici virtualitèr, & solum mediatè amicitiam hominis cum Deo, & item, dignitatem, sive ius ad æternam fœlicitatem, provenit ex eo, quod talis iustitia erat aliqualis dispositio ad gratiam sanctificantem; vi cuius Deus decreverat eius traductionem commitari gratiam sanctificantem. Ita expressè Scotus, & AA. quos impugnamus. Sed totum hoc ex parte obiecti nihil aliud dicit, nisi esse dispositionem ad amicitiam cum Deo, & congruitatem ad dignitatem æternæ fœlicitatis cum his omnibus extrinsecè connexam: ergò ex parte obiecti non attribuitur vera inimicitia, nec indignitas æternæ fœlicitatis privationi iustitiæ originalis. Consequentia probatur ex paritatibus supra adductis: Nàm, qui affirmaret ob connexionem actus contritionis cum gratia sanctificante, & luminis gloriæ cum beatitudine formali, & connexionem caloris ut octo cum forma ignis*actum contritionis esse virtualiter sanctitatem, lumen gloriæ esse virtualitèr, sive mediatè, adhuc inadæquatè, beatitudinem formalem, & calorem, ut octo virtualitèr constituere ignem, *ex parte obiecti detecta confusione terminorum, nihil aliud diceret, quam omnia supradicta obtinere rationem dispositionis, non vero effectus formales, ad quos disponunt, ab ipsis cum proprietate, adhùc inadæquatè, quòad essentialia participari, ut est evidens: ergò similitèr &c.

28 Alia etiã reijcitur.

Nèc similitèr prodest, si dicas, in definitione iustificationis tradita à Concilio poni etiam ex parte termini à quo illius, hominem esse iniustum; hoc autem præstatur à privatione iustitiæ

titiæ originalis: Nàm cùm illa fuerit vera iuſtitia, privatio illius erit etiam vera iniuſtitia. Non inquam prodeſt. 1. Nàm nomine iniuſtitiæ hominis coràm Deo iuxta Conc. nequit accipi iniuſtitia pro privatione iuſtitiæ originalis. Prob. aſſumptum: Nàm ly *iniuſtum* accipitur à Concil. in ſenſu directè, & immediatè oppoſito ad ſignificationem illius vocis *iuſtum*: Sed ly *iuſtum* iuxta ſenſum Concilij, & omnium Theolog. idem formaliſsimè, àc eſſe *ſanctum*, & *gratum* coràm Deo: quod totum unicè præſtatur à gratia ſanctificante, ut à cauſa formali iuſtificationis: ergò. 2. Nàm ly *iniuſtus* accipitur à Concil. pro iniuſtitia, à qua homo mundatur, tàm in Sacramento Baptiſmi, quàm per Sacramentum pœnitentiæ. Sed iniuſtitia, à qua homo mundatur Sacramento pœnitentiæ, non eſt privatio iuſtitiæ originalis: ergò.

Secundò.

3. Et deniquè: Nàm iuſtitia originalis non uniebat voluntatem Adæ cum Deo, niſi imperfectè iuxta Scotum, ſcilicèt, ſub ratione boni delectabilis; proindèque erat ex natura rei compatibilis cum peccato: ergò tantùm erat iuſtitia ſecundùm quid talis: ergò privatio illius tantùm ſecundum quid iniuſtitia. Sed nulla eſt ratio, ut Conc. loquatur de iniuſtitia ſecundùm quid tali: ergò &c. Idem argumentum fieri poteſt ex eò, quòd peccatum originale iuxta Concil. Trid. eſt mors ſpiritualis animæ, & hoc quidèm conſtitutivè iuxa Maſtr. & alios. Tùm ſic: Privatio iuſtitiæ originalis, nèc inadæquatè eſt mors ſpiritualis animæ. Aſſumptum prob. Nàm iuſtitia originalis, nèc inadęquatè erat propriè loquendo vita ſpiritualis animæ; hæc enim formalitèr dicit eſſe principium dilectionis, & aliorum actuum ſupernaturalium, quibus homo denominatur vivens in actu ſecundo vita ſupernaturali: quæ ratio principij unicè gratiæ, & charitati convenit, non verò iuſtitiæ originali, ut ab ipſis diſtinctæ: ergò cum mors ſpiritualis in privatione vitæ ſpiritualis conſiſtat, peccatum originale ſolũ in privatione gratiæ ſanctificantis conſiſtere debet.

Tertiò

29

Si dicas 1. cum Maſtrio à num. 138. propè finem art. 6. hanc conſeq. eſſe malam: *Sola gratia ſanctificans eſt vita ſpiritualis animæ: ergò ſola privatio illius eſt mors ſpiritualis eiuſdem*: Nàm hæc conſeq. *Sola anima rationalis eſt vita animalis: ergò ſola privatio eſt mors eiuſdem*; eſt mala: cùm etiam privatio animæ ſenſitivæ ſit mors animalis. Contra eſt reijciendo inſtantiam ab ipſo adductam, quæ nullius efficaciæ eſt: ſiquidèm ſola anima rationalis eſt vita animalis, quod eſt homo, quare ſola eius privatio erit mors hominis. Unde ſolùm verificatur mortem alicuius nõ provenire, niſi à privatione illius formæ, quæ ipſum vivificat; licèt non petat provenire à privatione formæ, per quam ipſum, quod eſt mortuum, non vivificatur.

30

Si dicas 2. Iuſtitiam originalem eſſe ſaltim virtualitèr, & mediate vitam ſpiritualem animæ ob connexionem ex extrinſeca ordinatione cum gratia ſanctificante, quæ eſt vita formalis animæ; ideòque privationem talis iuſtitiæ poſſe dici mortem ſpiritualem illius. Si hoc inquam dicatur, obſtat improprietas locutionis totiès reiecta: Nàm cùm eſſe virtualitèr vitam ſit iuxta ipſos Adverſ. eſſe quandam diſpoſitionem, & tantùm extrinſecè connexam cum gratia vivificante animam; hæc omnia non ſufficiunt, ut ſit cum aliqua proprietate vita animæ; aut privatio illius mors ſpiritualis adhùc inadæquatè; ſi cum proprietate loquamur. Conſtat hoc evidentèr in diſpoſitionibus requiſitis ad conſervationem vitę naturalis; & cum eius continuatione connexis. Quis enim dicet, vitam animalis propriè in illis adhùc inadęquatè conſtitutivè conſiſtere, aut mortem animalis inadæquatè conſiſtere, tùm in privatione dictarum diſpoſitionum; tùm in privatione animæ? Nemo ſanè, ſi diſſertè, & cum proprietate loquatur: ergò ex connexione iuſtitiæ originalis &c. aut debet affirmari pectum originale eſſe partim propriè mortem ſpiritualem animæ, & partim eſſe mortem impropriè talem.

31

§. VI.

Ultima ratio.

32 DEnique prob. concluſ. Per gratiam collatam in Baptiſmo deſtruitur iuxta Concil. Trid. quidquid veram, & propriam rationem peccati originalis habet. Sed non tollitur per illam privatio iuſtitiæ originalis, pròut eſt habitus diſtinctus à gratia: ergò talis privatio non ſpectat &c. Prob. min. Non deſtruitur in homine privatio iuſtitiæ originalis, niſi per collationem talis iuſtitiæ, aut formæ continentis eminentèr eius effectum; ſed per gratiam collatam in Baptiſmo non confertur homini iuſtitia originalis &c. cùm eius voluntas maneat prona ad peccatum; & appetitus rebellis rationi: ergò.

33 Ad hoc Reſp. Maſtrius 1. Privationem iuſtitiæ originalis non eſſe, aut conſervari in eſſe talis, niſi adſit debitum ad illam. Undè ceſſante debito habendi iuſtitiam originalem, prædicta privatio tranſijt in puram negationem. Ita contingit in parvulo Baptizato: ſiquidèm debitum habendi iuſtitiam originalem commutatur in debitum habendi gratiam ſanctificantem. Quare ſicuti debens alicui numum argenteum ſatis, ſuperque exolvit, ſi eius vice reddat numum aureum propter exceſſum in valore; ſic ſimilitèr, dùm homini confertur gratia habitualis excedens in perfectione iuſtitiam originalem, aufertur ab illo debitum habendi iuſtitiam originalem, & commutatur in debitum habendi, & conſervandi gratiam, & exercendi opera gratiæ pro loco, & tempore. Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens: Nàm quamvis deficiente debito habendi formam, ceſſet carentia illius ſub ratione privationis; attamen falſum eſt, debitum habendi iuſtitiam originalem extingui per debitum habendi gratiam habitualem. Quod prob. retorquendo exemplum: Nam ſi homo debeat alteri numum aureum, & etiam numum argenteum, per hoc, quod reddat numum aureum, non extinguitur debitum numni argentei. Atqui homo ratione peccati originalis naſcitur privatus, tùm inſtitia originali, tùm etiam gratia ſanctificante; ita ut, utraque privatio ſecundùm ſibi propria inadæquatè illud conſtituat: ergò per hoc, quòd recipiat in ſe gratiam habitualem, non extinguitur debitum iuſtitiæ originalis. Unde ſicuti homo, qui eſſet debitor alterius, partim per obligationem exhibendi unum aureum, & partim per obligationem exhibendi unum argenteum; non diceretur in eo deſtrui per exhibitionem unius aurei, totum id, quod erat obligationis in ipſo: ita ſimilitèr dicendum in præſenti.

1. Solut. reijcitur.

Reſp. 2. Extinctionem debiti habendi iuſtitiam originalem provenire ex acceptatione divina, per quam dùm infundit gratiam habitualem parvulo, dimittit Deus debitum ad iuſtitiam originalem; ideòque talis privatio ceſſat ſub ratione privationis. Sed contra eſt 1. Ergò eatenùs ceſſat privatio iuſtitiæ originalis conſtituens inadæquatè eſſentiam peccati originalis; quatenùs ceſſat debitum habendi illam. Sed hoc iuxta ſolutionem ceſſat per actum divinæ voluntatis dimittentis illud: ergò per talem actum ceſſat in ratione privationis conſtituentis inadæquatè peccatum originale. Sed hoc dicere non congruit doctrinæ Concil. aſſerentis, per gratiam habitualem, tanquàm per unicam cauſam formalem, deſtrui totum id, quod veram, & propriam rationem peccati originalis habet: ergò, aut talis privatio inadæquatè non conſtituit peccatum originale, aut per gratiam habitualem illud adæquatè non deſtruitur.

34 2. Solut. Reijc. 1.

2. & explic. hoc. Id, quod formalitèr extinguit debitum habendi iuſtitiam originalem, deſtruit formalitèr privationem illius ſub formalitate privationis; ſed debitum habendi iuſtitiam originalem formalitèr extinguitur per actum voluntatis divinæ remittentis illud, & complacentis in eò, quòd homo recipiat ſolam gratiam habitualem: ergò talis privatio formalitèr deſtruitur per favorem extrinſecum voluntatis divinæ dimittentis: ergò remiſsio peccati originalis inadæquatè ſumpti fit per favo-

35 Secundò.

rem

rem extrinsecum, & inadæquatè fit per donum gratiæ intrinsecum: ergò falsa est hæc propositio Concil. *Per gratiam collatam in Baptismo auferetur totum id, quod veram, & propriam rationem peccati originalis habet.* Similitèrque falsa erit altera propositio Concil. Trid. *Unica causa formalis iustificationis, quæ est sanctificatio, & remissio peccatorum, est gratia habitualis.* Quę omnia clarè constant sequenti exemplo: Si enim cum homine, qui deberet centum aureos; creditor ita paciscereturr: *Redde mihi tantùm quinquaginta aureos, & dimitto tibi reliquos quinquaginta.* In hoc, inquam, casu debitor ille non diceretur formalitèr extinxisse omne debitum per exhibitionem quinquaginta aureorum, ut est evidens; & insupèr: quia qui tantùm solvit quinquaginta, tantùm in genere causæ formalis extinguit debitũ ut quinquaginta. Undè sicut in dicta hypothesi remissio totius debiti inadæquatè cõsisteret in favore extrinseco; ita dicendum de remissione peccati originalis iuxta solutionem Mastr. adeò, ut favor ille extrinsecus, non utcumque; sed ut causa formalis inadæquata concurreret ad destructionem peccati originalis in esse talis: ergò gratia non est unica &c.

§. VII.

Solvitur fundamentum Scotistarum pro constitutione inadæquata.

36 ARguunt 1. ex Div. Anselmo lib. de Concept. Virg. c. 3. & 26. asserente: *Peccatum originale consistere in nuditate, sivè privatione iustitiæ.* Et quamvis nomine iustitiæ possit intelligi etiam gratia sanctificans, iuxta locutionem Concil. & PP. attamen nulla est ratio, ut nomine illius etiam non debeat intelligi iustitia originalis, pròut erat donum speciale datum à Deo primo Parenti pro recto regimine potentiarum, earumque ad invicèm concordiam: ergò huiusmodi privatio saltim inadæquatè &c. Resp. 1. exponendo Div. Ansel. de privatione iustitiæ originalis secundùm id, quod hæc importabat in recto, & primordialitèr; quæ quidèm erat gratia sanctificans; à qua, tanquàm à radice omnes aliæ perfectiones, tàm supernaturales, quàm naturáles, proveniebant. Ex quo tantùm sequitur, privationem iustitiæ originalis, pròut hæc subijciebat appetitum rationi, & voluntatem Deo, ut bono delectabili, pertinere ad integritatem, & complementum peccati originalis. Sed quia pro nùnc admittimus, iustitiam originalẽ esse adæquatè distinctam à gratia sanctificante, & in ea propriè non radicari. Resp. 2. Div. Anselm. expressè ponere peccatum originale in nuditate iustitiæ, *per quam nascimur filij iræ*; hoc est; privati iure adoptionis ad vitam æternam. Hæc autem privatio solùm convenit privationi gratiæ sanctificantis, cùm iustitia originalis parentibus Adverſ. non constitueret parvulos filios adoptivos Dei, nèc ipsis præberet aliquod ius ad vitam æternam.

Objic. 1.

Solutio.

Arguunt 2. ex Concil. Trident. sess. 5. can. 1. & 2. dicente: *Adamum per inobedientiæ peccatum perdidisse sibi, & nobis acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam.* Ubi per sanctitatem intelligit Concil. gratiam sanctificantem; per iustitiam verò, donum iustitiæ originalis ea ratione, qua à gratia distinguitur; aliàs esset inutilis repetitio. Quo supposito sic argum. Si Adam perdidit sibi, & nobis, non tantùm gratiam, sed originalem iustitiam: ergò hanc iustitiam accepit non solùm pro se, sed etiam pro posteris: ergò eius posteris non solùm fuit debita gratia sanctificans, sed etiam iustitia originalis: ergò carentia iustitiæ originalis est privatio inducta in posteris ex peccato Adami: Sed hoc ipso est peccaminosa, & mala moraliter, ut videtur certum: ergò privatio talis iustitiæ; cùm nequeat esse peccatum personale posterorum; necesse est, ut spectet ad essentiam peccati originalis ipsorum. 37

Objic. 2.

In primis hoc argumentum attento rigore verborum Concil. Trid. non probat intentum Adv. siquidèm ex illis non probatur efficacitèr nomine iustitiæ intelligi donũ à sanctitate distinctum, & non diversa munera, aut formalitates eiusdem formæ. Gratia enim 38

1. Solut.

enim dicitur sanctitas, quatenùs est puritas animæ; hoc enim significat ly *sanctum*; dicitur etiam iustitia, quatenùs constituit hominem in debita dispositione, scilicèt, quia supremum hominis subditur Deo, & inferiores vires illius subduntur rationi; ut docet Div. Thom. hac 1. 2. quæst. 113. art. 1. Dicitur etiam gratia, quatenus hominem Deo amicabilem, & gratum reddit. Quapropter illa repetitio Concil. *sanctitatis, & iustitiæ* non diversitatem doni denotat, sed diversas expressiones, aut munera eiusdem. Quæ omnia Adamus sibi, & nobis peccando perdidit. Hæc doctrina probatur ex ipso Concilio asserenti: *Hominem iustificari, dùm ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus Deo*; ex quo non licet inferre, ly *iustum* significare donum distinctum ab eo, quod significatur per ly *amicus*. Idem dicendum de ly *iniusto*, & de ly *inimico*. Undè sicuti Concil. satis oportunè utrumque nominat, ut nobis innotescat excellentia iustificationis per tot munera, & expressiones, quas à Deo accipimus, ita dicendum de testimonio nobis obiecto.

39 Secunda.

Resp. 2. Tale argumentum probare, privationem omnium donorum, & virtutum supernaturalium commitantium gratiam sanctificantem, spectare ad essentiam peccati originalis. Ratio est: Nàm posteri nascuntur privati omnibus prædictis donis, & virtutibus supernaturalibus, ut est certum, & constat ex parabola Lucę 10. *Hominis descendentis àb Ierusalem in Ierico*: Per quod iuxta Eccleſiæ PP. significatur genus humanum spoliatum omnibus gratuitis, & vulneratum in naturalibus, propter peccatum Adami. Dicere autem, aut Adamum non prævidisse talem expoliationem, aut non fuisse obligatum, ut mediante observatione præcepti reliqua dona, & virtutes supernaturales in posteros traducerentur; est omninò involuntarium, & significationem illius vocis: *Spoliaverunt eum* alienare, & quamplurima testimonia SS. PP. asserentium, omnes posteros Adæ perdidisse omnes virtutes supernaturales, & omnes prærogativas proprias status innocentiæ. Quòd si hac instantia Adver. convicti asserant, omnes privationes repertas in posteris, nedùm ad integritatem, & complementum peccati originalis, sed ad illius essentiam partialitèr pertinere, ipsi viderint, & qualitèr omnes ille privationes concurrant inadæquatè ad reddendum hominem Deo inimicum, & filium iræ, & indignationis divinæ: Idemque dicent de peccato personali.

40 Tertia.

Ex hoc Resp. 3. Peccatum originale quòad sui essentiam non in quacumque privatione debere consistere, sed in illa, quæ est omninò prima origo, radixque cæterarum; sicuti sanctitas quòad essentiam considerata, non in quacumque rectitudine hominis, etsi permanenti consistere debet; sed in illa, quæ se habet, ut principium, & radix cæterarum perfectionum supernaturalium. Quapropter sicuti dona, & virtutes supernaturales concomitantes gratiam habitualem, ad summum spectant ad integritatem, & complementum iustificationis impij; ita dicendum de privatione iustitiæ originalis (admisso quòd distinguatur realitèr à gratia) & de privatione aliorum donorum, & perfectionum etiam naturalium, cum quibus nascerentur parvuli, si Adamus non peccasset. Ratio huius doctrinæ est: Nàm privationes repertæ in peccato originali eo modo coordinari debent inter se, quo ordinabantur perfectiones status innocentiæ, & iustitiæ originalis. In his autem sola illa perfectio, quæ subijciebat animam Deo, ut A. & fini ultimo supernaturali, erat prima perfectio, & quasi radix aliarum; talitèr enim erant inter se concatenatæ, ut quandiù primus homo non excluderet à se per peccatum gratiam sanctificantem, conservarentur in eo prærogativę pro statu innocentiæ concessę naturæ humanæ. Ex quo infertur, primam privationem in peccato originali inventam fuisse privationem gratiæ perfectè convertentis animam ad Deum, ipsique gratam constituentis; reliquas verò privationes, etsi imputabiles, spectare per modum proprietatis ad peccatum originale. Quod explicari potest à simili in peccato habituali per-

personali; per quod homo, non solùm est dignus pœna æterna (in qua condignitate, sive reatu asserit Mastrius, & alij Scotistæ essentiam illius constituere) sed etiam manet culpabiliter privatus, tùm gratia, tùm virtutibus infusis ipsam comitantibus: quin privatio horum constituat tale peccatum.

41 Ratio à priori omnium est: Nàm semèl quod peccatum originale in privatione consistat, debet hæc esse talis, ut sit mors spiritualis animæ, constituens hominem iniustum, Deo inimicum, filiumque iræ, & indignationis divinæ; omnes enim istæ denominationes sunt notæ, quibus Concil. Trid. essentiam peccati originalis explicat. Privatio autem iustitiæ originalis, ut distinctæ adæquatè à charitate, & gratia, nihil horum ratione sui præstare valet; cùm ipsa iustitia non posset hominem Deo amicum, filiumque adoptionis constituere; nèc similiter propriè iustum coràm Deo; sed solùm secundùm quid, iustitia scilicèt, in concordia appetitus cum ratione consistente. Sicuti ergò conceptus sanctitatis non nisi perfectioni supernatuali, quæ est aliarum radix, attribuitur, & per quam homo redditur Deo amicus, dignusque gloria æterna (qua ratione hic modus arguẽdi est inefficax, scilicèt: *Alia dona præter gratiam rectificant moraliter hominem, ipsumque Deo placentem constituunt: ergò saltim inadæquatè ipsum sanctificant*) ita proportionaliter debemus discurrere de peccato, & privatione iustitiæ originalis, etsi mala moraliter, aliqualiterque displicenti Deo. Pro his enim sufficit spectare ad integritatem peccati originalis, & se habere per modum proprietatis ad illius essentiam consecutæ.

Solutionis doctr. fundatur.

42 His positis, & animadversis superfluum existimo alia argum. quæ in sui favorem adducit Scotus proponere. Omnia enim intendunt probare, privationem iustitiæ originalis, sive doni integritatis subijcientis appetitum rationi, esse parvulis culpabilem, & malam moraliter; eò, quòd tale donum fuit debitum ipsis ex ordinatione divina, & Adamus lege, saltim naturæ, fuerit obligatus eam traducere; cùm quilibet lege naturæ, & charitatis, teneatur servare integritatem, & perfectionem spiritualem suæ naturæ. Si ergò talis privatio fuit voluntaria Adamo, & insuper est privatio formæ debitæ haberi à parvulis, nulla est ratio, ut non sit mala moraliter. Superfluum inquam existimo: Nàm admisso pronùnc talem privationem esse culpabilem, & malam in se moraliter, adhùc deficit ipsi esse talis conditionis, ut ratione sui constituat hominem Deo inimicum, & dignum odio ipsius, ut cõstat ex dictis; & rursùs à paritate aliorum donorum supernaturalium rectificantium moraliter hominem; non tamen adhùc inadæquatè iustum, & Deo gratum constituentium. An autem privatio iustitiæ, & doni integritatis in parvulis sit in se, & intrinsecè mala moraliter? Circa hoc dissident inter se Illustr. Godoy hic disp. 37. §. 3. & Mag. Ferre hic quæst. 5. §. 2. Ille partem affirmativam tuetur: Hic verò negativam. Cæterùm parùm refert ad præsens, etiam si sententiam Illustr. Godoy admittamus; cùm talis malitia non sit simpliciter talis, & sufficiens constituere hominem Deo inimicum, ut ibidem propugnat Illustr. de quo infra dubio speciali.

Alijs argumentis occurrit.

§. VIII.

In quo ex dictis excluditur alius modus dicendi.

EX eisdem principijs excussa manet opinio M. Lorca asserentis hic disp. 43. §. *Sed ista varietate omissa*; peccatum originale consistere, *tùm in privatione gratiæ, tùm in privatione donorum, tàm naturalium, quàm supernaturalium perficientium animam secundùm voluntatem, & intellectum, in statu innocentiæ.* Ratio est: Nàm prædictus Author, vel intendit omnes illas privationes spectare constitutivè ad peccatum originale quòad sui essentiam, vel solùm integraliter, & completivè? quemadmodùm virtutes supernaturales dicuntur consummatio, & complementum sanctitatis. Si 2. non dissentimus prædictæ opinioni; attamen pro nunc so-

43

solùm de essentia peccati originalis disputamus. Si 1. sequitur 1. peccatum originale quòad sui essentiam non esse unum unitate simplicitatis; sed unitate ordinis, scilicèt aggregatum ex plurib⁹ privationibus inter se coordinatis. Quod esse falsum optimè prob. ab Illust. Godoy, & Mag. Ferre ubi supra. Sequitur 2. gratiam collatam parvulis in baptismo non esse unicam causam formalem iustificationis ipsorum. Quod prob. Nàm id, quod in genere causæ formalis destruit privationem constitutivam saltim inadæquatè peccati originalis, est causa formalis inadæquata remissionis illius; atqui privatio charitatis, aliarumque virtutum infusarum, excluditur formalitèr per earum infussionem: ergò ad minùs privatio earum non spectat ad essentiam peccati originalis. Videantur fundamenta supra posita: quæ eodem motivo prob. privationem donorum naturalium, cum qua nascuntur parvuli, non spectare ad essentiam peccati originalis.

Sed objicies 1. in favorem huius Mag. ex Div. Thom. quæst. 4. de Malo art. 2. ad 4. dicente: *Omnis defectus inventus in prole derivatus à peccato Adæ, habet rationem peccati originalis, si sit in subiecto susceptivo culpæ.* Sed appetitus sensitivus, & voluntas sunt huiusmodi: ergò defectus privativi harum potentiarum sunt saltim inadæquatè peccatum originale. Confirm. Iuxta Div. Thom. hic quæst. 82. art. 2. ad 3. *Peccatum originale infecit diversas potentias animæ*; sed hæc infectio fit per privationem donorum, quæ in eis debebant recipi: ergò horum privatio &c. Urgetur. Iuxta Div. Thom. hic quæst. 83. art. 2. *Peccatum originale perprius est in essentia animæ, quàm in potentijs*: ergò peccatum originale inest potentijs animæ; sed in his solùm inest privatio donorum ipsas perficientium; gratia enim solùm inest animæ: ergo talis privatio &c. Vel aliter: Etsi à gratia dimanent virtutes perficientes potentias animæ; falsò tamen dicitur: *Gratia sanctificans perprius est in essentia animæ, quàm in potentijs*; cùm in his nec sit, nec insit: ergò ut propositio Div. Thom. sit vera, necesse est peccatum originale consistere adæquatè in privatione gratiæ, & aliorum donorum privatione.

44 Arg. 1. Confirm. Urgetur.

Ad 1. Resp. Mentem D. Thom. esse satis perspicuam. Loquitur enim de omni eo, quod pertinet, & continetur sub peccato originali, tàm materialitèr, quàm formalitèr; sub qua consideratione omnes deordinationes vitium animæ complectitur. Constat hoc ex corp. ar. ubi concludit dicens: *Sic ergò patet, quòd peccatum originale nihil est aliud, quàm concupiscentia cum carentia originalis iustitiæ; ita tamen, quòd carentia se habeat, quasi formale, concupiscentia, quasi materiale.* Eandem prorsùs continentiam sub peccato originali concedit malitiæ voluntatis, pròut hæc dicit pronitatem ad peccandum in solut. ad 1. & similitèr ignorantiæ in solutione ad 2. Ex quibus constat defectus privativos in appetitu, & voluntate repertos, solùm habere materialitèr rationem peccati originalis; quatenùs scilicèt ex defectu gratiæ in anima proveniunt, ut quid ad ipsum consecutum. Ad confirm. Resp. Quòd sicuti gratia dicitur rectificare universalitèr totum hominem, quia ex ea, ut à radice, omnes aliæ perfectiones supernaturales proveniunt; ita peccatum originale, ex quo derivantur deordinationes afficientes omnes vires animæ, dicitur eas inficere, quin ad hoc necesse sit, ut illas actù essentialitèr includat; sicuti nèc gratia actù essentialitèr dona supernaturalia includit.

45 Reponsi. Ad cõfir.

Ad urgent. neg. conseq. de quo Ferre q. 5. §. 3. Dupliciter enim potest dici peccatum originale esse in aliquo, vel ut in proprio subiecto, vel ut in aliqualitèr denominabili ab ipso; primò modo solùm est anima; in potentijs verò tantùm secundo modo; quatenùs ex illo derivantur aliquæ deordinationes eas inficientes, & se habentes purè de materiali ad essentiam peccati originalis. Solutio colligitur satis clarè ex his, quæ ibidem docet S. Doct. Ad aliam formam arguendi Resp. Discrimen stare in eo, quòd sub hoc nomine *peccatum originale* comprehenditur iuxta Div. Th. & SS.PP. tàm id, quod se habet de formali, quàm id, quod se habet de materiali

46

te-

teriali; quod non contingit in hoc nomine *gratia habitualis*; licèt fortè contingat in hoc nomine *iuſtitia*, ut innuit S. Doct. 1.2. quæſt. 113. ar. 1. & de hoc nomine *iuſtitia originalis* eſt clarum. Si autem ſcire deſideras: qua ratione dicatur, concupiſcentiam, & alias deordinationes virium animæ ſe habere materialitèr in peccato originali? Vide PP. Salm. diſp. 16. dub. 4. §. 3. & Mag. Martinez quæſt. 82. ar. 3. dub. 3. cuius explicatio magis nobis arridet.

§. IX.

Alius modus reijcitur.

47 EX *dictis inferes: Peccatum originale non conſiſtere in privatione rectitudinis, quæ fuit in peccatò Adami, ut moralitèr voluntaria poſteris, & in eis habitualitèr perſeveranti.* Eſt contra Granad. Turrian. & aliquos Scotiſtas, ſcilicèt, Poncius, Vulpes, Herrera, Cabellus, teſte Maſtrio diſp. 4. quæſt. 5. ar. 1. num. 75. & 8. aſſerentes, peccatum originale nihil aliud eſſe, quàm ipſam actualem prævaricationem, & inobedientiam primi Parentis, poſteros moralitèr afficientem. Cùm ergò peccatum actuale iuxta illos in privatione rectitudinis, & iuſtitiæ actualis conſiſtat, peccatum originale conſiſtit in privatione talis iuſtitiæ, quam Adamus tenebatur traducere in ſuos poſteros. Ex quibus manifeſtè apparet apud hos AA. ly *habituale* non cadere ſupra rectitudinem, & iuſtitiam (ut poſuit Curiel) ſed ſupra ipſam privationem: ita, ut quemadmodùm homo denominatur actù peccans à privatione rectitudinis in actu, ut phyſicè ab illo tranſgrediente; ita denominatur peccator ab eadem privatione, ut permanenti moralitèr, ſive habitualitèr. Undè per illud met peccatum inobedientiæ cõmiſſum ab Adamo, ut non condonatum parvulis, denominantur modò peccatores phyſicè exiſtentes, ſicut per illud fuerunt actù peccantes in Adamo.

48 Hunc modum dicendi eſſe alienum à mente Subt. Doct. optimè, & Prob. eruditè, domonſtrat Maſtrius contra Scotiſtas ſupra relatos, ipſorumque fundamenta efficaciſsimè ſolvit. Ad probandam concluſionem non eſt nobis neceſſe adducere alia fundamenta præter illa, quibus Tom. 1. de Conſt. peccati habitualis dub. 3. probavimus peccatum habituale non conſiſtere in peccato actuali, ut permanenti moralitèr in obligatione ſatisfaciendi, vel in carentia condonationis. Et rurſus præter illa, quibus hic dub. 1. probavimus, peccatum originale diſtingui realitèr à peccato, quod commiſsit Adam, & in illo omnes poſteri. Pro cuius reali diſtinctione ſtat clariſsimè Parens Anſelm. lib. de Concep. Virg. cap. 25. & inſuper conſtat ex refutatione erroris Alberti, & Catharini negantium, *unicuique poſterorum ineſſe particulare peccatum originale*; aſſerentiumque, *ab uno, eodemque peccato, omnes denominari peccatores.* Ratio huius eſt: Nàm quod malitia peccati conſiſtat in poſitivo, aut privatione rectitudinis, & iuſtitiæ actualis, parùm, aut nihil refert ad præſens. Undè, quòd privatio rectitudinis, quæ fuit in peccato Adami moralitèr commiſſo à poſteris, dicatur nũc perſeverare moralitèr in eis per non condonationem, nihil iuvat, ut iſti ſint verè, & realitèr peccatores, & inſit eis proprium, & originale peccatum: ut neceſſe eſt confiteri iuxta doctrinam Trident.

PP. Salm. diſp. 16. dub. 1. n. 14. addunt ſequentem rationem: Admiſſo etiam parvulos fuiſſe obligatos 49
in Adamo ad obediendum Dei præcepto, privatio talis obedientiæ modò non manet adhùc moralitèr in eis: ergò in tali privatione non conſiſtit ipſorum peccatum originale. Antec. prob. Dùm non adeſt debitum obediendi præcepto, non adeſt privatio conformitatis cum præcepto; ſed modò, imò & poſtquàm peccavit Adamus, non adeſt in parvulis debitum ſe conformandi cum præcepto; ut eſt omninò certum: ergò licèt pro tùnc fuerint privati rectitudine obedientię: illa privatio tranſijt innegationem; promdèque ab illa nequeunt modò denominari peccatores. Prob. ex PP. Salm

Sed venia tantorum PP. hæc 50
ratio falſo nititur fundamento. Aliàs privatio rectitudinis obedientiæ, quæ fuit Nõ plac.

fuit in peccato actuali Adami, transisset in puram negationem post instantiam præcepti; undè nèc physicè, nèc moralitèr permansit in illo sub ratione privationis. Quod est apertè falsum; tùm quia peccatum actuale quòad sui malitiam perseverat moralitèr, usque dùm remittatur per gratiam. Tùm quia iuxta hos PP. peccatum habituale conservatur à peccato actuali, ut moralitèr perseveranti in voluntate. Falsum igitur est, privationem rectitudinis in actu trangressivo præcepti transire in puram negationem, dùm cessat iàm obligatio præcepti. Quam doctrinam confirmare possumus in humanis. Qui enim offendit Regem, eius præcepto non obediendo, censetur moralitèr Regi inobediens, etiamsi cesset obligatio præcepti. Undè ad rationem privationis moralis, eiusque moralem permanentiam, sufficit voluntariè prævaricasse legem protùnc obligantem, etsi postmodùm cesset lex, vel peccans ab ea eximatur, ut constat in eo, qui die præcepto omisit Sacrum. Vide Mag. Prado Tom. de Pœnitentia quæst. 86. dub. 5. num. 71. ubi etiam num. 70. invenies falsò, & contra mentem Illustr. Aratijo esse introductam Tom. in 1. 2. quæst. 113. art. 2. dub. 3. concluf. 3. sequentem propositionem: *Peccatum originale non in privatione gratiæ, sed in carentia rectitudinis debitæ in esse actui Adami, consistit.*

Nota.

51 Objcies 1. Peccatum originale iuxta D. Anselm. * consistit in privatione iustitiæ; sed nomine iustitiæ intelligit iustitiam actualē in conformitate actuscum prçcepto consistentē: ergò. Prob. min. Nàm iuxta D. Ansel. ibid. cap. 3. *Iustitia est rectitudo voluntatis servata propter ipsum*; sed hæc rectitudo est idem, àc iustitia actualis: ergò. Resp. S. Anselm. nomine iustitiæ intelligere iustitiam, quam Adamus traduceret in posteros, si non peccaret; hæc autem absdubiò esset donum habituale, per quod iusti, & grati Deo, nascerentur; cùm ad illos transfundi rectitudinem iustitię actualis repertam in actu adimpletivo præcepti elicito ab Adamo, sit prorsùs repugnans; nisi per extrinsecam denominationem, aut fictionem intellectus. Nèc obstat prob. in contra: Nàm sicuti est duplex iustitia, *actualis* scilicèt, & *habitualis*, ita est duplex rectitudo voluntatis; alia actualis, alia radicalis; prima afficit immediatè voluntatem; secunda verò animam: & in defectu huius stat essentia peccati originalis. Ita exponit S. Ansel. Ang. Præcept. quæst. 4. de Malo arr. 4. ad 1. quod erat huiusmodi: *Peccatum originale iuxta Ansel. est carentia originalis iustiæ; Sed hæc iuxta ipsum est in voluntate: ergò peccatum originale priùs est in voluntate, quàm in anima.* Resp. *Dicendum, quòd iustitia originalis non sic erat in voluntate, quin per priùs esset in essentia animæ; erat enim donum collatum naturæ.* Sic etiam illum exponit hic quæst. 83. a. 2.

Arg. 1. * Lib. de Concep. cap. 26.

Solutio.

Objcies 2. Iuxta sententiam à nobis propugnatam; illudmet numero peccatum commissum ab Adamo fuit moralitèr commissum à posteris; sed ex vi illius mansit Adamus privatus rectitudine obedientiæ: ergò etiam posteri moralitèr permanent privati rectitudine. Sed subiectum aliquod denominari moralitèr privatum rectitudine, est esse habitualitèr peccatorem: ergò ex vi talis privationis, ut manenti moralitèr denominantur parvuli peccatores: ergò cùm aliàs talis privatio fuerit solùm voluntaria in capite, erit tantùm malitia originalis. Urgetur. Per illudmet peccatum, quod commisit Adamus, fuerunt parvuli peccantes in Adamo, tanquàm in capite: ergò dùm parvuli nascuntur, denominantur peccatores in se ipsis per tale peccatum. Prob. conseq. Peccare in alio, tanquàm in capite est dari necessitatem; ut dùm quis in se ipso existit, contrahat peccatum, & sit verè in seipso peccator. Ita Ansel. lib. de Concept. Virg. c. 7. ergò si pròut in capite erant peccantes uno, eodemque peccato, quando existunt in se ipsis, denominabuntur peccatores ab illomet numero peccato. 52

Urgetur.


Resp. Hoc argumentum esse inefficax; siquidèm, etsi Adamus manserit privatus rectitudine actualis obedientiæ; eius tamen peccatum habituale, non in dicta privatione, ut manenti moralitèr, sed in aliquo positivo, 53

Solutio.

vo, aut privativo realitèr distincto, & ab illa provenienti, consistit: Cùm talis permanentia moralis sit extrinseca, & reverà ex parte obiecti nihil ponat intrinsecum, deturpans animam, eamque intrinsecè maculans. Si ergò, quòd talis privatio permanserit moralitèr in Adamo; licet aliquando physicè in eo extiterit; nihil iuvat, ut ab illa formalitèr denominaretur peccator, & iniustus; nec etiam iuvare poterit, ut ab eadem privatione interpretativè voluntaria parvulis denominentur verè peccatores? Unde in forma distinguo consequens. Privatione eis propria, & intrinseca, nego consequentiam. Privatione purè extrinseca, & non unicuique propria, conced. conseq.

54 Ad urgentiam Resp. negando consequentiam. Ad illius probationem distinguo antecedens. Ut contrahat peccatum, quod sit uniuscuiusque proprium, & peculiatirèr insit unicuique, conc. antec. Ut contrahat peccatum, quod sit unum, & omnibus commune, nego antecedens, & consequentiam. Ratio distinctionis traditæ habetur expressè in Concilio Tridentino session. 5. canon. 3. Et ulteriùs ex damnatione cuiusdam propositionis olim scriptę in operibus Alberti, & Ambrosij Catharinj; quæ talis erat: *Non inest unicuique posterorum Adæ suum peculiare originale peccatum.*

Restabat excludere opinionem Doct. Curiel asserentis peccatum originale consistere in carentia habitualis conformitatis cum Deo ut fine ultimo, & cum lege, quam posteri tenentur habere ex vi promissionis factæ à Deo primo Parenti, si non peccaret. Hæc habitualis conformitas ponitur ab ipso Curiel proveniens à dono realitèr distincto à gratia, & charitate. Sed quia illam optimè impugnat Illustrissim. Godoy; & à nobis reiecta manet Tractat. de peccato habituali personali dub. 6. §. 9. ideò ab ulteriori impugnatione abstinemus. *Et hæc de hoc dub. applic. litt. M. ubi prac.* 55



DUBIUM IV.

AN PRIVATIO GRATIÆ SANCtificantis, sive iustitiæ originalis, quóad primarium eius effectum formalem subijciendi animam Deo, sit essentia peccati originalis?

§. I.

QUÆDAM PRÆLIBANTUR:

N. 1 Licet decisio dubij propositi efficaciter inferatur ex dictis in antecedentibus; cum privatio alterius formæ, quã gratiæ sanctificantis, nequeat reddere animam pollutam, & immundam, & abominabilem Deo: si aliunde istæ denominationes ab alijs privationibus supra recensitis nequeunt provenire. Ut tamen maiori claritate, & methodo procedamus; processu, inquam, positivo, sub terminis ad hunc finem congruentibus præiactam difficultatem proponimus. Resolutio esset absdubiò satis prolixa, nisi plura, quæ in præsenti fundari debebant, essent abundè propugnata Tom. 2. tract. de constit. peccat. person. dub. 5. 6. & 7. In his enim sunt proposita ferè omnia motiva, quibus impugnatur sententia asserens peccatum habituale non constitui formaliter per privationem gratiæ habitualis, ut voluntariè inductam ex actu peccati, quæ quidem ibidem, nedùm manent soluta; verumetiam eorum falsitatem, aut inefficaciam probatam relinquimus.

Primo.

2 Sed quia sub hoc nomine *iustitia originalis*, quam si Adamus non peccasset, traduceret in posteros, continetur aliqua confusio propter plura dona in tali iustitia inclusa, de quibus dub. præced. brevem mentionem fecimus; ideò sub titulo dubij ponimus gratiam sanctificantem, sive iustitiam originalem quantum ad primarium eius effectum, scilic. subijciendi, & uniendi animam amicabiliter Deo; sub qua consideratione estò non sit adæquatè iustitia originalis (ut à sentẽtijs præscindamus) secus tamen primor dialiter, seu radicaliter sumpta: ita D. Th. 1. p. q. 100. a. 1. ubi probat homines in statu innocentię nascituros non solum cum iustitia originali, ut est certum, sed etiam cum iustitia gratuita, sive gratia sanctificante, hac ratione: *Sed cum radix originalis iustitiæ, in cuius rectitudine factus est homo, consistat in subiectione mentis ad Deum, quæ est per gratiam gratum facientem, ut supra dictum est: necesse est dicere, quod si pueri nati fuissent in iustitia originali, quod etiam nati fuissent in gratia.* Idem probat ex S. Ansel. lib. de Conc. Virg. c. 10. dicente: *Simul cum rationalem haberent animam, iusti essent, quos generaret homo, si non peccaret.*

Secundo.

Ex his deducitur, ut quid certum, posteros descendentes ex Adamo nasci cum privatione, tàm iustitiæ originalis, quàm sanctitatis, etiam si hæc differat realiter ab illa. Ratio est. 1. Nàm carentia sanctitatis debitæ ex promissione divina, obtinet rationem privationis; atqui Deus promisit Adamo, si non peccaret, posteros nascituros cum iustitia, & sanctitate, per quam essent iusti apud Deum, eique amicabiliter dilecti: ergò. 2. Iuxta Trid. sess. 5. can. 2. *Adamus per inobedientiæ peccatum amisit non solum sibi, sed etiam posteris, iustitiam, & sanctita-*

3 Tertio.

tem

tem: ergò posteris Adæ erat aliquomodo debita sanctitas; proindè quæ carentia illius est privatio.

3. Nàm apud omnes peccatum originale est formalitèr, vel causalitèr
4 mors spiritualis animæ; proindèque privat posteros gratia, quæ est vita supernaturalis eiusdem. Est ergò privatio gratiæ sanctificantis in parvulis verè privatio. Nec refert ad præsens illam esse solum pœnam: cum de ratione huius sit esse quid privativum: pura enim negatio alicuius perfectionis non habet rationem mali.

His prælibatis duplex versatur sen-
5 tentia: una affirmativa, quam tenent Capreol. Cayet. Conrad. Ferrara, Soto, Alvarez, Montes. PP. Salm. Serra, Go-
Sententiæ net, Ferre, estque frequēs inter Thom. Eandem tuentur Azor, Suarez, Vazquez, Bellarm. Valentia, & Alij. Negativam tuentur, quotquot asserunt peccatum originale consistere in ipso peccato Adami ut efficiente posteros; aut in aliquo positivo morali ex illo derelicto. Hos invenies citatos dub. 1. & 2. Sed quia latè in simili constitutione Tomo 2. actum est; nè fastidium ingeramus lectori, brevitèr partem affirmativam propugnabimus; illudque, si non ex toto, saltim claritatis methodo, lenire conabimur considerando varias formalitates, quibus a Concil. & PP. peccatum originale insignitur.

§. II.

Probatur pars affirmativa ex capite iniustitiæ, sive iniquitatis.

6 CUm iuxta Trid. sess. 6. cap. 7. homo, tàm in Sacram. Baptismi, quàm Pœnitentiæ, iustificetur
Prob. ex Trident. per voluntariam susceptionem gratiæ, secundum quàm ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus; clarè constat peccatū originale se habens ut terminum *à quo* iustificationis factæ per Sacram. Baptismi, esse veram iniustitiā, per quam parvuli constituuntur peccatores, sive iniusti coram Deo. Unde infertur consideratio nem peccati originalis sub hac ratione esse intrinseam ei, quoad suam essentiam. Favet huic considerationi Ang. Mag. qui infra q. 113. a. 1. sic iustificationem impij definit: *Transmutatio ab statu iniustitiæ ad statum iustitiæ*, quæ est eadem cum illa, quam tradit Trid. ubi sup. & cap. 4. utpotè ex eodem S. D. desumpta, sicuti, & ferè omnia, quæ in dicta sess. sunt definita, ut notant doctis. Mag. & cuique legenti utrumque constabit. 7

Adest nobis pro luce, & Duce P. Anselm. lib. de Conc. Virg. ubi cap. 1. Ex S. Anquærit de natura, sive quidditate pec- selmo. cati origin. Et prosequens assumptum cap. 3. hæc ait: *Omne peccatum est iniustitia; originale peccatum est absolutè peccatum. Unde sequitur, quòd est iniustitia. Item. Deus non damnat, nisi propter iniustitiam: damnat autem aliquem propter originale peccatum: ergò non est aliud originale peccatum, quam iniustitia. Quod si ita est, non est aliud originale peccatum, quàm absentia debitæ iustitiæ* En, ni fallor, probatam conclusionem, & partitionem considerationis sub titulo iniustitiæ ab ipso edoctam, & fundatā. Idem expressè tradit cap. 26. ubi ait: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam iustitiæ debitæ nuditatem factam per inobedientiam Adæ, per quam omnes filij sunt iræ.* Quod autem loquatur de carentia iustitiæ, quatenùs per hanc anima subditur, & convertitur habitualitèr ad Deum, constat ex ipso cap. 10. ibidem asserente: *Adamo non peccante parvulos nascituros cum iustitia.* Cumque hæc nequeat esse iustitia actualis ut de se constat, restat ut loquatur de privatione iustitiæ habitualis. Sic illum exponit S. D. 1. p. q. 100. a. 1.

Quod autem gratia sanctifi- 8
cans sit iustitia, per quam homo redditur iustus, sicut etiam sanctus coram Deo, & ex hoc ipso privatio il- Prob. ex lius, ut voluntariè inducta ex pec- S.D. cato, sit vera iniustitia, & iniquitas; docetur à D. Th. tùm hac 1. 2. q. 113. a. 1. tùm quæst. 28. de Verit. art. 1. ubi loquens de iustitia, ut est terminus ad quē iustificationis impij: ut tollat omnem confusionem circa acceptionem iustitiæ, sic ait: *Dicitur autē iustitia triplicit èr: Uno modo, prout est specialis virtus contra alias cardinales divisa, qua homo dirigitur in his,*

quæ veniunt in communicationem vitæ, sicut sunt contractus diversi: hæc autem virtus non est omni peccato contraria; unde sic non potest iustitia hic accipi. Alio modo dicitur iustitia legalis, secundum quod actum suum in commune ordinat bonum. Sed quia, nec omnis actus peccati iustitiæ legali opponitur, subdit: *unde nec à iustitia legali dici potest iustificatio, quæ est remissio peccatorum. Tertio iustitia nominat quendam statum proprium, per quem homo se habet in debito ordine ad Deum, ad proximum, & ad seipsum, ut scilicèt, in eo inferiores vires superiori subdantur: & huic iustitiæ opponitur omne peccatum, & ideò ab hac iustitia iustificatio nominatur, sicut motus à termino, sive, sicut effectus formalis à forma.*

9 Ex qua doctr. sic prob. assumpt. Peccatum originale consistit quòad sui essentiam in illo, à quo homo denominatur, & est iniustus coram Deo; sed huiusmodi est privatio gratiæ sanctificantis, ut inducta voluntate Adami: ergò talis privatio est de essentia peccati originalis. Mai. constat, & min. prob. Privatio gratiæ sanctificantis, ut inducta in parvulis ex peccato Adami, est vera iniustitia illorum coram Deo: ergo. Añs. pr. 1. Quia privatio formalis iustitiæ, ut inducta voluntariè ex peccato, sive actuali, sive originali, est formaliter iniustitia, sive iniquitas: cum proùt sic sit violatio voluntaria iustitiæ; & insuper talis privatio ut voluntariè inducta, nequeat esse pœna: cum de ratione huius sit esse involuntariam, & contra voluntatem peccantis: ergò &c. Sed gratia sanctificans est vera iustitia hominis coram Deo; cum ratione sui constituat hominem in debito ordine conversionis, & subiectionis ad Deum; & ratione virtutum, quas radicat, vel physicè, vel moraliter; constituat illum in debito ordine ad seipsum, & ad proximum: ergò.

Ratio deducta ex S.D.

Prima prob. antec.

2. Prob. idem añs. Privatio voluntaria, & voluntariè constituens hominem in ordine indebito ad Deũ, ad proximum, & ad seipsum, est vera iniustitia hominis coram Deo. Sed hoc modo se habet privatio gratiæ, ut inducta voluntariè ex peccato Adami: ergò. Prob. min. Per talem privationem homo voluntariè, saltim voluntate capitis, subtrahitur à debito ordine ad Deum; cum avertatur ab illo ut fine ultimo, ad quem se debebat convertere: igitur talis privatio ut voluntariè inducta est destructio, & perversitas debitæ subiectionis animæ ad Deum. Quid ergò ei defecit, ut sit vera iniustitia, & iniquitas? Quod confirmari potest ex S.D. supra q. 113. a. 1. ubi asserit: peccatum ideò dici à D. Ioan. iniquitatem, iuxta illud: *Omnis, qui peccat, iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas,* quia omne peccatum secundùm quod importat inordinationem mentis non subditæ Deo, potest dici iniustitia.* *

10 Secunda.

Sed clariùs, & intra terminos peccati originalis, conclusio traditur à D. Th. sup. Epist. Paul. ad Rom. 4. lect. 1. ad illa verba ibi cit. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*: sic enim ait: *Considerandum est, quod peccatum originale iniquitas dicitur, quia est carentia originalis iustitiæ, per quam secundùm æquitatem ratio hominis subijciebatur Deo, inferiores vires rationi, & corpus animæ; sed per peccatum originale hæc æquitas tollitur, quia postquam ratio desijt esse subiecta Deo, inferiores vires rationi rebellant &c.* Ubi conclusionem expresse docet, & pro illius probatione doctrinam supra positam tradit.

11 Speciale Test. ex D Thom.

§. III.

Probatur conclusio ex capite culpæ.

12 Prob. ex S.D.

QUod privatio gratiæ habitualis sit in parvulis reatus culpæ, sive, quod idem est, quod parvuli constituantur peccatores per dictam privationem, docetur à D. Th. q. 4. de Mal. a. 2. ad 4. *Dicendum: quod iustitia originalis restituitur in Baptismo quantum ad hoc, quod superior pars animæ coniungitur Deo, per cuius privationem inerat reatus culpæ*, & in solut. ad 4. dicendum: *Quod privatio gratiæ non est in ipso actu, sed in subiecto actus, & ideò non pertinet ad peccatum actuale: sed carentia originalis iustitiæ est in natura, & ideò potest pertinere ad peccatum originale, quod est peccatum naturæ.* Et rursùs: *Si quæratur utrum sit pœna, vel simul pœna, &*

cul-

culpa? Dicendum: quod est culpa, & pœna; culpa si comparetur ad principium, in quo omnes peccaverunt; pœna vero si comparetur ad istum hominem, prout est quædam persona, non habito respectu ad naturam.

Ratio peccati læthalis, sive *ratio culpæ* iuxta S.D. tùm hac 1.2.q.71.a.6. & 2.2.q.14.a.2. *consistit in voluntaria aversione à Deo, ideòque principalis ratio mali, & gravitas in peccato mortali est ex hoc, quod homo se avertit à Deo.* (sic ibi q. 20. a. 3.) Cui doctrinæ favent plura testim. Tùm Sacræ Script. Tùm SS.PP. exprimentium rationem peccati mortalis, *per dessertionem, recessum, elongationem, & derelictionem Dei.* Ex quibus arguo sic. Aversio à Deo ut fine ultimo simplicitèr, & voluntaria voluntate naturæ, est peccatum naturæ. Sed privatio gratiæ sanctificantis in parvulis est aversio eorum à Deo ut fine ultimo simplicitèr, estque voluntaria voluntate naturæ: ergò talis privatio est formalitèr peccatum naturæ, quod est idem ac peccatum originale, ut differt à personali. Mai. est certa: cũ talis aversio sit ratio culpæ læthalis, & aliunde, * quia voluntaria nequit esse pœna, *& quia voluntaria solũ voluntate naturæ, nequit esse culpa personalis. Min. quòad 1. p. constat. Nàm privatio conversionis, & unionis animæ cum Deo, ut fine simpliciter, est aversio ab illo. Sed privatio gratiæ sanctificantis est huiusmodi; cum per gratiam anima convertatur habitualitèr ad Deum: ergò. Quòad 2. prob. talis privatio est voluntaria voluntate capitis naturæ, scil. Adami. Siquidem Adamus, ut caput debebat gratiam sanctificantem, aliaque dona suo modo propagare toti naturæ humanæ. Rursùs iuxta Trid. sess. 5. can. 2. *Adamus peccando perdidit sibi, & posteris gratiam, & sanctitatem*: ergò talis perditio, quæ est ipsa privatio derivata ad posteros, fuit ipsi voluntaria ut capiti naturæ: ergò qua talis fuit peccatum naturæ. Deniq. Quod est à principio libero intrinseco naturæ, est voluntarium voluntate naturæ; sed talis privatio fuit à principio libero capitali, & moraliter intrinseco toti naturæ humanæ: ergò.

13 Alia probat. ex eodem.

* S.D. q. 1. de Mal. a. 2. 3.

14 Ex his excluſſa manet ſolutio tri-

buens prædictæ privationi ſolam rationem pœnæ. Licet enim Deum ſe avertere, aut deſerere hominem ſit pœna; attamen hominem liberè ſe avertere, & deſerere Deum dicit formaliter rationem culpæ. Rursùs: Licet ſeparatio, & averſio à Deo oppoſita unioni cum ipſo, quæ eſt per fruitionem, ſit pœna, & pœna damni; ſeparatio oppoſita unioni cum Deo, ut fine ultimo amicabilitèr dilecto, habet rationem culpæ; ita S.D. q. 1. de Mal. a. 5. ſed privatio gratiæ ut ſubijcientis animam Deo ut fini amicabilitèr dilecto eſt huiuſmodi: ergò &c. Unde ſolum poterat excludi à ratione culpæ ob defectum voluntarietatis; cuius falſitas oſtenſa manet. Et ulteriùs ſuadetur; ſi tueatur peccatum actuale Adami fuiſſe moraliter parvulis commiſſum. Eadem enim libertate qua eſt alicui liberum exercitium actualis averſionis à Deo, eſt liberum per modum termini, quod neceſſario ex illo derivatur, ut proprius effectus, aut defectus illius: ſed averſio in privatione gratiæ conſiſtens, ſic ſe habet relatè ad averſionem actualem liberam: ergò.

Excluditur quædam ſolut.

§. IV.

Probatur concluſio ex capite mortis ſpiritualis, & maculæ.

PEccatum originale ad poſteros contractum, & per quod denominantur formaliter peccatores, dici, & eſſe mortem animæ, docetur à Concil. Arauſic. ſeſſ. 2. cap. 2. & à Trid. ſeſſ. 5. can. 2. huic loquutioni adhærent SS.PP. præſertim S. P. Aug. ſæpiſſimè, ſed ſpecialitèr lib. 1. de pecc. mer. c. 11. ubi ex illis verbis Paul. 2. ad Cor. c. 5. *Si unus* (ſcil. Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt: ergò omnes mortui ſũt.* Probat peccatũ originale eſſe in parvulis per propagationem transfuſſum. Rationem reddit ex eo, quod ſola peccata ſeparant inter homines, & Deum, qui eſt vita animæ; ideòque peccatum dicitur mors animæ. Idem colligitur ex alijs teſtimonijs Div. Pauli ad Coloſenſ. 2. ſcilicèt: *Cum eſſemus mortui delictis, convivificavit nos in Chriſto.* Et ad idem aſſumptum vi-

15 Primum caput põderatur.

deri possunt dicta à nobis Tom. 2. dub. 3. de Const. peccat. habitualis à num. 17. & 20.

16 Ex quibus sequens formatur discursus. Peccatum originale consistit in morte spirituali animæ traducta ad posteros ex peccato Adami; sed in privatione gratiæ sanctificantis, ut inducta ex peccato Adami, invenitur vera mors spiritualis animæ; cum gratia sit eius vita: ergò talis privatio est formalitèr peccatum originale. Maior constat ex testimonijs adductis. Et rursùs: Nàm peccatum originale est id, quod se tenet formalitèr ex parte termini à quo iustificationis; sed sic se habet mors spiritualis ut inducta ex peccato, iuxta illud 1. Ioannis cap. 3. *Nos scimus quòd translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres.* Ubi designat definitionem iustificationis impij: ergò. Confirm. ex illo Apost. ad Colos. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite &c.* In his enim describitur ratio propria iustificationis impij. Sed resurrectio spiritualis requirit ut terminum ad quem vitam spiritualem gratiæ, & mortem spiritualē, ut terminum à quo ut cōstat, & paritas resurrectionis corporalis convincit: ergò mors spiritualis est propriè terminus à quo formalitèr se habens in iustificatione cuiuslibet impij.

17 Per hæc excluditur solutio dicens peccatum originale vocari mortem causalitèr, quatenùs inducit, ut pœnam, privationem gratiæ, quæ est vita animæ. Manet inquā. 1. Nàm Concilia affirmantia Adamum traduxisse in posteros peccatum, quod est mors animæ, loquuntur de illo formalitèr, & quòad essentiam. Si autem illud non est actù in se mors, sed causa demeritoria mortis, præ dicta verba non acciperentur in sensu proprio; sed causali tantum. 2. Exprimere rationem propriam, & quidditativam peccati originalis per id, quod est effectus, & pœna tantum illius, est imperfectè illud notificare; quando aliunde potest quòad sui quidditatem exprimi, & hoc conducit ad statuendum Adamum, non solum pœnas spirituales, & corporales traduxisse in posteros; sed illud quod habet veram rationem peccati; hoc enim est quod Hæretici expressè negabant (licèt ex uno SS. PP. etiam alterum probarent) ergò cum ex illis probetur existentia originalis quòad rationem culpæ, dicendum ut magis solidum, magisque conforme Scripturæ, illius essentiam in morte spirituali in facto esse, & formalitèr sumpta, consistere.

Excluditur quædam responsio

18 Sed instabis. Hanc rationem probare privationem gratiæ non posse esse pœnam peccati adhùc sub diversa formalitate. Siquidem omnis formalitas talis privationis est mors spiritualis animæ; cum gratia adæquatè sumpta sit vita animæ. Cumque sit certum Deum esse A. omnis pœnæ, dicendū; aut Deum spiritualitèr occidere animam, aut mortem spiritualem eiusdem non dicere rationem culpæ. Difficilis instantia ob modum loquendi. Resp. ex dictis Tom. 2. dub. 5. §. 4. privationem gratiæ ut voluntariè inductam ex peccato esse culpam, quia prout sic est voluntaria aversio, & elongatio à Deo; at vero prout voluntariè inducta à Deo, & quatenùs Deus se avertit, & deserit peccatorem, obtinere rationem pœnæ. Conformitèr ad hanc doctrinam addendum in vita spirituali Deum se habere ut vivificantem; animam vero ut vivificatam, & viventem. Anima per privationem gratiæ liberè inductam ex peccato se spiritualitèr occidit, quia se avertit à Deo vivificante; ad quam aversionem sequitur ut pœna Deum se avertere in esse vivificantis ab anima. Primum est malum culpæ, & gravissimum, quia contra debitum, & finem proprium creaturæ rationalis, ut agens morale est. Secundum vero iustum, & sanctum.

Instabis.

Solutio.

19 Hinc videtur mihi non esse absolutè concedendum Deum *spiritualitèr occidere peccantem.* Ratio est, quia Deus talitèr largitur animæ vitam gratiæ, ut nisi amittatur ab illa per actum peccati excludentis gratiam, Deus sit determinatus eandē gratiam conservare: Quapropter etsi Deus subtrahat gratiam vivificantē animā, quia tamē hęc subtractio provenit ex demerito peccati, & nullatenùs influit in illud ea

ratione, qua infert privationem illius, non verificatur Deum absolutè occidere spiritualitèr, aut causare mortem spiritualem animę. Sit exemplum, licèt non teneat quòad omnia. Sicut enim subtractio gratiæ est mors animæ, ita subtractio luminis est tenebra; & quemadmodùm per obicem peccati impeditur concursus Dei conservativus gratiæ, ita per interpositionem corporis opaci impeditur illuminatio ex parte Solis; & tamen pro nullo casu verificatur Solem obtenebrare aerem v. g. & hoc quidem propter rationem superiùs datam servata proportione exemplo adducto applicanda. Eodem motivo non est dicendum *Deum obtenebrare spiritualitèr animam*, estò carentia gratiæ, quæ est lux animæ sit à Deo sub ratione pœnæ.*

* S.D. supra q. 79. a. 3. concedit, sed restrictè, scil. nô apponendo gratiâ.

20 Restat probare 2. conclusionem ex secundo motivo, scilicèt, considerando peccatum originale sub ratione maculæ. Huiusmodi formalitatem pertinère ad illius essentiam, videtur innegabile iuxta doctrinam Trident. sess. 6. c. 1. dicente: *Cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi* (& ut Apostolus inquit) *natura filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali Sacrosancta Synodus exposuit &c.*: Ubi sicuti in illis verbis *natura filij iræ* exprimitur peccatum originale quòad veram, & propriam rationem peccati, ita dicendum de illis verbis *facti immundi* 1. loco positis. Sed immunditia peccati est prorsùs idem ac macula peccati: ergò ratio maculæ in peccato originali est ratio propria peccati in ipso. Hoc ipso docetur à Trident. sess. 5. can. 3. dicente* etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veracitèr baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione cõtraxerunt.* Sed ablutio, & mundatio; dicitur formalitèr relatè ad maculam: ergò ratio peccati originalis &c. Unde postquam canon. 4. definivit: *Per gratiam collatam in Baptismo tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet*, subdit: *In renatis nihil odit Deus, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma, innocentes, immaculati, innoxij, ac Deo dilecti &c.*

Prob. ex 2. capite.

In quibus verbis ponitur terminus *ad quem* iustificationis ipsorum, proindèque macula, & impuritas est terminus *à quo* formalitèr, & per se eiusdem. His accedit authoritas D. Thom. in 2. dist. 32. quæst. 1. art. 1. & quæst. 2. art. 1. ad 2. ubi agens de peccato originali quòad sui essentiam, & traductionem in posteros, agit de illo sub hoc nomine *macula originalis*, & alibi sæpe. His suppositis sequens formatur discursus. Peccatum originale quòad sui essentiam est vera, & propria macula peccati. Sed hæc consistit formalitèr in privatione gratiæ sanctificantis, ut inducta ex peccato: ergò peccatum originale quòad sui essentiam &c. Maior constat ex notatis. Minor latè probata est Tomo 2. dub. 7. & ibidèm §. 10. & sequentibus probatum est etiam *maculam* esse idem cum *peccato habituali*; ubi variæ responsiones manent impugnatæ. 21 Ratio firmatur.

§. V.

In quo solvitur argumentum probans privationem iustitiæ non esse culpam originalem, quia est pœna illius.

IMplicat culpam originalem consistere in illa privatione, quæ est pœna illius; sed sic se habet privatio iustitiæ originalis respectu peccati originalis posterorum: ergò nequit &c. Maior constat; quia pœna est effectus culpæ; nihil autem potest esse causa sui ipsius. Minor vero prob. ex S. D. hac 1. 2. q. 85. art. 5. *Subtractio iustitiæ originalis habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ: unde etiam mors, & omnes defectus corporales, sunt quædam pœnæ peccati originalis.* Et quæst. 5. de Malo art. 2. *Privatio gratiæ, & carentia visionis, debentur alicui propter originale, & actuale peccatum.* 22 Obiic.

Nec valet dicere 1. S. Doct. consultò dixisse *subtractionem gratiæ* esse pœnam, non autem ipsam gratiæ, & iustitiæ, carentiam. Nàm in Reijcit. 1. solutio.

illis verbis significatur actio Dei auferens gratiam, & iustitiam propter peccatum; unde illa erit unicè pœna peccati originalis, secùs autem ipsum non esse iustitiæ, & gratiæ. Non inquam valet. Quia in ultimo testimonio utitur Sanct. Doct. hoc nomine *privatio gratiæ*, eiusque significato attribuit rationem pœnæ, sicuti carentiæ visionis; de qua sumpta passivè, & ut distincta ab actione puuitiva Dei, negari nequit obtinere veram rationem pœnæ peccati originalis. Videantur quæ diximus Tomo 2. de Constit. peccati habitual. dub. 6. §. 1.

23 Nec valet dicere 2. Iustitiam originalem posse dupliciter accipi; vel pròut subijciebat animam Deo, eamque gratam, & sanctam reddebat, sub qua ratione est idem cum gratia habituali; vel pròut radicabat donum integritatis subijciens appetitum rationi, & donum immortalitatis præservans corpus à corruptione. Quando Sanct. Doct. ait privationem iustitiæ esse pœnam peccati originalis, loquitur de illa in secundo sensu: in quo certum est; distingui realiter à culpa originali. Non inquam valet. 1. Quia in testim. relatis utramque privationem, scilicèt, *gratiæ*, & *iustitiæ* ponit Sanct. Doct. ut pœnam. 2. Nàm quæst. 5. de Malo art. 1. sic ait: *Conveniens pœna peccati originalis est subtractio gratiæ, & per consequens carentia visionis, ad quam homo per gratiam ordinatur.* Sed gratia per quam homo ordinatur ad videndum, & fruendum Deo est gratia sanctificans, ut ibidem expressè docetur à Sanct. Doct. illamque distinguit à iustitia originali, pròut hæc subijciebat appetitum rationi, & corpus animæ: ergò.

2. Solut. etiam relinquitur.

24 Ante veram solutionem notandum; peccatum Adami, ut fuit capitale, appellari aliquando à D. Thom. *peccatum originale*: ita hic quæst. 83. art. 1. & 3. p. q. 8. a. 5. ad 1. Rationem huius tradunt Emin. Cayetan. & PP. Salmant. ibi: quia estò illud non sit per originem traductum, fuit tamen destructivum boni naturæ, scilicèt, iustitiæ originalis. Hinc ob tollendam omnem confusionem plures doctissimi cum M. Medina, Martinez, & Alijs, distinguunt duplicem acceptionem illius; nimirùm peccati originalis originantis, & originalis originati. Peccatum Adæ fuit, & dicitur originale primo modo; quod autem ex illo derivatur, & propagatione transfunditur ad posteros, dicitur originale originatum. Per quam distinctionem non incongruè adhùc stando doctrinæ Sanct. Doct. possunt explicari aliqua testimonia, quæ contra præsentem conclusionem possunt objici.

Not. 1.

Loquendo etiam de peccato originali in secundo sensu adhùc notandum: illud posse accipi, vel præcisè secundùm sibi propria, & pròut differt à peccato Adami, ut effectus à sua causa; vel simùl cum illo, ut causa. Hæc distinctio acceptionis in peccato traditur expressè in simili à D. Th. q. 3. de Malo art. 7. ubi cùm sibi objiceret: *Ignorantiam non esse peccatum, sed pœnam, sicuti dicitur de privatione gratiæ:* Resp. *Ad 1. dicendum, quòd privatio scientiæ, & gratiæ habent rationem culpæ, secundùm quòd accipiuntur simùl cum sua causa, quæ pertinet ad genus actus.* Iuxta hanc doctrinam possunt exponi aliqua testimonia S. Doct. in quibus videtur asserere, privationem gratiæ esse pœnam originalis peccati; dicendo *illud accipi non præcisè secundùm id, in quo differt, ut effectus à peccato Adami; sed simùl cùm sua causa. *Quod propriè loquēdo est dicere: talem privationem correspondere, ut demerito, peccato capitali Adami.

25 Secundò.

Ex his iuxta mentem S. D. dicendum, privationem iustitiæ originalis esse tantùm pœnam peccati Adami, pròut fuit capitale, & moraliter ipsis parvulis voluntarium. Ita Montesinos, Greg. Mart. Mag. Lorc. P. Vazquez, Suarez, Mastrius, & alij. Licèt enim aliqui Thomist. inter quos PP. Salm. tueantur, talem privationem esse pœnam respectu sui sub diversa formalitate: hunc modum dicendi difficilem existimamus; eumque impugnavimus dub. 6. §. 7. quæ motiva ibi videri possunt. Ad testim. in contra Resp. Sanct. Doct. accipere peccatum originale, quasi activè ex parte Adami; quo meruit posteros privari

26

gra-

gratia sanctificante; non verò de illo passivè, & pròut est intrinsecum parvulis. Constat hæc expositio ex art. 4. ibid. dicens: *Natura humana propter peccatum primi Parentis privata est auxilio iustitiæ originalis*; ut dictum est art. 1. Eodem modo loquitur 1. 2. q. 87. art. 7. & 2. 2. quæst. 164. art. 1. His accedit quòd quæst. 5. de Malo a. 1. solùm quærit: *An carentia visionis sit pœna peccati originalis*? Et in 2. d. 33. quæst. 1. art. 3. ad 1. *Pœna, quæ per se originali culpæ respondet, est carentiæ divinæ visionis.* Aliæ autem pœnæ, scilicèt, infirmitas, mors &c. *consequuntur per accidens, ex quo subtracta est originalis iustitia.* Cotequentèr ad dicta dub. 2. dicendum: quòd quemadmodùm posteri fuerunt moraliter actù peccantes in Adamo, fuerunt merentes sibi privationem gratiæ, & etiam carentiam visionis. De quo Illustr. Godoy hic § 4.

27 Sed contra hæc obstat testim. S. Doct. in 2. dist. 20. quæst. 2. art. 3. ad 3. *Dicendum quòd peccatum non transit in posteros à primo Parente per modum demeriti; quasi ipsi omnibus mortem meruerit, & infectionem peccati; sed per modum traductionis consequentis traductionem naturæ: non enim unius personæ actus toti naturæ mereri, vel demereri potest, nisi limites humanæ naturæ transcendat; ut patet in Christo, qui Deus, & homo est; unde à Christo nascimur filij gratiæ, non per carnis traductionem, sed per meritum actionis; ab Adam nascimur filij iræ per propagationem, non per demeritum.* Ubi etsi expressè intendat Sanct. Doct. negare Adamum potuisse per modum causæ demeritoriæ transfundere peccatum originale in posteros; id ipsum negat de demerito mortis tàm corporalis, quàm spiritualis, & hoc quidem: quia actus unius personæ &c. ergò semèl quod privatio iustitiæ originalis sit etiam pœna, nequit esse talis relatè ad peccatum actuale Adami, sed ad peccatum posterorum.

Replicab.

28 Resp. Exponendo D. Thom. de peccato Adami, pròut erat persona particularis; secùs verò, pròut fuit caput morale totius naturæ humanæ. Sed hoc duplicitèr potest accipi. Primo: ut est potens mereri, aut demereri alijs; vel secundo, ut est potens etiam demereri pro alijs. Quæ distinctio communiter traditur à Theologis Tract. de merito, ubi quæritur; An libertas in capite sufficiat ad merendum de condigno pro alijs; sicuti fuit sufficiens in Adam, ut demeretur pro alijs? Constat enim Christum Dominum nobis meruisse gratiam, & gloriam, non tamen pro nobis; ad hoc enim necesse erat, ut de nobis verificaretur in vero sensu morali meruisse gratiam, & gloriam, quod repugnat, ut ibidem probatur etiam de potentia absoluta.

Solutio.

29 Ex qua doctrina supposito peccatum Adami, ut fuit personale, non potuisse demereri nobis privationem gratiæ, & gloriæ (quod denotatur in illis verbis: *actus unius personæ*) dicimus illud peccatum, pròut capitale, fuisse modo dicto demeritorium; non quidem ut capitale, quia præcisè demereretur posteris; sed quia fuit demerens etiam pro posteris; ita ut isti in vero sensu morali, sicut fuerunt actù peccantes in Adamo, ita fuerunt actù demerentes privationem gratiæ in illo. Qua ratione, ut antea diximus, proprius verificatur, privationem gratiæ esse pœnam peccati actualis Adami, ut fuit moraliter peccatum posterorum, quã peccati Adami, ut fuit caput totius naturæ humanæ, ut sic salvetur doct. D. Th. * neminem puniri spiritualitèr nisi pro suo peccato. Hinc illa propositio D. Th. *non enim actus unius personæ &c.* exponenda est de demerito alijs, secluso eodem demerito pro illis; secùs tamen de demerito utroque modo, & quatenùs demereri alijs pœnam spiritualem fundatur in demereri etiã pro illis. Ex qua doctrina vehementèr confirmatur conclusio à nobis tract. præc. dub. 2. propugnata, scilicèt: *Peccatum Adami ita fuisse voluntarium parvulis, ut in aliquo vero sensu ipsi commisserint peccatum Adami.*

* Hic q. 87 a. 8.

30 Nec dicas quod D. Thom. videtur loqui de facto, dùm ait: peccatum non transit in posteros à primo Parente per modum demeriti; sed per propagationem naturæ. Non inquam dicas: Nàm solùm excludit transitum per

Occurritur instantiæ.

per modum demeriti mortis &c. præcisè; secùs vero si talis transitus respectivè ad pœnas spirituales sit coniunctus cum transitu sui per propagationem naturæ.

Arg. 2. ex P. Oviedo intendente probare, privationem gratiæ sanctificantis in parvulis non esse peccatum. 31
Talis privatio, vel est peccatum, quatenùs Deus tenebatur illam infundere parvulis; vel quatenùs Adamus debuit illam traducere; vel quatenùs ipsi debuerunt eam habere? Primum nequit dici; quia debitum, quod fuit in Deo, ut illam conferret, fuit conditionatum, pro casu, scilicèt, observantiæ præcepti; proindèque hac deficiente propter peccatum, nullum existit debitum in Deo. Secundum non sufficit, ut parvuli constituantur peccatores; siquidèm nemo constituitur reus culpæ, & Deo abominabilis, propter transgressionem debiti, & obligationis, quam implere ipsi non incumbit. Ergò si privatio gratiæ in pueris habet rationem peccati, maximè; quia habuerunt debitum, & obligationem illam habendi: ergò sunt constituti peccatores, quia transgressi sunt tale debitum, & obligationem. Sed nulla obligatio erat in eis immediatè terminata ad habitum gratiæ; cùm talis habitus non esset ab ipsis ponendus: ergò ante talem privationem intelliguntur constituti peccatores per transgressionem alterius debiti, & obligationis ad actum. Obije. 2.

Resp. Privationem iustitiæ originalis esse peccatum originale, quatenùs Adamus, ut caput morale totius naturæ, tenebatur media observatione præcepti eam traducere in posteros; ex quò statim consequitur, eã fuisse peccatum, quatenùs ipsi posteri ut membra Adami habebant ius, & debitum, ut illam ab ipso, ut capite acciperent. Quare nego secundam partem minoris. Ad illius prob. dist. añs. Nemo constituitur reus culpæ &c. quàm ipsi, tàm in se, quàm in suo capite, non incumbit implere, conc. añs. In seipso præcisè, subdist. Culpæ personalis, conc. añs. Culpæ originalis, neg. añs. Licet enim ad culpam personalem, quia propria voluntate commissam, necesse sit transgredi obligationem cum potestate illam implendi; ad culpam autem originalem voluntate capitis contractam, sufficit, quòd caput potuerit adimplere obligationem, & vitare transgressionem debiti. Ex quibus constat ad tertiam partem min. dist. illud conseq. Sunt constituti peccatores, quia transgressi sunt in seipsis tale debitum, neg. conseq. Quia transgressi sunt in capite, subdist. Transgressione immediatè terminata ad debitum habendi gratiam, neg. conseq. Transgressione immediatè terminata ad observationem præcepti de non comedendo, & mediatè ad debitum habendi gratiam, conced. cons. Lex enim, & illius obligatio, directè, & immediatè tendit ad actus observativos præcepti, & indirectè, sive mediatè ad conservationem, vel traductionem gratiæ sanctificantis; unde ex quo, nec Adamus ut caput, nec posteri ut membra, fuerint immediatè obligati ad conservationem gratiæ, solum probat talem privationem non esse peccatum actuale, secùs vero habituale. 32
Respond.

Sed dices, & argues 3. Gratia sanctificans non fuit debita absolutè parvulis, sed solùm sub conditione quòd Adamus observaret præceptum: ut est certum; aliàs Deus iniustè eos gratia privaret: ergò carentia illius non est absolutè privatio, ac proindè non est culpa. Prob. conseq. Privatio est carentia formæ debitæ subiecto: ergò privatio absolutè talis est carentia formæ absolutè debitæ. Arguitur enim à definitione ad suum definitum cum eodem addito. Vel aliter: modus privationis est iuxta modum debiti: ergò privatio absolutè talis requirit debitum absolutè tale. Ulteriùs: Non minùs requiritur ad privationem debitum formæ in subiecto, ac requiritur capacitas; sed ut subiectum sit absolutè privatum forma, requiritur, quod sit capax absolutè talis formæ: ergò paritèr &c. 33
Obije. 3

Resp. argum. carere difficultate: Probat enim carentiam gratiæ originalis quòad adhùc aliquos eius effectus non fuisse pœnam peccati originalis; pœna enim, utpotè malum, requirit debitum habendi formam in subiecto 34
Respond.

iecto, quod punitur. Hinc cõstat etiam non posse favere Hæreticis negantibus transfusionem peccati originalis; siquidèm iuxta ipsos Adamus per suum peccatum transfudit in posteros mortem, aliasque pœnas corporis, estò non transfuderit peccatum, ut constat ex dictis dub. 1. huius Tract. Cùm igitur pœna sit malum privans perfectione debita subiecto; necesse est, ut arguens solvat argumentum de privatione gratiæ, semel quod admittat esse traductionem pœnæ. Ulteriùs apparet eius inefficacia in humanis. Nemo enim dubitat, quòd si Rex offerret alicui Equiti splendorem honoris, & divitiarum multitudinem, sub conditione, quòd fidelitèr custoditet Civitatem v.g. tàm pro se, quàm pro filijs suis; secùs autem: si crimen læsæ Maiestatis committeret; dato casu, quo sic peccaret, tàm ipse, quàm filii eius manerent privati honore, & divitijs: & tamen hæc omnia non erant debita absolutè, sed tantùm conditionatè.

Rursùs: Est satis communis sententia Theologor. voluntatem antecedentem, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, & per quam eos elevavit ad ordinem supernaturalem, esse voluntatem conditionatam dependentem à conditione observationis præceptorum, & non apponendi obstaculum gratiæ. Quapropter debitum habendi vitam æternam conveniens eis ex vi talis voluntatis, solùm est conditionatum; quo non obstante omnes, qui damnantur, sunt absolutè, & cum omni rigore vita æterna privati. Idem constat in promissione, qua Deus omnibus promisit conferre gratiam sanctificantem, si ad ipsum convertantur, & egerint pœnitentiam; & per quam promisit gloriam, si in gratia perseveraverint; quin talis promissio conditionata obstet, ut qui non vult agere pœnitentiam, nõ sit absolutè privatus gratia, & qui non vult perseverare, non sit absolutè privatus gloria.

35 Prob. solutio.

Et ratio omnium est: Nàm quotiès Deus promittit collationem alicuius doni dependentèr ab aliqua conditione ponenda à creatura, & ad quam ipsa tenetur, si transgrediatur talem conditionem, manet absolutè privata tali dono; cùm absolutè teneatur ad receptionem illius. Cùm ergò Adamo Deus promisserit donum iustitiæ originalis, tàm pro se, quàm pro suis posteris, si observaret præceptum; & ad huiusmodi observationem fuerit absolutè obligatus Adamus; ideò propter transgressionem conditionis manlit ipse, & omnes eius posteri privari iustitia originali. Undè iustitia originalis non fuit debita absolutè pròut à Deo; ipse tamẽ Adamus fuit absolutè obligatus, ut eam dandã suis posteris acciperet à Deo. Oppositum verò contingeret, si gratia originalis fuisset debita tantùm conditionatè, conditione unicè ponenda à Deo; aut si talis promissio fuisset conditionata, tàm obiectivè, quam subiectivè.

36

Si autem argumentum intendat, requiri ad privationem absolutam alicuius doni, adesse debitum absolutum ex parte Dei fundatum in voluntate absoluta, & absoluta promissione illius. Ex illo probabitur, nunquàm dari in homine talem privationem; cùm voluntas, & promissio absoluta in Deo semper impleatur. Quòd si tandem velis ponere voluntatem absolutam secundùm tendentiam suam, etsi inefficacem, ut plures Thomistæ asserunt de voluntate salvandi omnes; idem dicemus de voluntate infundendi posteris Adæ iustitiam originalem, ad quod elegit ut medium, imponere præceptum Adami, & voluit absolutè estò inefficacitèr, quòd illud observaret: qui enim vult absolutè estò inefficacitèr existere medium conducens ad finem promissum, vult absolutè inefficacitèr existere talem finem. Ex quibus apparet adhùc ex parte Dei fuisse debitam iustitiam originalem posteris Adæ debito orto ex vi voluntatis, qua voluit iustitiam transfundi, media observatione præcepti ab ipso Deo absolutè volita. Nec per hoc opponimur dictis, quia solum negamus debitum absolutum ex parte Dei, & quòad efficaciam executionis, non vero solius ordinationis.

37 Alia resp.

Arg. 4. Eo peccatum originale quòad sui essentiam consisteret in privatione gratiæ; quia iuxta Concilia supra citata affirmatur de illo esse

38 Objic. 4.

mor-

mortem animæ ; sed hæc ratio non probat : ergò. Min. prob. Omne peccatum mortale actuale, ut distinctum non solùm à peccato habituali personali, sed etiam originali, est, & dicitur mors animæ ; & tamen tale peccatum non consistit in privatione gratiæ; sed vel in tendentia positiva, vel in privatione rectitudinis debitæ actui : ergò.

39 Solutio. Resp. Quòd sicut in corporalibus actio introductiva mortis in facto esse talis, & in privatione vitæ corporalis consistentis ; dicitur mors in fieri, & causalitèr, ita similitèr dicendum de peccato actuali læthali, quatenùs per illud, tanquam per actum voluntarium anima separatur, & privatur conversione habituali ad Deum, quæ habetur per gratiam sanctificantem. De qua distinctione supra dictum est. Unde non præcisè ex conceptu communi mortis spiritualis probatur peccatum originale in privatione gratiæ consistere ; sed ex conceptu mortis in facto esse talis, & de qua dicitur eam generari, aut produci per peccatum actuale consummatum libero consensu, iuxta illud Iacobi 1. *Peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem.* De hac enim loquuntur testimonia Sacræ Script. suprà à nobis adducta, ut ex propria acceptione illorum clarè constat. Nèc enim verificatur de anima parvuli, dùm iste concipitur,* quòd moritur, sed quòd verè, & propriè est spiritualitèr mortua;* & morte quidèm ex Adamo propagata, & unicuique inhærenti tanquam propria, & peculiari, ut docet Tridentinum.

40 Objic. 5. Explicat. Sed contra dicta arguit P. Oviedo. Si privatio iustitiæ originalis esset pœna peccati Adami, & non peccati originalis parvulorum, sequeretur, quod dùm parvuli nascuntur privati iustitia originali, puniretur Adamus ; sed hoc repugnat cum statu beatitudinis, & cum eo, quod sit Deo intimè unitus per amorem amicabilem mutuum ex parte illius: ergò. Explicatur hoc : Maius malum est esse dignum pœna privationis gratiæ, quàm pati aliquem dolorem, vel tristitiam ; sed hoc repugnat cum statu beatitudinis : ergò. Urget hoc Illust. Godoy. Iuxta D. Thom. hic q. 87. art. 8. * & si filius possit puniri pœna corporali propter peccatum parentis ; secùs tamen pœna spirituali. * Sed privatio iustitiæ originalis, proùt à Deo, est pœna spiritualis : ergò huiusmodi privatio non solum est pœna peccati Adami, sed etiam peccati originalis posterorum. Urgetur.

41 Respond. Resp. (Quidquid sit: àn privatio iustitiæ originalis sit pœna peccati originalis posterorum) esse innegabile iuxta D. Th. illam esse pœnam peccari Adami sub ratione capitalis, ut constat ex testim. adductis sup. quæst. de Malo, ubi utitur his verbis, scil. *Adamus peccando meruit &c.* De quo expressè Ill. Godoy ubi sup. d. 35. §. 4. Quod si q. 5. de Malo a. 1. ad 2. negat *carentiam visionis in parvulis esse pœnam peccati Adæ*, subdit immediatè: *Secundum quod fuit personale peccatum*; quibus verbis insinuat fuisse pœnam illius sub ratione capitalis, & quatenùs fuit peccatum totius naturæ. Quod si carentia visionis est pœna talis peccati, fundamentum P. Oviedo corruit, ut de se constat. Rursùs, ex tali argumento sequitur Adamum peccantem, ut caput morale, non meruisse nobis adhùc mortem corporalem, aliasque calamitates, nè scilicet, concedatur Adamum, qui est beatus, modo puniri, pœnis corporalibus, etsi non ipsi ; suis tamen posteris infligendis. Hoc autem asserere est omninò voluntarium, & contra illud Genes. 2. *In quacumque die ex eo comederis morte morieris* ; siquidem iuxta prædictum A. debet dici mortem corporalem (aliasque calamitates) non fuisse comminatam, & infligendam posteris, sed solum infligendam Adamo, si peccaret, quod ultra falsitatem, maximum continet absurdum.

42 Ad prob. argumenti. Ad prob. in cont. Resp. Adamum ob peccatum non posse esse dignum pœna sibi infligenda; benè tamen infligenda alijs, dummodò anteà peccaverit ut caput illorum, & non fuerit pro tali peccato perfectè quòad efficaciam satisfactum. Quia igitur hæc duo reperiuntur in Adamo, ideò verificatur : privationem iustitiæ originalis

nalis in posteris esse pœnam peccati illius, non quidèm respectivè ad statum beatitudinis, quem modò habet, sed ad statum, quem habuit, dùm peccavit. Si autem dicas: Hoc minimè obstare, ut non sit verum dicere: *Modò, & de præsenti, punitur aliquomodò Adamus*; cùm modò, & de præsenti infligatur à Deo carentia iustitiæ originalis in posterum, qui de præsenti concipitur. Resp. dist. anteced. Punitur pœna, quæ sit malum naturæ, cuius fuit caput Adamus, conc. antec. Pœna, quæ sit malum personæ Adami, neg. anteced. Explicatur solutio: Certum est unum hominem posse alteri mereri gratiam de congruo: Ponamus Deum sic pacisci cum Petro: *Si in instanti A. elicias actum charitatis, dabo die crastina filio tuo gratiam sanctificantem*; & insuper ponamus Petrum post talem actum peccare, aut damnari: non enim ex tali pacto esset confirmatus in gratia. Hoc supposito, Deus in dicta hypothesi teneretur titulo pacti, & meriti elicii à Petro conferre gratiam filio suo. Tùm sic: Non videtur minus inconveniens Deum punire beatum, quàm præmiare damnatum; atqui hoc secùndum est possibile: ergò & primum; & propter eandem rationem, qua 2. ab incõvenienti liberatur. Si dicatur: meritum in dicta hypothesi mortificari, proindèque amittere efficaciam meriti. Dicimus, perseverantiam in gratia requiri ad merendum sibi, non verò alijs: aliàs decretum absolutum præmiandi merita alicuius præmio conferendo alijs, esset decretum confirmandi illumin gratia; quod est omnino voluntarium.

Occurrit instantiæ.

Ad explic. Resp. Dolorem, vel 43
tristitiam, esse malum personale, utpotè afflictivum eiusdem, qui dolet, vel tristatur. Et insup. malũ incomponibile cum gaudio, & fruitione Dei, cum quo tamen non repugnat, Adamum videre pœnam, quam Deus modò infligit propter suum peccatum: quin potiùs maximè lætatur in ostensione divinæ iustitiæ iuxta illud Psalm. *Lætebitur iustus, cùm viderit vindictam.* Undè, etsi primum malum sit maius, quàm secundum; non tamen ita incomponibile cum statu beatitudinis.

Ad explicationem

Ad urg. Ad urgent. ex Illustr. Godoy Resp. Doctrinam Div. Thom. intelligi de peccatis personalibus Parentum; cùm autem peccatum Adami fuerit capitale, commissumque moraliter à posteris, dùm isti privantur iustitia originali propter peccatum Adami, puniuntur pro peccato, quod fuit etiam peccatum ipsorum. Ita Div. Thomas quæst. 4. de Malo art. 1. ad 19. per hæc verba: *Dicendum, quòd peccatum primi hominis est quodammodò peccatum commune totius humanæ naturæ, & ideò cùm aliquis punitur pro peccato primi Parentis, non punitur pro peccato alterius, sed pro peccato suo.*

Ex hucusque dictis inferes, quòd 44
cùm peccatum Adami, sub ratione capitalis, non differat à se ipso, ut moraliter commisso ab unoquoque posterorum; id, quod comparatur, ut pœna respectu illius, ut peccantis peccato capitali, comparatur eodem modo ad posteros, ut peccantes in Adamo. Unde ea proprietate, qua posteris imputatur ad culpam peccatum Adæ, eadem proprietate imputatur ipsis ratio demeriti actualis reperta in ipsa ratione culpæ. * Quapropter privatio iustitiæ originalis, pròut est à Deo, & carentia visionis, & cæteræ calamitates, sunt verè, & propriè pœna moraliter causata, & promerita ab ipsis posteris ratione peccati actualis, quòd ipsi moraliter commisserunt in Adamo. Respectu verò peccati originalis unicuique ipsorum intrinsecè inhærentis, omnia supra dicta (excepta privatione iustitiæ quòad primarium eius effectum) comparantur etiam ut pœna; eò quòd realiter differunt ab ipso peccato originali. Cum quo tamen componitur, privationem talis iustitiæ, ut continuatam, vel ut includentem carentiam consummationis per gloriam, posse esse pœnam respectu peccati originalis, secùs verò, quòad primum sui esse.

Illatio 1.

* De quo Illust. Godoy disp. 35. §. 5.

Inferes etiam: Quomodo 45
Deus se gerit cum peccante mortaliter; cum enim offensa læthalis actualis habeat iuxta doctrinam Div. Thom oppositionem essentialem cum gratia, & simul oppositionem moralem: Primam quidem, quatenùs repugnat Deum amicabiliter diligere cum, qui gravitèr ipsum offendit:

Secunda.

De-

Demeritoriam verò, attenta gravitate offenſæ, eò quòd dignum eſt, ut qui Deum contemnit, patiatur carentiam beneficij gratiæ. Hinc Deus videns utramque oppoſitionem convenientem peccato actuali decernit duplici titulo, ſuſpendere concurſum conſervativum gratiæ; ex quo conſequitur velle indirectè, & ex conſequenti carentiam gratiæ, pròut eſt terminus ſuæ ſuſpenſionis: tùm titulo incompatibilitatis eſſentialis cum peccato actuali; tùm titulo demeriti, quatenùs in tali carentia reſplendet ordo divinæ iuſtitiæ. Undè non eſt neceſſe ponere in Deo duplex decretum adæquatè diſtinctum cum ordine prioris, & poſterioris; unum ſcilicèt, quo directus ſcientia inconiungibilitatis eſſentialis cum gratia, velit ſuſpendere concurſum conſervativum illius; alterum verò, quo directus ſcientia gravitatis demeritoriæ velit carentiam gratiæ, pròut in ea reſplender ordo divinæ iuſtitiæ vindicativæ; ſed ſufficit, quòd quemadmodùm unica indiviſibili cognitione utrũque titulum oppoſitionis ex parte peccati cum gratia cognoſcit; unico indiviſibili decreto ex amore ſuæ veritatis, & iuſtitiæ imperato decernat carentiam gratiæ. Qualitèr autem componi valeat, quòd peccatum actuale connectatur eſſentialitèr cum eo, quòd Deus ſuſpendat concurſum conſervativum gratiæ, & non obſtante tali connexione, poſsit Deus exercere actum iuſtitiæ punitivæ ſine nova, & diſtincta libertate ab ea, qua decrevit permittere peccatum; non eſt huius loci examinare; de hac enim difficultate agimus ex profeſsò Tract. de Iuſtific. ubi interim videri poſſunt noſtri Thomiſtæ, præſertim Mag. Bolivar dub. 5. à num. 24.

(*)

§. VI.

Solvitur difficile argumentum probans in eadem privatione gratiæ non poſſe adunari rationem culpæ, & pœnæ.

DEniquè obijcies, & verè difficilius, poteſtque eſſe replica contra dicta. Sed ut eius efficacia clariùs, & cum brevitate percipiatur, duo notanda ſunt. Primum: eſſe doctrinam Thomiſt. contra aliquos PP. ex Schola Societ. inter prædicata realitèr identificata non dari diſtinctionem intrinſecam virtualem conſiſtentẽ in capacitate ad ſuſcipienda realitèr prædicata cõtradictoria. De quo eruditè in Logica percelebre D. Thom. Complut. Colleg. Secundum eſt: unum ex præcipuis fundamentis, quibus plures Thomiſt. (quorum ſententiam ſequuti ſumus Tom. 2. dub. 5. de peccatis) probant, malitiam peccati commiſsionis non poſſe conſiſtere in aliquo poſitivo realitèr identificato cum entitate phyſica Actus, fundari in eò, quòd ſequeretur, Deum cauſantem per ſe talem entitatem phyſicam, cauſare propriè, & per ſe ſaltim ex parte rationis *quæ* poſitivum malitiæ; ita ut licèt non verificetur: *Deum eſſe cauſam per ſe malitiæ; quia malitia eſt, aut quòd ſit cauſa illius quantùm ad expreſsionem malitiæ*; illam tamen in ſenſu reali, & ſecluſſa fictione rationis cauſaret; & hoc quidèm probatur ob motivum ſupra poſitum, ſcilicèt, nè admittatur diſtinctio intrinſeca virtualis inter prædicata realitèr identificata, ſi quod affirtur realitèr de entitate phyſica actus, negatur in ſenſu reali de poſitivo malitiæ. 46 Ultim. arguitur.

Ex his prænotatis apparet manifeſtè argumentum ſatis efficax ad probandum in eadem carentia gratiæ non poſſe adunari rationem culpæ incauſabilis per ſe, & propriè à Deo, & ſimùl rationem pœnæ exigentis cauſari propriè, & per ſe à Deo, qui eſt Author omnis pœnæ. Apparet inquã: quia ex oppoſito ſequeretur, cauſalitatem Dei, ut Authoris, præſcindere realitèr inter formalitates eiuſdem 47 Ponderatur efficacia argumenti.

rei;

rei; ex quo ulteriùs sequeretur debere concedi distinctionem intrinsecam supra descriptam: siquidèm verificarentur sequentes propositiones: *Culpa habitualis in sensu reali accepta non procedit à Deo, ut causa per se. Pœna realitèr accepta est à Deo, ut causa per se.* Quòd si hoc argumentum admittit solutionem aliquam, non obstante identitate reali inter culpam, & pœnam; nulla apparet ratio, ut talis solutio accomodari nequeat malitiæ actuali, etsi realitèr identificatæ cum entitate physica actus.

48 Quædam responsio rejicitur.

Nèc ullius momenti est dicere: Quòd quamvis culpa nequeat esse à Deo ut agente; potest esse à Deo, ut non agente: hoc enim solum dicit, Deum liberè suspendere conservativum gratiæ. At vero in casu identitatis malitiæ cum entitate physica actus; malitia esset à Deo, ut positivè agente, sicut & entitas physica, cum qua realitèr identificatur. Non inquã valet. 1. Nam, etsi pœna damni v.g. in carentia consistens, non sit à Deo, ut positivè influente in illam; cùm ex parte obiecti nihil sit, sed à Deo, ut non causante visionem: teverà tamen dicitur absolutè, Deum esse Authorem illius, ut demonstrativè probat Div. Thom. in 2. dist. 37. quæst. 3. art. 1. ergò quòd culpa habitualis in carentia grâtiæ consistat, non tollit quominùs in vero, & absoluto sensu dicatur, procedere à Deo, ut Authore; si alàs realitèr identificatur cum formalitate pœnæ. 2. Et redditur ratio à priori: Nàm ratio Authoris in Deo non restringitur præcisè ad influxum positivum suæ Omnipotentiæ; sed quidquid existit suo modo Deo ordinante, approbante, & volente, dicitur ab ipso, ut Authore procedere, iuxta illud Div. August. lib. 83. qq. q. 3. *Illo Authore cùm dicitur, illo volente dicitur.* Cùm igitur pœnæ privativæ, etsi in se nihil sint, existant suo modo Deo ordinante, approbante, atque volente; ideò dicitur esse Authorem illarum. Nùnc rogo: Talis approbatio, dispositio, & amor divinæ voluntatis terminatur realitèr, & verè ad formalitatem culpæ realitèr identificatæ cum formalitate pœnæ, vel non? Si 1. Deus erit A. culpæ habitualis. Si 2. Sequitur inconveniens supra positum de distinctione intrinseca virtuali, & de præcisione divinæ voluntatis inter prædicata realitèr identificata.

Hoc argumentum mihi satis difficile apparet propter motiva supra ponderata. Quapropter magis vellem aliorum solutionem audire, quàm pro ingenij mei parvitate aliquid ex proprijs dicere. Hinc mirari non finam; cur aliqui RR. (inter quos Mag. Ferre, & Mag. Carrasco) probantes, malitiam peccati commissionis non posse consistere in aliquo positivo realitèr identificato cum entitate physica illius ex eò, quòd posita tali identitate, etsi cum distinctione rationis, necessariò sequeretur, Deum causantem per se entitatem peccati, debere etiam causare in sensu reali positivum malitiæ; non obiecerint sibi hoc argumentum: Quod primo aspectu se offert ob consequentiam doctrinæ. Sed quia certum existimamus esse de mente Div. Thom. peccatum habituale (præsertim originale) in privatione gratiæ consistere: similitèrque eandem carentiam gratiæ esse simùl culpam, & pœnam: ideò eius auxilio innitentes conabimur congruentem solutionem absque inconseq. doctrinæ tribuere.

49 Reflexio quædam.

Sed ante omnia, & præscindendo à sententia, quam in præsenti propugnamus; vellem scire ab AA. Thomist. tuentibus non esse possibilem omissionem liberam, & peccaminosam absque omni actu, ideòque iuxta ipsos Deo denegante suum concursum ad omnem actum, omissio, quæ per prius erat in voluntate, ut pura negatio, accedente actu occasionante illam, transit in privationem, fitque voluntaria, & peccaminosa: Vellem, inquam, scire: An Deus sit causa pro suo modo talis omissionis, quòad substantiam, vel non? Si 1. Iàm concursus Dei præscindet inter carentiam actus quòad esse physicum, & malum privativum illius. Si 2. Sequitur Deum esse causam per se malitiæ peccati omissionis, quod dici nequit. Imò præscindendo ab hoc, videtur mihi, in ipsâ omissione privativa actus debere distingui non minùs, quàm in pec-

50 Hoc argumentũ formari valet in omissione peccamin.

peccato commissionis aliquid, quasi materiale, & de linea physica, scilicèt, carentia actus secundùm entitatem physicam accepti, & aliquid quasi formale, scilicèt, ipsa carentia actus sub ratione debiti. Si enim actus quòad suũ esse physicum, differt à se ipso sub ratione debiti, paritèr in omissione illius hæc distinctio debet inveniri. Quod ulteriùs confirmari potest ex ipsa prohibitione omissionis actus charitatis v.g. quę quidem omissio, cum ante prohibitionem sit negatio, & ad lineam physicam spectans, post talem prohibitionem etsi transeat ad lineam moralem, non tamen amittit suum esse physicum, quod priùs habebat, licèt amittat esse purè intra lineam physicam. Quo supposito en iã argumentum sup. ponderatum, quod necessariò solvi debet à Thom. nè Deo ut A. attribuatur malitia privativa in tali omissione reperta.

51 Ulteriùs: Nequit recurri pro congruenti solutione ad communem distinctionem, & quæ communitèr exhiberi solet in alijs materijs, penès rectum alicuius rei, & penès obliquum, & connotatum eiusdem; dicereque,* culpam habitualem secundùm id, quod dicit in rectò, causari à Deo, non tamen secundùm id, quòd dicit in obliquo, scilicèt, peccatum actuale, à quo carentia gratiæ culpa denominatur;* ad modùm quo, etsi Deus non sit causa fundamenti malitiæ privativæ, nèc permissionis peccati secundùm id, quod dicunt in obliquo, secùs tamen secundùm id, quod dicũt in rectò. Non inquam potest fieri talis recursus. 1. Quia prorsùs falsum est, ut alibi probavimus, fundamentum proximum malitiæ privativę esse à Deo; cùm iuxta expressam doctrinam Div. Thom. quæst. 1. de Mal. art. 3. & 1. part. quæst. 49. art. 1. ad 3. & 3. cont. Gent. cap. 10. tale fundamentum sit entitas actus procedens à voluntate cum defectu subiectionis, & attentionis ad regulam rationis, quiquidèm defectus iuxta ipsum S. Doct. ibid. à Deo non est, sed unicè à voluntate.

Prœoccupatur alia solutio 1.

52 2. Nam rectum culpæ habitualis est intrinsecè malum: ergò nequit à Deo causari. Anteced. prob. Nàm culpa habitualis, & actualis, realitèr differunt inter se; imò specificè in sensu methaphysico; etsi iuxta prudentum existimationem sint eiusdem speciei. Sed implicat duo specie distingui in ratione culpæ; quin rectum utriusque sit malum moralitèr: ergò. Denique: Nàm etsi peccatum actuale sit connotatum, ut carentia gratię sit culpa; respectus tamen, & ordo, quem talis carentia dicit ad peccatum actuale, est formalissimè in illa ratio culpæ. De hoc ergò respectu procedit difficultas: nàm vel distinguitur realitèr à carentia gratiæ, quæ est à Deo, vel non? Si 1. làm ratio culpæ non consistit formalitèr in carentia gratiæ, sed tantum pro materiali, quæ est opinio P. Suarez tom. 2. dub. 7. fol. 627. impugnata. Si 2. Restat solvere argumentum de causalitate Dei præcisiva inter duo prædicata realitèr identificata.

Secundò. Ultimò.

§. VII.

Prima solutio argumenti.

53 SUpponendum 1. ex dictis: Deum dici Authorem pœnarum privativarum, non quia sit propriè causa aliquid producens; sed quatenùs positivè eas vult, & approbat, ut conducentes ad ordinem suæ iustitiæ. Undè, etsi ex parte divinæ voluntatis, & intellectus, omnia rectè ordinantis detur tendentia positiva approbans, & ordinans pœnas privativas; ex parte tamen Omnipotentiæ, quæ est virtus executiva; nullus datur influxus positivus, sed potiùs suspensio influxus in bonum, quo pœna privat. Suppono 2. Non repugnare eandem rem entitativè, sub diversa tamen formalitate, seu respectu, posse terminare amorem, & simùl displicentiam, saltim in humanis. Ratio est: Nàm obiectum amoris est ratio convenientis, odij verò ratio disconvenientis. Sed non repugnat idem obiectum sub uno respectu repræsentari ut conveniens, & sub alio ut disconveniens: ergò non repugnat &c. Hac ratione Christus Dominus simùl volebat mori pro genere humano, & nolebat mori. Considerata enim morte, quatenùs

Prima suppositio. Secunda.

erat

erat utilis ad redemptionem generis humani, & erat ipsi præcepta; Christus D. eam vehementèr desiderabat; at vero quatenùs prædicta mors erat physicè disconveniens suæ naturæ, sic displicebat ipsi, eamquè recusabat, dùm orabat dicens: *Transeat à me Calix iste.* Idem constat in B.V.M. vehementèr dolenti de morte Filij sui, quatenùs erat afflictio innocentis, & iniustè illata; & maximè gaudenti de eadem morte, proùt erat iuxta beneplacitum divinæ voluntatis. Quæ doctrina innumeris exemplis confirm. potest. Si autem idem obiectum propter diversitatem respectus ad hunc, vel alium finem; ad hoc, vel aliud subiectum, potest amari, & odio haberi, potiori ratione poterit sub una formalitate amari, & sub altera non amari.

54 Nec ex hoc sequitur dari distinctionem intrinsecam virtualem, quam communiter Thomistæ reijciunt. Hæc enim consistit in eo, quòd de eadem re verificentur prædicata contradictoria in sensu reali, ita ut prædicatum, quòd affirmatur de una formalitate realitèr sumpta, & prout est à parte rei, negetur de altera formalitate realitèr identificata, proùt est à parte rei. Quapropter si prædicatum, quòd affirmatur de una formalitate, verificatur de illa proùt differt ab altera, saltim per rationem, ex quo negetur de prædicta formalitate, non propter hoc conceditur distinctio virtualis intrinseca. Constat hoc *in animali cognito realitèr, & non cognito realitèr rationali*; quin ex hoc sequatur dari inter animal, & rationale distinctionem virtualem intrinsecam; quia videlicèt esse *realitèr cognitum* convenit animali, non ut est à parte rei, sed proùt differt à rationali. Cum igitur terminare actum amoris, aut esse volitum, conveniat obiecto, proùt dicit rationem convenientis, sub qua consideratione differt à seipso sub alia formalitate, sub qua dicit rationem disconvenientis, aut non convenientis; ideò non inconvenit voluntatem in eodem obiecto amare unam formalitatem, altera non amata, sed potiùs odio habita. Hinc sine aliqua contradictione aliqui peccatores iuxta D.Th. 2.2.q. 34.a.1.complacet in eo, quòd *Deus sit in se summum ens, & summum bonum*; displicent vero in eo quod sit *prohibitor peccatorum, & pœnarum inflictor*; estò hæc omnia sint unum in Deo.

Prob.non sequi dist. virtualè.

De hoc in Logica

Stabilita hac doctrina per ordinem ad voluntatem humanam: restat eam suadere, ut possibilem per ordinem ad voluntatem divinam. Sed meo videri in hoc parùm difficultatis adesse potest. 1. Quia si voluntate Christi D.& B. Virg. hoc contigit, estò perfectissima cognitione rerum processerint in actibus suæ voluntatis, nō est cùr Deo repugnet. 2. Quia semèl, quod idem obiectum sub una ratione appareat bonum, & sub alia malum, est cōseq. necessaria, ut simul terminet amorem divinum, & eius displicentiam. 3. Quia adsunt ad hoc probandum alia exempla. Cum enim actus externi iuxta doct. D.Th. 1.2.q. 18. a. 2. accipiant bonitatem, vel malitiā, ex obiecto ad quod terminantur; & idem obiectum entitativè possit terminare actionem pravam, & actionem honestam, ut constat in eadem pecunia ablata per furtum, & iterùm suo Domino restituta; & in morte illata à persona particulari, & à iudice, sive ministro illius inflicta: necesse est fateri idem obiectum sub una ratione esse rationi consonum, & à Deo amabile, sub alia vero rationi dissonum, & ipsi displicens. Quæ exempla satis efficacia sunt; si moralitas obiectiva rebus conveniens sit quid eis intrinsecum, ut tenēt PP. Salm.M.Bolivar, & Alij. Unde D. Th. in solut. ad 1. hæc habet: *Dicendum, quòd licet res exteriores sint in seipsis bonæ, tamen non semper habent debitam proportionem ad hanc, vel illam actionem: & ideò in quantum considerantur, ut obiecta talium actionum, non habent rationem boni.* Videatur art. 8. & q. 20. art. 1. Et ut omnis tollatur dubitatio, sic docet S.D. in 1. ad Anib. dist. 46.a.4. loquens de voluntate divina: *Cum voluntas sequatur cognitionem; multa distinguuntur secundum voluntatem, quæ non distinguuntur secundum rem: eò quod distinguuntur secundum rationē.*

55 Prosequi-tur assūp-tum.

Prob. ex S.D.

Hinc iam apparet facilis via ad salvandum, sine recursu ad

56

distinctionem intrinsecam virtualem posse Deum esse A. carentiæ gratiæ secundùm esse physicum, & pœnale, quin sit ita A. rationis culpæ habitualis in tali carentia repertæ. Ratio est: quia cum prærogativa A. respectu carentiæ gratiæ proveniat formalitèr ex approbatione, & amore terminato ad illam (ut supra advertimus) cùm voluntas divina in eadem re, sive sit positiva, sive privativa; possit velle unam formalitatem, & respectum, non vero alteram, ideò potest velle carentiam gratiæ, prout est malum physicum, sive prout est carentia unionis Dei cum anima; quin velit rationem culpæ cum illa identificatam. Quòd ulteriùs sic explicatur. In carentia gratiæ prout est terminus suspensionis divinæ, relucet ordo divinæ iustitiæ; iustum quippè est Deum auferre beneficium gratiæ offendenti ipsum; qua ratione potest illam sic amare, & disponere: at vero in eo, quod homo liberè distet, & recedat à Deo recessu formali, & in facto esse, nulla bonitas apparet, sed potiùs culpa, & dissonantia ad rectam rationem: ergò potest Deus in eadem carentia gratiæ placere, & displicere secundum diversam rationem inspecta: ergò poterit esse causa per se, & A. unius formalitatis, quin sit causa per se, & A. alterius.

Quapropter claritatis gratia, hæc
57 propositio: *Nequit Deus esse A. unius formalitatis, quin sit A. alterius realitèr identificatæ cum illa*, sic debet distingui: Author positivè influens, conced. Author non influens positivè, sed tantum proximè volens, & approbans, neg. Nàm ut probatum relinquimus, potest tùm voluntas humana, tùm divina, præscindere in sui amore: & idem obiectum amare sub una ratione, non vero sub altera. Nec ex quò idem terminet amorem sub una ratione, & non sub altera, sequitur distinctio intrinseca virtualis: Nàm ut supra advertimus, non quælibet verificatio duplicis contradictorij de eadem re arguit distinctionem intrinsecam virtualem; aliàs non differret à præcisione obiectiva. Quapropter necesse est in eis non fieri sensum appellativum; ita ut talia prædicata affirmentur, & negentur de eadem re, prout est à parte rei, & non prout fundat distinctionem actualem per rationem. Quando igitur affirmatur de carentia gratiæ amari à Deo, & ab ipso ut A. procedere, fit sensus formalis; cum accipiatur talis carentia, prout in ea resplendet ordo divinæ iustitiæ; unde nequit propter talem identitatem, quam cum ipsa habet ratio culpæ, terminare amorem sub omni formalitate &c.

Sed restat reddere rationem dis- 58
criminis inter concursum positivum Divinæ Omnipotentiæ, qui nequit præscindere inter extrema realitèr identificata, & inter concursum approbativum divinæ voluntatis potentis sic præscindere; ut ex tali discrimine constet, quod si malitia peccati commissionis identificaretur cum entitate physica actus, produceretur à Deo; non tamē culpa habitualis identificata cum carentia gratiæ provenienti à Deo ut A. Ad quod Resp. Concursum positivum Divinæ Omnipotentiæ respicere pro termino formali rationem entis realis distincti à nihilo, ut expresè docet D. Thom. 1. p. q. 25. a. 2. Ex quo infert ibidem Angel. Præcep. solum extrahi ab eius causalitate quidquid involvit contradictionem dicentem simul esse, & non esse. Cumque illud positivum malitiæ sit ens reale distinctum à nihilo, non involvens, nec exponens aliquam contradictionem, nullatenùs posset excludi à causalitate positiva Omnipotentiæ. Rursùs: Quia influxus positivus Divinæ Omnipotentiæ non facit sensum formalem, & appellativum, ita ut ratio entis per ordinem ad esse sit unicè ratio sub *qua*, & ratio *quæ* terminativa talis influxus; aliàs ex quo Deus causaret rationem entis in homine, non probaretur causare omnes formalitates, & expressiones illarum, quod est omninò falsum. Unde quando de aliqua re verificatur produci positivè ab omnipotentia; illud prædicatum *productum* nō verificatur de illa sub hac, vel illa formalitate; sed in sensu reali accepta, & prout est à parte rei. Oppositum autem contingit in concursu approbativo divinæ voluntatis, &

Redditur quædā ratio discriminis.

in

in concursu directivo suæ sapientiæ; quiquidem terminatur ad carentiam perfectionis creatæ, non absolutè, sed proùt conducit ad ostensionem suæ iustitiæ, vel supremi dominij. Ex quibus liquet hanc conseq. esse bonam: *Non datur distinctio intrinseca virtualis inter prædicata realitèr identificata: ergò si entitas peccati producitur à Deo, producitur etiam malitia cum ipsa identificata.* Secùs vero hęc: *Non datur distinctio &c ergò si carentia gratiæ, ut malum physicum procedit à Deo, ut A. etiam procedit ab ipso ratio culpæ cum illa identificata.*

59 Instabis.

Si dicas: ex hac solutione sequi, quod, quidquid sit de concursu executivo Divinæ Omnipotentiæ, poterit divina voluntas præscindere inter entitatem physicam peccati, & positivum malitiæ; ideoque velle 1. & displicere in 2. Ex quo ulteriùs sequitur Deum posse esse A. entitatis physicæ, & non malitiæ: ac proindè nõ obstante tali identitate posse propugnari, ut veram sequentem propositionem: *Licet malitia actualis identificetur realitèr cum entitate physica actus, potest Deus velle, & prædefinire efficacitèr entitatem actus, non prædefinita efficacitèr illius malitia.* Sequela constat ex immediate dictis, ubi affirmavimus causalitatem divinæ voluntatis facere sensum formalem, non vero causalitatem positivam omnipotentiæ.

60 Respond.

Resp. 1. Negando sequel. ob manifestam complicationem, quàm secum adducit. Nàm cum iuxta D. Thom. 1. p. q. 25. a. 1. operatio divina sit omnipotentiæ ut exequentis, scientiæ ut dirigentis, & voluntatis ut imperantis; priùs oportet stabilire ex parte Divinæ Omnipotentiæ, cuius est proprius actus operatio, concursum permissivum inter extrema positiva realitèr identificata, quàm similem præcisionem ponere ex parte suæ voluntatis; quæ solum habet applicare, sive determinare omnipotentia ad id, quod intra terminum formalem sui continetur, non vero ad id quod est extra talem terminum, cuius modi sunt iuxta D. Th. 2. 2. solũ impossibilia. Resp. 2. In voluntate divina distingui posse duplicem modum approbationis, & amoris: unum ut causæ universalis respicientis bonum physicum; alterum vero ut causę specialis moralis respicientis in obiecto conducentiam ad ostensionem iustitiæ, vel alterius attributi. Licet autem iste secundus modus concurrendi possit esse præcisivus, & potens terminari ad aliquod obiectum, non proùt est in re, sed proùt dicit aliquam formalitatem, non tamen primus modus concurrendi; & huiusmodi est, & esset amor efficax prædefiniens entitatem physicam peccati commissionis. Ratio huius est: Nàm tale decretum respicit pro termino formali rationem entis realis, & rationem boni physici; cumque omne positivum in re tale, eò non exprimat ordinem ad existentiam, vel convenientiam cum appetitu, sit tamen ens, & bonum physicè tale: ideò nequibit prædefiniri existentia entitatis non prædefinita malitia positiva in re; unde negata distinctione virtuali intrinseca inter entitatem, & positivam malitiam, hæc etiam in sensu reali, & ut quod produceretur, & prædeterminaretur à Deo.

Secundo.

§. VII.

Secunda solutio.

61 Notand.

PRo huius intelligentia diligentèr revocanda est in memoriam doctrina tradita Tom. 2. dub. 6. ubi explicavimus, qua ratione privatio gratiæ sit culpa habitualis, & qua ratione sit pœna inflicta à Deo propter peccatum actuale. De quo ibi §. 4. & 5. Ratio igitur culpæ habitualis significatur his terminis: *Libera desertio, aversio, & derelictio formalis, & in facto esse, per quam anima recedit à Deo, ut fine ultimo amicabilitèr dilecto.* Unde licet carentia gratiæ sit suo modo à Deo subtrahente concursum conservativum ob peccatum actuale; huic carentiæ superaddit voluntas à seipsa per tale peccatũ formalitates supra recensitas; cumque illæ non sint à Deo; & aliunde sunt constitutivæ peccati habitualis, salvatur cum omni proprietate, Deum, esto causet carentiam gratiæ

secundum se, aut sub ratione pœnæ, non causare peccatum habituale.

62 Hoc notato: si in privatione gratiæ sub terminis supra positis significata, & prout est culpa habitualis, possumus designare aliquem modum privativum realiter superadditum carentiæ gratiæ; & quo non intellecto non ponitur in ea ratio culpæ; motivum, cui innititur argumentum, evanescit; cum in tali casu prædicata contradictoria non verificentur de eodem subiecto realiter, tam entitative, quàm modaliter. Quod autem res ita se habeat (licet hoc ibi non explicaverim, sed satis efficaciter solam distinctionem formalitatum insinuaverim; quia ad illud assumptum talis distinctio erat sufficiens) suadetur mihi 1. ex paritate omissionis secundū se, & illius, existente præcepto; quæ tamen, dùm adest præceptum, est privatio mala moraliter, & procedens à voluntate ut moraliter defectiva; estque violatio præcepti, & aversio à Deo fine ultimo. Nec tamen facilè quis poterit mihi suadere; in his omnibus mihil privativū realiter superaddi omissioni actus quòad substantiam, & prout erat antea in linea, quasi physica; cum principia quasi activa illius, & finis interpretativus; & item, diversitas penès *non accessum, & recessum à bono*, oppositum suadeant.

Fundatur solutio.

Primò.

Hinc iam apparet ratio efficax ut in carentia gratiæ secundum se sumpta; * ratio aversionis, defertionis, & privationis amicitiæ Dei, * sit ei aliquid realiter superadditum à voluntate ut deficiente moraliter causatum. Non quia ipsa privatio gratiæ nō sit etiam mala (ut tacitæ obiectioni occurram) sed quia sine his non est adæquatè constituta in esse culpæ. Est enim ipsa privatio, & carentia gratiæ mala moraliter; * quia contra legem æternam, & contra finem proprium animæ, ut agens morale est. * Per quod redditur disparitas de omissione actus secundū se inspecta. 63

Suadetur 2. ex D. Thom. hic q. 82. a. 4. ubi probat peccatum originale esse æquale in omnibus; *quia tàm defectus originalis iustitiæ, quàm respectus huius defectus ad peccatum primi Parentis, est æqualis in omnibus.* In quibus satis efficaciter insinuat respectum, sive voluntarietatem terminativam convenientē privationi gratiæ, seu iustitiæ, esse ei realiter superadditam. Unde in carentia gratiæ, ut reipsa dicitur, & est culpa habitualis additur aliquid reale privativum, sive consideretur, ut est defertio Dei, sive, ut est voluntariè inducta ex peccato actuali. *Et hæc de hoc dub. applic. litt. M. ubi praced.* 64 Secundo.

DU-

DUBIUM UNICUM.
DE SUBIECT. PECC. ORIG.
AN CVLPA ORIGINALIS SVBIECTETUR immediatè in anima?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA, ET REFERUNTUR SENTENTIÆ.

N.1 POst considerationem peccati originalis secundum causam, tàm effectivam, quàm formalem illius: rectus ordo doctrinæ exposcit, ut de causa materiali, sive receptiva ipsius, agamus: in hoc servantes methodum doctrinæ D. Th. qui postquam q. 82. egit de peccato originali quòad sui essentiam, & secundùm causam formalem intrinsecam, postmodum q. 83. agit ex professò de causa materiali, sive de subiecto ipsius. Pro quo supponendum

Primo. est 1. quod cum iuxta dicta in præcedentibus, culpa originalis consistat, non in aliquo positivo, sed in privatione iustitiæ originalis, nequit habere subiectum, vel causam materialem, in qua cum rigore, & proprietate recipiatur; sed latè, scil. in sensu, in quo privationes formarum dicuntur recipi, & in esse subiectis, quæ formis privantur. Supponendum 2. du-

Secundo. bium non procedere de subiecto *quòd* receptivo culpæ originalis; hoc enim certum est esse hunc hominem, vel illum hominem in particulari; sub qua consideratione dicit esse compositum subsistantiale ex corpore, & anima per se existens, & subsistens. Cuius ratio est: Nàm illud dicitur subiectum *quòd* peccati originalis, quòd cum proprietate dicitur, & est *filius Adæ*, & per seminalem propagationem ab ipso descendens; sed huiusmodi est solum compositum subsistantiale per se existens, & subsistens, ut est certum: ergò. Tùm, quia subiectum *quod* peccati originalis est illud, de quo verificatur cum omni proprietate *esse peccatorem*, & *filium iræ*, iuxta phrasim D. Pauli; sed hæc non verificãtur cum proprietate de anima rationali unita corpori, nec de humanitate ex tali unione resultanti: ergò.

Quapropter præsens litigium solum procedit de subiecto *quò* immediato culpæ originalis; id est de illo, vi cuius compositum redditur capax ut *sit* subiectum *quod* tàm denominationis, quam inhæsionis respectu illius. 3. Supponendum, quòd cum compositum subsistantiale hominis productum, & descendens ex Adamo includat, tùm corpus, tùm animam unitam corpori; tùm etiã potentias, tàm spirituales, quàm corporales, & sensitivas: circa subiectum *quò* immediatum culpæ originalis duplex potest esse dubitatio, & controversia; 1. scil. comparando animam respectivè ad corpus, sive carnem, cui unitur: *An, scil. caro sit tale subiectum, cui perprius insit culpa originalis, quàm animæ?* 2. Comparando animam ad eius potentias, & præsertim voluntatem: *An, scil. culpa originalis perprius inhæreat voluntati, quam animæ?* Ad quod respiciens S. D. decisionem utriusque difficultatis duobus articulis sigillatim proposuit, & determinavit; probando, scil. art. 1. q. 83. peccatũ originale non esse propriè tan quam in subiecto *quo* immediato in carne; sed in anima; & art. 2. perprius inhærere animæ, quàm voluntati, alijsque potentijs.

2

Tertio.

4. Supponendum nos in præsenti non loqui de peccato originali secundùm omnia, quę dicit tàm de formali, quã consecut. & de materiali; sive se-

3

Quarto.

cundum id, quòd dicit completè, & adæquatè accepto quòad omnes illius effectus, & deordinationes; sub hac enim consideratione certum est non solum animam, sed etiam intellectum, voluntatem, aliasque potentias esse *subiectum quo illius*. Nemo enim dubitare potest *ignorantiam, malitiam, concupiscentiam, & infirmitatem*, quæ sunt vulnera ex illo derelicta, inhærere immediatè intellectui, voluntati, appetitui concupiscibili, & irascibili: de quo ex professò S. D. q. 85. a. 3. Unde difficultas procedit de peccato originali quòad sui essentiam, quatenùs per illum constituitur homo iniustus, inimicus Deo, & dignus damnationis æternæ.

4 Denique supponendum præsentem disputationem habere locum, non solum suppositò animam distingui realiter ab intellectu, voluntate, alijsque potentijs; ut expressè cum D. Th. propugnant omnes Thom. & plures ex AA. Societatis, sed etiam in opinione, quàm tuetur Scotus, & Alij identificantes realiter animam cum eius potentijs. Ratio est: quia non obstante tali identitate ponitur distinctio formalis inter illa, ita ut formalitas intellectus conveniat animæ, prout dicit ordinem ad intellectionem; formalitas voluntatis, quatenùs respicit volitionem; at vero ratio, & formalitas essentiæ prout indeterminatè, & quasi universaliter respicit tàm intellectionem, quàm volitionem: modò quo, etsi in intellectu realiter identificentur virtus cognoscitiva veri naturalis, & vis cognoscitiva veri supernaturalis; intellectus tamen, prout hoc nomine significatur, dicit virtutem se habentem indifferenter ad attingentiam omnis veri.

Quinto.

Hæc, quæ dicta sunt iuxta opinionem Scoti statuentis distinctionem formalem ex natura rei inter animam, & eius potentias; servata propositione intelligenda sunt, si negetur prædicta distinctio, & alia, sive pure rationis, sive virtualis, adstruatur. His suppositis prima sententia asserit peccatū originale inhærere immediatè voluntati; & animæ solum ratione illius. Ita D. Bonaventura in 2. d. 31. a. 2. q. 1. Scotus in 2. d. 32. §. *Ad argum.* 2. q. quę

Sententia

tenent omnes eius discipuli, & P. Vazquez, Durandus in 2. d. 31. q. 3. Secunda affirmat, subiectum *quo* immediatum esse animam secundum suam essentiā. Ita expressè D. Th. in 2. d. 32. q. 2. a. 1. & q. 4. de Mal. a 4. & hic q. 83 a. 2. quem sequuntur omnes Thomistæ, estque frequentior inter Doctores Societatis, hi sunt Suarez, Salas, & Alij.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Peccatum originale saltim inadæquatè inhæret animæ immediatè.

ITa expressè D. Th. locis ubi sup. & colligitur ex Trid. vocante: *Peccatum originale mortem animæ.* Et prob. illius ratione. Peccatum originale contrahitur media generatione: ergò id, quod est terminus immediatus generationis, est subiectum, cui immediatè inhæret culpa originalis. Sed terminus, ad quem immediatè terminatur generatio, est essentia animæ, ut unita corpori: ergò essentiæ animæ, ut unitæ corpori immediatè inhæret culpa originalis. Cætera constant, & min. prob. Ex his, quæ docentur in Philosophia. Id se habet, ut terminus primarius, & immediatus in generatione, in qua generans, intendit sibi assimilare genitum; sed homo generans alterum hominem intendit eum sibi assimilare in anima rationali, ut unita corpori: ergò. Ulteriùs. Ideò anima secundùm sui essentiam non esset terminus generationis, quia anima non est genita, sed compositum; sed hæc ratio solum probat eam non esse terminum *qui*, secùs vero non esse terminum formalem primarium, & immediatum: ergò. Prob. min. Ad rationem termini formalis non requiritur, quod sit terminus genitus, aut productus, sed sufficit quod sit terminus communicatus, aut unitus. Quapropter, etsi natura divina in filio non sit genita, aut producta, est terminus formalis generationis illius. Similiter: etsi albedo præexistens, unita tamen corpori, non sit producta per actionem dealbantem parietem v. g. est tamen terminus formalis talis actionis. Et

5

Prob. ex S. D.

ra-

ratio à priori est: Nàm munus proprium termini formalis alicuius generativæ est constituere genitum, illumque assimilare in specie generanti: ad quod non requiritur, quod forma quòad suam entitatem producatur per actionem generativam, sed sufficit uniri, & communicari per modum formæ alteri comparti; posita enim tali unione verificantur omnia sup. recensita: ergò anima rationalis, ut unita corpori (ly *ut* dicente purã conditionem, non vero rationem formalem) est terminus formalis primarius, & immediatus actionis generativæ.

6 Sed dices 1. cum P. Vazquez (cui displicet sententia S.D. eiusque ratio videtur inefficax) ex illa tantũ probari compositum esse subiectum, cui immediatè inhæret peccatum originale: cum solùm illud sit terminus immediatus, & primarius generationis, non vero essentia animæ; cum hæc solum à Deo per actionem creativam producatur. Sed hæc solutio manet ex dictis præoccupata. Nàm prędictus A. debebat distinguere inter terminum *qui*, sive totalem, actionis generativæ, & inter terminum *quo*, sive formalem eiusdem, reducendo in memoriam ea, quæ communitèr docentur tract. de generat. Ad modum quo ex parte principij generationis communitèr distinguitur id, quod se habet tanquam principium agens, ut quod; & tanquam principium formale actionis, sive agens, *ut quo*. Fatemur enim solum compositum esse terminum *qui*, sive totalem, actionis generativæ; cum fieri, sicut & esse, solum conveniat ut quod rei subsistentis, sive hypostasi: negamus vero formam subsistantialem; proindèque animam ratioalem ut unitam corpori, non esse ter minum formalem primarium, sive *quo* actionis generativæ, ut ex ratione sup. adducta probatum relinquimus. Tota hæc doctrina est expressa D. Th. 3. p. q. 35. a. 1. dicentis: *Nativitas potest attribui alicui dupliciter: uno modo sicut subiecto, alio modo sicut termino. Sicut subiecto quidem attribuitur ei, quod nascitur, hoc autem proprie est hypostasis. Sed sicut termino attribuitur nativitas naturæ: terminus enim generationis est forma; natura autem per modum formæ significatur.*

Soluctio 1 P. Vazq. reijcit.

Notatur doct. S D.

Hoc autem supposito iam apparet motivum P. Vazquez esse nullius momenti. 1. Nàm dùm intendit rationem D. Thom. solum probare compositum subsistantiale esse subiectum immediatum culpæ originalis, vel prędictus A. loquitur de subiecto *quod*, vel etiam de subiecto immediato *quo*? Si 1. libentèr fatemur, & in prænotabilibus, ut certum iudicamus, illud solum esse compositum subsistantiale. Si 2. probatio illius est prorsùs ad hoc inefficax. Pr. min. Probatio illius nititur in hoc, *quod compositum, non vero anima, ut unita corpori, est terminus primarius generationis*; sed hoc, vel est absolutè falsum; vel in sensu, in quo tenet verum, inefficacitèr probatur ex illo animam rationalem, ut unitam corpori, non esse subiectum immediatum, *ut quo*: cum sit terminus formalis, & immediatus *ut quo*: ergò. 2. Ex eo, quòd compositum subsistantiale sit terminus immediatus actionis generativæ, & in illo subiectetur culpa originalis, *ut quod*, rectè infertur iuxta doctrinam D. Th. recipi immediatè, *ut quo* in essentia animæ, ut unita corpori: ergò ratio D. Th. est omninò efficax. Pr. añs. Hoc ipso, quòd compositum subsistantiale sit terminus *qui* immediatus, & ideò subiectum *quod* culpæ originalis, nequit dici subiectum illius ratione unius partis, scil. carnis, sive corporis, illud componentis, ut iam art. 1. probaberat D. Th. ergò solum potest esse subiectum *quod* ratione alterius partis, scilicèt, animæ, ut unitæ corpori. Sed hoc est essentiam animæ esse subiectum immediatum *quo*: ergo. Vel alitèr, & breviùs. Ratio probans compositum subsistantiale titulo termini generationis esse subiectum *quòd* culpæ originalis, efficacitèr probat talem subiectionem convenire immediatè *ut quo* ratione auimæ; si aliàs maneat probatum non posse cõvenire ratione carnis, sive corporis; cũ compositum subsistantiale hominis tantum dicat animam, & corpus inter se unita. Sed D. Th. art. præced. relinquit probatum corpus ratione sui non esse subiectũ *quo* capax culpæ originalis: ergò si probat compositũ subsistantiale

7 Formatur impugnatio.

Secundo.

titulo termini actionis generativæ esse subiectum, cui immediatè *ut quod* inhæret culpa originalis; probat efficacissimè talem inhærentiam immediatè *ut quo* ratione animæ convenire.

8 Per hæc exclusa manet alia solutio, quæ potest adhiberi rationi D. Thom. dicendo eam tantum convincere peccatum originale recipi immediatè in humanitate, quæ est conflatum dicens in recto corpus, & animam. Cuius ratio est: Nàm cum humanitas sit natura, & forma totalis compositi, nequit excludi à termino formali actionis generativæ: ergò ex quo peccatum originale debeat subijci in eo, quod per se primo *ut quo* terminat generationem, non probatur debere subijci determinatè in anima, sed vel in illo, vel in humanitate ex unione animæ cum corpore resultanti. Manet inquam exclusa. 1. Nàm cum humanitas adæquatè sumpta, proùt dicit in recto corpus, & animam, non sit capax culpæ originalis quòad essentiam, ut probaverat D. Th. q.83.a.1.* eo quod corpus, utpotè carens omni indifferentia libertatis, & ordinis immediati ad Deum, incapax est, ut per modum subiecti denominetur sanctum, vel iustum coram Deo: * Ratio probans peccatum originale debere subijci in humanitate per se primo *ut quo* per modum formæ totalis terminanti generationem, probat ex ipsa consequentia doctrinæ, & ex his, quæ apud omnes debent supponi ut certa; solum in anima unita corpori posse immediatè recipi. 2. Nàm etsi humanitas sit terminus formalis in aliquo sensu respectu actionis generativæ; attamen hoc convenit ipsi ratione animæ rationalis, ut unitæ corpori, cum ex illa accipiat speciem, & constituatur in gradu specifico naturæ intellectivæ: Qua de causa ratio termini formalis cum omni rigore convenit animæ rationali: tùm propter dicta: tùm quia ipsa humanitas intelligitur pro posteriori ad animam, ut unitam corpori. Ex qua doctrina constat rationem D. Thom. probare de subiectione immediata culpæ originalis in essentia animæ: Nàm etsi, tam ipsa, quàm humanitas per se primatio *ut quo* terminent actionem generativam; adhuc tamen in hoc primatum obtinet anima, ut unita corpori, ex qua unione resultat pro signo posteriori humanitas dicens in recto utrumque.

2. Solut.

Rejic. 1.

Secundò.

Dices 3. & principalitèr: Hanc 9
conseq. à Div. Thom. formatam esse nullam, scilicèt: * Peccatum originale traducitur media generatione: ergò inhæret immediatè ei, quod per se primo attingitur per illam; * siquidem etiã fomes concupisc. & aliæ deordinationes immediatè residentes in appetitu sensitivo, alijsque potentijs traducuntur media generatione: ergò ex quo culpa originalis sic contrahatur, tolùm probat debere recipi in aliquo, quod sit terminus productus per actionem generativam, non verò debere recipi in eo, quod est terminus primarius, & immediatus illius.

3. Solut.

Sed contra est. 1. Nàm ratio 10
D. Thom. non procedit de eo, quod contrahitur media generatione, utcumque accepta, quatenus videlicèt habet pro termino, tàm essentialia, & substantialia hominis, quàm accidentalia illius, & per modum proprietatis ad ipsum spectantia. Sed procedit solùm de generatione, quatenùs per illam verificatur, homines esse filios Adæ per seminalem propagationem, cùmque in illo signo, in quo intelligitur unio animæ ad corpus; etiamsi non intelligantur potentiæ, quæ sunt proprietates ab illo dimanantes; intelligatur natura huius hominis descendentis ab Adamo per seminalem propagationem, intelligi debet contractio culpæ originalis in illa. Cætera constant, & mai. prob. Nàm ratio D. Thom. procedit de contractione culpæ originalis media generatione ex semine Adæ, quatenus est propagatio naturæ humanæ. Sed generatio proùt sic tantùm dicit formalitèr terminari ad essentialia, & substantialia hominis: ergò. 2. Nàm ratio Div. Thom supponit, ut fide certum, Adamum peccasse, & transfundere peccatum in posteros, quatenùs peccavit, ut caput totius naturæ humanæ, tàm morale, quàm naturale; sed peccatum, quod derivatur ex Adamo, ut

Impug. 1.

Secundò.

ea-

capite morali, & naturali naturæ humanæ ex illo descendentis, si traducitur media generatione; debet traduci mediante illa, pròut terminator ad ipsam naturam humanam quoad sui essentialia, & substantialia: ergo. Min. constat: Nàm Adamum esse caput naturale totius naturæ humanæ, est naturam humanam in posteris quòad sui essentiam, descendere ab illo, ut à principio effectivo.

Ex his constat, quòd quamvis
11 ex terminis possit verificari contrahi aliquem effectum media generatione, quin debeat recipi immediatè in termino formali, & per se primò attacto per illam, ut probant exempla adducta: & plures alij defectus corporales, & etiam spirituales (uti sunt fatuitas, & dementia) quos filij ex Parentibus contrahunt: attamen loquendo de contractione culpæ originalis media generatione ex semine Adæ, iuxta modum, & ordinem à divina providentia statutum, videlicèt, omnes descendentes ex Adamo nascituros cum iustitia originali, si ipse non peccaret; è contra verò, si peccaret (quæ omnia supponit Div. Th. ut certa; & quæst. 81. antec. a. 2. ab ipso probata) rectè infertur, quòd terminus *quo* immediatus talis generationis, vi cuius parvulus fit membrum Adæ, debet recipere immediatè peccatum originale.

12 Ex his potest formari alia ratio: Parvulus descendens ex Adamo per seminalem propagationem pro aliquo signo naturæ, intelligitur prius habere animam rationalē unitam corpori, quam potentias, ab ipsa per modum proprietatis dimanantes. Sed in illo priori intelligitur infectus culpa originali: ergò hæc immediatè recipitur in anima. Min. prob. In illo signo, in quo intelligitur parvulus accipiens naturam ab Adamo per seminalem propagationem, debet intelligi infectus peccato originali; cum intelligitur, ut descendens ab illo, tanquam verus posterus; siquidem Adamus amisit iustitiam originalem eo ordine, quo illam transfudisset in posteros; quæ quidem transfunderetur statim, ac intelligeretur parvulus ab ipso activè descendens, & tanquam verus filius. Sed in signo, in quo intelligitur anima unita corpori per virtutem seminis ex Adamo propagati, intelligitur modo supradicto: ergo. Confirm. In signo, in quo intelligitur homo filius Adæ per seminalem propagationem, intelligitur infectus peccato originali, Sed ratio filij consistit essentialitèr in eo, quod accipiat naturam eiusdem speciei cū natura Adami eam propagantis: ergò in signo, in quo intelligitur parvulus accipiens naturam ex Adamo, intelligitur infectus peccato originali. Sed acceptio naturæ salvatur præcisivè à potentiis, & in sola unione essentiæ animæ ad corpus, ut est certum: ergò in signo unionis animæ ad corpus intelligitur contractio peccati originalis.

Alia rat. probativ.

Confirm.

Explicatur, & urgetur hoc. Contractio peccati originalis, quòad
13 subiectum illius, determinari debet iuxta modum, quo Deus celebravit pactum cum Adamo de transfundendo iustitiam originalem in posteros, si non peccasset; secùs verò si peccaret; atqui pactum celebratum fuit sub hac formalitèr tendentia: *Si observaveris præceptum, quotquot ex semine tuo descenderint, nascentur cum iustitia originali: si autem peccaveris, nascentur privati iustitia originali*: ergò peccante Adamo statim, àc verificatur, *hic homo descendit ab Adamo*, verificatur contrahere culpam, sive privationem iustitiæ originalis. Sed talis descendentia, sive propagatio, verificatur cum proprietate ex vi unionis animæ ad corpus, & pro signo antecedenti ad emanationem potentiarum: ergò pro priori ad illam verificatur contractio, & subiectum culpæ originalis. Dicere autem, propagationem ex Adamo involutam in pacto, accipiendam esse secundùm omnia, quæ tàm primario, quàm secundario importat: est omninò voluntarium; cùm ex illius tendentia nō deducatur requiri ad amissionem iustitiæ, & sanctitatis originalis, quòd ille qui ex Adamo descendit, habeat, tàm naturam, quàm proprietates hominis; sed solum, quòd sit filius Adæ. Quòd argumentum fortiùs urget, si admittatur animam realitèr distingui

Urgetur.

Impugnat. quædam respons.

à potentijs, & inſpecta abſoluta potentia Dei, poſſe ab illis ſeparari. Neque nim negari poteſt tùnc caſus animam poſſe per virtutem ſeminis deſcendentis ex Adamo uniri corpori; ſicuti nèc ſuppoſita tali unione illum hominem eſſe verum filium Adæ ex ſemine eius propagatum; ſed hoc ſolùm, & non ampliùs requiritur ad contractionem culpæ originalis iuxta pactum à Deo celebratum: ergò pro priori ad potentias ſalvatur ſubiectum immediatum *quò* culpæ originalis.

Dixi fortiùs urgere: Nàm cùm
14 apud Scotiſt. anima non differat realitèr à potentijs, non facilè poteſt probari adversùs illos, pro ſigno, pro quo
Prob. eiiã cont. Scotiſtas. intelligitur anima unita corpori, non intelligi eius potentias cum ſimili unione. Cæterùm ſi ratio propoſita benè penetretur, etiam efficacitèr eos urget: Nàm etſi voluntas (cui iuxta illos immediatè inhæret culpa originalis) ſit realiter ipſa anima, differt tamen ab ea formalitèr ex natura rei: Nàm pròut ordinatur unicè immediate ad volitionem, dicitur voluntas, & ſortitur formalitatem potentiæ; pròut verò reſpicit eſſe, & indeterminatè ſe habet ad has, vel illas operationes, dicitur natura, ſortiturque formalitatem eſſentiæ; cùmque in unaquaque re conceptus, & formalitas naturæ, ſive eſſentiæ ſit, quod primò intelligitur in illa; quamvis anima ſit realitèr intellectus, & voluntas, prior tamen eſt formalitas eſſentiæ, quàm formalitas potentiæ.

Hoc ſuppoſito, ſic argumentor:
15 Culpa originalis immediatè inhæret animæ ſub formalitate eſſentiæ, & non ſub ratione, ſive formalitate voProponitur in forma. luntatis. Aſſumpt. prob. Culpa originalis immediatè inhæret animæ ſub ea formalitate, ſub qua conſtituit hunc hominem verum filium Adæ, & deſcendentem ab illo per ſeminalem propagationem, ut conſtat ex dictis, & ex pacto à Deo celebrato cum Adamo; ſed anima non conſtituit hominem verum filium Adæ ſub formalitate potentiæ, ſed ſub formalitate eſſentiæ, & naturæ, ut conſtat ex definitione generationis viventium communitèr ab omnibus receptam: ergò.
Illatio. Hinc inferes, in ſententia Div. Thom. diſtinguentis animam realitèr à potentijs; culpam originalem inhærere immediatè animæ, tàm formalitèr, quàm realitèr, & identicè; in ſententia verò Scoti, immediatè ſolùm formalitèr, nàm realitèr etiam inhæret voluntati identificatæ cum anima. Dixi in ſententia Scoti, non quia ipſe hoc concedat, ſed quia argumentum ſupra poſitum illud efficacitèr prob. Quòdſi dicas: Scotum ponere iuſtitiam originalem in dono afficienti immediatè voluntatem ſub ratione potentiæ, àc proindè in eadem collocari privationem iuſtitiæ originalis, quæ eſt peccatum. Dicimus ad hoc: quòd inconſequenter procedit inſpecta natura pacti celebrati cum Adamo, & communi doctrina fidelium, qui creditur, quòd ſtatim, & in ſigno, pro quo intelligitur homo deſcendens ab Adamo, ut verus filius ex ſemine eius propagatus, intelligitur infectus peccato originali, & ſimùl cum natura contrahens culpam.

§. III.

Solvuntur argumenta.

OBjicies 1. ex Div. Thom. hic q. 16
82. art. 3. dicente: *Privatio iuſtitiæ originalis, per quam voArg. 1. luntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali.* Sed privatio iuſtitiæ, ut ſubijcientis voluntatem Deo eſt immediatè in ipſa voluntate, ſicuti & ipſa ſubiectio: ergò formale peccati originalis eſt immediatè in voluntate.
Confirm. ex Div. Anſel. lib. de Con- Confirm. ceptu Virg. cap. 3. ubi poſtquàm dixit: *Peccatum originale eſſe carentiam iuſtitiæ debitæ parvulis*; ſubdit: *Sciendum quoque eſt, quia iuſtitia non poteſt eſſe, nì ſi in voluntate: iuſtitia enim eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata*; *quare nèc iniuſtitia.* Ex quibus ſequentem formo diſcurſum: Peccatum originale eſt iniuſtitia; ſed hoc ipſo eſt in voluntate: ergò. Prob. min. Iniuſtitia eſt in illo ſubiecto, ubi debet eſſe iuſtitia; ſed iuſtitia eſt in voluntate: ergò. Omnia ſunt Div. Anſelm. Qua de cauſa Mag. Lorca aſſerit, ſententiam oppoſitam eſſe expreſſam in S. P. Cui ac-

accedit epigraphe illius capitis, quod est huiusmodi: *Non est peccatum, nisi in voluntate rationali.*

Resp. Ex authoritate D. Thom. nihil efficacitèr deduci contra nostram sententiam. Nàm sicuti per gratiam existentem in anima totus homo redditur gratus Deo, ita ut non sit necesse ponere in anima unam gratiam, ut secundùm illam sit Deo gratus; & aliam in voluntate, ut sit secundùm eam gratus Deo; sic discurrendum de subiectione ad Deum præstita in genere causæ formalis à iustitia originali. Quapropter sicut subjiciebat animam Deo, ita similitèr subjiciebat voluntatem. Sed tamen cum discrimine consistente in eò, quòd animam subjiciebat Deo immediatè, mediate verò, per habitum, scilicèt, charitatis in ea radicatum, subjiciebat voluntatem. Ex quibus constat, quòd licèt privatio doni subjicientis immediatè voluntatem Deo, reflideat immediatè in ipsa voluntate; secùs tamen privatio doni illum radicalitèr, & mediatè subjicientis. Quando ergò D. Thom. asserit, privationem iustitiæ subjicientis voluntatem Deo esse formale in peccato originali, intelligendus est de subiectione putè mediata, & radicali, nõ verò de subiectione immediata, & formali. Undè Eminent. Caiet. acutè notavit Div. Thom. non dixisse, *privationem iustitiæ, & subiectionis in voluntate esse formale; sed privationem iustitiæ; per quam voluntas subdebatur.* *

17 Solutio.

* De hoc iterũ infr.

Ad authoritatem Div. Anselm. quæ satis difficilis apparet, Respond. Quòd cùm cap. 1. expressè affirmet: *Peccatum originale trahi simùl cum natura, & in ipsa sui origine.* Et similitèr in eodem cap. 3. ante authoritatem nobis oppositam præmisserit: *Peccatum originale non esse, nisi in anima rationali hominis*; cogimur explicare, dicendo fuisse locutũ à posteriori, & quòad clariorem notitiam: Nàm cùm anima rationalis quòad rectitudinem, & irrectitudinem moralem, magis nobis innotescat ex rectitudine, aut irrectitudine voluntatis titulo libertatis, & ordinis ad finem; ideò dixit, iustitiam originalem esse in voluntate: non quidem quòad sui essentiam, sed quòad nostrum modum intelligendi. Constat hæc expositio ex eodem Div. Anselm. qui postquàm peccatum originale definivit: *per absentiam debitæ iustitiæ*; dixit: *Non enim videtur esse iniustitia, nisi in natura, quæ cùm debet habere, iustitiam non habet.* Sed naturam hominis non dicere constitutivè voluntatem per modum potentiæ est certum: ergó. *

18 Ad cõfir.

* Vide dub. ant. n. 51. ubi exponitur à D. Thom.

Obijcies 2. Anima secundùm sui essentiam non est susceptiva culpæ, sed solùm media voluntate: ergò culpa originalis non subiectatur in anima, nisi media voluntate. Prob. antec. De ratione culpæ, sivè peccati est esse voluntarium; sed voluntarium non convenit animæ, nisi media voluntate: ergò. Nèc valet dicere, antecedens esse verum de voluntario per modum actus, vel exercitij, uti est peccatum actuale; secùs verò de voluntario per modum termini, quale est peccatum originale. Non inquam valet. 1. Nàm peccatum habituale personale solùm est voluntarium per modum termini; & tamen nequit convenire animæ, & in ea subiectari, nisi mediante voluntate: ergò. 2. Peccatum, quod est voluntarium per modum termini, nequit afficere immediatè subiectum, quod ratione sui non est capax obligationis legis; cùm omne peccatum sit iuxta definitionem Div. Augustin. oppositum legi. Sed anima non est capax obligationis legis, nisi mediante voluntate; cùm sub lege tantùm cadant actus existentes in eius potestate: ergò. Urgetur hoc: Peccatum originale, aut est vera transgressio legis, vel non? Si 1. ergò immediatè inhæret ei, quod potest obligari per legem. Sed solùm voluntas est capax huius obligationis: ergò. Si 2. ergò peccatum originale non est verè, & propriè peccatum; quod dici nequit. Patet conseq. ex definitione peccati in communi tradita à Div. Augustin.

19 Arg. 2.

Resp. neg. antec. intellectum de culpa præscindenti ab actuali, & habituali. Ratio est 1. Nàm anima rationalis ratione sui est susceptiva gratiæ sanctificantis, ut cum Div. Thom. probant communitèr nostri Doctores 1. 2. quæst. 110. art. 4. ergò ratione sui est

20 Solutio.

est capax iniustitiæ, & iniquitatis ei contrariè, vel privativè oppositæ. 2. Quia anima rationalis ratione sui est capax, ut in esse naturæ elevetur, & rectificetur à Deo: ergò est capax ratione sui, ut amittat talem elevationem, sive rectitudinem, quod fieri nequit absque peccato. 3. Quia anima ratione sui est rationalis, proindèque ad imaginem Dei, & ab ipso immediatè perfectibilis; ergò etiam ratione sui est capax, ut per peccatum amittat talem perfectionem, & incurrat in oppositam deformitatem. 4. Quia iuxta Concil. Trident. sess. 6. per iustificationis gratiam renovamur spiritu mentis nostræ, &. constituimur filij Dei; filiatio autem, & regeneratio non habetur, nisi media susceptione naturæ, & formæ inhærentis animæ, quæ dicitur mens nostra: ergò cùm culpa habitualis habeat effectus, & prædicata opposita; dicendum, eam ratione sui esse capacem illius. Undè solutio ibi data optima est.

Ad 1. prob. in contra Resp. dist. 21 min. Nisi media voluntate, ut causa efficienti, conced. min. Ut subiecto, Ad 1. pr. neg. min. & conseq. Verum est, peccatum habituale, sive in privativo, sive in positivo consistat, non afficere animam nisi medio peccato actuali voluntatis; attamē hoc solùm probat, voluntatem concurrere effectivè ad hoc ut animæ inhæreat; secùs verò concurrere per modum subiecti; de quo est litigium. Quod potest explicari in anima rationali, quam immediatè ratione sui recipit, materialiter materia; quia videlicèt, estò nequeat eam recipere, nisi media actione generativa, hæc tamen, non per modum subiecti, sed per modum causæ efficientis ad illius unionem concurrit. Ita docetur à S. Doct. in 2. dist. 31. quæst. 2. art. 1. ad 4. Ad prob. Resp. ex dictis Tom. 2. dub. 5. Peccatum habituale opponi legi indirectè, & ex consequenti, quatenùs lex, quæ directè, & primariò prohibet actum peccati, terminum illius, qui est peccatum habituale, modo dicto prohibet. Undè quemadmodùm ex parte legis distinguitur, & id, quod directè; & id, quod indirectè cadit sub illa; ex quibus primum solùm convenit actibus voluntatis; secundum verò potest convenire ei, quod se habet ut terminus illorum; ita similiter ex parte subiecti, cui incumbit obligatio legis, possumus distinguere, & id, cui directè, & proximè incumbit, & hæc est sola voluntas; & id, cui radicaliter incumbit, & hoc potest esse anima. Ad urg. dicatur: Peccatum habituale, tam personale, quàm originale, esse transgressionem terminativam legis, non verò transgressionem actualem, & per modum exercitij; & quamvis anima ratione sui non sit capax transgressionis actualis, utpotè consistentis in operatione, est tamen capax recipiendi immediatè terminum derelictum ex actuali transgressione. Ad urg.

Sed contra objicies 1. Etsi peccatum habituale sit voluntarium 22 terminativè, stat quamoptimè, quòd petat recipi in eodem subiecto, in Replic. 1. quo recipitur peccatum actuale; sed hoc recipitur immediatè in voluntate: ergò. Prob. mai. Tùm quia habitus, vel dispositio relicta ex repetitione actuum voluntatis, solùm est voluntaria terminativè, & tamen immediatè recipitur in voluntate, à qua tales actus procedunt. Tùm quia verbum est terminus intellectionis, & impulsus terminus amoris; & tamen verbum immediatè recipitur in intellectu, cui immediatè inest intellectio; & pariter impulsus in volūtate, cui immediatè inhæret volitio: ergò. 2. Peccatum habituale est voluntarium per modum termini provenientis à peccato actuali, tanquàm actione immanenti: ergò nequit recipi nisi in subiecto, cui inhæret talis actio. Prob. conseq. De ratione actionis purè immanētis est non immutare realitèr aliquod obiectum extra subiectum proprium sui; atqui anima secundùm suam essentiam differt realitèr à voluntate: ergò. Urgetur hoc: Anima Urgetur. non causat immediatè ratione sui peccatum habituale, sed media voluntate, ut actù peccante: ergò nequit illud immediatè recipere. Prob. conseq. Ideò primum est verum, quia peccatum habituale quòad fieri pendet à peccato actuali; sed etiam pendet ab illo quòad sui conservationem, sive quoad suum esse: ergò. Vel aliter: Secundò.

tèr. De ratione termini vitalis, sivè voluntarij est, quòd dependeat quoad suum esse ab eisdem causis, à quibus dependet in fieri: ergo si peccatum habituale quòad fieri non dependet ab anima immediatè; nèc etiam quòad suum conservari. Sed non aliter conservatur, nisi per inhærentiam in subiecto: ergò. Denique. Voluntas creata est primum principium immediate deficiens; anima verò solùm radicalitèr deficiēs: ergò voluntas est principiū immediatum omnis defectus. Sed non principium immediatum tantùm activum: ergò activum simùl, & passivum: ergò cùm peccatum habituale sit verus, & formalis defectus; si activè procedit à voluntate, debet etiam in illa recipi.

Ultimè.

Ad 1. Resp. neg. mai. in sensu infra explicando. Ad illius primam probationem Resp. Aliud esse, quòd omnis terminus productus per actum voluntatis, vel alicuius potentiæ vitalis, petat unicè recipi in voluntate; aliud verò, quòd aliquis terminus propter specialitatē, quam dicit, petat solum in illa recipi. Secundum libentèr admittimus; primum verò negamus, tanquàm falsum. Constat hoc in sententia satis frequenti apud Thomist. asserente, voluntatem medio suo imperio derivare aliquem modum in potentias sibi subditas; & in virtute appetitiva sensus derivante impulsum ad manum, per quem movetur. Quapropter ad sciendum, quodnam sit subiectum, cui immediatè terminus actionis inhæreat, oportet naturam, & effectuum proprium illius considerare. Hinc verbum immediatè inhæret intellectui; quia est medium, in quo ipse media intellectione contemplatur obiectum; & similitèr impulsus immediatè inhæret voluntati; quia est id, quo completè fertur, & ponderat in bonum amatum. De habitu, & dispositione, est ratio manifesta; cùm proprium munus illorum sit inclinare, & determinare voluntatem ad agendum, ut constat ex eorum definitione, & probat S. Doct. 1. 2. quæst. 49. art. 3.

23

Solutio.

24 Effectus autem proprius peccati habitualis personalis (postea dicam de originali) est reddere hominem iustum, Deo inimicum, & pœna æterna dignum; isti autem effectus, utpotè directè, & immediatè oppositi effectibus præstitis à gratia, respiciunt pro subiecto immediato subiectum, cui immediatè inhæret gratia, scilicèt, animam. De quo Angel. Mag. quæst. 110. art. 4. Peccatum originale ultra hos effectus, habet esse peccatum naturæ, & contrahi per generationem, per quam homo nascitur filius Adæ: undè oportet subiectum illius esse naturam; cùmque hæc solùm sit capax culpæ ratione animæ, non verò ratione corporis; ideò subiectum immediatum culpæ originalis est anima, proùt unita corpori independenter à voluntate ut subiecto *quo*, alijsque potentijs dimanantibus ab illa per modum proprietatis.

Ad 2. instantiam Resp. Quòd licèt non sit de ratione actionis immanentis producere terminum inhærentem alteri subiecto, cui ipsa inhæret; non tamen est contra rationem illius, ut constat in exemplis superiùs adductis: per quod salvatur sufficiens discrimen ab actione transeunti; hæc enim positivè petit immutare aliquid extra se. Resp. 2. Quòd cùm anima sit principium *quo* radicale actus voluntatis, & recipiens ipsam voluntatem; dùm voluntas producit terminum immediatè afficientem animam, non immutat subiectum extraneum, scilicèt, quòad naturam, & subsistentiam, diversum. Ad quod explicādum adest exemplum de specie impressa producta ab intellectu agente, & recepta immediatè in intellectu possibili. Ad urgent. concesso anteced. neg. conseq. Ad huius probationem dist: min. Peccatum habituale, quòad sui conservationem, & quòad suum esse, pendet à peccato actuali, ut physicè existenti, neg. min. Ut moralitèr existenti, subdist. In genere causæ materialis, neg. min. In genere causæ activè moralitèr influentis, conc. min. Ut enim sup. advertimus, quando asserimus: peccatum originale, vel personale, inhærere animæ immediatè, & independenter à voluntate; non excludimus concursum activum voluntatis propriæ, vel alienæ, ad illius inhæsionem; sed solùm concursum

25

Ad 2. instantiam.

Resp. 2.

Ad urg.

sum per modum subiecti immediati. Admodùm quo, etsi gratia sanctificans non recipiatur in anima adultorum, nisi mediante consensu, & acceptatione voluntaria illius; hæc tamen solùm requiritur, ut dispositio; non verò ut gerens vices subiecti. Qua de causa est verum dicere: *Sola anima recipit gratiam sanctificantem.* Per quæ constat ad aliam instantiam ibi sub altera forma propositam: Nàm etsi conservatio requirat inhærentiam, addit ulteriùs influxum moralem ex parte peccati actualis permanentis in sui non retractatione iuxta sententiam aliquorum Thomistar. à qua pronùnc prescindimus.

26 Ad ultimum Resp. dist. conseq. Principium immediatum activum, conced. consequent. Passivum, subdisting. Defectus consistentis in actione defectiva, conced. conseq. In termino illius, neg. conseq. Nèc obstat probatio ibi inserta; quia non comparari voluntatem, ut principium purè activum, potest ex duplici principio convenire, scilicèt, vel quia simùl recipit id, quod producit; vel quia est principium patiens defectum virtutis, & actualitatis. Undè ut voluntas non comparetur in ordine ad peccatum habituale, quod producit, ut principium purè activum, sufficit esse principium deficientis virtutis, & carens plena determinatione ad bonum honestum. Videmus enim substantias Angelorum intra ordinem intellectivum naturalem pati, & recipere, tùm species, tùm intellectiones; & tamen sunt indefectibiles in cognoscendo. Alia ergò est potentialitas, quę requiritur ad peccandum, scilicèt, defectus virtutis, & actualitatis ex parte voluntatis consistentis in carentia identitatis, aut necessarię unionis cum regula honestatis.

Ad ult.

27 Obijcies 3. Animam esse immediatè capacem peccati originalis est illam esse immediatè capacem denominationis peccatricis originalitèr; sed huius denominationis solum est capax media voluntate: ergò. Prob. min. Anima solum ratione voluntatis est capax denominationis actù peccantis in Adamo tanquam in capite; cum iuxta superiùs dicta dub. 2. eatenùs peccatum originale sit terminativè parvulis voluntarium, quatenùs voluntas eorum fuit moralitèr translata in voluntatem Adæ, & committens moralitè reius peccatum: ergò anima solum ratione voluntatis &c. Prob. conseq. Nàm secunda denominatio fundatur supra primam: ergò solum id, quòd est capax primæ denominationis, erit capax secundæ. Urgetur hoc ex doctrina communi Thomistarum tractat. de Moralitate. Hæc est bona consequentia:* libertas est fundamentum bonitatis, & malitiæ moralis: ergò actus, qui intrinsecè, & ratione sui, non est liber, quales sunt actus externi, non gaudent bonitate, & malitia intrinsecè eis inhærente: * ergò pariter hæc consequentia erit bona:* peccasse actù in Adamo est fundamentum contractionis culpæ originalis: ergò id, quod immediatè, & ratione sui est incapax huius, quod est actù peccasse in Adamo, erit incapax contrahendi immediatè, & ratione sui culpam originalem.*

Arg. 3.

Urgetur.

Resp. neg. min. Nèc probatio adducta est efficax. Stat enim duas denominationes se habere ordinatè cum ordine prioris, & posterioris, & tamen subiectum immediatum unius non esse subiectum immediatum alterius; ut constat in denominatione dispositi ad gratiam sanctificantem, & in denominatione sanctificati per illam; ex quibus prima convenit animæ media voluntate, secunda verò immediatè, & ratione sui. Idemque constat in materia prima, quæ non recipit immediatè dispositionem ad formam, quam tamen immediatè ratione sui recipit. Sed magis ad rem potest confirmari hæc doctrina exemplo umbræ immediatè inhærentis aeri, cui tamen non inhæret obstaculum impediens illuminationem. Ad urgentiam Resp. Libertatem non esse purè fundamentum moralitatis, sed conditionem se tenentem ex parte materiæ moralitatis; & ideò ubi intrinsecè non datur libertas, nèc datur intrinseca moralitas. Vel potest dici, libertatem esse fundamentum moralitatis, secus verò causam effectivam; peccatum verò Adami, ut con-

28 Respond.

Ad urg.

commissum ab ipso physicè, & moralitèr à posteris, ultra rationem fundamenti fuit causa contractionis culpæ originalis, & ideò potest respicere diversum subiectum *quo* immediatum, estò requirat idem subiectum *quod*.

29 Objicies 4. Peccatum originale subjicitur immediatè in illo subiecto, ubi debebat subjici immediatè iustitia originalis, si Adamus non peccasset; sed iustitia originalis respicit ut subiectum immediatum solam voluntatem; sola enim voluntas est sedes propria iustitiæ, ut ex eius definitione constat: ergò subiectum immediatum culpæ originalis est voluntas. Hoc argumentum sibi obiecit D. Thom. in præsenti, cui Resp. *Ad 2. dicendum, quòd etiam originalis iustitia pertinebat primordialitèr ad essentiam animæ; erat enim donum divinitùs datum humanæ naturæ, quam perprius respicit essentia animæ, quàm potentiæ.* Similia habet quæst. 4. de Malo art. 4. ad 1. ubi exponit Div. Ansel. asserentem, iustitiam originalem esse in voluntate, de inhærentia mediata. Ex quibus in forma dist. mai. Ubi subjicetur iustitia originalis quantùm ad primarium eius effectum, conc. mai. Quantùm ad effectum secundarium, neg. mai. & cum eadem min. dist. neg. conseq. Solutio constat ex fusè dictis circa constitutionem peccati originalis, ubi diximus, radicem rotius rectitudinis, quam homo habebat in statu innocentiæ, & quam suo peccato perdidit omnibus posteris; consistere in subiectione mentis ad Deum media gratia sactificante, à qua omnis rectitudo in potentijs, & integritas etiam ex parte corporis, ut à fonte procedebat. De quo S. Doct. 1. p. quæst. 95. art. 1. & latè nostri Thom. Tractat. de Statu primi hominis. Ad probationem in cont. Resp. Iustitiam strictè dictam, utpotè specialem virtutem, residere immediatè in voluntate; secùs verò iustitiam latè dictam consistentem in interiori dispositione hominis respectivè ad Deum; hæc enim præstatur à gratia sanctificanti, à qua, ut à radice proveniunt dona, & virtutes supernaturales. De qua acceptione vide Divum Thomam 1. 2. quæst. 113. artic. 1. Vide dicta dubio 3. antecedenti num. 51.

Arg. 4.

Solutio.

Sed dices: Ex hac solutione sequi rationem, qua Div. Thom. in præsenti probat, peccatum originale subiectari in anima, esse inefficacem; siquidèm supponit, peccatum originale consistere in privatione iustitiæ originalis quòad primarium effectum, scilicèt, subjiciendi animam Deo; vel si mavis, supponit iustitiam originalem subiectari immediatè in anima; hoc autem supposito, ad quid deservit probatio desumpta ex generatione tot difficultatibus exposita? Cum hic modus probandi sit efficax & pervius, scilicet,* peccatum originale subiectatur in illo, in quo esset iustitia originalis oblata posteris, sed hæc recipitur immediatè in anima: ergò & culpa originalis.* Unde sequitur meritò dixisse P. Vazquez subiectum culpæ originalis venandum esse ex subiecto, in quo esset immediatè ipsa iustitia originalis; non vero, ex quo traducatur media generatione. Si autem dicatur: Rationem D. Thomæ neutrum ex his supponere, tùm sic: ergò debet admitti opinio asserens peccatum originale consistere in privatione rectitudinis actualis ut traducta ad posteros: ideòque donum iustitiæ originalis immediate inhærere voluntati.

30 Replicab.

Resp. Div. Thom. non supponere peccatum originale consistere in aliquo positivo, aut privativo afficienti immediatè animam; nec similitèr supponere: *Sedem, cui immediatè inerat iustitia originalis*, non esse voluntatem, sed essentiam animæ; sed expressè probat, talem immediatam inhærentiam. Primò, ex quo tale peccatum contrahitur media generatione, cuius terminus primarius est natura. Et rursùs ex solutione ad 2. hic quæst. 83. ar. 2. probat idem assumptum hoc discursu: *Iustitia originalis erat transfundenda, ut donum concessum naturæ humanæ; ad naturam verò, non potentiæ, sed essentia animæ per se primò spectat: ergò idem dicendum de peccato originali tali iustitiæ directè opposito.* Ex quibus apparet, S. Doct. non supponere, sed probare, iustitiam originalem immediatè inhærere ani-

31 Solutio.

animæ quòad suam essentiam. Quapropter duplici ratione probatur à D. Thom. in præsenti conclusio: prima desumpta ex contractione media generatione; secunda verò, ex oppositione ad iustitiam originalem, quæ debebat immediatè subjici in anima titulo doni naturæ; & quia omnis rectitudo potentiarum pendebat ex subiectione animæ ad Deum.

32 Verum tamen est, has rationes esse inter se connexas, ut sæpè contingit, dùm ex duplici capite eadem conclusio efficacitèr suadetur. Undè quamvis hæc probatio: *Culpa originalis contrahitur media generatione naturæ*; & similitèr hæc conclusio: *Culpa originalis immediatè afficit animam*; connectantur cum hac veritate: *Iustitia originalis immediatè inhærebat animæ*; nihil officit efficaciæ probationis; cùm una veritas non innitatur alteri, tanquàm medio probativo. Quòd si dicas: Si rationes adductæ sunt distinctæ; potest una præscindere ab altera, àc per consequens poterit admitti iustitiam originalem immediatè afficere voluntatem. Resp. Non esse idem, unam rationem præscindere ab alia, hoc est, non inniti ei, ut medio probativo; àc posse admitti oppositum illius. Primum est verum; falsum verò secundum; aliàs nèc essent rationes distinctæ, nèc connexæ; cùm directè excludat connexionem inter duo extrema coexistentia unius cum contradictorio alterius. Ex his constat modum probationis deductum à Div. Thom. ex contractione culpæ media generatione, esse efficacem; & paritèr: probationem desumptam, ex quo iustitia originalis, utpotè donum naturæ, inerat immediatè animæ quòad suam essentiam. Constat etiam quid dicendum sit ad hanc propositionem, scilicèt: *Pronùnc præscindi debet ab eò; quòd iustitia originalis sit immediatè in anima, vel non*? Constat, inquam, dicendo debere præscindi purè negative, hoc est: *Non debet supponi, nèc assumi pro medio ad salvandam efficaciam rationis Div. Thom. quòd talis iustitia sit immediatè in anima*; non tamen potest admitti oppositum, aut quòd talis iustitia sit de se indifferentèr receptibilis in anima, vel voluntate.

Si instes.

Respond.

Objicies ultimò. Defectus subiectionis voluntatis ad rationem (& idem de defectu subiectionis appetitus) traducitur, & contrahitur media generatione; & tamen ille subjicitur immediatè in voluntate, & iste in appetitu: ergò ex quo culpa originalis sic traducatur, non probat debere immediatè subjici in anima. Confirm. Estò de facto, & iuxta præsentem providentiam, culpa originalis consistat, vel in privatione gratiæ subjicientis animam Deo, vel in aliquo positivo ei directè oppositò; non repugnat alia providentia, iuxta quam culpa originalis consistat in termino afficiente immediatè potentias; ut si v. g. Adamus esset à Deo constitutus cum sola integritate naturali, & eam Deus promitteret traducere in posteros, si observaret præceptum: in quo quidem casu possibili culpa originalis non in privatione gratiæ consisteret, sed in privatione rectitudinis naturalis, aut integritatis; ut solet dici de homine peccante in pura natura, de quo Tom. 2. dub. 7. §. 9. & tamen talis culpa contraheretur media generatione: ergò culpam originalem modo traduci per generationem naturæ, non probat efficacitèr &c. 33

Ult. arg.

Confirm.

Resp. dist. mai. Traducitur tanquàm defectus primarius, & in quo essentia culpæ consistat, neg. mai. Tanquàm defectus secundarius, & ut quid consecutum ad illum, conced. mai. & concess. min. neg. conseq. vel dist. conseq. distinctione data. Ad confir. admissa illa providentia possibili, insuperque admisso, culpam tunc traductam consistere in aliquo termino afficienti immediatè voluntatem. Resp. dist. conseq. Ex eò, quòd traducatur media generatione præcisè, conced. conseq. Ex eò, quòd traducatur media generatione tali modo, neg. conseq. Sicut enim ex terminis loquendo, esse terminum productum per generationem non arguit, illud spectare ad essentiam, & naturam geniti, ut constat in potentijs, alijsque proprietatibus, quæ etiam cum proprietate per talem actionē producuntur. Attamen esse terminum *quo* primariò productum rectè, & efficaci- 34

Solutio.

Ad confirm.

si-

simè arguit, illum pertinere ad essentiam compositi; ita discurrendum de consideratione alicuius culpæ media actione generativa traducta. Si nāque exparte añis. solum ponatur hoc; *quod est esse culpam media generatione causatam*, non probat illam immediatè afficereanimam, ut suadet instantia posita; at vero si ponatur esse culpam traductam media generatione naturæ descendentis ex Adamo per seminalem propagationem; efficacitèr probatur eam inhærere immediatè animæ; cum sola anima ut unita, non vero potentiæ, requirantur, ut natura intelligatur sic ab Adamo descendens talitèr, ut etiam si potentiæ animæ ab ea divinitus non emanarent, intelligetur generatio naturæ perfecta subsantialitèr, etsi non omninò completa.

35 Nec D. Thom. probat suam concluſ. præcisè ex traductione media generatione utcumque assumpta, sed media generatione naturæ descendentis ex Adamo, & per quam sic conceptus, constituitur filius eius proprius; cumque in generatione ut sic accepta, non includantur potentiæ, traductio culpæ originalis ad solam animam, ut ad subiectum immediatum se extendit. Si autem quæras: Unde probatur culpam originalem traduci media generatione naturæ, proùt natura differt à potentijs? Resp. Hoc probari ex eo, quod hoc ipso quòd aliquis intelligatur filius Adæ per seminalem propagationem, intelligitur filius iræ iuxta Div. Paulum. Et rursùs intelligitur indigens redemptione Christi, ac proindè infectus peccato originali. Cum autem filiatio essentialitèr solam naturæ communicationem importet; ideò benè inspectis testimonijs Sacræ Scriptutæ, deducitur culpam originalem in hac providentia traduci media generatione solius naturæ humanæ descendentis ex semine Adæ. Dices: Etsi culpa originalis traducatur per generationem, non tamen traducitur per se, sed ex consequenti: ergò potest inhærere potentijs consequtis ad generationem. Resp. disti. añs. & conseq. Ad terminum per se, & primatium illius, conc. Ex consequenti ad terminum secundarium, neg. Actione enim generativa primario producit animā ut unitam corpori, & ex consequenti (quatenùs talis unio fit virtute seminis descendentis ex Adamo peccatore) producit culpam originalem immediatè ipsi inhærentem: admodū quo si Adamus non peccasset, primò uniret animam corpori, & secundariò ex pacto innito cum illo, causaret instrumentalitèr, ut plures asserunt, gratiam sanctificantē in animab. parvulorum.

Cuidam quæsit. fit satis.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Culpa originalis adæquatè quòad sui essentiam inhæret soli animæ.

36 Conclusio hæc constat ex dictis dub. 4. ubi exprofessò probavimus, sub qua formalitate privatio iustitiæ originalis sit constitutiva culpæ originalis: & insuper reiecimus sententiam aliquorum tuentium privationem talis iustitiæ ut subjicientis, tùm voluntatem, tùm appetitum sensitivum rationi, pertinere ad illius constitutionem; qua de causa ad idem assumptum comprobādum sufficit superaddere alias rationes, quæ communiter solent adduci à nostris Authoribus; quæ tales sunt.

37 Prima: Essentia peccati originalis est una unitate simplicitatis, & non unitate solius ordinis: ergò nequit essentia illius consistere in diversis malitijs, aut deordinationibus inficientibus animam, & potentias ab ea realitèr distinctas: ergò cùm ex dictis maneat probatum, culpam originalem quòad sui essentiam immediatè inhærere animæ, adæquate ei soli inhæret. Anteced. prob. Peccatum actuale, tàm personale, quàm capitale, est unum unitate simplicitatis, quòad sui essentiam: ergò & peccatum habituale, tàm personale, quàm originale. Patet conseq. Nàm essentia peccati habitualis proportionari debet cum essentia actualis, à quo causatur.

Prima ratio.

Prob. 2. & convellitur fundamentum opinionis adv. Eò peccatum originale quòad sui essentiam non sub-

Secunda

subiectaretur adæquatè in anima, quia in eius essentia includit plures deordinationes inficientes diversas potentias; sed hoc est falsum: ergò. Prob. min. Ideò peccatum originale quòad sui essentiam includeret plures deordinationes, quia inficit tùm animam, tùm etiam illius potẽtias; sed hæc ratio est inefficax: ergò. Pr. min. 1. Licet gratia rectificet animam, & eius potentias, eius tamen essentia in sola rectitudine animæ consistit: ergò pariter. Prob. conseq. Ideò añs. est verum, quia sola rectificatio animæ est rectificatio primordialis, à qua derivantur rectitudines afficientes alias potentias; sed etiam infectio animæ per defectum subiectionis ad Deum, est radix, & principium, à quo proveniunt deordinationes inficientes potentias; sicuti ab opposito subiectio animæ ad Deum in statu innocentiæ erat radix, à qua proveniebant, quòd voluntas subderetur rationi; appetitus rationi, & corpus animæ, ut probat Sanct. Doct. ex P. Augustino 1. part. quæst. 95. art. 1. ergò. 2. Peccatum habituale Adami infecit tùm animam, tùm etiam omnes eius potentias, quæ de causa dicitur à Concilio Trident. sess. 5. can. 1 *Fuisse secundum corpus, & animam indeterius commutatum*: & tamen non propter hoc essentia illius includit actù plures deordinationes: ergò. Idem potest probari de quolibet peccato habituali cum maculet animam, & deordinet, tùm intellectum, tùm voluntatem inducendo privationem donorum, & virtutum supernaturalium; quin per hoc essentia illius constitat adæquatè in omnibus deordinationibus recensitis. 3. Ex hoc: Illud est constitutivum alicuius rei, quod primo intelligitur in illa, & quòd est radix cæterorum; sed huiusmodi est deordinatio animæ per peccatum originale, ut ex dictis constat: ergò.

38 Tertia. Tertia ratio est, quia si per impossibile conciperetur homo ex semine Adę absque potentijs ab anima dimanantibus, absdubio contraheret peccatum originale, & indigeret redemptione per Christ. ergò intelligeretur in illo essentia peccati originalis. Sed si consisteret in complexo ex pluribus deordinationibus, hoc esset falsum; cum species sint sicut numeri: ergò. Confir. Essentia peccati originalis intelligitur adæquatè constituta per hoc, quod homo intelligatur iniustus Deo abominabilis, & dignus privari vita æterna, dummodò hęc omnia cõveniant ei ex peccato primi Parentis, & media generatione per seminalem propagationem: sed hæc omnia intelliguntur, dummodò intelligatur anima aversa à Deo, & privata voluntariè gratia sanctificanti simul cum propagatione naturæ descendentis ex Adamo: ergò. His omnibus accedit authoritas D. Th. in 2. d. 31. q. 2. a. 1. dicens: *Oportet quod in essentia animæ sit primo, & principaliter, sicut in subiecto, originale peccatum, in potentijs autem per consequens: Sicut de gratia dictum est.* Cum ergò essentia gratiæ adæquatè sit in anima; estò virtutes ab ea dimanantes sint in potentijs (qua ratione sunt effectus, & proprietates ad illius integritatem spectantes) ita discurrendum de defectibus, & deordinationibus potentiarum consecutis ex culpa originali.

Confirm.

Prob. ex D. Thom

§. V.

Solvuntur argumenta contra secundam conclusionem.

39 COntra hanc conclusionem militant omnia argumenta desumpta ex opinione aliquorum Scotistarum tuentium, peccatum originale consistere essentialiter in privatione iustitiæ originalis, quatenùs hæc subjiciebat immediatè voluntatem Deo. Quæ quidem argumenta soluta manent dub. 13. Militant etiam argumenta deprompta ex M. Lorca asserenti privationem, tàm gratiæ, quàm aliorum donorum perficientium intellectum, & voluntatem in statu innocentiæ pertinere ad essentiam peccati originalis, quæ quidem soluta manent ibidem num. 43. Quapropter nè acta agamus, & ut methodum doctrinę observemus aliqua, etsi pauca, argumenta proponemus. Sit ergo 1. argum. desumptum ex D. Thom. hic q. 82. a. 3. dicenti: *Tota autem ordinatio originalis iustitiæ ex hoc*

Arg. 1.

hoc erat, quod voluntas hominis erat Deo subiecta; quæ quidem subiectio, primo, & principaliter erat per voluntatem. Unde ex aversione voluntatis à Deo consequuta est inordinatio in omnibus alijs animæ viribus. Ex quo testimonio deducitur 1. Voluntatem esse sedem propriam saltim inadæquatam iustitiæ originalis quantum ad sui essentiam: proindèque se habere eodem modo in ordine ad culpam originalem. Deducitur 2. Subiectionem ad Deum, quam primus homo habebat ex vi iustitiæ originalis, 1.& principaliter spectare ad voluntatem; ac per consequens deducitur; iustitiam originalem in sui essentia, saltim inadæquatè importare rectitudinem voluntatis. Deducitur 3. Aversionem, sive deordinationem voluntatis à Deo esse radicem inordinationis aliarum virium animę, proindèque talem deordinationem non posse excludi ab essentia culpæ originalis; cùm à constitutivo illius nequeat excludi id, quod est radix, & causa, à qua proveniunt defectus, & inordinationes consequutę ex peccato originali. Quemadmodum immeritò excluderetur à constitutione sanctitatis in esse talis id, quod se habet, ut radix, & causa, à qua provenit rectificatio potentiarum animæ.

40 Confirm. Confirm. ex eodem S. D. in 2.d. 32.q.1.a. 1. ad 1. ubi ait: *In originali iustitia erat aliquid quasi formale, scil. ipsa rectitudo voluntatis: & secundum hoc sibi opponitur culpæ deformitas. Quamvis ergò non restituatur originalis iustitia, quantum ad id, quod materiale in ipsa erat, restituitur tamen, quantum ad rectitudinem voluntatis, ex cuius privatione ratio culpæ inerat.* In quo testimonio apparet rectitudinem voluntatis se habere de formali in iustitia originali; & rursùs culpam originalem eatenùs in esse hominis quatenùs inest ei privatio rectitudinis in voluntate. Sed hæc omnia falsò essent dicta, si privatio talis rectitudini, saltim inadæquatè nõ spectaret ad essentiam culpę originalis: ergò. Rursùs: Si deordinatio voluntatis tantum se haberet ex consequenti ad essentiam culpæ originalis, & tanquam effectus illius; se haberet tantum de materialis hac enim de causa, concupiscentia, alijsque defectus virium inferiorum animæ, sæpè dicuntur à D. Th. materialiter tantum pertinere ad peccatum originale. Atqui D. Th. oppositum affirmat expressè testimonio supra relato, & expressè contraponit deordinationem voluntatis, illis defectibus, qui se habent de materiali in peccato originali: ergò fatendum est peccatum originale ad minùs dicere inadęquatè deordinationem residentem in voluntate.

41 Hoc argum. tangit difficultatem circa constitutionem iustitiæ originalis; An scil. fuerit donum realiter distinctum à iustitia gratuita, sive gratia sanctificanti? An vero fuerit ipsa gratia sanctificans communicata cum aliquo modo perfectiori, vi cuius habebat radicare aliquas perfectiones proprias status innocentiæ, quas modo non radicat? Primam sententiam tuetur Emin. Cayet. 1.p.q. 95.a 1.& alij. Secundam vero tuentur communiter Thomistæ cum PP. Salm. hic d. 16.n.8.M. Gonet de statu innoc. a. 1. M. Boliv. tract. de necessit. grat. dub. 3. §. 2. In quibus Lect. cõstabit, quòd etsi sit dissidiũ circa constitutionem iustitiæ originalis; non tamen est dissidiũ circa connexionem illius cum iustitia gratuita, sive gratia sanctificanti; cum omnes supponnat eam radicari, & præsupponere sanctitatem in anima. Pro quo afferam aliqua testim. ex D. Th. hoc expressè affirmantia. 1. habetur q.4. de Mal. a.4. ad 1. *Dicendũ, quod iustitia originalis non sic erat in voluntate, quin perprius esset in essentia animæ; erat enim donum collatum humanæ naturæ.* Et a.2. *Ad primum in cõtrarium dicendum, quod iustitia originalis includebat gratiam gratum facientem.* Secundum habetur 1. p.q. 100.a. 1. ad 2. *Cum radix iustitiæ originalis consistat in subiectione ad Deum, quæ est per gratiam gratum facientem; necesse est dicere, quod si pueri nati fuissent in originali iustitia, quòd etiã nati fuissent cum gratia.* Tertium habetur hic q.83.a.2. ad 2. *Etiam originalis iustitia pertinebat primordialiter ad animam; erat enim donum divinitus datum naturæ, quàm perprius respicit essentia animæ, quàm potentia.* Et qua.

Advertũtur aliqua.

Quid sit iust. originalis?

4. de Mal. a. 2. ad 2. in contrarium: *Dicendum quod in Baptismo restituitur iustitia originalis quantum ad hoc, quòd superior pars essentiæ subditur Deo per gratiam gratum facientem.*

42 Ex his testimonijs constat esse innegabile in doctrina Div. Thom. iustitiam originalem quòad primarium sui effectum inhærere immediatè essentiæ animæ. Cum istæ propositiones, scilicèt: *Iustitia originalis perprius erat in essentia animæ, quam in voluntate. Iustitia originalis pertinebat primordialitèr ad essentiam animæ: infusio gratiæ, ut subjicientis animam Deo, est restitutio iustitiæ originalis quantum ad aliquem effectum illius*; (quæ quidem asseruntur à D. Thom.) prædictam inhærentiam manifestè cõvincat. Deindè cum in sententia eiusdem S. D. hic 1. 2. q. 50. art. 2. non sit possibilis habitus, aut donum supernaturale immediatè afficiens animam quòad sui essentiam, nisi gratia habitualis titulo participationis formalis naturæ divinæ, per quam elevatur per se primo ad ordinem supernaturalem; innegabile videtur iustitiam originalem includere bonum gratiæ sanctificantis, quod à D. Thom. & ab alijs antiquis *iustitia gratuita* nominatur.

Respond.

43 Cum autem omnis perfectio proportionetur suo perfectibili, & ordo gratiæ non destruat, sed potiùs perficiat ordinem naturæ, fit consequens, quod cum anima secundum suam essentiam sit radix, principiumq́, à quo omnes potentiæ, & earum operationes proveniunt; paritèr iustitia originalis secundum illam perfectionem, secundum quam inhærebat animæ, quòad sui essentiam, esset perfectio per modum radicis, & principij, à quo aliæ perfectiones concessæ in statu innocentiæ dimanabant; ita tamen, ut istæ servarent inter se ordinem prioris, & posterioris. Admodum quo, etsi omnes potentiæ dimanent ab anima, sed cũ ordine, scil. perprius intellectus, quam voluntas; & rursùs his mediantibus potentiæ sensitivæ, tàm cognoscitivæ, quàm affectivæ.

Notantur quædam pro solut

44 Ex hoc modo dimanationis provenit, ut perfectio aliqua, quæ respectu gratiæ habitualis eam radicantis se habet de materiali, & per modum effectus ex illa derivati; se habeat de formali respectu alterius perfectionis mediatè ab eadem gratia dimanantis; & præsertim; si talis perfectio resideat in potentia, cui proprium est movere, & applicare reliquas potentias ad agendum. Ratio est: *Nàm id, quod se habet ex parte agentis, & moventis, se habet, ut formale; quod vero ex parte patientis, & mobilis se habet, ut quid materiale*, ut docet D. Thom. quæst. 4. de Malo art. 2. & hac 1. 2. quæst. 13. art. 1. Cum vero sit proprium voluntatis movere, & applicare omnes potentias ad agendum; eo quod proprium obiectum illius est finis, propter quem omne agens operatur; inde fit, quod perfectio, quam voluntas sortiebatur ex gratia habituali residenti in anima, etsi se haberet materialitèr respectu illius; se habebat de formali in ordine ad alias vires inferiores subditas in statu innocentiæ eius motioni, & imperio. Deniquè notandum: Iustitiam originalem posse duplicitèr accipi: uno modo completè, & adæquatè, sive quòad statum. Alio modo pro illa perfectione, quæ erat prima, & radix cæterorum. Si primo modo accipiatur includit plures perfectiones, & dona tàm naturalia, quam supernaturalia; si vero consideretur secundo modo; tantum dicit gratiam sanctificantem cum aliquo speciali modo communicatam. Constat hoc à simili in iustificatione impij; si enim hæc completè, & integrè accipiatur, includit tùm gratiam, tùm charitatem, & alia dona supernaturalia; si vero accipiatur pro illo dono, quòd est principium, & radix cæterorum, solum dicit grariam habitualem.

Ex his Resp. Ad authoritatem Div. Thom. illam exponendo sic: 45 *Tota ordinatio iustitiæ originalis erat ex subiectione voluntatis ad Deum*, secundum quod iustitia originalis erat perfectio prima, & radicalis animæ, neg. mai. Secundum quòd iustitia originalis perficiebat vires inferiores animæ, conced. mai. Solutio constat ex dictis, & fundatur in doctrina, quam ibi tradit Divus Thomas. Siquidem post verba illa subdit: *Est*

Exponit. mês S.D.

enim

enim proprium voluntatis movere alias partes animæ in finem. Cumque iuxta ipsum id, quod se tenet ex parte agentis, & moventis se habet ut formale;* ideò subiectionem voluntatis dixit, sic se habere in iustitia originali: & privationem talis subiectionis simili modo se habere in ordine ad deordinationem aliarum virium animæ. Quod confirm. ex fine ibi intento à D.Th. scilic. *Probare peccatum originale tantum materialiter esse concupiscentiam*; ad quod convincendum sufficit, quod inordinatio inferiorum virium animæ, quæ communi vocabulo dicitur concupiscentia, ortum ducat ex aversione voluntatis à Deo; Nàm hoc ipso nequit se habere de formali, sed per modum effectus ex alio derivati. Consequentèr ad hæc exponenda est alia propositio: *Subiectio iustitiæ originalis primò, & principaliter erat per voluntatem*, exponenda est sic:* Subiectio, quam præstabat iustitia originalis partibus inferioribus animæ, primo, & principaliter erat per voluntatem, utpotè ab illa immediatè; & per se dependens,* cum quò tamen componitur, quòd illa subiectio voluntatis sit consequuta ad subiectionem animæ, quàm primariò præstabat iustitia originalis. Ad modum quo, etsi meritum vitæ æternæ pertineat primò, & principaliter ad charitatem comparativè ad alias virtutes, quatenùs ab illa formantur; respectivè tamen ad gratiam sanctificantem, ratio meriti non convenit actui charititatis, nisi secundùm quòd perprius informatur per ipsam gratiam, ut principium, & radicem omnis meriti.*

* Sic 1. 2. q. 13. a. 1.

* Sic. 1. 2. q. 114. a. 4.

Obijcies 2. Eò peccatum originale non posset inhærere animæ, & eius potentijs, quia ex oppositio sequeretur non esse unum unitate simplicitatis, sed solius ordinis; sed hæc ratio est prorsùs inefficax: ergò. Prob. ex D. Thom. q. 4. de Malo a. 4. dicente: *Et primo quidem aspectu potest alicui videri, quòd sit prius in essentia animæ, ea ratione: quia peccatum originale est unum; potentiæ autem animæ uniuntur in essentia animæ, tanquam in communi radice. Sed ista ratio non cogit, quia potentiæ animæ uniuntur alio modo, scilicèt, unitate ordinis, & etiam unitate alicuius potentiæ moventis, & dirigentis*: ergò sentit D.Th. illam rationem non esse efficacem: imò videtur illum sentire peccatum originale nõ esse unũ unitate simplicitatis. Nàm si esset ita simplex, ratio probans, non posse in esse potentijs est de se efficacissima; proindèque à D.Thom. non impugnaretur. Urgetur ex eodem S. D. q. 4. de Malo a. 2. ubi distinguens inter vires animæ vegetativæ, quæ non subduntur voluntati; & inter alias vires inferiores, quæ natæ sunt obedire voluntati, ait: *Sed superior pars animæ, & etiam quædam, quæ sunt sub voluntate, recipiunt sequelam primi peccati secundum rationem culpæ.* Sed peccatum originale secundùm rationem culpæ est peccatum originale secundum suam essentiam: ergò in potentijs inferioribus, scilicèt, appetitu, & alijs, inhæret culpa originalis quòad sui essentiam.

46 Arguit. 2. ex S.D.

Urgetur.

Respond. Div. Thom. in illo articulo solum inquirere: *An peccatum originale perprius sit in essentia animæ, quàm in potentijs?* Quæ difficultas est diversa ab ea, quæ inquirit: *An sit adæquatè quòad sui essentiam in sola anima?* Pro resolutione primæ difficultatis procedit impugnatio D. Thomæ; quæ quidem optima est: Nàm discursus ibi formatus est iste: *Potentiæ animæ radicantur in essentia animæ; sed peccatum originale est unum: ergò perprius debet esse in radice.* Quiquidem discursus rejicitur à S.D. ex eo, quod potentiæ animæ habent triplicem unitatem, scilicèt, convenientiam in radice, convenientiam ordinis, & unitatem dirigentis; quare inefficacitèr probatur perprius debere existere in anima ex solo conceptu radicis potentiarum. Adest pro hoc manifestum exemplum in peccato actuali, quod quidem perprius inest voluntati, & appetitui sensitivo, quam animæ. Ponamus ergò aliquem probare tale peccatum perprius inhærere animæ, quàm potentijs relatis, hoc discursu: *Peccatum actuale est unum, & inficiens, tàm animam, quàm potentias; sed potentiæ uniuntur in essentia animæ, ut in communi radice: ergò perprius est in essentia animæ.*

47 Solutio.

48 Si inquam aliquis formaret talem discursum; absdubiò inefficacitèr probaret: quia præter unionem, quam voluntas, & appetitus habent in anima tanquam in radice; habent etiam unitatem ordinis inter se, & unionem per modum dirigentis, & directi, per modum moventis, & movilis; quapropter absque eo, quòd perpriùs inhæreat animæ, potest inhærere dictis potentijs. Ex quibus in forma distinguo mai. Eo non posset &c. suppositò quòd secundum essentiam perpriùs inhæreat animæ, conc. mai. Non supposito, aut præcisivè ab hoc, neg. mai. Contra quam distinctionem non militat testimonium D. Thom. Ibi enim non agit de subiecto adæquato peccati originalis quòad sui essentiam, sed de illo, quod perpriùs inficitur à tali peccato. Quod potest confirmari admisso casu posibili de promissione traducendi solum donum integritatis, per quod appetitus subjiceretur rationi, & corpus animæ; quòd donum non esset perpriùs in essentia animæ; proindèque argumentum factum de radicatione appetitus, aliarumque potentiarum in anima, apparet inefficax.

49 Ad urg. Resp. Culpam originalem duo habere, & corrumpere bonum naturæ, & simul inclinare hominem ad peccandum. Ita Div. Thom. hic q. 83. a. 3. Si igitur consideretur peccatum originale primo modo, sic soli animæ inhæret; si autem secundo modo; sub hac consideratione inest omnibus potentijs, quæ ex motione voluntatis possunt inordinatè operari. Hoc autem minimè convenit potentijs animæ, ut vegetativæ: & ideò; nec secundum id, quod peccatum originale dicit de formali, nec quantum ad id, quod dicit de materiali, invenitur in illis.

Ad urg.

Instabis. Si dicas. Huiusmodi inclinatio relicta ex peccato originali ad peccandum non est culpa: ergò propter huiusmodi inclinationem nequit verificari *appetitum sensitivum v.g. recipere sequelam primi peccati secundum rationem culpæ*, ut profert Div. Thom.

Resp. Resp. Talem inclinationem non esse culpam actù; esse tamen inclinativè, sive causalitèr culpam. Unde claritatis gratia dist. conseq. Non recipi sequelam primi peccati secundum rationem culpæ, in qua univocè cum illo conveniat, conc. conseq. In qua analogicè, & aliquomodo conveniat cum illo, neg. conseq. Nec enim ampliùs ibi intendit D. Thom. ad salvandum discrimen inter alias potentias dimanantes ab anima, ut vegetativa.

50 Aliud argumentum obijci solet de infirmitate corporis, quæ quidem coalescit ex pluribus inordinationibus afficientibus diversas partes corporis: ergò idem dicendum de peccato originali; cum sit languor, & infirmitas naturæ. Ad quod Resp. 1. Infirmitatem corporalem non esse qualitatem compositam ex pluribus qualitatibus dissonis, sed consistere in dissonantia residenti in parte principali; sicut dicitur de sanitate corporali quòad essentiam. Ita Eminent. Cayetan. hic q. 82. art. 1. Resp. 2. Exemplum non tenere quòad omnia, sed quantum ad hoc, quod sicut per ægritudinem corporalem tollitur ordinata dispositio corporis; ita per peccatum originale sublata fuit illa harmonia, sive recta dispositio, quam natura humana habebat ex iustitia originali. Quapropter, etsi quantum ad effectus ex illo provenientes, peccatum originale sit languor naturæ: quòad sui essentiam inspectum, & respectu animę, propriè iuxta Concilia dicitur mors spiritualis. *Et hæc de hoc dub. applic. litt. M. in 2. dist. 31. §. 14.*

Aliud argum.

Resp. duplicitèr.

S. D. hic q. 82. a. 1. ad 1. agit de const. infirmitatis.

DU-

SUBDUBIUM UNICUM.

AN IN POTENTIIS ANIMÆ INfectis per peccatum originale sit malitia moralis formaliter talis?

§. I.

MOTIVUM DUBII, ET ILLIUS UTILITAS APERITUR.

N. 1 QUuia Authores, quos in anteceed. tàm pro constitutione peccati originalis, quàm pro subiecto immediato illius impugnavimus; adducunt in sui favorem, præter gratiæ sanctificantis privationem dari in posteris Adæ alias privationes, sine dubiò pravas moralitèr, & imputabiles, proindèque non posse relegari ab essentia peccati originalis, & illius subiecto: opere prætium erit pro recta intelligentia dictorum scire. 1. An prædictæ privationes sint actu intrinsecè pravæ moralitèr? 2. An ex hoc sequatur spectare ad constitut. peccati originalis? & exinde probetur à subiecto illius non posse voluntatem, aliasque potentias, excludi.

2 Arguitur: Peccatum originale ibi residet quòad sui essentiam, ubi invenitur malitia moralis illius. Sed hæc invenitur etiam in potentijs animæ: ergò. Mai. constat, tùm quia malitia moralis, dummodò sit traducta per originem, est malitia originalis. Tùm quia ratio culpæ est ratio malitiæ moralis: ergò ubi invenitur vera ratio malitiæ moralis, invenitur vera ratio culpæ. Sed non personalis, ut est certum: ergò originalis. Min. vero, in qua est difficultas prob. 1. Malitia moralis culpæ originalis, iuxta sententiam à nobis defensatam, nihil aliud est, quàm privatio voluntaria iustitiæ originalis; sed hæc privatio invenitur formalitèr etiam in potentijs, scilicèt, voluntate, & appetitu sensitivo, quas quidem potentias subjiciebat iustitia originalis, & quarum subiectione voluntariè fuimus privati: ergò.

Motivũ proponitur pro Scot. & Lorca.

Prob. 2. eadem min. Privatio 3
iustitiæ originalis, ut subjicientis radicalitèr Deo, est mala moralitèr: ergò etiam est mala moralitèr privatio iustitiæ originalis, ut subjicientis proximè voluntatem Deo, & ut subjicientis appetitum rectæ rationi. Prob. conseq. Tùm quia non potest assignari ulla ratio discriminis. Tùm quia subiectio voluntatis ad Deum, & appetitus ad rationem, est moralitèr bona, sicuti & subiectio animæ ad Deum: ergò sicuti carentia huius est mala moralitèr; ita carentia illius. Tùm deniquè: ideò carentia subiectionis animæ ad Deum est mala moralitèr, quia opponitur terminativè legi impositæ Adamo de non transgressione præcepti, & hoc ideò evenit; quia carentia subiectionis animæ ad Deum est terminus derelictus ex peccato capitali Adæ. Sed hoc idem habet carentia subiectionis, tùm voluntatis, tùm appetitus sensitivi: ergò, vel utraque, vel neutra est mala moralitèr.

3. Et prob. eadem min. Ideò 4
privatio iustitiæ originalis, ut subjicientis animam Deo, est mala moralitèr, quia iustitia originalis fuit concessa Adamo pro se, & pro sua posteritate sub conditione non comestionis de ligno vetito. Sed non solùm fuit tali modo concessa Adamo iustitia ori-

ginalis, ut rectificans animam, sed etiam, ut proximè rectificans voluntatem, & appetitum: ergò. Vel aliter: Defectus privativus perfectionis intra lineam moralem, si sit voluntarius, est defectus culpabilis, & malus moraliter; sed dona, quibus proximè voluntas, & appetitus subjiciebantur rationi, erant perfectiones spectantes ad lineam moralem: ergò defectus privativus voluntarius horum donorum erit culpabilis, & malus moraliter. Sed talis defectus fuit privativus; cũ talia dona essent debita naturæ humanæ ex pacto Dei: & rursùs; talis defectus fuit voluntarius Adamo, ut capiti morali totius naturæ: ergò.

Idem argumentum fieri potest; 5
etiamsi peccatum originale consistat in privatione conformitatis cum lege: Nàm non solùm anima, sed etiam voluntas debebat esse conformis divinæ legi; & exindè appetitus sensitivus debebat esse conformis subjiciendo se dictamini rationis: ergò non solùm est mala moraliter carentia conformitatis cum lege residens in anima, sed etiam carentia conformitatis residens in voluntate, & appetitu sensitivo. Idem prob. in alia sententia constituente peccatum originale per conversionem moralem relictam ex peccato capitali Adæ. Non enim sola anima, sed etiam voluntas, & appetitus sensitivus, permanserunt conversa ad bonum commutabile: ergò non solùm conversio residens in anima est mala moraliter, sed etiam conversio residens in voluntate, & appetitu.

§. II.

Respondeeur duplici solutione.

6 Circa solution. huius argum. dissident inter se Illust. Godoy, & Mag. Ferre. Ille enim disp. 37. §. 3. defendit, quòd quamvis essentia peccati originalis in sola anima residea; dantur in voluntate, & appetitu sensitivo quædã malitiæ distinctę ab illa, & eis intrinsecè inhærentes ob rationem adductam in argum. Quod assumptum suadet 1. Quia tales malitiæ, aut deordinationes, se habent per modum proprietatis consecutæ ad malitiam residentem in anima; undè sicuti risibilitas, & essentia hominis, non constituunt duplicem hominem; ita ex malitia residenti in anima, & ex illis, quę residen in potentijs non consurgit duplex peccatum; sed unum completum, & integratum ex omnibus. Admodùm quo negari nequit, non solùm gratiam rectificantem animam esse bonam moraliter, sed etiam charitatem perficientem voluntatem, & dona rectificantia intellectum, & insuper; virtutes perficientes appetitum: gaudere rectitudine intrinseca morali; quin ex hoc liceat inferre, dari in homine plures sanctitates. Et hoc quidèm quia conceptus sanctitatis est prima rectitudo hominis, à qua, ut radice, & principio, reliquæ rectitudines derivantur; quapropter ad summum pertinebunt ad complementum, & integritatem sanctitatis, secùs verò ad illius essentiam adhùc inadæquatè.

Sententia Illust. Godoy.

Licet ergò defectus subiectionis animæ ad Deum, & defectus 7
subiectionis voluntatis, & appetitus ad rationem, sint mali moraliter, non tamen propter hoc erunt de essentia culpæ originalis: cum solum primus defectus sit radix, & origo cæterorum; & ideò solum ipse erit propriè culpa originalis. Ex qua doctrina ad argumentum in forma Resp. distinguend. mai. Ubi residet malitia moralis prima, & quæ est radix cæterarum, conc. mai. Malitia moralis utcumque, neg. mai. Nec obstat probatio prima conseq. Nàm malitia moralis originalis, quæ constituit peccatum originale, est originalis primariò, hoc est, primariò traducta per generationem; infectio autem potentiarum, etsi per generationem traducatur, non tamen, pròut hæc terminatur primariò ad naturam, sed pròut ex consequenti terminatur ad potentias, quæ sunt proprietates naturæ. Ad aliam probationem, scilicèt, *ratio malitiæ moralis est ratio culpæ, sive ratio peccati.* Resp. disting. Ratio malitiæ moralis reddentis hominem Deo offensum, iniustum, & dignum pœna æterna, conc. Non sic reddens, nego. Peccatum enim habituale, sicuti, & culpa habitualis, non est quicum-

Respond. ad argum

cumque defectus malus moraliter, sed oppositus sanctitati : ac proindè præstans homini effectus formales completè tales, & qui ex sui ratione opponantur effectibus sanctitatis, scilicèt ; convertere hominem sui animam ad Deum, esse dignum vita æterna, & filium eius adoptivum; qui effectus, cùm conveniant ipsi secundùm animam, non verò secundùm potentias ; culpa originalis solùm potest consistere in malitia morali afficiente immediatè animam. Ex quibus patet, rationem mali moralis, sive defectus imputabis, latiùs patere, quã peccatum, sive culpa habitualis, pròut in præsenti accipitur à Theol.

8 At vero Magist. Ferre acritèr negat dari malitiam aliquam moralem intrinsecè residentem in potentijs, quæ sit talis actù propriè, & formaliter ; sed ad summum causaliter, & inclinativè ; eò quòd sublata iustitia originali manent cum pronitate, & inclinatione ad bonum commutabile præter ordinem rationis. Existimat enim non posse salvari iuxta sententiam Illust. Godoy, quod peccatum otiginale quoad sui essentiam sit solum in anima ; & quòd in potentijs animæ non sit vera culpa originalis. Sed inefficacitèr, ut constat ex his, quæ supra diximus explicando solutionem illius sapientissimi Magistri. Nec ea, quæ principaliter adducit in contra, sunt valdè efficacia. Primum est. Sola gratia est forma sanctificans, non vero charitas, & aliæ virtutes : ergò sola privatio gratiæ, & non privatio charitaris &c. erit mala moraliter. Quod facilè solvitur 1. retorquendo argum. Estò sola gratia sit forma sanctificans, tamen non solum gratia, sed etiam charitas, aliæque virtutes, sunt bonæ moraliter : imò iuxta D. Thom. bonitas moralis est differentia virtutis: ergò pariter non solum privatio gratiæ : sed etiam privatio charitatis &c. erit mala moraliter. 2. Nàm ex illo antecedenti solum potest inferri hoc consequens:* ergò sola privatio gratiæ erit propriè peccatum habituale, sive iniustitia, & iniquitas;* quod libentèr concedit Illust. Godoy. Secundum est. Nàm essentia, & proprietates nequeunt assimilari in suis prædicatis ; sed carentia subiectionis in anima, & carentia subiectionis in voluntate, sunt malitia moralis : ergò una nequit se habere ut essentia, & altera ut proprietas. Ad quod Resp. instando. Nàm gratia radicat charitatem ; & tamen utraque est rectitudo moralis. 2. Nàm, etsi conveniant in genere, differunt specie inter se penès primam, & secundam ; penès avertentem animam à Deo, illamque maculantem ; & penès non avertentem, & maculantem, sed potiùs illam cum his denominationibus supponentem.

Sententia M. Ferre.

Motiva M. Ferre non urg.

Non primum.

Non secũdum.

§. III.

Fertur iudicium de duplici solutione iam relata, & discrimine inter Thomist.

Dico primò: *Propositum argumentum nihil speciale concludit pro malitia peccati originalis, & non pro malitia peccati habitualis personalis.* Hæc conclusio est contra Mag. Lorca, qui ex prædicto argumento movetur ad asserendum : peccatum originale consistere in privatione iustitiæ, ut perficientis animam, intellectum, voluntatem, & appetitum sensitivum. Assumptum prob. 1. Eò peccatum originale diceret constitutivè omnem malitiam superiùs relatam, quia dicit constitutivè privationem iustitiæ originalis, per quam anima, intellectus, voluntas, & appetitus, rectificabãtur in statu innocentiæ; sed hæc ratio probat, etiam peccatum habituale personale consistere in privatione gratiæ, charitatis, & virtutum infusarum : ergò nihil speciale probat pro constitutione peccati originalis. Min. prob. Gratia habitualis in ratione sanctitatis habet esse rectitudinem generalem totius hominis, tàm secundùm animam, quàm secundùm potentias ; ut expressè docet S. Doct. 1. 2. quæst. 113. art. 1. ad 2. Qua de causa excludit ibidem à ratione formæ iustificantis habitum charitatis ; quia tantùm dicit rectitudinem specialem, scilicèt, de linea effectiva: ergò si peccatum originale, quia est pri-

9 Prob. 1.

privatio iustitiæ originalis rectificantis universalitèr, tàm animam, quàm potentias, dicit constitutivè privationes eis inhærentes: idem dicendum de peccato personali constituto per privationem gratiæ sub munere sanctitatis.

10 Confirmat. hæc ratio: quia Adamus pro se, & sua posteritate tenebatur observare præceptum, & ad eius observationem consequeretur in tota natura humana tùm perfectio animæ, tùm perfectio voluntatis, & appetitus sensitivi; defectus omnium harum perfectionum ortum ducens ex peccato Adami, est malus moralitèr; utpotè voluntarius, & contra legem saltim terminativè. Sed hæc ratio probat etiam in homine peccante propria voluntate, privationem gratiæ, charitatis, & aliarum virtutum perficientium appetitum, esse malam moralitèr: ergò argumentum æquè probat pro uno, ac pro altero peccato. Min. prob. Homo ex lege charitatis tenetur servare in se rectitudinem gratiæ perficientis animam, & similitèr rectitudinem charitatis, aliarumque virtutum perficientium suum appetitum ad supernaturalitèr, & meritoriè operandum; sunt enim maximum bonum hominis, & perfectionem moralem ei tribuentes: ergò cum aliàs defectus harum perfectionum sit voluntarius medio peccato actuali, sequitur, quòd tales privationes etiam sint malæ moralitèr. Unde pro eis eadem militat ratio, ac pro perfectionibus concessis in statu iustitiæ originalis, ut de se est satis manifestum.

Confirm.

11 Respondeti potest, privationem donorum perficientium, tùm voluntatem, tùm appetitum in statu innocentiæ, spectare ad constitutionem peccati originalis, non precisè ob malitiam repertam in tali privatione; sed ideò, & quia Adamus peccando perdidit nobis iuxta Concil. Trident. sanctitatem, & iustitiam, in qua conditus fuerat. Quibus verbis significatur, utramque privationem, scilicèt, sanctitatis, & iustitiæ ad rationem peccati originalis pertinere. Peccatum vero personale in ratione maculæ habitualis, solum privationem gratiæ dicit, & perseverantiam moralem actualis peccati, iuxta doctrinam D. Th. Et quia iuxta frequentem eius acceptionem, solum dicit malitiam oppositam sanctitati, quæ solum est gratia; quapropter adest specialis, ut privatio charitatis, & virtutum, etsi mala moralitèr, sit tantum proprietas peccati personalis; privatio vero iustitiæ originalis ad constitutionem culpæ originalis spectet. Tota efficacia huius solutionis reducitur ad hoc: Peccatum originale ex sui ratione dicit privationem tùm sanctitatis, tùm iustitiæ originalis; peccatum vero personale solum dicit forma litèr privationem gratiæ sanctificantis.

Respond.

12 Sed contra est. 1. Nàm, etsi peccatum originale dicat secundùm sui essentiam privationem iustitiæ originalis; si talis iustitia secundùm primariam eius perfectionem consistebat in gratia sanctificante, ut radicanti cætera dona pertinentia ad statum innocentiæ, ut sentit D. Thom. locis dub. antec. §. ult. relatis, inefficacitèr infertur ex hoc anteced. scilicèt: *Peccatum originale est privatio iustitiæ originalis*; hoc conseq. *Ergò quòad sui essentiam dicit privationem omnium donorum ad illam spectantium.* Contra est 2. Nàm, etsi Adamus peccando perdiderit sibi, & nobis, iustitiam, & sanctitatem, non infertur, quòd privatio iustitiæ originalis, pròut differt à sanctitate, debet spectare ad constitutionem culpæ originalis. Prob. assumpt. 1. Quia etiam sibi perdidit talem iustitiam; & tamen eius peccatum habituale quòad essentiam in sola privatione gratiæ consistebat; vel dicendum; fuisse alterius speciei ab illo quod Nos modo committimus, quod dicere videtur voluntarium: 2. Nàm *nomine iustitiæ* non est ratio cùr Concil. intelligat donum à sanctitate distinctum, sed idem cum diversitate munerum, & respectuum. Tùm quia ut Adamus peccando perdiderit nobis iustitiam originalem, sufficit esse proprietatem peccati traducti; siquidem etiam perdidit immortalitatis beneficium, & impassibilitatem, & dominium supra omnia animantia: quin tamen privationes horum donorum

Rejic. 1.

Secundò.

rum spectent ad essentiam culpæ originalis. Tùm quia etiam perdidit (& sic semper reddit instantia facta) charitatem, & alia dona supernaturalia connexa cum gratia, ut sæpè proclamant SS. PP. exponendo parabolam: *Hominis descendentis à Jerusalem in Jericò, quem latrones spoliaverunt gratuitis, & vulneraverunt in naturalibus.* Atqui homo peccando propria voluntate perdidit charitatem, & reliqua dona: ergò non est ratio, cùr illę privationes ad constitutionem culpæ originalis spectent, & non spectent privatio charitatis, & privatio virtutum infussarum, ad constitutionem culpæ personalis.

Luc. cap 10.

§. IV.

Secunda conclusio.

13 Dico secundò: *Si privatio charitatis, & virtutum rectificantium appetitum, non est in se mala moraliter in homine peccante propria voluntate; nèc privatio subiectionis, tùm voluntatis, tùm appetitus ad rationem, quæ traducitur per culpam originalem, est in se mala moraliter.* Hæc conclusio solũ indiget explicatione. Pro qua supponendum est, quòd subiectio, quam habebat appetitus sensitivus ad rationem in statu innocentiæ (& idem de voluntate) præter virtutes infussas in eo residentes, importabat quemdam modum, sive vigorem, vi cuius non poterat rationi rebellare, nèc prorumpere in motus inordinatos. Dubium tamen est: An hæc subiectio fieret formaliter per aliquos habitus; an verò per ipsas virtutes, ut communicatas cum aliquo modo speciali; quemadmodùm gratia sanctificans, ut affecta simili modo, radicabat specialia dona in statu innocentiæ, quæ modò non radicat? Hoc secundum defenditur à PP. Salm. ut fere certum in doctrina Div. Thom. hic disput. 16. dub. 3. à num. 60.

Probatur

14 Hoc prænotato, iàm apparet ratio probativa: Nàm si illa subiectio perfecta proveniebat à virtutibus, ut affectis aliquomodo speciali vigore; non est, cùr privatio illius vigoris sit mala moraliter, & non privatio virtutum quòad substantiam? Cùm maior rectitudo inveniatur in substantia virtutum, etsi non ita privilegiata, àc in modo virtutum. Deindè si Adamus tenebatur non amittere per peccatum talem vigorem, perprius tenebatur non amittere substantiam virtutum: ergò si privatio illius subiectionis, ut provenientis à modo virtutum, est mala moraliter, idem dicendum de privatione charitatis, & virtutum quòad substantiam perficientium moraliter potentias. Quo supposito sic redarguo: Quia privatio vigoris est mala moraliter, & homo tenebatur illam vitare traducendo vigorem prædictum in posteros, dicitur spectare ad constitutionem peccati originalis; sed privatio charitatis, aliarumque virtutum infussarum, hoc idem habet in quolibet peccante personaliter: ergo. Idem argumentum fit, etiam si donum vigoris subjiciens appetitum sensitivum rationi, & potentias rationales Deo, fuerit habitus distinctus ab habitibus virtutum, tàm naturalium, quàm supernaturalium; siquidē adhùc intra lineam perfectionis moralis: si non daretur excessus ex parte virtutum supernaturalium, ad minùs daretur æqualitas; undè non est cùr privatio doni vigoris sit mala moraliter in posteris, & non privatio virtutum infussarum in quolibet homine particulari inducta ex peccato personali.

Alia probat.

§. V.

Tertia conclusio.

Dico tertiò: *Non sufficientèr explicatur malitia conveniens privationi charitatis, & virtutum infussarum relicta in parvulis ex culpa originali, per hoc, quod sit tantùm causaliter, & inclinativè talis.* Oppositum huius tenet Mag. Ferre hic q. 5. §. 2. n. 1304. quem sequitur Doctissim. Mag. meus Perez olim Complutensis Primarius in Manuscriptis. Ita colligitur satis manifestè ex doctrina Em. Caiet. hic quæst. 82. ar. 3. *§. Ad evidentiam* propè finem; ubi notat: ex peccato originali duo provenire in voluntate, scilicèt defectum subiectio-

15

Explicatur sensus conclus.

tionis ad Deum; & inordinationem consistentem in pronitate, sive inclinatione ad malum; asseritque, primam se habere de formali, quamvis secundariò ad peccatum originale; secundam verò de materiali. In quibus expressè docet nostram conclusionem, & tradit conclusionem Illust. Godoy asserentis, aversionem voluntatis (idemque de appetitus aversione à recta ratione) esse malitiam consecutam ad malitiam originalem per modum proprietatis. Undè, quam hic Author vocat malitiam per modum proprietatis, Emin. Cayet. appellat formale peccati originalis secundariò; primariò autem, *privationẽ subiectionis mentis ad Deum.* Sic exponit D. Thom. ibi asserentem: *Privationem iustitiæ originalis, per quam voluntas subdebatur Deo, esse formale in peccato originali.* Ad quod accedit, quod iuxta D. Th. doctrinam id, quod complet, actuat, & perficit alterum, se habet de formali. Qua ratione dixit,* actum imperatum à charitate esse formalitèr actum charitatis; * licèt talis ordinatio sit extra essentiam moralitatis actus virtutis, qui imperatur. De quo modo loquendi Tract. de Moral. invenies plura. *

* Tom. 1. dub. 9. §. 4.

Ratio est: Nàm privatio charitatis, ut subjicientis voluntatem Deo, & idem de privatione virtutum subjicientium plenè appetitum rationi in statu innocentiæ, est pro priori per modum causæ ad pronitatem voluntatis in malum, & ad habitualem concupiscentiam boni delectabilis residentem in illo, ut est certum: ergò sine fundamento attribuitur prædictæ privationi malitia, quæ est propria illius, quòd ad ipsam consequitur. Atqui esse malam moralitèr causalitèr, aut inclinativè est proprium pronitatis, quam habet voluntas ad malum, & concupiscentiæ residentis in appetitu: ergò malitia moralis talis privationis non est solũ causalitèr, aut inclinativè talis. Urgetur: Pronitas voluntatis ad malum, & inclinatio appetitus in bonum delectabile præter ordinem rationis, sunt vulnera relicta ex peccato originali testante D. Thom. hic q. 85. a. 3. Atqui privatio charitatis subdentis voluntatem Deo, & privatio virtutum subjicientium appetitum rationi, non sunt vulnera peccati originalis, sed potiùs sunt causa proxima, & immediata vulnerũ; cum spoliatio in gratuitis fuerit causa, ut natura manserit in naturalibus vulnerata: ergò. Explicatur hoc. Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, si sit sermo de causa adæquata: ergò si positio subiectionis immediatæ ex parte voluntatis ad rationem superiorem, & positio subiectionis appetitus, proveniebant, ut à causa, à virtutibus speciali modo affectis; privatio illorum erit causa, ut voluntas sit prona ad malum, & appetitus sit proclivis in bonum delectabile: ergò eius malitia nequit in tali pronitate formalitèr consistere. Unde aliud est talem privationem esse malam etiam causalitèr, quatenùs ex illa derivatur pronitas ad peccandum; aliud vero non esse malam, nisi propter effectum ab ea derivatum.

16 Probatur

Explicat.

Confirm. Inclinatio ad malum, tàm ex parte voluntatis, quàm ex parappetitus, esto sit ut habitus proveniens ex culpa originali; non tamen est macula spiritualis; non solùm secundùm quòd accipitur pro primaria, & radicali fœditate animæ (de quo non est dubium) verùm nec est macula propriè, & formalitèr; & ratio est: quia in homine renato manent illa vulnera, estò aliqualitèr recuperata, & solidata per gratiam: nulla autem macula, quælibet illa sit, reddit animam aliqualitèr displicentem Deo, cui solùm nitor, & puritas placent. Atqui iuxta Div. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. & 2. licèt macula primario, & simplicitèr talis consistat in privatione gratiæ; includit etiam privationem charitatis, & donorum supernaturalium, tàm in parte cognoscitiva, quàm affectiva: ergò huiusmodi privationes non sunt malæ moralitèr præcisè ratione pronitatis, & inclinationis ad malum, quæ ex illis consequitur. Ratio horum est: Nàm homo non solùm accipit pulchritudinem, & nitorem à gratia, sed etiam à virtutibus, & donis, quibus Deo secundùm cognitionem, & amorem assimilatur. Ergò non solùm ma-

17 Confirm.

maculatur ex privatione gratiæ, sed etiam ex privatione donorum. Imò iuxta Div. Thom. hic quæst. 86. art. 1. Homo duplicem nitorem habet; unum naturalem ex refulgentia rationis naturalis; alterum supernaturalem per gratiam ex refulgentia divini luminis, & utrumque perdit per peccatum: ergò potiori ratione dicetur etiam maculatus per privationem donorum supernaturalium ex peccato provenientem.

§. VI.

Solvuntur aliquæ instantiæ.

18 ARgues primò ex Div. Thom. hic quæst. 82. art. 3. *In infectione peccati originalis duo est considerare. Primò quidèm inhærentiam eius ad subiectum; & secundùm hoc primo respicit essentiam animæ; deindè oportet considerare inclinationem eius ad actum; & hoc modo respicit potentias animæ.* Ex quibus manifestè colligitur, eatenùs peccatum originale esse in voluntate, quatenùs per modum actus primi inclinat eam ad peccandum. Sed huiusmodi inclinatio non est formaliter malitia moralis: ut constat in fomite, qui solùm dicitur peccatum iuxta doctrinam Concil. quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: ergò. Confir. Infectiones potentiarum nihil aliud videntur esse, quàm vulnera ex peccato originali illata, sivè reliquiæ illius; sed hæc vulnera non sunt propriè mala moraliter: ergo. Prob. min. Hæc vulnera manent post baptismum; cùm post illum homo sentiat proclivem ad malum, & appetitum sensitivum rebellem rationi: sed nihil, quòd sit malum moraliter, & culpa, remanet post baptismum: ergò tales infectiones potentiarum non sunt malæ moraliter, sed ad summum dimanativè, quia ex peccato proveniunt; & inclinative, quia ad peccatum inclinant.

Prima.

Confirm.

Resp. Infectionem potentiarum provenientem à peccato originali differre formaliter à privatione donorum rectificantium, tùm intellectum, tùm voluntatem, intra ordinem supernaturalem; in hac enim privatione consistit formaliter aversio voluntatis à Deo ut fine ultimo, & aversio intellectus à Deo, ut est 1. verù practicum, per quod dirigi debent operationes voluntatis. Sicuti è contrario, per charitatem voluntas convertebatur in Deum, & per dona intellectus, iste rectificabatur in ordine ad Deum sub ratione 1. veri. Infectio autem ex peccato originali provenicns, supra corruptionem, & privationem rectitudinis in potentia, dicit quandam vim, & influxum ad traductionem peccati in alios; unde inter morbos corporales illos dicimus infectiones, qui sunt contagiosi, & alios homines inficere possunt. Qua ratione iuxta D. Thom. hic q. 83. a. 4. *Potentia generativa, sensus tactus, & appetitus concupiscibilis*, manserunt magis infecta, quàm aliæ potentiæ; non quia perfectionibus donis fuerint privata, sed quia proximius concurrunt ad actum generationis, per quem traducitur peccatum originale.

19

Solutio.

Ex quibus constat; quòd, etsi infectio peccati originalis in potentijs animæ non sit mala moraliter, nisi ad summum inclinativè, secùs tamen corruptio; & aversio reperta in eis; ob manifestam rationem discriminis inter corruptionem provenientem ex peccato originali, & eius infectionem. Videantur PP. Salm. in expesit. prædicti. art. 4. Quod confirmari potest exemplo iustitiæ originalis: Nàm sicuti hæc, præter dona rectificantia intellectum, voluntarem, & appetitum, includebat vim quandam in potentia generativa, sensu tactus, & appetitu, ad traductionem similis iustitiæ in alijs; ita è conversò dicendum de illius amissione per peccatum originali; adeò ut iustitiæ originali, ut gaudebat virtute transfusiva sui in alios correspondeat infectio potentiarum; & eidem, ut subjiciebat intellectum, & voluntatem Deo, & insuper appetitum rationi, correspondeat privatio, sive corruptio donorum illa rectificantium.

20

Ad 1. Resp. neg. mai. Nàm iuxta doctrinam D. Thom. infectio propriè sumpta spectat principaliter ad potentiam generativam, sensum tactus, & appetitum concupiscibilem,

21

Ad confirm.

lem, utpotè proximè deservientes generationi; vulnus autem æquè afficit intellectum, voluntatem, appetitum concupiscibilem, & irascibilem. Ratio autem Div. Thom. est: Nàm vulnus consistit in hoc, quòd potentiæ sint destitutæ ordine rationis, quem pro statu innocentiæ haberēt ad suum obiectum. Cùm ergò intellectus, & aliæ potentiæ, manserint sic destitutæ; ideò manserunt sic vulneratæ, idest, debilitatæ, & minùs inclinatæ ad attingendum cum perfecta rectitudine proprium obiectum. Quapropter corruptio, vulnus, & infectio potentiarum provenientes ex peccato originali, distinguuntur per hoc, quòd corruptio dicit aversionem, & privationem donorum rectificantium moraliter tales potentias; vulnus dicit inclinationem ad ordinatè operandum proveniens ex tali corruptione; infectio autem influxum, & causalitatem ad traducendum peccatum originale in alios.

Discrimē notand.

Argues 2. Ratio malitiæ moralis
22 formaliter talis dicit oppositionem cum debito legis: ergò ubi non est specialis obligatio, nequit esse specialis malitia moralis. Sed homo non tenebatur ad conservationem iustitiæ originalis, ut rectificantis animam, & potentias, debito speciali, sed unico, & directè terminato ad rectificationem animæ: ergò. Explicatur: Ea ratione aliquid est malum moraliter, qua eius oppositum est debitum, & cadit sub obligatione: ergò, quod non in se, & ratione sui, sed solùm ratione alterius, est debitum, nequit reddere privationem sui malam moraliter. Sed dona consecuta ad iustitiam originalem solùm erant debita ratione talis iustitiæ: ergò privatio eorum solùm erit mala moraliter dimanativè, hoc est, quia consequitur privationem iustitiæ originalis.

Secundū argum.

Explicat.

Resp. Hunc modum arguendi ex terminis probare, peccatum habi-
23 tuale non addere novam malitiam distinctam à privatione peccati actualis: siquidèm, ut communiter dicitur, non adest præceptum speciale prohibens peccatum habituale; sed ex vi eiusdem præcepti, quo prohibetur actuale directè, prohibetur ex consequenti habituale, tanquàm terminus illius. Rursùs: In actu voluntatis directe, aut indirecte, terminato ad omissionem actus voluntatis cadentis sub præcepto, datur malitia distincta realiter methaphysicè loquendo (estò moraliter reputetur ut una) à malitia ipsius omissionis; & tamen ex vi eiusdem præcepti directè prihibentis omissionem, prohibetur etiam actus; qui est causa illius. Idem argumentum fieri valet in sententia ponenti duplicem malitiam in peccato commissionis, unam positivam, alteram privativam; quæ quidèm malitiæ eidem præcepto opponuntur. Id ipsum videre est in actu intentionis pravæ, electionis, imperij, & usus, circa obiectum prohibitum: in quibus omnibus residet malitia moralis realiter physicè distincta, estò moraliter tantum constituant unum numero peccatum integrum, & consummatum.

Solutio.

Quapropter prædictus modus 24
arguendi solùm probat, non dari malitiam specialem constituentem speciale peccatum, aut malitiam specialem, quæ sit primaria, & essentialis; secùs verò quæ se habeat per modum proprietatis ad essentiam illius, & quę moraliter reputetur, ut idem cum ipsa, spectansque ad illius integritatem, & complementum. Ad explic. Resp. instādo in peccato habituali malo moraliter ratione sui, & tamen, ut dicitur communiter, non prohibetur unicè ratione sui, sed ratione peccati, à quo procedit. Similiter privatio gratiæ ratione sui est mala moraliter, & tamen existentia gratiæ ratione sui non cadit sub præcepto, sed solùm ratione actus disponentis ad illam, aut actus, à quo pendet in conservari. Undè claritatis gratia distinguo illam propositionem. Privatio donorum non est prohibita ratione sui, ly *ratione sui* dicente causam, & motivum prohibitionis, conced. Dicente terminum saltim indirectæ prohibitionis, neg. Quod sufficit, ut sit mala moraliter; sumpta malitia morali in tota latitudine præscindenti, scilicèt, à completa, & incompleta: Et proùt dicit dissonantiam indirectam cum lege; ut supra advertimus cont. Ferre, qua de causa nunquam est concedendum dari culpam

Ad explicationem

sive

sive peccatum speciale ; hæc enim nomina significant malitiam maculantem animam, & illam avertentem à Deo; sed sumi debet malitia estò moralis *pro defectu perfectionis spectante ad lineam moris*, & imputabilis quòad esse, & fieri, voluntati.

§. VII.

Quarta conclusio.

25 DIco quartò: *Probabilior est sententia Illustr. Godoy statuentis malitiam moralem intrinsecam in defectu privativo charitatis, & donorum rectificantium moraliter voluntatem, aliasque potentias participes libertatis.* Hæc conclusio colligitur ex dictis, eam suadent fundam. adducta in antec. Illam suadet ratio maculæ, estò secundariæ, & minùs principalis, quam Div. Thom. concedit privationi donorum, quibus intellectus illuminatur, & voluntas rectificatur; macula enim, ut connotans peccatum, à quo inducitur, est malum de linea morali. Rursùs: Cùm privatio accipiat speciem à forma, qua privat, & ex causa, à qua inducitur; si virtutes dicunt rectitudinem de linea moris, & peccatum, à quo inducitur illarum privatio, est quid morale; etiam privatio est mala moraliter secundùm quòd est voluntariè inducta ex illo. Cùm hoc tamen optimè componitur, talem malitiam, etsi intrinsecam, non esse ita malam, ac est privatio gratiæ; sicuti & ipsa gratia excedit in bonitate supernaturali rectitudinem virtutum: Undè sicuti ob hanc rationem sola rectitudo gratiæ est sanctitas, sola malitia privativa gratiæ est peccatum, & culpa. Componitur etiam, talem privationem esse malam inclinativè, non quidem directè, sed indirectè, per modum removentis prohibens, scilicèt, aufferendo dona, quibus potentiæ perfectè inclinabantur in bonum. Ast non solùm gaudet tali modo malitiæ, sed etiam intrinseca, & subjectivè tali. Admodùm, quo charitas v.g. non solùm est bona moraliter inclinativè, & causaliter; sed etiam gaudet bonitate intrinseca de linea moris, ut cum probabiliori doctrina D. Thom. defendimus dub. 1. *circa infusionem habitus vitiosi*. De quo Illustr. Godoy disp. 19. de Peccatis §. 1. Tom. 1. de causa peccati.

Probatur

§. VIII.

Quinta. conclusio.

DIco quintò: *Privatio virtutum, & donorum, quibus in statu innocentiæ perficerentur posteri, si Adamus non peccasset, præsertim, quæ spectant ad intellectum practicum, voluntatem, & appetitum sensitivum, est mala moraliter.* Patet hoc ex dictis concluſ. præced. Ex hoc autem non infertur, privationem immortalitatis, & aliorum donorum perficientium corpus, esse malam moraliter; siquidèm corpus non est subjectum capax virtutis. An autem privatio vigoris, per quem, ut diximus dub. unic. virtutes subjiciebant voluntatẽ, & appetitum rationi, sit dicenda mala moraliter? Resp. negativè cum proprietate loquendo: Nam talis vigor non esset verè moralis, sed consistebat in quodã modo dominij, quem virtutes, & dona, haberent in tali statu. Undè, sicuti ob hanc rationem privatio gratiæ originalis non dicit specialem malitiam distinctam à privatione gratiæ ut sanctificantis, quamvis gratia originalis in statu innocentiæ haberet specialem modum; ita discurrendum in præsenti. Quòd si teneatur cum PP. Salm. hìc disp. 16. dub. 3. à num. 59. parvulos nascituros cum virtutibus ordinis naturalis, ut sic nascerentur perfecti in linea naturali morali; dicimus, illam privationem esse etiam malam moraliter ob rationem superiùs assignatam. 26

Sed dices 1. Si privatio donorum supernaturalium, quæ consequitur ex peccato originali, est mala moraliter; sequitur, quòd talis malitia perseveret remissa culpa originali; cùm etsi infundantur dona, & virtutes supernaturales, non tamen cum illo modo, quo debentur naturæ humanæ ex promissione divina. Rursùs: Cùm Parvulis perbaptismum remittatur culpa originalis, & non infundantur virtutes naturales: ergo si harum privatio est 27

Instab. 1.

Secundò.

est mala moralitèr, manet in eis aliqua malitia moralis, quod videtur adversari doctrinæ Conc. Trid. sess. 5, can. 5. dicentis: *In renatis per baptismum Deum nihil odire.* 3. Ponamus Deum per baptismum solùm infundere gratiam absque donis, & virtutibus; tùnc casus, non maneret in eis aliqua vera malitia moralis, utpotè sanctificatis, & Deo dilectis; & tamen maneret privatio donorum, & virtutum supernaturalium: ergò hæc non est mala moralitèr malitia intrinseca.

Tertiò.

28 Resp. neg. sequelam: Nàm ut diximus, privatio vigoris, quo fruerentur virtutes, si perseveràsset status innocentiæ, non addebat specialem malitiam intra lineam moris supra privationem virtutum, sed alicuius prærogativæ carentiam. Undè, etsi virtutes non restituantur cum illo vigore, non remanet aliqua malitia; sicuti non remanet: esto non restituatur gratia cum modo speciali, quo gaudebat in statu innocentiæ. Respon. 2. Quòd etsi talis vigor non restituatur in re, benè tamen in iure ad illum: non pro omni statu, sed pro statu gloriæ; quod sufficit, ut ei non imputetur ad culpam, nèc maneat, ut defectus privativus moralis. Ad 2. Resp. Quòd etsi virtutes naturales non restituantur in se, restituuntur eminentèr in collatione virtutum infusarum; & hoc sufficit, ut eius carentia non sit privativa. Rursùs: Quia, ut maneat in ratione privationis carentia alicuius perfectionis, necesse est manere irretractatam; gratia autem est eminentèr retractatio omnis privationis voluntatis; & ideò carentia talium virtutum non manet in ratione privationis moralis; sicuti qui absolvitur à peccato ignorantiæ, manet privatus scientia, sed non voluntariè, nèc in culpa. ta D.Thom. 1.2.q.76.a.2.ad 4. Ad 3. Resp. eodem modo, scilicèt: Privationem alicuius formæ cessare per introductionem huius formæ, vel per exigentiam physicam, & ius ad formam; gratia autem est radix physica virtutum, & donorum: undè estò Deus virtutes non infunderet, non darerur vera privatio culpabilis virtutum. Rursùs; Cùm gratia sit eminentèr retractatio omnis defectus moralis culpabilitèr inducti; ideò non imputaretur ad culpam homini, cui Deus virtutes non infunderet, quibus ex culpa originali mansit voluntariè privatus.

Solutio.

Resp. 2.

Ad 2.

Ad 3.

§. IX.

Corollaria ex dictis.

INferes 1. Verba D.Th. tradita q.4. de Mal. a.5. & alib. in quibus affirmat: *Potentias subditas voluntati, & participes libertatis, ex motione illius recipere sequelam primi peccati secundùm rationem culpæ*; posse congruentèr exponi de ratione culpæ sumptæ pro quolibet defectu privativo morali, etsi per modum proprietatis consecuto ad essentiam culpæ originalis. Constat enim ex hucusque dictis, privationem virtutum, & donorum supernaturalium esse defectum moralem, & obtinere aliquam rationem maculæ intrinsecè, & formalitèr talis; integrantis tamen, & complentis peccatum originale in ratione iniustitiæ, & aversionis à Deo. Explic. hoc sequenti exemp. Quamvis gratia, & sanctitas solùm sit in anima; quia tamen ex illa derivantur virtutes, quibus omnes potentiæ aliqualitèr participantes libertatis, perficiuntur moralitèr, optimo iure, & absque improprietate verificatur: *Omnes præfatas potentias recipere sequelam sanctitatis, & gratia secundùm rationem iustitiæ; cùm recipiant virtutes, & dona, quæ sunt sequela gratiæ: & alias compleant, & illam consument secundùm rationem iustitiæ, & sanctitatis.* Sed tamen sicuti rectitudo moralis, qua gaudent prædictæ vrtutes, estò actù, & formalitèr tallis, non est rectitudo sanctificans, sed proprietas illius, scilicèt, gratiæ; ita dicendum de privatione voluntaria virtutum, & donorum inducta ex peccato, & consecuta ad voluntariam privationem gratiæ.

29 Primum.

Inferes 2. Quòd, etsi ordine generationis, & executionis, peccatum originale perpriùs corruperit intellectum, quàm voluntatem; adhùc tamen salvatur illibata propositio D. Thom.

30 Secundò.

Thomæ hîc quæst. 83. art. 3. ad 3. afirmans, *perprius infeciſſe voluntatem, quàm intellectum.* Ratio primæ partis est: Nam talis infectio, sive corruptio peccati originalis facta est media privatione donorum, quibus potentiæ rationales perficiebantur in statu iustitiæ originalis; unde eo ordine facta est corruptio, quo facta est privatio. Sed ex iustitia originali ut subjicienti animam Deo, proveniebant perprius ordine generationis dona rectificantia intellectum ut practicum medijs, quibus & rectè dirigeret, consiliaretur, & imperaret voluntati: qua de causa à gratia habituali ordine generationis priùs dimanant fides, & dona intellectus, quam charitas, aliæque virtutes infusæ: ergò in tali ordine perprius ortum duxit privatio donorum rectificantium intellectum, quàm virtutum perficientium voluntatem, & alias potentias.

31 Prob. 2. pars.

Ratio 2. partis est. Quia ordine dignitatis, illud est priùs in genere morali, quòd magis de proximo spectat ad lineam moralem; atqui charitas, & aliæ virtutes perficientes voluntatem, magis de proximo spectant ad lineam moralem, quam dona rectificantia intellectum; utpotè illæ proprie, & formalitèr, hæc vero solum directivè, & causalitèr: ergò privatio perfectionum rectificantium voluntatem est perprius in consideratione morali, & prioritate dignitatis, privatione donorum rectificantium intellectum. Ulteriùs: iuxta D. Thom. ibi; illa potentia dicitur perprius infecta peccato originali, quæ perprius inclinat ad peccandum; sed hoc perprius competit voluntati: Nã sola illa est movens quòad exercitium; & sola illa respicit pro termino aversionem à fine, in qua peccatum consistit: ergò.

32 Cuidam instantiæ occurrit.

Nèc obstat, quòd intellectus inclinat voluntatem ad peccandum, media scilicèt propositione obiecti prohibiti. Non inquam obstat: Nàm inclinare ad peccatum stat dupliciter; vel directivè; vel amplectendo peccatum; primum ad intellectum spectat; secundum ad voluntatem, quæ sola respicit bonum, vel malum; & à qua incipit primò peccatum, & ex motione illius acceptantis defectum in intellectu, fit talis defectus peccaminosus, & imputabilis ad culpam. Quòd si dicas, inclinationem ad peccandum perprius convenire appetitui sensitivo, quàm voluntati. Resp. negando assumptum de inclinatione ad peccatum formalitèr acceptum, ùm hoc dicat voluntariam transgressionem legis, & aversionem à fine, quæ solùm primò convenit voluntati, & per consensum voluntatis, fit peccatum actus appetitus tendentis in bonum delectabile.

Inferes 3. Peccatum actuale in voluntate existens perprius causare privationem gratiæ in anima, quam privationem charitatis, aliarumque virtutum infusarum existentium in ipsa voluntate. Ratio est: Nàm charitas, omnesque virtutes, sunt proprietates dimanantes per se à gratia; undè, nisi ipsa perprius deficiat, nequeunt illæ deficere. Deindè: Nàm peccatum actuale eatenùs expellit charitatem, quatenùs per modum obstaculi impedit illuminationem à Deo; sicuti claudens fenestram impedit Solis illuminationem; undè eo ordine, quo Deus illuminat, peccatum impedit talem illuminationem; sed à Deo priùs illuminatur anima per gratiam, quàm perficiatur per charitatem: ergò privatio illius est prior privatione charitatis, aliarumque virtutum. Ex quo infertur peccatum habituale inductum ex actuali, immediatè inhærere animæ.

33 Illatio 3. Prob. 1. Secundò.

Objicies. Quia peccatum originale traducitur per generationem, & anima est terminus primarius illius, infert D. Thom. perprius subiectari in anima, quàm in potentijs: ergò cum inter potentias ab ea dimanantes, perprius sit intellectus, quã voluntas, perprius debet peccatum originale inhærere intellectui, quàm voluntati. Sed hoc est apertè contra D. Th. ubi supra: ergò. Resp. disting. añs. Et quia anima ratione sui est capax culpæ, & mali moralis, conc. añs. Præcisè, quia est terminus primarius, neg. añs. Intellectus autem ratione sui non est capax defectus in se moralis, sed ex motione voluntatis, ad quàm per se primo spectat bonum,

34 Dic. contra dicta.

vel malum morale. Advertendum tamen, quod si sermo fiat de vulneribus ex peccato originali provenientibus, perprius intelligitur vulnus ignorantiæ in intellectu, quàm vulnus malitiæ in voluntate: Attamen hoc non spectat ad infectionem propriè intra lineam moralem; cùm talia vulnera non sint imputabilia ad culpam, manent etiam post baptismum, etsi aliquatenùs curata per gratiam. *Et hæc de hoc dub. applic. Litt. Mag. in 2. distinct. 31.*

§. 14.

DUBIUM I.

IN QVO CONSISTAT CONCVPISCENTIA; quatenús est fomes peccati?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA.

N. 1 Primò. PRimò notandum est, nomen *concupiscentiæ* posse muliplicitèr accipi. 1. pro appetitu sensitivo tendente in bona sensibilia absque aliqua determinatione, sed indifferentèr se habenti ad bonum, vel malum: & sub hac consideratione comprehendit sub se appetitum irascibilem, & concupiscibilem. Secundò potest accipi pro actu secundo talis appetitus sine ulla restrictione. Undè hoc modo comprehendit omnes illius passiones, scilicèt, amorem, & odium, gaudium, & tristitiam, concupiditatem, & timorem &c. Tertiò prtest accipi pro actu potentiæ appetitivæ, sive sensitivæ, sive rationalis, & pròut est idem, àc desiderium. *Concupiscentia* igitur in hoc sensu accepta quandoque accipitur in Sacra Script. in bonam partem; quandoque verò in malam. Primum constat ex illo Psalm. 118. *Concupiscit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Et ad Galatas 5. *Spiritus concupiscit adversus carnem.* Secundum etiam constat ex illo Iacobi 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua.* Et Ecclesiast. 28. *Post concupiscentias tuas, nè eas.* Et Daniel 13. *Concupiscentia subvertit cor tuum.* Sub concupiscentia accepta in malam partem, comprehenditur omne pravum desiderium cuiuscumque obiecti, sive carnalis, sive spiritualis, delectabilis, & utilis: qua ratione avaritia appellatur à D. Ioan. Epist. 1. cap. 2. *Concupiscentia oculorum.*

2 Deniquè. Sumitur concupiscentia pro inordinata dispositione habituali, qua post peccatum Adami sumus proni, & habiles ad appetenda bona sensibilia, & delectabilia contra, vel præter ordinem rationis: quæ quidèm imperfectio non haberet locum in Adamo pro statu iustitiæ originalis, nequè haberet pro statu naturæ integræ integritate, ordinis naturalis. Secundò verò notandum est, in præsenti *concupiscentiam* non accipi pro appetitu sensitivo secundùm se inspecto, & comprehendenti sub se appetitum irascibilem, & concupiscibilem: nèc similitèr pro actibus ab eis provenientibus sine ulla determinatione ad malum, sive ad obiectum contrarium rationi. Similitèr est certum, non accipi pro desiderio, vel quocumque actu etiam inordinato voluntatis: quapropter concupiscentia in præsenti est idem, àc appetitus sensitivus hominis, ut proximè expeditus prævenire rationem, & prorumpere in motus inordinatos. In hoc sensu accepta concupiscentia varijs nominibus solet nuncupari, scilicèt: *Vetus homo, lex carnis, fomes peccati, languor naturæ, sensualitas, & lex membrorum.* His notatis.

§. II.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Fomes peccati quòad sui essentiam, non consistit in actuali motu appetitus sensitivi circa obiectum delectabile contrarium rationi.

3 CONclusio est contra P. Vazquez 3. part. disp. 61. c. 8. n. 48. & disp. 118. cap. 4. num. 45. Prob. ex D. Th. Non agnoscentem alium fomitem peccati propriè dictum, præter motus inordinatos appetitus sensitivi prævenientes rationem, & contra eam insurgentes. Sed oppositum tuentur communitèr Theologi, estque expressa Div. Thom. hic quæst. 82. art. 3. & 3. part. quæst. 27. art. 3. ubi ait: *Fomes nihil est aliud, quam inordinata concupiscentia appetitus sensitivi; habitualis tamen.* Similia docet in 2. dist. 3. quæst. 1. art. 3. ad 2. ergò antecedenter ad motus inordinatos appetitus sensitivi, salvatur fomes peccati, & concupiscentia contracta ex peccato originali. Deindè: Nàm in dormientibus, etiamsi in illis nullus motus inordinatus appetitus sensitivi inveniatur, datur fomes peccati, & concupiscentiæ vulnus contractum ex peccato originali: ergò nequit consistere in aliquo actu, sed in aliquo habitu, vel in aliquo permanentèr se habente. 3. Nàm iuxta Concilium Tridentinum: *In renatis per Baptismum remanet fomes, & concupiscentia*, ita sess. 5. ergò fatendum est, etiam manere in pueris baptizatis; sed in pueris non est actualis motus inordinatus ex parte appetitus sensitivi: ergò fomes peccati non consistit in actu inordinato appetitus sensitivi, sed in illius inclinatione habituali.

4 Quapropter communitèr affirmatur à Theologis fomitem dupliciter posse considerari: scilicet, in actu primo, & in actu secundo. In actu secundo est affectio actualis appetitus sensitivi ad obiectum sensibile contrarium rationi, illam prævenientis, & ad peccatum contrahens. In actu autem primo, dicit appetitum sensitivum expeditum, & quasi proximè dispositum, ut possit prævenire rationem, & contra illam moveri. Quæ distinctio præter authoritatem illam tradentium, & probationes supra adductas, roborari potest ex simili distinctione necessario concedenda in concupiscentia, sive libidine contracta ex peccato originali; hæc enim iuxta Div. August. & D. Thom. hic quæst. 82. art. 4. & quæst. 2. de Malo art. 2. ad 4. & in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 1. & dist. 32. quæst. 1. art. 3. Dividitur in actualem, & habitualem; iuxta quam distinctionem exponit Div. Aug. asserentem *peccatum originale esse concupiscentiam*, dicendo; *intelligendum esse de concupiscentia non actuali, sed habituali*, & tursùs, *eam esse materialitèr peccatum originale, non verò formaliter.* Denique. Vulnera, quæ natura humana contraxit ex peccato originali significant per se aliquid permanens, per quod mansit inordinatè dispositas constatque à paritate ex vulnere physico; non enim dicitur natura vivens physicè vulnerata, nisi propter defectum virtutis, aut vigoris in ipsa habitualitèr permanentem; atqui concupiscentia est unum ex vulneribus contractum ex peccato originali: ergò.

Prob. 2. ex eodē, & M. P.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Non consistit in appetitu sensitivo, ut inclinanti in bonum sensibile.

5 EST contra Durandum in 3. d. 3. q. 3. asserentem fomitem peccati esse ipsam inclinationem nativam appetitus sensitivi in bonum sensibile, sive contrarietur rationi, sive non; hinc infert, fomitem peccati propriè extingui non posse, cum sit ipsa essentia appetitus sensitivi. Sed huiusmodi opinio communitèr rejicitur à Theologis. 1 Nàm in Christo D. non fuit fomes peccati; sed in ipso fuit appetitus sensitivus quòad omnē sui essentiam, & proprietatem: ergò nequit

Prob. 1. cont. Durand.

consistere in tali innata inclinatione ad bona sensibilia. Idem argumentum fit in beatis, in Adamo pro statu innocentiæ, & in B. Virgine post Christi Conceptionem, in quibus nec fuit fomes peccati in actu secundo, nec in actu primo; cũ tamen in eis sit appetitus sensitivus quòad omnem eius innatam inclinationem. 2. Nàm concupiscentia proùt est idem ac fomes peccati, sive lex carnis, ortum duxit ex peccato originali, ut constat ex Concilio Tridentino sess. 5. ergò cum illa innata inclinatio præcesserit peccatum, sitque ab illo independens, nequit concupiscentia in ea adæquatè consistere.

Secundò.

6 3. Prob. ratione desumpta ex D. Thom. q. 4. de Mal. a. 2. ad 4. dicente: *Differt dicere potentem concupiscere, & habilem ad concupiscendum, quod enim aliquis sit potens concupiscere est ex potentia concupiscibili; quod vero sit habilis ad concupiscendum, est ex aliquo habitu, vel ex eo quod per modum habitus se habet.* Ex quibus sic argumentor: Fomes peccati, sive concupiscentia dicit constitutivè habilitatem, & pronitatem ad inordinatè concupiscendum; sed appetitus sensitivus hominis secundùm sui entitatem, non dicit habilitatem, & pronitatem ad inordinatè concupiscendum: ergò fomes peccati addit aliquid supra entitatem, & innatã inclinationẽ appetitus sensitivi. Maior videtur certa. 1. Nàm vulnus malitiæ in voluntate dicit quandam pronitatem, & habilitatem ad malum; aliter enim fuisset in voluntate ante peccatum. 2. Nàm talis pronitas, & habilitas ad motus inordinatos nequit alio nomine propriè insigniri, quàm nomine fomitis peccati. Minor vero prob. Appetitus sensitivus hominis secundùm se tantum dicit, posse inordinatè concupiscere, est enim in genere potentiæ; sed posse inordinatè concupiscere, non est idem ac esse pronum, & habilem ad concupiscendum; ut de se constat, & exemplum voluntatis convincit, in qua differunt posse ad malum, & habilitas, sive pronitas ad malum: ergò.

Tertiò ex D. Th.

7 Confirm. hæc ratio destruendo fundamentum Durandi: Ideò fomes peccati nihil superadderet ad appetitum sensitivum; quia hic innatè inclinat saltim partialitèr, & respicit pro obiecto inadæquato suæ specificationis bonum sensibile, etiamsi contrarietur rationi: sed hæc ratio non probat intentum Durandi: ergò fomes peccati aliquid superaddit ad innatam inclinationem appetitus sensitivi. Probat. min. 1. Inclinatio innata, & respectus transcendentalis potentiæ in obiectum, ut terminum eam inadæquatè specificans, stat sine habilitate, & expeditione potentiæ ad talem terminum: constat hoc in Beatis, quorum appetitus sensitivus specificatur à bono sensibili præscindenti ab honesto, & delectibili; de quo tamen nefas est dicere, esse habilem, & expeditum ad motus inordinatos. Similitèr appetitus sensitivus Christi Domini; de quo tamen dici nequit fuisse expeditum, habilemque ad inordinatè concupiscendum. Sed fomes peccati quòad sui essentiam dicit expeditionem, & habilitatem ad actus inordinatos prævenientes rationem: ergò. 2. Inclinatio innata quàm appetitus sensitivus dicit inadæquatè ad motus inordinatos circa bonum sensibile conforme rationi, stat sine habilitate, & expeditione ad ordinatè concupiscendum; aliàs diceretur appetitum sensitivum hominis post peccatum mansisse habilem, & expeditum ad concupiscendum conformitèr ad rationem; ideòque non mansisse debilem, & infirmum, quod est absurdum: ergò paritèr.

Destruitur motivum Durandi.

8 Hinc apparet inefficacitèr probari, appetitum sensitivum secum identificare fomitem, & concupiscentiam in actu primo, ex eo quod secum identificat innatam inclinationem aptitudinalem ad attingendum bonum sensibile, etiamsi contrarietur rationi. Nàm quemadmodum in quacumque potentia, sive cognoscitiva, sive appetitiva, aliud est posse absolutè in actum, aliud vero posse facilitèr, & cum promptitudine ad illum; cum, hæc facilitas, & promptitudo proveniat ex habitu superaddito potentijs; ita dicendũ de appetitu sensitivo hominis in ordine ad bonũ sensibile

Occurrit alteri motivo.

le rationi contrariam. Potest enim ratione sui in illud tendere; & hoc quidem, quia quælibet potentia est ratione sui potens in omne id, quod sub obiecto specificativo illius continetur: non tamen ratione sui est expeditè, & cum pronitate potens in illud tendere. Cumque fomes peccati (nisi quæstio sit de voce) in hac expeditione, pronitate, & habilitate ad bonum sensibile contrarium rationi consistat; inde fit non consistere in sola entitate appetitus sensitivi, prout inadæquatè inclinat in tale bonum.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Fomes peccati non consistit in aliqua qualitate morbida ex peccato originali contracta.

91 ITa communitèr Theologi contra Ocham 3. quæst. 2. art. 1. & quodlib. 3. quæst. 10. Gabriel in 3. dist. 3. quæst. 2. art. 1. & Almainum ibidem, & Cordubam lib. 1. quæst. 45. Probatur 1. ex dictis Prob. 1. supra dub. 2. de Constitut. §. 2. & 5. ubi probavimus repugnare qualitatem positivam per modum habitus, vel dispositionis in re physicè talem, derivari ad nos ex peccato capitali Adami; cumque certum sit fomitem peccati, sive concupiscentiam existentem in nobis ex tali peccato ortum ducere, planè infertur fomitem peccati in tali qualitate consistere non posse. Unde sic brevitèr suadetur. Repugnat qualitas positiva, cuius non possit assignari aliqua causa efficiens. Sed huiusmodi est qualitas morbida, quam Adversar. contendunt: ergò. Prob. min. Causa huius qualitatis nec est Deus, nec homo per actum proprium, nec peccatum capitale Adami: ergò. Añs. quòad 1. part. constat 1. Nàm huiusmodi qualitas determinatè, sive unicè inclinaret in malum, & induceret de se voluntatem ad peccandum. Sed Deus nequit esse causa efficiens qualitatis modo relato se habentis: ergò. 2. Nàm licet de potentia absoluta possit Deus talem qualitatem causare, sicuti plures probabilitèr tenent de habitu vitioso, attamen de facto, & in præsenti providentia nequit Deo attribui: ergò.

Quòad 2. constat: Nàm fomes peccati derivatur ad parvulos in primo suæ conceptionis instanti, pro quo non sunt capaces operandi liberè. Quòad 3. vero prob. 1. Nàm peccatum capitale Adami fuit actus immanens suæ voluntatis, & in ipsa receptus. Sed actus immanentes hominis, nihil physicum possunt efficere extra proprium subiectum: ergò. 2. & præoccupatur solutio. Actus de se intrinsecè impotens efficere aliquem terminum positivum, nequit absque physica immutatione sui cum sola immutatione purè extrinseca, & morali reddi potens physicè illum producere; sed actus immanens voluntatis Adami est de se intrinsecè impotens physicè producere terminum positivum in subiecto extraneo: ergò nequit physicè illum producere absque sui intrinseca mutatione. Sed pactum, & ordinatio Dei celebrata cum Adamo fuit extrinseca ei, & tantum spectans ad lineam moralem: ergò etiam accedente tali pacto, non potuit causare physicè in posteris qualitatem aliquam morbidam. Videantur dicta supra Tract. 1. dub. 1. §. 7. & Tract. de Constitutivo peccati originalis dub. 3. §. 2. Hæc intelligenda sunt de termino positivo in re physico. 10

Ex his constat fomitem peccati non posse consistere in aliqua qualitate per modum habitus, vel dispositionis. Constat inquam quòad 2. part. Nàm dispositio pronit ab habitu differt, est de se transiens; concupiscentia autem est de se permanens, & solum miraculosè auferibilis. Quòad 1. vero prob. 1. Nàm si esset habitus utique esset malus, ac proindè esset habitus vitiosus, de cuius ratione est, posse excludi per actus virtutis ei contrariè oppositos. Sed fomes peccati nequit sic excludi: ergò nequit esse habitus. Deinde: Nàm de ratione habitus propriè talis est tribuere facilitatē tantum, & expeditionem 11

Non consistit in habitu, aut dispositio.

Probatur

ad operandum. Sed sine fomite peccati non solum non adest facilitas ad inordinatè concupiscendum, verum nec potentia proximè expedita, ut constat in Christo Domino carente fomite peccati: & propter hoc appetitus illius impotens proximè expeditè rebellare rationem: ergò. Denique: Nam iuxta communem Philosophorum doctrinam unicus actus remissus impotens est generare habitum. Sed peccante Adamo medio actu, etsi valdè remisso derivaretur ad nos fomes peccati, cum carentia iustitiæ originalis: ergò.

12 Nec huic obstat, quod iuxta Div. August. lib. 6. contra Iulianum cap. 18. & lib. de Nupt. cap. 25. *Concupiscentia contracta ex peccato primi Parentis est vitium naturæ, languor, & affectio pravæ qualitatis*; sed hæc omnia denotant aliquam qualitatem positivam: ergò. 2. Nàm iuxta Div. Thom. hic quæst. 88. art. 1. & 2. *Peccatum originale materialitèr dicit inordinatam dispositionem virium animæ.* Sed omnis dispositio inordinata, si sit permanens, est idem, ac habitus pravus: ergò concupiscentia se habens de materiali in peccato originali, consistit in aliquo habitu: propter quæ dixisse videtur Ang. Doct. art. 1. citato: *Peccatum originale esse habitum corruptum.*

Ex M. P. & S.D.

13 Sed ab hoc ultimo incipiendo, manifestum est in doctrina D. Thom. concupiscentiam non esse aliquem habitum. Constat 1. ex art. 1. iam citato: Nàm distinguens Angel. Præcep. inter habitum, quo potentia inclinatur ad agendum, & inter habitum consistentem in ordinata dispositione partium alicuius naturæ, ait: peccatum originale non esse habitum primo modo, seb secundo. At qui fomes peccati si esset habitus proculdubiò esset habitus inclinans appetitum sensitivum ad inordinatè agendum: ergò. Rursùs: Nàm quæst. 4. de Malo art. 2. ad 4. hæc habet: *Concupiscentia habitualis potest dici dupliciter, uno modo aliqua dispositio, vel habitus inclinans ad concupiscendum: sicuti si in aliquo ex frequenti concupiscentia actuali causaretur habitus concupiscentiæ: & sic concupiscentia non dicitur peccatum originale. Alio modo potest intelligi concupiscentia habitualis ipsa pronitas, vel habilitas ad concupiscendum, quæ est ex hoc, quòd appetitus concupiscibilis non perfectè subditur rationi sublato fræno originali: iustitiæ. Et hoc modo peccatum originale materialitèr loquendo dicitur concupiscentia habitualis.* Quo nihil clariùs.

Prob. S. D. oppositum tenentes.

Ad testimonium D. Thomæ Resp. ex his quæ diximus dub. 3. de Constitutivo peccati originalis num. 15. nomine inordinatæ dispositionis non intelligere D. Thom. aliquid verè positivum superadditum potentijs, sed ipsam destitutionem vigoris subjicientis appetitum rationi; quæ dicitur dispositio, & habitus non quantum ad omnia, sed quantum ad duo prædicata, quæ sunt propria illorum, scilicèt, permanentiam, & disconvenientiam cum natura rationali. Ad authoritatem Augustini Resp. Concupiscentiam appellari vitium, & affectionem malæ qualitatis virtualitèr, & quantum ad effectum; quia ita malè, & disconvenientèr se habet cum ipsa natura rationali, ac in rebus naturalibus se habet quælibet natura, dùm afficitur qualitate opposita suæ inclinationi, & illam retardanti à sua propria operatione in quam inclinat. Ex quibus colliges illam dictionem, scilicèt, *habitualis*, quam D. Thom. sæpè attribuit concupiscentiæ, & libidini; non significare aliquid, quod sit habitus superadditus appetitui sensitivo, sed permanentiam, & expeditionem ad inordinatè concupiscendum. Cumque hæc duo sint propria habitus propter similitudinem, & convenientiam in his prædicatis, appellatur à D. Thom. fomes peccati, libido, concupiscentia habitualis.

14 Resp. ad testim. ex D. Thom

Ad testimon. ex S. August.

§. V.

§. V.

QUARTA CONCLUSIO.

Carentia iustitiæ originalis, vel cuiuslibet alterius doni perfectè subjicientis appetitum rationi, requiritur necessariò ad constitutionem fomitis peccati.

15 ITa expressè D. Thom. in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 3. ad 2. & quæst. 4. de Malo art. 2. ad 4. & in solutione ad 7. per hæc verba: *Concupiscentia contracta per originem, nihil est aliud quam destitutio inferiorum virium à retinaculo rationis.* Et probatur ratione desumpta ex eius doctrina. Fomes peccati dicit in sui constitutione pronitatem, & habilitatem appetitus sensitivi ad inordinatè concupiscendum; sed huiusmodi pronitas, & habilitas essentialiter includit carentiam doni subjicientis perfectè appetitum rationi: ergò. Prob. min. Pronitas, & habilitas ad inordinatè concupiscendum, dicit in sui constitutione carentiam illius, quod impedit, & inhabilitat appetitum sensitivum, ut inordinatè concupiscat; sed huiusmodi est iustitia originalis, & quodlibet aliud donum subjiciens perfectè appetitum rationi: ergò. Explicatur hoc. Fomes peccati essentialiter dicit appetitum sensitivum effrænem, sive potentem rebellare rationi. Sed appetitum sensitivum esse effrænem, & potentem expeditè rebellare rationi, dicit essentialiter carentiam doni frænantis ipsum, & detinentis ne rationi rebellet: ergò.

Prob. ex D. Thom

Explicat.

16 Confirm. Etsi enim denominatio potentis absolutè ad aliquem actum, non includat in sui constitutione essentiali carentiam alicuius formæ; oppositum vero multotiès contingit in denominatione potentis expeditè, & habilitèr ad aliquem actum; constat hoc in denominatione potentis expeditè ambulare, ad quam essentialiter requiritur carentia cuiuslibet impedimenti ligantis hominem, nè currat. Idem dicendum de lapide, ut sit habilis, & expeditus moveri in centrum, ad quam denominationem necesse est ab illo removeri omne impedimentum motum deorsum retardans. Cum ergò fomes peccati non constitat essentialiter in appetitu sensitivo, & præcisse potente concupiscere, sed in ipso, ut expedito, prono, & habili ad concupiscendum contra rationem; ideò, etsi ad denominationem absolutè potentis non requiratur carentia iustitiæ originalis, secùs tamen ad constitutionem fomitis, & concupiscentiæ residentis in ipso.

Confirm.

§. VI.

Instantia contra dicta, & eius responsio impugnatur.

SEd contra dicta objicies. Inclinatio habitualis appetitus sensitivi in bonum delectabile præter, aut contra ordinem rationis, est quid positivum. Sed nihil positivum insui constitutione essentiali includere potest aliquid negativum: ergò talis inclinatio, in qua essentia fomitis consistit &c. Mai. præterquamquod ex ipsa significatione terminorum videtur certa, prob. 1. Inclinatio, & propensio habitualis, tùm voluntatis, tùm appetitus sensitivi, quatenùs aptus natus est obedire rationi, in bonum conforme rectæ rationi, est quid positivum: ergò &c. Secundo. Motus actualis in obiectum delectabile præter, aut contra ordinem rationis est quid positivum: ergò & causa, à qua effectivè provenit. Sed huiusmodi est inclinatio, & propensio appetitus sensitivi: ergò.

17 Argues.

Nec prodest dicere, inclinationem appetitus sensitivi in bonum delectabile, posse considerari dupliciter, vel ut proximè expeditam ad motus inordinatos; vel ut præscindentem ab expedita, & impedita. Si hoc secundo modo considereretur, verum est esse aliquid positivum; si tamen primo modo accipiatur, est partim quid positivum, & negativum. Cùmque fomes peccati constitat in inclinatione appetitus sensitivi, ut proximè expedita; ideò in

18 Refertur quædam responsio

sui constitutione includit carentiam iustitiæ originalis, aut alterius doni subjicientis perfectè appetitum rationi.

19 Non inquam prodest 1. propter dicta, illa instaurando; siquidem inclinatio expedita, tùm voluntatis, tùm
Impug. 1. etiam appetitus sensitivi in motus rationi conformes, est quid positivum: ergò similiter inclinatio appetitus sensitivi, ut expedita ad motus inordinatos, est quid positivum. 2. Motus
Secundò. inordinati appetitus sensitivi procedunt ab appetitu sensitivo, non utcumque accepto, sed ut proximè expedito ad ipsos: ergò si tales motus sunt quid positivum, appetitus etiam sensitivus, ut proximè expeditus, debet esse quid positivum. Conseq. patet: Nàm causa ea ratione, qua influit in effectum positivum, debet esse quid positivum. Tertiò, & urgentiùs. Dùm dicitur, inclinationem appTertio. peritus, ut expeditam, dicere aliquid negativum; vel dicitur, talem expeditionem esse adæquatè quid negativum: vel partim quid positivum, & quid negativum? Si primum: ergò expeditio appetitus sensitivi ad motus inordinatos adæquatè consistit in carentia iustitiæ originalis. Sed fomes peccati est formaliter prædicta expeditio: ergò fomes peccati consistit adæquatè in carentia iustitiæ originalis. Quod videtur prorsùs falsum. Si secundum: ergò cùm fomes peccati consistat in tali expeditione superaddita appetitui sensitivo quòad sui entitatem, necesse est fateri, ex peccato originali derivatum fuisse aliquid positivum, in quo adæquatè consistat fomes peccati. Cùmque hoc positivum debeat esse aliqua qualitas, incidimus in sententiam impugnatam §. antec. Ut argumentum hoc plenè fovatur, placet aliquas conclusiones in sequentibus statuere.



§. VII.

QUINTA CONCLUSIO PRO SOLUTIONE instantiæ, & pro alijs materijs.

Quoties aliqua potentia supponitur proximè impedita ad aliquem actum, ut intelligatur proximè expedita ad illam, necessario debet intelligi exclusio, sive carentia talis impedimenti.

20 COnclusio est omninò certa, solumque indiget explicatione. Dupliciter enim potest intelligi potentiam aliquam esse habilem, & Explicat. & prob. expeditam ad actum: uno modo absolutè, & præscindendo ab eo, quod antecedenter extiterit inhabilis, & impedita ad talem actum; alio modo: per transitum de statu inhabilitatis, & impeditionis ad statum habilitatis, & expeditionis. Constat hæc diversitas in homine, qui modo est expeditus ad currendum, & antecedenter erat impeditus medijs catenis ad cursum; & in homine, qui modo est expeditus ad cursum; & tempore antecedenti nullum habuit impedimentum, sive ligamen, ut curreret. Licet ergò ex terminis loquendo carentia impedimenti impedientis potentiam ad actum, non requiratur ad constitutionem illius in esse habilis, & expeditæ ad ipsum; secùs tamen quando talis potentia transit de proximè impedita, ad proximè expeditā. Ut videre est in homine ligato catenis; in quahypothesi nullus negabit carentiā talis ligaminis necessario debere præintelligi, ut prædictus homo sit proximè expeditè potens ad currendum. Id ipsum constat in eo, qui ratione visionis beatæ v. g. esset impotens antecedenter peccare; cuius carentia necessariò deberet præintelligi, ut post esset potens antecedenter ad peccandum; idemque dicendum de lapide detento supra columnam, cuius remotio est necessaria, ut sit expeditus motus deorsum.

Hinc dignoscitur, cùr fomes 21
peccati, quem contraximus ex peccato primi Parentis, necessariò requi-

ta t

Applicat. doctrina præsenti puncto.

rat carentam iustititiæ originalis, per quam appetitus sensitivus esset subditus rationi. Nàm cùm ex Dei promissione naturæ humanæ esset debita talis iustitia, aliaque dona, à quibus proveniebat talis subiectio, proindè que attenta divina ordinatione appetitus sensitivus naturæ humanæ erat proximè impeditus,& inhabilis ad rebellandum rationi, ut postmodùm intelligatur cum pronitate, & habilitate ad motus contrarios rationi, necesse est intelligere illum denudatum, & privatum dono iustitiæ originalis. Admodùm, quo necessitas moriendi in primo Parente post illius peccatum subsecuta est ad privationem iustitiæ originalis. Quia cùm ante peccatum fuerit à Deo constitutus sine tali necessitate,& cum potestate ad non moriendum; non incurreret necessitatem moriendi, nisi præintellecta carentia immortalitatis sibi gratuitò concessæ. Et ut magis ad propositum loquamur: Admodùm quo Equus perfectè detentus fræno, nè ruat in præceps, ut sit expeditus ad se præcipitandum, necesse est præintelligi in illo carentiam fræni, quo priùs detinebatur.

Hæc autem carentia, quæ supposita præsenti providentia necessaria
22 est, ut appetitus sensitivus sit in actu primo rebellis rationi, non consistit præcisè in non habere iustitiam originalem; sed est carentia dicens exclusionem, & remotionem talis iustitiæ habitæ perpriùs saltim in iure. Qua ratione necessariò appellatur à D. Thom. ubi supra, *destitutio iustitiæ originalis, ut perfectè subjicientis appetitum rationi.* Ubi innuit esse carentiam privativam alicuius perfectionis debitæ ex ordinatione divina. Nemo enim dicitur destitui cum proprietate, nisi aliquod ius habeat ad donum, quò destituitur, sive spoliatur. Ex quo apparet, quòd etiamsi homo conditus in puris naturalibus haberet appetitum rebellem rationi, (ut communiter tuentur Theologi cõtra unum, vel alterum Doctorem) & appetitus illius, ut rebellis includeret carentiam doni gratuiti illum perfectè frænantis; adhuc esset diversitas respectivè ad præsentem providentiam. Nàm carentia illius doni esset negativa consistens in non habere tale donum; carentia vero, quæ requiritur in præsenti providentia est carentia exclusiva; & remotiva doni perpriùs saltim ex iure divinæ ordinationis habiti.

Iuxta hanc doctrinam facilè percipitur illa, quam tradit D. Thom. q. 4. de Malo a. 2. ad 4. ubi asserit: 23
Habilitatem ad aliquem terminum quã doque provenire ex aliquo habitu, vel forma positivè inclinante; quadoque vero ex privatione. Exemplum 1. ponit in lapide ratione suæ gravitatis positivè inclin. in centrum. Secundi autem in Equo, qui rupto fræno, præcipitanter currit; & in hoc secundo ordine collocat habilitatem, & pronitatem appetitus sensitivi ad motus inordinatos provenientem ex privatione iustitiæ originalis. Percipitur, inquam, quia licet ex terminis loquendo, habilitas ad aliquem motum non requirat, nec constitutivè, nec antecedenter aliquam privationem; si tamen potentia supponatur positivè impedita ad talem motum, necessariò debet præintelligi privatio, & exclusio impedimenti, ut sit habilis, & expedita. Cum igitur natura humana propter iustitiam originalem esset quòad appetitum sensitivum perfectè subdita rationi, ideò ut in tali appetitu existeret fomes peccati, necesse est præintelligi in ipsa carentiam privativam iustitiæ originalis.

Percipitur quædã doctrina S. Doct.

Ex dictis apparet pervia solutio 24
ad argumentum §. antec. propositum. Admittimus enim libenter, expeditionem, & habilitatem appetitus sensitivi esse quid positivum, sicuti est inclinatio in bonum delectabile; ex hoc autem solùm probatur, eam non constitui per privationem iustitię originalis; secùs verò talem privationem non debere præintelligi saltim, ut removens prohibens, ad existentiam talis habilitatis, & expeditionis: Nàm licèt nihil positivum, quod semper extitit expeditum, non pendet ab aliqua privatione; positivum tamen quòd fuit perpriùs impeditum positivè, ut postea existat cum expeditione, necessariò prærequirit carentiam, & remotionem talis impedimenti. Constat hoc manifestè in lapide modo expe-

Resp. ad instantiã.

dito

dito ad descensum, & perprius impedito; & in homine perprius ligato catenis, & modo expedito ad currendum. In quibus omnibus habilitas, & expeditio ad motum quid positivum est; & tamen ut sint, & denominentur expediti, præintelligi debet carentia impedimenti, non ut constituens, sed ut removens prohibens. Per hanc solut. subsistit veritas concluſ. §. 5. propositæ, in qua loquimur de fomite peccati iuxta præsentem providentiam, & non determinamus modum, quo talis carentia ingreditur, an scilicèt in rectò, & per se, an in obliquo, & ut removens prohibens.

25 Ex dictis inferes 1. Supposita sententia communi Theolog. asserenti, hominem conditum in statu puræ naturæ (ut fuit possibile) habiturum fomitem, sive concupiscentiam, per quam appetitus rebellaret rationi; non dari diversitatem formalem, aut substantialem ex parte concupiscentiæ respectivè ad illam, quam de factò contraximus ex peccato originali. Ratio est manifesta: Nàm illa, ut diximus, consistit in appetitu, ut habili, & expeditos ad motus inordinatos; sed appetitus est idem; habilitas etiam; cùm sit circa eosdem motus, à quibus, tanquàm à termino, accipit suam speciem: ergò utraque concupiscentia est eadem formalitèr. Rursùs: Nàm causa per accidens, & removens prohibens, non inducit diversitatem formalem in effectu; sed diversitas, quæ invenitur in concupiscentia modo contracta, tantùm dicit diversitatem ex parte causæ per accidens influentis, scilicèt, peccatum primi Parentis, à quo provenit: ergò. Id ipsum suadet paritas mortalitatis, quam modo contraxit natura humana, & qua gauderet in statu puræ naturæ: quæ profectò est eiusdem rationis cum diversitate penès pœnam, & defectum naturalem consecutum ad naturam ex contrarijs qualitatibus compositam.

Illatio 1. ex dictis.

26 Hinc inferes 2. *Fomitem peccati non dicere essentialitèr, & per se carentiam privativam, & exclusivam iustitiæ originalis.* Patet hoc: Nàm effectus eiusdem rationis petit causas per se eiusdem rationis: ergò si in utroque statu est formalitèr eiusdem rationis; si in statu naturæ talem exclusionem non expoſcit, per se loquendo non expoſcit. Constat hoc ex ipsa mortalitate contracta, & alijs erumnis. Dixi *essentialitèr* in sensu absoluto; si enim fiat suppositio de statu innocentiæ, in qua condita fuit natura humana; tùnc enim *essentialitèr* dicit exclusionem iustitiæ originalis; sicuti lapis ex suppositione, quòd sit impeditus ad motum deorsùm, essentialitèr requirit carentiam impedimenti, ut sit proximè expeditè potens moveri deorsùm.

Secunda.

§. VIII.

SEXTA CONCLUSIO.

Fomes peccati non consistit formalitèr in privatione doni integritatis subjicientis appetitum rectæ rationi.

27 OPpositum tuentur PP. Salmant. hic disp. 16. dub. 4. à num. 82. referentes pro se Curiel, Montesinos, & alios. Sed pro nobis stat Illust. Godoy tom. 3. in 3. part. disp. 32. num. 24. Ripalda contra Bai. disp. 9. à num. 9. aitque esse communem inter Theologos. Prima ratio formatur ab inconvenienti sub hac forma. Si fomes peccati diceret pro forma constitutiva carentiã iustitiæ originalis, esset à Deo ut causa per se; cum sit iuxta AA. causa per se carentiæ originalis iustitiæ; sed falsum est, fomitem peccati formalitèr esse à Deo ut causa per se: ergó. Minorem negant Adversar. sed quia de hoc expresè agemus in sequentibus; ideò aliter prob. concl. Ex D. Th. in 2. dist. 32. quæst. 1. ar. 2. in corp. ubi reddens rationem, cùr post remissionem maculę originalis in baptismo, maneat concupiscentia, & aliæ pœnalitates, remissa tamen pœna damni, sic ait: *Manet necessitas moriendi, passibilitas, rebellio carnis ad spiritum, quia hæc omnia ex principijs naturæ causantur, & consequuntur totam speciem, nisi miraculosè aliter contingat.*

Prima ratio probativa.

28 Ex qua authoritate sic arguo.

Si

Si fomes peccati in privatione iuſtitiæ originalis conſiſteret, tanquàm in forma ipſum conſtituenti; privatio talis iuſtitiæ cauſaretur ex principijs naturæ humanæ, totamque ſpeciem conſequeretur; ſed hoc aſſerere eſt prorsùs falſum: ergò privatio iuſtitiæ originalis, ut ſubjicientis appetitum rationi, non eſt forma conſtituens fomitē peccati. Mai. videtur certa: Nam conſtitutum, & coſtitutivum eaſdem cauſas, & principia reſpiciunt. Min. etiam cōſtat. 1. Quia privatio talis doni fuit pœna peccati. Tū quia licèt natura humana ex ſe non habeat iuſtitiam originalem ſubjicientem appetitum rationi; non tamen ex ſe habet eſſe tali iuſtitia privatam, ut eſt evidens. Explic. hoc, & confirm. exemplo adducto à Div. Thom. Ita conſequitur ad naturam humanam per ſe loquendo rebellio carnis ad ſpiritum, ſicuti conſequuntur paſsibilitas, & mortalitas. Sed quia hæc per ſe ad naturam humanam conſequuntur, falsò diceretur, paſsibilitatem, & mortalitatem conſiſtere formalitèr in carentia iuſtitiæ, per quam anima ſub ſe continebat corpus, ipſumque à morte, & paſsione præſervabat: ergò ſimilitèr dicendum de rebellione carnis ad ſpiritum.

Explicat.

29 Confirm. Privatio iuſtitiæ originalis ſolùm eſt cauſa fomitis peccati per modum removentis prohibens; ſed huiuſmodi cauſa non ſpectat ad conſtitutionem effectus tanquàm ratio formalis: ergò privatio non eſt ratio formalis, in qua fomes peccati conſiſtat. Min. conſtat, & mai. prob. 1. Nàm privatio iuſtitię originalis fuit cauſa fomitis, & rebellionis carnis ad ſpiritum eo modo, quo fuit cauſa paſsibilitatis, & mortalitatis; ſed huius tantùm fuit cauſa removens prohibens, ut eſt certum, & traditur expreſsè à Div. Thom. hic quæſt. 85. a. 5. ergò. 2. Privatio iuſtitiæ originalis ſolùm eſt cauſa fomitis, quatenùs per illam removetur iuſtitia, quæ impediebat, nè in appetitu eſſet fomes, & rebellio adversùs ſpiritum: ergò.

Carentia iuſtitię ſolū eſt cauſa removens.

30 Urgetur: Natura humana eſt de ſe mortalis, quia ſecundùm ſibi intrinſeca componitur ex cōtrarijs qualitatibus: ergò ſimilitèr eſt de ſe ſecundùm appetitum ſenſitivum rebellis rationi, quia componitur ex appetitu ſenſitivo, & rationali. Sed hoc ipſo privatio iuſtitiæ originalis tantùm eſt cauſa fomitis per modum removentis prohibens: ergò. Prob. min. ſubſum. Quando in aliqua natura datur de ſe ſufficiens principium ad aliquam perfectionem, aut imperfectionem, ſi carentia talis perfectionis, aut imperfectionis provenit ex quo talis natura eſt impedita, carentia huius impedimenti non eſt cauſa per ſe, ſed removens prohibens: ergò ſi natura humana de ſe habet, quòd eius appetitus rationi rebellet; & hæc rebellio fuit impedita per iuſtitiam originalem; privatio talis iuſtitiæ ſolùm per accidens removendo prohibens erit cauſa fomitis peccati.

Urgetur.

2. prob. concluſ. Concupiſcentia, quam modo contrahit natura humana ex peccato originali, non differt ſubſtantialitèr ab illa, quam haberet, ſi condita fuiſſet in puris naturalibus; ut conſtat ex ſuperiùs dictis num. 25. Et ratio apud Adverſ. eſt manifeſta; cùm tantùm ſit inclinatio ad motus inordinatos pro materiali; quæ etiam eſſet in ſtatu puræ naturæ: ergò conſtitutivum utriuſque eſt idem formalitèr. Sed concupiſcentia conveniens appetitui ſenſitivo in pura natura, non conſiſteret in carentia iuſtitiæ originalis; ſed conveniret ei ab intrinſeco per modum defectus naturalis: ergò privatio iuſtitiæ originalis non conſtituit formalitèr concupiſcentiam peccati. Explicat. Licèt mortalitas conveniens modo naturæ humanæ, ſit effectus privationis iuſtitiæ originalis; non tamen differt intrinſecè à mortalitate, quam haberet in puris naturalibus; quare ſolùm eſt diverſitas extrinſeca conſiſtens in eò, quòd tùnc caſus eſſet defectus naturalis; modo verò ſuppoſita conditione primi ſtatus eſt effectus, & pœna peccati; ergò idem dicendum de concupiſcentia.

31 Secunda ratio.

Explic.

§. IX.

Solvuntur argumenta.

32 OBjicies ex Div. Thom. quæst. 4. de Malo a. 2. ad 7. dicente: *Concupiscentia contracta per peccatum nihil est aliud, quàm destitutio virium inferiorum à retinaculo rationis.* Sed talis destitutio est privatio iustitiæ originalis: ergo in hac privatione, & non alio consistit ratio concupiscentiæ.

Arg. 1.

Confir. 1. Confirm. 1. à ratione: Id, quo præcisè intellecto intelligitur fomes peccati, est eius constitutivum; sed præcisè intellecta privatione iustitiæ originalis, per quam appetitus sensitivus erat perfectè subditus rationi, intelligitur in illo fomes peccati: ergò. Prob. min. Præcisè intellecta tali privatione, intelligitur appetitus pronus, & habilis ad motus inordinatos; siquidèm non ob aliud deerat pronitas, & habilitas ad ipsos, nisi ob donum iustitiæ originalis: ergò. 2. Fomes peccati consistit formaliter in eò, à quo provenit appetitum esse expeditum, & pronum ad inordinatè concupiscendum; sed hæc pronitas, & expeditio convenit ipsi, non ex aliquo habitu, sed ex privatione iustitiæ originalis, ut ibi docet S. Doct. ergò.

Secundò.

33 3. Iuxta Div. Thom. loco citat. ita se habebat appetitus sub ligamine iustitiæ originalis, sicuti Fera alligata vinculis, nè ruat in præceps. Sed ut Fera maneat expedita ad præcipitium, sufficit intelligere in ea carentiam vinculi illam ligantis: ergò ut intelligatur appetitus pronus, & expeditus ad inordinatè concupiscendum, sufficit privatio iustitiæ originalis: ergò cùm ratio concupiscentiæ non sit entitas appetitus, relinquitur, ut in tali privatione eius essentia consistat. 4.

Tertiò.

Quartò. Iuxta Concil. Trid. sess. 5. Concupiscentia consistit in illo, quod ex peccato Adami contraximus; sed ex tali peccato nihil positivum contraximus per modum habitus, aut qualitatis pravè afficientis appetitum: ergò solū potest consistere in privatione doni subjicientis appetitum rationi. Deniq.

Ultimò. Fomes peccati est formaliter expeditio appetitus admotus inordinatos; sed hęc expeditio est carentia impedimēti adipsos: ergò fomes peccati est carētia doni, per quod appetitus erat impeditus ad tales motus. Sed hoc donum spectabat ad iustitiam originalem: ergò fomes peccati pro formali est privatio iustitiæ originalis; licèt materialiter includat entitatem appetitus.

Hæc fundamenta si attentè inspiciantur, probant mortalitatem, & passibilitatem, quam ex peccato primi Parentis contraximus, consistere pro formali in carentia iustitiæ originalis; quòd concedere prorsus à ratione alienum videtur. Probant etiam, expeditionem lapidis detenti in columna, esse formaliter carentiam columnæ; ac proinde non esse puram conditionem, aut concurrere per modum removentis prohibens, ut lapis sit expeditus, & habilis ad motum. Unde ad authoritatēm Div. Thomæ Resp. Illum loqui de concupiscentia ex parte causæ, à qua proximè originatur; hanc enim fatemur esse carentiam iustitiæ originalis; non vero loqui de concupiscentia ex parte rationis, sive causæ formalis, in qua eius essentia consistat. Ratio huius expositionis est: Nam iuxta ipsum Sanct. Doct. essentia concupiscentiæ (in eo sensu quo dici potest essentiam habere) est inclinatio prona, & habilis ad motus inordinatos, quæ consequitur ad naturam humanam, si sit destituta iustitia originali; si autem talis habilitas esset formalissimè ipsa privatio; cum hæc ad naturam humanam non consequatur, nec in ipsa originem habeat; restat ut eatenùs appelletur fomes privatio iustiæ, quia ex hac ortum duxit ut à causa, vel conditione, necessariò requisita.

34 Ostēditur inefficac. probat.

Ad testimon. D. Th. Resp.

Ad 1. confirm. neg. min. & illius probationem. Nàm sicuti non ob aliam causam appetitus non erat habilis ad concupiscendum, quam ob iustitiam originalem, ita non ob aliam erat homo sine necessitate moriendi, quam ipsam ob iustitiam; & tamen ex hoc non licet inferre mortalitatem, in quam incurrimus ob peccatum, consistere formaliter in privatione iustitiæ originalis. Imò probatio ipsa manifestè pugnat con-

35

tra

tra se: Nàm si iustitia originalis formaliter destruebat pronitatem, & habilitatem appetitus ad inordinatè concupiscendum; hæc pronitas nequit formaliter esse ipsa privatio iustitiæ; quia esset dicere: *Iustitiam originalem destruere formaliter fomitem peccati, sive pronitatem appetitus, quia destruit formaliter privationem sui.* Quod est petitio principij. Aliud ergò est formaliter pronitas præter privationem. Explicatur hoc: *Si humanitas dimitteretur à Verbo, esset potens antecedenter peccare.* Nùnc arguo sic: Intellecta præcisè in humanitate carentia unionis, intelligitur potens antecedenter peccare: ergò potentia hæc formaliter consistit in carentia unionis. Mala conseq. Nàm antec. debet distingui hoc modo: *Præcisè intellecta carentia unionis, ut removente prohibens,* conc. antec. *Præcisè intellecta, ut causa formali potentiæ antecedentis ad peccandum,* neg. anteced.

36 Nèc obstat, quòd si iustitia originalis erat id, per quod unicè deficiebat fomes peccati; hoc ipso carentia iustitiæ erit formaliter ipse fomes peccati. Non inquam obstat. 1. Nàm unio hypostatica est id, per quod deficit ab humanitate, tùm potentia proxima peccandi; tùm fomes peccati; & tamen ex hoc non licet inferre pro casu defectus unionis hypostaticę, potentiam proximam peccandi, & fomitem peccati consistere in tali carentia unionis, tanquàm in constitutivo formali. 2. Nàm licèt aliquid possit esse causa, ut deficiat in subiecto denominatio; eò quòd deficiente aliquo requisito ad illā, necessariò deficit; non tamē eius positio, aut defectus est causa formalis, ut ponatur talis denominatio; sicuti defectus actionis unientis materiam cum forma sufficit, ut deficiat formam informare; & tamen informatio formæ non consistit formaliter in actione unitiva. 3. Nàm illa propositio: *Causa unica, ut deficeret appetitui sensitivo fomes peccati, erat iustitia originalis,* duplicem sensum potest facere; vel ita ut denotet causam extrinsecam, & quasi effectivam talis defectus; vel causam formalem intrinsecam. Prædicta propositio solùm est vera in primo sensu; non tamen in secundo; cum defectus formalis intrinsecus fomitis peccati sit quid negativum, scilicèt, non esse ipsius. Sed ex primo nihil concluditur: Nàm columna detinens lapidem est causa, à qua unicè activè provenit carentia motus in lapide; & tamen talis motus non consistit formaliter in remotione columnæ.

Instabis.

Resp. 1.

Secundò.

Ad 2. confirm. dist. mai. A quo provenit, tanquàm à forma, conced. mai. Tanquàm à causa, subdist. Tanquàm à causa per se tali, permit. mai. Ut à causa per accidens removente prohibens, neg. mai. & cum eadem min. dist. neg. conseq. Nèc amplius intendit Div. Thomas, ut constat ex exemplis, quibus utitur, scilicèt: *Carentia fræni detinentis Equum, nè ruat in præceps*: & tamen ex hoc non sequitur, potentiam expeditam Equi ad se præcipitandum consistere formaliter in tali carentia: ellò sit conditio necessariò requisita. Per quæ constat ad 3. confirm. Ad probationem ex Trident. Resp. Fomitem, sive concupiscentiam consistere in illo, quod contraximus ex peccato primi Parentis, non tanquàm effectus per se illius, sed tanquàm effectus per accidens: Nàm iuxta idem Concil. etiam passibilitatem, mortalitatem, aliasque ærumnas contraximus ex peccato primi Parentis; quin ex hoc liceat inferre, illas formaliter in privatione iustitiæ originalis, per quam homo ab his omnibus præservabatur, consistere.

37 Ad 2.

Ad 3. & 4.

Ad ult. Ad ultim. Resp. Expeditionem appetitus ad motus inordinatos ex terminis non consistere in carentia exclusiva impedimenti ad prędictos motus. Tùm quia in pura natura daretur talis expeditio; & tamen constitutio fomitis peccati pro tali statu non consisteret formaliter in tali carētia. Tùm quia talis habilitas, & expeditio ortum habet ex ipsa natura hominis constantis ex appetitu sensitivo; cui connaturale est per modum defectus prævenire rationem in suis motibus aliquando; & ob defectum plenæ subiectionis ad rationem, inclinare in bonum adversum multotiès rationi. Quapropter de expeditione appetitus ad motus inordinatos dupliciter possumus loqui. Primò de expeditione con-

38

conveniente illi post impeditionem in statu innocentiæ; vel absolutè. In primo sensu expeditio dicit essentialitèr carentiam integritatis; licèt non ut constitutivum formale; benè verò ut conditionem prærequisitam. At verò expeditio ex terminis est quasi quid positivum pro rectò, licèt essentialitèr includat carentiam cuiuslibet impedimenti; includat, inquam, tanquàm quid consecutum ad ipsam expeditionem. In hoc enim nulla est specialis difficultas militans pro constitutione fomitis peccati; sed est frequens in pluribus alijs materijs: *An*, scilicèt, *potentia aliqua, ut expeditè potens in suos actus, constituatur adæquatè, vel saltim inadæquatè per carentiam impedimenti ad illos*? Restabat exprimere propriam mentem statuendo, in quo formalitèr consistat fomes peccati. Sed de hoc oportuniùs dubio sequenti. *Et hæc de hoc dub. applic. Litt. Mag. in 2. dist. 30. §. Nomine concupiscentiæ. Et distinct. 32. §. 1. 3. & 4.*

DUBIUM II.

AN DEVS SIT CAVSA PROPRIE per se fomitis peccati?

N. 1 MInimè audiendus est Iulianus, qui ponebat, libidinem, seu concupiscentiam esse bonam, & adeò bonam, ut eam Deus primis Parentibus concesserit, tanquàm munus, & beneficium pro fœlicitate Paradysi terrestris. Quem errorem confutavit Mag. Par. sæpissimè in libris de Nupt. & Concupisc. Ex quo aliqua testimonia adducemus in præsenti, ad decertandum inter Authores catholicè de concupiscentia sentientes. Sufficiat pro talis erroris convincenda falsitate, illud Trid. sess. 5. cap. ultim. dicentis: *Illam esse ex peccato, & ad peccatum inclinare.* Ex quo evidentèr infertur, non esse bonam, & multò minùs esse beneficium Dei.

2 Negativè Resp. P. Ripalda tom. contra Baianos disp. 9. à num. 13. loquendo de causa *per se*: Nàm etsi affirmet, Deum positivè causare concupiscentiam; quia tamen non causat ex intentione, ut noceat homini, sed ut ex pugna, & victoria per resistentiam voluntatis glorioſior evadat; affirmat, non esse causam per se illius; ad hanc enim iuxta doctrinam Div. Thom. quæst. 1. de Malo art. 3. requiritur, quòd effectus sit de intentione agentis. Quod assertum confirmat Ripalda exemplo potentiæ peccandi; quæ licèt à Deo sit; non tamen ex intentione, ut existat peccatum; sed potiùs ex fine existentiæ vitationis peccati per potestatem non peccandi ab ipso simul collatam. Hic modus dicendi frequens est apud Authores Societatis tuentes, Deum positivè influere in malitiam peccati, non tamen esse causam per se illius; quia præter omnem eius inclinationem influit. Sed quia tom. 2. tr act. de Causa peccati dub. 3. probavimus; Deum non posse non causare *per se* quidquid positivè causat: ideò ex ibi dictis talis modus rejiciendus est.

Sententiæ

Partem affirmativam tuentur Illustr. Godoy tom. 3. in 3. par. disp. 32. à num. 24. & tom. in 1. 2. disp. 36. à num. 30. & Mag. Ferre hic q. 6. §. 2. à num. 1332. Oppositum verò sentit quæst. 4. a num. 1225. in fine. PP. verò Salm. disp. 16. dub. 4. à n. 102. asserunt, sub ratione pœnæ, hoc est, quatenùs concupiscentia includit carentiam iustitiæ originalis esse à Deo, non verò quatenus inclinat ad agendum contra ordinem rationis, Greg. Martinez hic quæst. 82. art. 3. dubio 2. affirmat concupiscentiam non esse à Deo. His suppositis,

3

(*)

§. 1.

§. I.

Statuitur conclusio negativa.

4 PRobatur 1. concluſ. ex illo Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum &c. quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt; & mundus tranſijt, & concupiſcentia eius*: ergò concupiſcentia non eſt ex Patre. Nec dicas 1. cum Ripalda ibi num. 19. illam propoſitionem, *quæ non eſt ex Patre*, cadere ſupra illam, quàm immediatè poſſuerat, ſcilicèt, *ſuperbia vitæ*: hæc enim ſignificat conſenſum voluntatis inordinatè appetentis aliquam excellentiam. Non inquam dicas: Nàm manifeſtè opponitur his, quæ Evangeliſta immediatè ſubiungit, ſcilicet, *nàm mundus tranſijt, & concupiſcentia eius*. Ubi aſſignat cauſam, cùr tranſijt concupiſcentia carnis, & oculorum; ſcilicèt, tranſitum huius mundi. Si autem ſolum ſuperbia vitæ non eſſet ex Patre, ſed ex mundo; & concupiſcentia verò carnis eſſet ex Patre; deberet dicere, *nam mundus tranſijt, & ſuperbia vitæ*. Accedit ad hoc communis interpretatio Expoſitorum, intelligentium in verbis prædictæ propoſitionis omnem concupiſcentiam, & ſuperbiam.

Prima ratio.

Prima ſolutio rejicitur.

5 Nèc dicas 2. cum eodem Ripalda: Div. Ioan. loqui de concupiſcentia carnis deliberata, & comprehendente ſub ſe conſenſum liberum, & deſiderium voluntatis; huiuſmodi enim concupiſcentia, cùm ſit peccatum, à Deo non eſt. Non autem loqui de concupiſcentia ſumpta pro motu prævenienti uſum rationis; & multò minùs de illa ſumpta in actu primo. Non inquam dicas. Nàm hæc reſtrictio videtur voluntaria; ſiquidèm loquimur de concupiſcentia, quæ ſpectat ad mundum, & quæ eſt concupiſcentia carnis propriè dicta; ſed hæc non requirit conſenſum liberum voluntatis; hoc enim accedente, nedùm caro, verùm & voluntas concupiſcit: ergò. Sed dicit Ripald. Ioann. loqui de concupiſcentia, quæ tranſijt; atqui hæc tantùm eſt concupiſcentia libera: ergò. Reſp. 1. Etiam motum prævenientem rationem eſſe tranſeuntem: ergò fateri debet Ripald. talem motum comprehendi in illis verbis: *quæ non eſt ex Patre*. Rursùs: Nàm illa dictio *tranſijt* non ſumitur pro hoc, quòd eſt parum durare; ſiquidèm etiam de mundo aſſerit tranſire; ſumitur ergò pro hoc, quod eſt eſſe *quid vanum, & inane*; ſub qua ratione iuxta Div. Maxim. *Inane, & vanum eſt quidquid nullius virtutis pondere conſiſtit; & quidquid cum ſæculo tranſeunte, ad vitam non tranſit æternam.*

Secunda.

Rejicitur

Motivum ſolut. infringitur.

6 Reſp. 3. Eò dici concupiſcentiam non eſſe à Deo; quia de factò eſt in pœnam peccati, & non eſſet, niſi peccatum præceſſiſſet; ſicuti eadem ratione dicitur à Deo non eſſe mortem. Sed contra eſt: Nàm cum Deus ſit Author omnis pœnæ, ſi concupiſcentia eſt pœna, potiùs hoc conducit, quam deſtruat cauſalitatem Dei erga illam; unde etſi aliquando in Scriptura dicatur, Deum mortem non feciſſe, exponitur de morte in ſua cauſa, ſcilicèt, peccato. Attamen ſi in ſeipſa conſideretur, Deus eſt Author vitæ, & mortis: ergò. Deniquè Reſp. Concupiſcentiam non eſſe à Deo per ſe illam intendente; ſed tantum conſequitur ratione naturæ defectibilis. Sed contra eſt: Nàm vel intendit ſolutio concupiſcentiã eſſe præter omnem intentionem, & volitionem Dei; vel contra volitionem inefficacem, qua voluit hominem conſervari in ſtatu iuſtitiæ originalis? Si primum; hoc repugnat, cum Deus nihil poſitivè operetur niſi volens, ut alibi probatum relinquimus Tomo 2. de Cauſa peccati dub. 4. Si ſecundum; hoc minimè impedit quod Deus ſit cauſa propriè, & per ſe concupiſcentiæ; multa enim Deus operatur per ſe, quæ eius voluntati inefficaci opponuntur, ut patet in actu remiſſo elicito in ſenſu compoſito volitionis inefficacis de actu intenſo.

Tertia.

Imugnat.

Quarta.

Rejicitur

7 Prob. 2. ex Div. Thom. hac 1. 2. quæſt. 91. art. 6. dicente: *Inclinatio ſenſualitatis, quæ dicitur fomes, non habet in homine rationem legis, ſed magis eſt deviatio à lege rationis.* Atqui Deus nequit eſſe cauſa per ſe eius, quod

Prob. 2. ex D. Th.

quod est deviatio à lege, & ordine
Confir. 1. rationis: ergò. Confirm. 1. Deus nequit esse Author eius, quod repugnat *legi mentis, & spiritus*; sed concupiscentia est lex carnis pugnans, & reluctans *legi mentis, & spiritus* iuxta Div. Paulum ad Rom. 7. ergò. 2.
Confir 2. Deus nequit esse causa per se, & Author illius, quod inclinat, & inducit, sive trahit hominem ad peccandum; sed huiusmodi est concupiscentia, & fomes peccati, captivantes hominem in legem peccati, iuxta D. Paulum, & Concilium Tridentinum sess. 5. ergò Deus nequit esse causa per se
Ultimò. fomitis peccati. Deniquè. Deus est causa per se concordiæ, & subiectionis carnis ad spiritum: ergò nequit esse causa per se rebellionis, & discordiæ inter carnem, & spiritum. Sed fomes peccati consistit in rebellione, & discordia carnis cum spiritu: ergò nequit dici causa per se fomitis peccati.

8 Huic rationi fundamentali respondent Adversar. concupiscentiam non inclinare in peccatum pro formali, sed tantùm pro materiali, scilicèt,
Communis solut. in obiectum delectabile adversarium rationi; non tamen in ipsam dissonantiam cum recta ratione; cùmque non repugnet, Deum causare id, quòd inclinat in malum tantum pro materiali; ideò non est inconveniens in eo, quòd Deus sit causa per se concupiscentiæ. Nec obstat quòd inclinet in motus inordinatos. Nàm cum isti motus sint prævenientes rationem, non sunt mali formalitèr, sed tantum obiectivè, quatenùs eis consentire est peccatum.

9 Sed contra hanc solutionem, quæ est commune asylum AA. sic insurgo 1. probando sufficere ad hoc,
Rejic. 1. ut concupiscentia non causetur per se a Deo, quod inclinet in malum pro materiali. Motus actualis concupiscentiæ prævenientis rationem, solum tendit actu in malum pro materiali, scilicèt, in obiectum delectabile, & non in dissonantiam, quam habet cum recta ratione. Ratio est: quia cum talis dissonantia solum per rationem instructam legi naturali, aut positiva valeat percipi; per motum concupiscentiæ prævenientem omnem advertentiam rationis nullo modo attingi potest. Et tamen quamvis Deus sit causa per se talis motus secundum suum esse physicum, non est causa inordinationis, quæ in illo reperitur; aliàs Deus posset illum se solo infundere, si ratio vitalitatis non obstaret: ergò quamvis concupiscentia non inclinet, nisi in malum pro materiali, hoc erit sufficiens, ut à Deo per se non causetur.

Explicatur, & confirm. 1. hæc 10
ratio. Actus concupiscentiæ prævenientis rationem, includit aliquam inor- Secundò.
dinationem à Deo per se incausabilem, vel non? Si primum: ergò talis actus secundùm talem inordinationem, procedit à principio incausabili per se à Deo, sub ratione influentis in ipsum. Sed tale principium est appetitus sensitivus, ut infectus fomite concupiscentiæ: ergò talis appetitus, ut affectus fomite peccati non est à Deo, ut causa per se. Prima conseq. constat ex doctrina Div. Thom. asserentis, & probantis, ex illo principio: *Quidquid est causa causæ, est causa causati*; Deum non esse causam defectus peccati, quia non est causa voluntatis, ut potentis influere in talem defectum. De quo alibi fusè diximus: Si secundum: ergò talis motus adæquatè causatur per se à Deo. Quod videtur absurdum. Tùm propter adducta ex S. Ioan. Tùm quia cùm talis motus sit verè, & propriè tentatio, Deus esset causa per se, & Author tentationis ad malum; quod est contra illud Iacob. 1. *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, ipse autem neminem tentat &c.* De hoc expresè D. Thom. in 2. d. 21. q. 1. a. 1. & 3.

§. II.

In quo probatur, quòd si motus actualis concupiscentiæ non causatur à Deo, nec ipse fomes concupiscentiæ proùt in actu primo.

ID, quod præstat per modum actus secundi motus concupiscen- 11
tiæ, præstat in actu 1. ipsa concupiscentia. Sed motus concupiscentiæ Confirm. assumpti.
in actu 2. tentat, & allicit hominem ad

ad peccatum: ergò fomes concupiscentiæ in actu 1. tentat, & allicit ad peccandum. Tùm sic: Sed Deus nequit esse causa per se productiva appetitus, ut est formalitèr in actu 1. tentãs,& alliciens ad peccandum;aliàs,ut sup. diximus, foret causa per se motus in actu 2.tentantis ad peccandum: ergò. Confirm. assumptũ 1. Quia actus peccati sub ratione entitatis correspondet voluntati, ut potentiæ activæ; inordinatio verò, sive deformitas, correspondet illi, ut est defectiva, probant communitèr Thomist. cum D. Th. in 2.d. 37. q. 2. a. 1. Deum non esse causam per se voluntatis sub formalitate potentiæ defectivæ; è contra verò: quia est causa per se voluntatis, ut est potentia activa,probant esse causam per se actualitatis, & entitatis repertę in actu peccati: ergò si in motu concupiscentiæ invenitur aliquis defectus inordinationis, scil. allicere, & inducere voluntatem ad peccandum per liberum cõsensum, & iste defectus non est à Deo, ut causa per se:necesse est principium effectivum talis inordinationis formalitèr sumptum non esse à Deo, ut causa per se, & è contra, si Deus esset causa per se talis principij &c.2. Licet sit aliqua diversitas inhoc,quod est allicere voluntatem ad peccandũ, inter motum concupiscentiæ, & inter cognitionem intellectus proponẽtem obiectum delectabile prohibitũ; quia videl. cognitio directè allicit; motus vero solum indirectè,ut docet D.Th. hac 1.2.q. 9. a. 2. attamen utrumque habet allicere ad peccandum;estò nec cognitio sit mala moralitèr, nec motus concupiscentiæ, nisi ad summum inclinativè. Quo non obstante omnes Thom.fatentur illam cognitionem,secundùm quod inclinat adpeccandum, non esse à Deo ut causa per se;ac per consequens fateri debent intellectum ut defectivum in proponendo,non esse àDeo ut causa per se:sed talem defectibilitatem convenire ei,ex quo est potentialis, & non plenè determinatus ad verum practicum: ergò idem fateri debet de motu concupiscentiæ quòad eius inordinationem inclinativam,& quòad fomitem concupiscentiæ,ex quo,ut principio originatur.

Confirm. assumptũ

Primum exempl.

Secundũ.

Hinc exclusa manet disparitas Ill. God. Fer.& aliorum asserentium motum concupiscentiæ ea ratione, qua inclinat voluntatem ad peccandum, hoc est, ad liberam acceptationem, & consensum in talem motum, non esse à Deo, ut causa per se; benè tamen concupiscentiæ fomitem. 1. Nàm talis defectus consistens in inclinatione actuali ad peccatum,debet habere aliquod principium activum, aut quasi activum, ut est certum. Tùm sic: Sed non principium activum,per se àDeo productum;cũ ut sic non dicat actualitatem, & perfectionem, ut est etiam certum: ergò ex parte appetitus datur aliquid, à quo provenit active, aut quasi activè, quod non est à Deo. Sed hoc est cõcupiscentia: ergò. Undesicut in motu prævenienti rationẽ duo sunt consideranda; scilicèt: tendentia appetitus in bonum delectabile, & hæc est bona; & rursùs allicere, & provocare indirectè voluntatem, ut liberè consentiat, & amplectatur tale obiectum: & sub hac ratione ille motus est malus inclinativè, & est tentatio ad peccandum; quapropter nequit concedi esse à Deo ut A. Consequentèr ad hæc in appetitu sensitivo infecto fomite peccati, oportet distinguere alia duo, quasi se habentia ex parte actus 1. scil.esse principiũ activum motus,ut est tendentia in bonum delectabile, & proùt est media tali tendentia inclinatio, & tentatio ad peccatum; sub 1. consideratione potest esse à Deo etiã sicuti motus;non vero sub 2. cum sit tentatio in actu primo. Unde sicuti non conceditur, quòd Deus sit Author, ut caro tentet in actu 2. hominem ad peccandum,ita nequit concedi Deum esse Authorem huius,quod est carnem posse expeditè tentare, & provocare ad peccandum.

12

Impugn. discrimé traditum 1.

Secundò. ex Adv. doctrina.

Ex his percipitur intelligentia illius propositionis traditæ à Concilio Tridentino sessione 5. scilicèt: *Concupiscentia ex peccato est; & ad peccatum inclinat*; quàm aliqui interpretantur de inclinatione ad peccatum pro materiali: Nam si locutio sit de concupiscentia actuali, & sumpta pro motu; falsum omninò est inclinare ad pec-

13

Vera intell. doct. Trid.

catum pro materiali; cum non inclinet in seipsum; sed voluntatem ad consensum liberum in peccatum. Sicuti actus indeliberatus circa bonum, non dicitur inclinare in bonum pro materiali, sed potiùs in bonum formaliter; scilicèt, in consensum liberum honestum: ita fatetur Godoy n. 43. Si vero sermo sit de concupiscentia habituali, & in actu primo; etiam inclinat in actu primo proximo in peccatum pro formali, scilicèt, medio motu actuali ab ipsa, quasi effectivè procedenti: quod enim facit actù actus alicuius principij, facit in actu primo tale principium: ergò si actus secundus concupiscentiæ habet in actù, & exercitè, tentare, & inducere voluntatem ad consentiendum liberè in malum; hoc ipsum habebit in actu primo, & signatè ipsa concupiscentia. Si autem tentare in actu secundo est defectus actualis inordinationis in operatione, posse proximè tentare, erit posse proximè defectivè operari. Tùm sic; sed à Deo nequit, ut causa per se, procedere aliquis defectus moralis, aut defectibilitas consistens in inclinatione ad deficiendum moralitèr: ergò.

Hæc doctrina roborari potest
14 ex Div. Thom. in 2. dist. 32. quæst. 2. art. 1. ad 5. dicente: *Fomitem peccati per se inclinare in malum.*
Roboratur dicta ex S.D. Nàm licèt posset explicari de inclinatione in malum pro materiali, ita ut ly *per se* appellet supra ly *inclinare*, non verò circa *malum per se*, hoc est, *in ipsam malitiam.* Attamen congruentiùs exponitur, si exponatur de inclinatione in malum pro formali. Non quia actus malus formaliter sit elicitivè à fomite peccati; sed quia est terminus, quem respicit medio motu ab ipso, quasi effectivè procedenti. Admodùm quo intellectus, ut defectivus in proponendo, inclinat voluntatem in peccatum formaliter tale; non quia hoc ab intellectu effectivè procedat, aut peccare sit actus secundus intellectus; sed quia actus secundus proponendi defectuosè ordinatur de se ad peccatum formaliter tale. In quo apparet discrimen ab habitu vitioso (ut tacitæ obiectioni occurratur) hic enim inclinat in malum pro formali, tanquàm actum secundum ab ipso elicitivè procedentem. Accipe aliam subtilem rationem pro veritate propositionis prolatæ à Div. Thoma. Diximus tom. 2. dub. 6. §. 6. de causa peccati, hanc propositionem: *Voluntas peccat*, esse veram per accidens; idem de hac: *Potentia peccandi peccat*, si accipiatur *complexè.* De hac verò: *Peccabilitas, sive flexibilitas peccat*, diximus esse veram in sensu per se. Paritèr dicendum de hac: *Appetitus inclinat aliquando in malum, esse veram per accidens.* At verò reduplicato fomite, ut loquitur S. D. *per se* allicit ad malum.

§. III.

In quo explicatur malitia fomitis, & qualiter inclinet voluntatem etiam ad peccandum pro formali.

LIcet ex hucusque dictis assumptum propositum satis efficaci- 15
tèr percipiatur; quia tamen est de se explicatu difficile; ideò ulteriori explicationi illud subjicimus. Supponendum est ut quid certum, quòd, etsi motus actualis fomitis prævenientis rationem non tendat in malum pro formali; potest tamen inclinare, sive provocare voluntatem ad tale malum. Aliud enim est obiectum in quod prædictus motus (quando est inordinatus) per seipsum tendit; aliud vero obiectum, in quod provocat, & inducit voluntatem. Ut videre est in sancta cogitatione, & subita affectione: hæc enim non tendit in consensum liberum, sive in obiectum supernaturale, ut liberè amplectendum; attamen illa allicit, & movet voluntatem ad liberum consensum. Similitèr: etsi subita cogitatio honesti tantùm sit tendentia intentionalis in bonum necessario amatum; inclinat tamen, & allicit voluntatem, ut postea eidem liberè consentiat. Idem constat in intentione, quæ unicè tendit in

Suppositi. quædam.

fi-

finem; sed tamen movet etiam, & determinat voluntatem ad electionem, & usum.

16 Doctrina scitu digna.

Hoc tamen sciendum ex S. Doct. 1. 2. quæst. 9. art. 2. quod licet motus appetitus sensitivi, sive bonus, sive pravus; non possit directè, & immediatè immutare voluntatem, sive quòad specificationem actus, sive quòad exercitium; (eo quod cum voluntas sit potentia spiritualis, nequit directè moveri ab appetitu corporeo, nec à potentia cognoscitiva corporali.) Benè tamen moralitèr. Ratio est, quia cum voluntas directè moveatur à bono apprehenso ut convenienti, id quod est causa, & dispositio, ut aliquid apprehendatur, ut bonum, & conveniens, est causa movens mediatè ad prosequutionem illius. Huiusmodi se habet passio aliqua appetitus sensitivi; cum iuxta Philosophum: *Qualis unusquisque affectus est, sic finis videtur ei.* Unde experientia ipsa constat homini existenti in aliqua passione, videri aliquid ut bonum, quòd extra ipsam existenti non videtur; sicuti irato apparet, ut bonum vindicta, quæ tamen mansueto, ut bonum non apparet. Ex quibus constat passionem inordinatam movere immediatè ad apprehensionem talis obiecti delectabilis, ut convenientis hic, & nùnc, ac proindè movere mediatè ad acceptationem liberam talis obiecti, quæ est formalitèr mala moralitèr, & peccatum.

17 Prosequitur alsùp.

Conformitèr ad hucusque dicta, oportet in appetitu sensitivo hominis distinguere plures formalitates, sive respectus in eo repertos. Possumus enim in illo considerare respectum potentis tendere affectivè in bonum sensibile, præcisivè à conformitate, vel dissonantia cum recta ratione, in quo convenit cum appetitu bruti. Rursùs possumus considerare ipsum, ut potentem tendere in bonum sensibile adversarium rectæ rationi: & hoc dupliciter; vel per motum prævenientem rationem, vel per motum ortum ex imperio rationis. Ratio huius est. Nàm cum appetitus in homine subdatur imperio voluntatis, potest ex illo excitari appetitus in bonum contrarium rationi. Attamen appetitus non dicitur infectus fomite concupiscentiæ; quatenùs est potens prorumpere in motum actualem ortum ex imperio voluntatis; proùt sic enim iam est appetitus ut potens elicere actum pravum moralitèr, & imputabilem; & ideò proùt sic, est capax habitus vitij acquisiti ex pluralitate actuum.

18 Duplex modus defectib. in appetitu.

Restat ergò, ut appetitus dicatur infectus fomite concupiscentiæ, quatenùs est potens expeditè prorumpere in motus prævenientes rationem. Ex quo apparet dictam peccabilitatem convenientem appetitui esse aliqualitèr diversam; & per ordinem ad diversum terminum, à fomite concupiscentiæ, & à termino, quem fomes respicit pro actù ei ut tali correspondenti. Sed ex hoc non licèt inferre solam peccabilitatem supra assignatam esse defectum à Deo per se incausabilem; cum expeditio ad pravos motus prævenientes rationem, sit quasi inclinatio in actu primo ad alliciendum, & provocandum voluntatem ad peccandum: & hæc licet non sit potentia proxima, ut appetitus prorumpat in actus moralitèr malos, & imputabiles; est tamen aliqua defectibilitas moralis; sicuti in ipso motu actuali formalitas inclinandi, & inducendi voluntatem, ut peccet consentiendo, est aliquis defectus, & inchoatio peccati. Hinc ulteriùs constat; nedùm in tali motu dari malitiam obiectivam, sed etiam malitiam quasi activam, & inchoativè formalitèr talem. Prima convenit ei: quia si voluntas acceptet talem motum, peccat actù, proindèque talis motus est obiectivè malus. Secunda vero convenit ipsi, proùt activè inducens, & impellens voluntatem ad peccandum. Patet hoc à simili in affectione sancta, & indeliberata: in qua duplex bonitas distinguitur; obiectiva, quatenùs voluntas eam acceptando salutaritèr operatur; alia vero quasi activa, & inchoativè salutaris, quatenùs Deus media illa disponit, &

allicit voluntatem ad consensum liberum, & salutarem.

19 Confirm. ex M.P.

Porrò ultra malitiam obiectivam convenientem motui actuali concupiscentiæ, & consistentem in tendentia ad obiectum in se prohibitum, & in eo, quòd ut liberè acceptata specificet actum malum moralitèr imputabilem; dari aliam malitiam moralem inchoativè, & dispositivè talem; suadent plura testimonia S. Augustini infra ponenda, in quibus eam malam, & vitiosam appellat: Nàm aliquid esse purè obiectivè malum: præsertim si moralitas obiectiva sit denominatio extrinseca (ut tuetur Mag. Ferre) desumpta ex lege prohibente, & deficiente, non sufficit ad similes locutiones; quemadmodum non sufficit, ut verè dicatur *obiecta mala moraliter obiectivè, tentare ad peccandum, & rebellare rectæ rationi; sicuti non sufficit, *ut dicantur passiones peccatorum*, ut prædictos motus appellat Div. Paulus ad Roman. 6. *Nec pariter lex carnis, aut lex peccati.* Videatur Ripalda ubi supra sect. 4. & præsertim sect. 5. Sufficiat ad stabiliendam doctrinam hucusque traditam, scilicèt: *Ultra dissonantiam obiectivam convenientem libidini actuali, dari aliam saltim inchoati vè formalem.* Testimonium Div. Augustin. lib. 5. contra Iulianum cap. 10. sic asentis: *Quis enim malam pecuniam dixerit? Et tamen pecuniam malus spiritus concupiscit*: *sed ipsa contra spiritum bonum non concupiscit*; *quòd libido facit, atque ideò, & qui hoc negat esse malum, peccat.* * Quid opportuniùs? Rursùs obiecta, etsi prohibita, non dicuntur fructificare mortem animæ; hoc enim aliquam activitatem in peccatum denotat; sed passiones inordinatæ iuxta Paulum fructificant mortem: ergò ultra malitiam obiectivam, alia, etsi inchoativè talis, concedi debet.

* Lib. 6. c. 15. appellat insanũ & demente eum, qui negat concupisc. esse malã, etsi ei nõ assentiatur.

20 Illatio de motib. inordin. volunt.

Hinc colliges hanc eandem doctrinam robur habere in motibus indeliberatis voluntatis circa obiectum prohibitum, & in cogitationibus omninò indeliberatis eos excitantibus; quæ omnia iuxta communem Thomistarum doctrinam non sunt à Deo tanquam à causa per se adæquatè, & secundum inordinationem talem qualem in ipsis invenientam; scilicèt, ut inducentes, & allicientes voluntatem ad peccandum. Deus enim nequit causare per se id, quod de se inducit, & tentat ad peccandum, iuxta dicta ex Divo Iacobo in sua Epistola; & rursùs, quia ut ait Sanct. Clemens Romanus lib. 5. Recognition. *Blasphemia est dicere Deum cogitationes adulterij, & avaritiæ infundere.* Tùm quia puritas, & sanctitas voluntatis divinæ est summa: ergò summè distans à peccato: ergò nec id, quod inclinat in illud, potest per se mediatè, aut immediatè causare. De quo aliqua apud Mag. Torres quæst. 3. art. 3. à num. 64. contra aliquos, quos refert P. Aranda tomo in 1. 2. disp. 5. lib. 2. §. 2. & sequentibus. Quòd si res ita se habent, oportet asserere voluntatem, & intellectum, ea ratione, & respectu, quo quasi principia activa causant tales motiones non causari per se à Deo. Siquidem, quòd est causa per se causæ, est causa causati ea ratione, qua illud causat, & ab oppositò: quòd non est causa per se causati, non est causa per se causæ in illud causantis.

21 Instantia contra Ill. Godoy.

Sed placet redarguere Illustrissim. Godoy ex his, quæ docet 3. p. tomo 3. d. 32. q. 3. & probare contra eũ, Deum non esse causam per se fomitis peccati. Ibi enim probat Christo Domino repugnare fomitem peccati in actu primo titulo summæ sanctitatis hac ratione: Nàm quo maior est sanctitas, est maior distantia, & elongatio à peccato: ergò humanitas ut infinitè sancta, infinitè distat à peccato: ergò, & à motu incitante ad peccandum, & consequentèr à possibilitate talis motus. Sed ubi motus inordinatus non est possibilis, non datur fomes concupiscentiæ: ergò fomes concupiscentiæ excluditur ex summa sanctitate humanitatis Christi Domini. Placet, inquam, redarguere. Nàm Deus nequit esse causa per se eius, quòd amare nequit, ut est certum; sed

Deus

Deus nequit amare fomitem peccati : ergò. Minor, etsi videatur certa, probatur. Voluntas divina est summè, & infinitè sancta, & pura : ergò summè distans à peccato : ergò summè distat ab amore peccati, & illius, quòd de se inducit, & allicit ad peccandum. Sed fomes in actu primo allicit aliqualiter ad peccandum : ergò. Vel aliter : Quod convenit humanitati Christi Domini ratione infinitæ sanctitatis, à fortiori concedi debet voluntati divinæ: ergò si quia humanitas infinitè distat à peccato, pugnat essentialitèr, tùm cum motu incitanti ad peccandum, tùm cum possibilitate, & expeditione ad illum ; pariter dicendum de voluntate divina, cuius affectus nec potest complacere in peccato, nec in motu inducente ad peccandum, nec in expeditione ad motum inclinantem ad peccandum.

S. Aug. lib 6. contr. Iul. cap. 15. ait: Concup. in Bapt. displicere Deo.

17 Quod si dicas hanc rationem instari in entitate peccati, quàm diligit divina voluntas ; & eam nequit diligere voluntas humana Christi. Resp. Falsum esse voluntatem Christi non posse ullo modo velle entitatem peccati; nàm si peccatum sit commissum à voluntate aliena, ut est necesse, & Deus hoc revelet, potest entitatem velle, sed complacentia simplici, & speculativa. Nequit autem eam velle complacentia practica, sive procurativa ; quia tùnc peccaret : Non enim potest poni ab una voluntate entitas peccati, & ab alia eius malitia. Cæterùm ex hoc nihil contra rationem : quia voluntas Christi Domini titulo sanctitatis summæ nequit complacere in motu inordinato tentante ad peccandum, nec in se, nec in alio subiecto existenti.

Occurritur cuidà instanti.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Fomes peccati non est proprie pœna peccati originalis.

18 ANte probationem notandum est conclusionem procedere de fomite quòad essentiam talem qualem habere potest. Si enim sermo sit de illo ratione suæ causæ, aut illius, quòd præsupponit, scilicèt, carentiam iustitiæ originalis perfectè subjicientis appetitum; in hac consideratione certum est obtinere veram rationem pœnæ. Deindè sermo procedit de pœna stricte, & proprie accepta : Nàm nullum est fundamentum, ut ipse fomes peccati non sit pœna lata, quæ consistit in qualicumque disconvenientia, & deturpatione respectu subiecti illam patientis ; qua ratione dixit Div. Thomas in 2. dist. 36. quæst. 1. art. 3. & quæst. 1. de Malo a. 4. ad 2. inordinationem peccati actualis obtinere aliquam rationem pœnæ, quia est aliquatenùs invita voluntatis. De quo PP. Salm. hic disput. 17. §. 4. à num. 45. Ratio est. 1. Nàm Deus est causa per se omnis pœnæ propriè talis, ut probat Div. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 3. art. 1. & 1. part. quæst. 49. art. 2. sed probatum relinquimus Deum non esse causam per se fomitis peccati formalitèr, proùt est lex carnis, & rebellio adversus spiritum : ergò non est pœna propriè talis.

Not. 1.

Secundo.

Prob. 1.

Ratio 2. Nàm omnis pœna propriè dicta est à Deo ordinante, approbante, & iustè operanti : ideòque respectu pœnæ in privatione consistentis, dicitur verè Author talis, estò physicè potiùs sit non agens, quàm agens. Atqui Deus nequit approbare, & velle appetitum esse expeditè potentem rebellare rationi ; quia hoc est aliquid malum morale, saltim inchoativè, & inclinativè: ergò.

Secundo.

§. V.

Solvuntur argumenta.

19 OBjicies 1. Plura testimonia Div. Thom. expressè affirmantis fomitem peccati, & in obedientiam carnis ad spiritum, esse pœnam peccati originalis. Ex quibus constat oppositum huius conclusionis, & simul probatur Deum esse causam illius; cum sit Author omnis pœnæ. Ita affirmat in 2. dist. 32. quæst. 1. art. 2. & super Paulum ad Roman. 7. ubi ait: *Alia causa fomitis peccati est Deus, qui hanc pœnam homini dedit, ut rationi eius inferiores vires non obedirent: & secundùm hoc ipsa inobedientia inferiorum virium, quæ dicitur fomes, lex dicitur, in quantum est per legem iustitiæ introducta.* Ubi asserit, & ipsum fomitem, sive inobedientiam esse à Deo ut causa; & esse iustè à Deo introductam tanquam pœnam peccati. Similia docet 1. 2. quæst. 91. art. 6. & quæst. 90. art. 1. ad 1. Quapropter asserit Illustrissim. Godoy hic disp. 82. §. 2. Et Mag. Ferre * esse exploratum apud omnes Catholicos fomitem concupiscētiæ esse pœnam peccati originalis.*

Arg. 1. ex S. D.

20 Objicies 2. ex Illustrissimo Godoy: Id quòd provenit demeritoriè à peccato originali, est pœna illius; cum demeritum sit respectivè ad pœnam, sicuti meritum dicitur correlativè ad præmium; sed concupiscentia provenit demeritoriè à peccato originali; cum aliàs causalitatem physicam in illam non exerceat: ergò. Confirm. 1. Concupiscentia est mala homini ut agenti rationali. Tùm quia adversatur legi mentis. Tùm quia fructus illius sunt motus pravi, & bonæ arboris non sunt mali fructus. Sed non est mala mali ex culpæ; cum iuxta Concilium Tridentinum non sit peccatum: ergò est mala per modum pœnæ. Consequentia constat, quia malum dividitur adæquatè in malum culpæ, & malum pœnæ. Confirm. 2. Deus in pœnam peccati originalis abstulit ab Adamo, & eius posteris, iustitiam originalem subjicientem appetitum rationi: ergò defectus huius subiectionis fuit pœna peccati originalis. Sed concupiscentia, vel consistit, vel completur per talem defectum: ergò est à Deo ut pœna peccati. Denique: Nàm iuxta PP. ita se habet concupiscentia in ratione pœnæ respectu peccati originalis, sicuti mors, & aliæ calamitates; sed istæ sunt propriè pœna: ergò & concupiscentia.

Arg. à ratione.

Confir. 1.

Secundo.

Ultimo.

Sed si ea, quæ supra advertimus, memoriæ recolantur, facilis est 21
solutio dicendo: quod cum ex subtractione doni subjicientis appetitum rationi consequuta fuerit concupiscentia, & talis subtractio sit verè, & propriè pœna peccati originalis; ideò fomes dicitur pœna; non quidem secundum id, quod dicit formaliter; sed secundum id quod dicit antecedenter, & causativè. Quàm solutionem meo videri debent approbare Thomistæ tuentes in motu concupiscentiæ actualis dari aliquam inordinationem, cuius Deus non sit causa per se, scilicèt, inclinatio, & allicientia ad liberum consensum in bonum delectabile: siquidem si testimonia D. Thom. consulantur, nedùm in eis attribuit rationem pœnæ fomiti in actu primo, verum & actibus illius; sicuti non tantum necessitas moriendi, sed ipsa mors, & passio, sunt pœna peccati: ergò si quòd appetitus actù rebellet rationi, & concupiscat adversus spiritum, dicitur pœna ratione privationis iustitiæ illum frænantis; idem dicendum de ipso fomite in actu primo.

Solutio.

Argum. probat contra Ill. Godoy, alios Thomist.

Ad testimonium super Paulum ad Roman. Resp. ante illa verba præmisisse D. Tomam: *Fomes dicitur lex; quia sicuti lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum.* Quæ verba, si attentè inspiciantur, probant ipsum fomitem formaliter pœnam non esse; cum hæc ad peccandum non inducat, sed potiùs retrahat à peccato, & per se ordinetur ad bonum. Tentatio autem seducens iuxta D. Th. in 2. d. 21. q. 1. a. 1. & 3. de se ordinatur ad perditionem,

22

Ad testi. ex D. Th.

Tentatio probans est à Deo ut infirmitas &c.

&

& per accidens est causa boni. Unde illa verba: *Inferiores vires non obedire rationi* possunt accipi; vel in sensu formali pro ipsa rebellione, vel in sensu antecedenti, & causali, pro eo, ex quo ortum duxit talis rebellio; & solum de non obedientia virium in hoc 2. sensu accepta intelligendus est D. Thom. dum asserit Deum illam dedisse homini, tanquam pœnam. Ad modum quo, si quis ab homine furioso catenis ligato, auferret ligamen, & ille occideret aliquem, diceretur dedisse ei facultatem nocendi; quia videlicèt abstulit impedimentum, quò ne noceret, erat detentus. Dicitur autem concupiscentiā esse introductam lege iustitiæ; quia Deus privando hominem fræno iustitiæ originalis iustè propter peccatum, ipsa concupiscentia ratione suæ causæ fuit, & dicitur iustè introducta: licet in se tantum sit à Deo permissa. Dicta robur, & lucem accipient; si videatur S. D. hac 1. 2. q. 87. a. 2. ubi explicat, in quo sensu *unum peccatum sit pœna alterius*: ut ex illius doctrina rectam expositionem habeant, aliqua testimonia Sacræ Scripturæ, & SS. PP. parti affirmativæ suffragantia.

23 Ad argumentum desumptum ex ratione, quatenùs obstare potest doctrinæ traditæ Resp. Fomitem in se, & formaliter sumptum, non esse demeritoriè directè ex peccato originali; esse tamen ex illo demeritoriè in sua causa, scilicèt, in subtractione iustitiæ originalis: & insuper provenire ex peccato, ut à removente prohibens. Ad 1. confirm. Resp. Fomitem formaliter esse malum culpæ inchoativè, & inclinativè. Et hoc sufficit, ut nec sit propriè pœna, nec à Deo proveniat ut causa per se; ut dici debet à Thomistis de ipsis motibus circa obiectum delectabile, prout inclinant exercitè ad peccandum: & etiam dicitur de peccabilitate voluntatis: licet potentia peccandi qua talis non sit, nisi tantum inchoativè, malum culpæ. Ad 2. Resp. Quod si argumentum intendat carentiam iustitiæ originalis esse complementum, aut conditionem, * ut appetitus sensitivus sit infectus fomite peccati; concedimus illum nō esse pravum secundum id, quòd dicit per modum conditionis; quia talis carentia de se non inclinat in malum; negamus vero rectum fomitis esse pœnam, & à Deo, ut Authore procedere; sicuti negavimus se habere carentiam iustitiæ, ut rationem formalem constitutivā concupiscentiæ. Ad ultimum Resp. Necessitatem moriendi, & ipsam mortem, esse malum pure physicum: & ideò possunt esse propriè à Deo ut pœnæ: fomes vero, & actus illius, includunt inclinationem ad peccandum; unde oppositа de causa in sensu formali accepti, nec sunt propriè pœna, nec à Deo ut causa per se.

Ad 2. argum.

Ad 1. cōfirm.

Ad 2.

* Removēntem prohibens.

Ad ult.

Objicies 3. Vulnera, quæ sunt consecuta, ut effectus peccati originalis, sunt pœna illius; cùm non consequantur in genere causæ physicæ; sed hæc sunt concupiscentia, infirmitas, malitia, & ignorantia, ut docet D. Thom. hic quæst. 85. art. 3 ergò. Resp. Vulnerationem potentiarum relictam ex peccato originali iuxta D. Thom. ibid. consistere in destitutione iustitiæ originalis, per quam erant suo modo ordinatæ ad bonum virtutis. Undè cùm libentèr fateamur, destitutionem, aut privationem talis iustitiæ, fuisse pœnam propriè, concedimus id ipsum de vulneratione. Sed tùnc restat dubium: *An etiam id, quod ex tali destitutione consequitur, scilicet, in appetitu pronitas ad inordinatè concupiscendum, & in voluntate pronitas ad peccandum; sit etiam propriè vulnus, & sit etiam propriè pœna?* Resp. In hoc fortasse invenitiri quæst: de nomine. Vulnus enim corporale consistit in divisione continui; cùmque potentiæ fuerint propter originale peccatum divisæ, & destitutæ iustitia originali eas per unionem perficienti; ideò videtur dicendum, vulnus potentiarum consistere in tali destitutione. Quapropter illa habilitas in appetitu ad malum est effectus vulneris; & ideò non oportet, ut in se considerata sit propriè pœna, & à Deo.

24 Arg. 3.

Respond.

Cuidam quæst. fit satis.

25 Nèc obstat: *Lucæ cap* 10. affirmari naturam humanam fuisse vulneratam *à Latronibus*, hoc est, *à Principibus tenebrarum*. Undè vulnera recensita nequeunt esse pœna à Deo inflicta.

Instabis.

Respond. flicta. Non inquam obstat: Nàm etiam dicitur ibidem fuisse spoliatam gratuitis, quorum privatio absdubiò fuit pœna peccati, & à Deo iustè illa subtrahente. Undè sicut Dæmones primum Parentem spoliaverunt, inducendo illum ad peccandum; Deus verò dona gratiæ ob peccatum subtrahendo; ita vulneraverunt ipsum, suadendo malum; Deus verò, auferendo ab eius potentijs vigorem, sanitatem,& integritatem perfectionis,quã contulerat per iustitiàm originalem. Si autem vis Dei causalitatem omninò puram tueri; vide S. Doct. hic q. 79. art. 3. Cùm enim *vulnus, debilitas, pronitas &c.* ex frequenti usu involvant aliquem defectum moralem; pure,& ut decet Deũ,loquèris; si doctrinã ibi traditã applicare velis; atque ideò cum distinct. loquendo, unicè, quod bonum, & iusta pœna est,attribues Deo; quod autem est malum, voluntati creatæ tribues.

In laudé D.Th.

26

Objicies 4. Authoritatem D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 52. ubi asserit præter pœnas corporis inductas ob peccatum originale, *fuisse alias pœnas spirituales, scilicèt, debilitatem rationis; per quam intellectus de facili labitur in errorem; & defectum subiectionis ex parte appetitus ad rationem.* Ex quibus sic argumentor: facilitas, ut intellectus erret, non minùs videtur pugnans cum causalitate Dei; quàm facilitas, ut appetitus tendat in bonum, quòd adversatur rationi; sed talis facilitas est iuxta D. Thom. pœna spiritualis, & defectus non naturalis, sed pœnalis: ergò idem dicendum de alijs inordinationibus virium inferiorum.

Arg. 4. à simili ex S. Doct.

Ad hoc Resp. iuxta dicta. Idem prorsùs fatendum de labilitate in errorem, sive speculativum, sive practicum convenientem intellectui, ac de pronitate appetitus ad motus rationi contrarios; siquidem à Deo, sicuti non provenit error formalitèr qua talis, ita nec facilitas, aut defectibilitas ad errorem; hic enim defectus cõvenit intellectui ex se, quatenùs est potentialis, & non plenè determinatus ad verum. Quapropter talis defectus dicitur pœnalis in sui causa, scilicèt, privatione doni, per quod in statu innocentiæ rectificabatur, ita ut non erraret speculativè, aut practicè. Attamèn de ipsa debilitate, sivè difficultate, quam ex peccato originali contraxit intellectus ad cognitionem veri practici, & ad superandum, reprimendumque appetitus bestiales; potest concedi fuisse pœnam; nàm debilitas,& difficultas nominãt defectum vigoris, & facilitatis, quam antea habebat: cùmque huiusmodi defectus sit defectus doni provenientis ex iustitia originali, potest dici pœna, non minùs, quam defectus iustitiæ.

27

Solutio.

5. Objicies ex D. Thom. hac 1. 2. q. 91. a. 6. ubi postquam dixit inclinationem fomitis non esse à Deo directè, subdit illam esse *à Deo indirectè*, & rursùs affirmat: *Impetum sensualitatis habere rationem legis, in quantum est pœnalis, & consequutus ex lege divina ad hominem destitutum propria dignitate*: ergò non pure permissivè provenit à Deo. Resp. D. Thom. in dicto art. expressè affirmare, *fomitem secundùm se non habere rationem legis, cum secundùm se exeat rationis ordinem, & sit deviatio à lege rationis.* Ex quibus sic arguo: Id quod est aversio, & derivatio à lege rationis, nequit à Deo provenire ut causa positiva per se operanti; hac enim ratione probant Thomistæ defectibilitatem voluntatis ad peccandum non esse à Deo. Sed fomes est huiusmodi: ergò.

28

Arg. 5.& difficult.

Solutio.

Sed restat explicare illam propositionem, scil. *Fomes habet rationem legis, in quantum consequitur ex lege iustitiæ.* Ad quod dicitur: *Fomitem consequi ad legem iustitiæ* dupliciter posse accipi; 1. ad legem iustitiæ, ut immediatè disponentem, & ordinantem fomitem; 2. ad legem iustitiæ, ut immediatè ordinantem privationem doni; ad quam indirectè consequitur ipse fomes. Solum in hoc secundo sensu accipiendus est S. D. Unde in solutione ad 1. hæc habet: *Tanquam si diceretur lex esse, quod aliquis nobilis propter suam culpam ad servilia opera induci permitteretur.* Sed in tali hypothesi lex illa immediatè cadit, & positivè disponit de privatione dignitatis,& nobilitatis; de inductione vero ad opera servilia nihil positivè disponit, sed ad eam permissivè se habet, ut constat ex illa

29

Qualitèr fomes dicatur lex.

illa dictione *permitteretur*: ergò idem fatendum de fomite, dùm dicitur esse legem, vel aliquid ex lege divina consequtum. Quapropter Deo iustè decernenti auferre ab homine iustitiam originalem propter peccatum, cum præviſsione de eo, quod sic destitutus appetitus eius rebellaret rationi; talem rebellionem iustè patitur homo, ut quid consequtum ex Dei iusta determinatione, non positivè, sed permissivè.

§. VI.

In quo etiam probatur concupiscentiam hominis conditi in pura natura non posse causari à Deo.

30 OBjicies 6. Si homo fuisset conditus à Deo in puris naturalibus (ut fuit possibile iuxta S. D. in 2. d. 31. q. 4. a. 2.) esset in eo rebellio carnis contra spiritum, sive fomes concupiscentiæ. Sed concupiscentia in tali statu conveniens proveniret à Deo: ergò similitèr discurrendum de illa pro hoc statu. Minor prob. 1. quia non esset causa ulla præter Deum, à qua proveniret. 2. Quia Deus causans naturam, causat ea, quæ ex principijs illius consequuntur; sed concupiscentia consequitur ex natura hominis composita ex appetitu sensitivo, & intellectivo, ut probat S. D. 4. contra Gent. cap. 52. ergò. 3. Talis concupiscentia duo dicit, scilicèt, naturã appetitus sensitivi de se inclinantis in bonum sensibile, & carentiam doni gratuiti frænantis illum; sed hæc omnia provenirent à Deo: ergò. Deniquè. Eatenùs appetitus in tali statu diceretur concupiscentia habitualis, quatenùs de se aliquando inclinaret in bonum delectabile, quòd aliàs adversaretur rationi; sed hæc inclinatio est de se bona, & nullatenùs mala moralitèr; cum non tenderet, nec amplecteretur ullo modo dissonantiam moralem se tenentem ex parte obiecti: ergò.

Probatur 1. mid.

Secundò.

Tertiò.

Ultimò.

31 Ad huius argumenti solutionem notandum 1. Dupliciter posse aliquid dici naturale homini; vel per modum perfectionis consecutæ ad sui naturam; vel per modum defectus consecuti, ex eò, quòd est naturæ defectibilis: ut constat in morte, & corruptione; quæ dicuntur homini naturales, per modum, scilicèt, defectus consecuti ad ipsius naturam, ut compositam ex qualitatibus contrarijs. Hinc apparet, in quo sensu dicatur, rebellionem carnis ad spiritum esse homini naturalem; naturalem inquam, non per modum perfectionis, sed per modum defectus. Hac ratione, & sensu appellavit D. Th. in 2. d. 31. quæst. 1. art. 2. Naturalem concupiscentiam, quam homo haberet, si fuisset conditus in puris naturalibus. Notandum 2. Quòdsi talis defectus sit purè physicus, & nullatenùs spectans ad genus moris; nulla est ratio, ut repugnet causari à Deo; si verò aliquatenùs sit moralis, scilicèt, inchoativè, & inclinativè; iam apparet ratio aliqua, ut excludatur à causalitate Dei.

Pro solut not. 1.

Qua ratione dicatur defectus naturalis homini.

Not. 2.

Ad hoc autem investigandum 32 sequi debemus regulam traditam à D. Thom. in 2. d. 44. q. 1. a. 1. qui, ut decideret: *An potentia peccandi sit à Deo?* hanc doct. præmittit: *Potentia cognoscitur per actum: undè ex consideratione actus peccati iudicium sumendum est de potentia peccandi.* Unde (ni fallor) medium opportunum ad resolvendum, An sit, vel non, à Deo concupiscentia appetitus? erit considerare actum proprium illius. Rursùs advertendum, quòd sicuti potentia peccandi materialitèr sumpta est à Deo, cum talis potentia sit voluntas: ita etiam concupiscentia materialitèr accepta; hoc est appetitus sensitivus, est à Deo. Deinde sicuti in peccato actuali distinguitur entitas actus, & illius deformitas, quorum primum est à Deo, non vero secundum: & hac ratione ex parte voluntatis ponitur à D. Thom. ibi aliquid incausabile à Deo, scilicèt, ipsa peccabilitas, sive defectibilitas conveniens voluntati, quatenùs est ex nihilo; ita, si in motu actuali rebellante rationi præter physicam entitatem, & vitalitatem, invenitur aliquis defectus à Deo incausabilis, & malus moralitèr; necesse est ob consequentiam doctrinæ assignare aliquam defectibilitatem ex parte appetitus incausabilem à Deo.

Si in motu concupisc. est aliqua malitia; etiã datur in concupiscentię fomite.

Ne-

33 Nemo negare potest, in motu actuali concupiscentiæ circa obiectum illicitum, etsi rationem omninò præveniat; adesse aliquam malitiam obiectivam, sive materialitèr talem. Ratio est: Nàm motus ille, cui si voluntas consentit, peccat, & cuius prosequtionem homo tenetur vitare, est malus saltim materialitèr, & obiectivè; sed homo tenetur reprimere, & repellere motus inordinatos, peccatque eos per voluntatem acceptando: ergò habent in se aliquam dissonantiam moralem obiectivam. Deinde Deum non esse causam plusquam permissivam malitiæ moralis obiectivæ, probavimus Tomo 1. dub. 4. §. 3. de Moralit. sequentes sententiam frequentem Thomistarum contra Mag. Ferre: nec enim facilè percipere possumus *Deum approbare, complacereque in dissonantia obiectiva rerũ cum recta ratione*; quæ approbatio, & complacentia necessaria est in Deo, ut sit causa positiva omnis rei ab ipso causatæ. Unde consequentèr ad hanc doctrinam tuentur Thomistæ Deum non posse esse causam per se erroris purè speculativi, etsi invincibilis, quia videlicèt (etsi suppetant aliæ rationes) est malus obiectivè; ideóque in iudicio vero practicè, etsi erroneo, asserunt Deum causare illud, ea ratione, qua est verum practicè, secùs vero, quatenùs erroneum est. Similitèr dicendum de odio indeliberato, & alijs actibus ab intrinseco malis ob eandem rationem.

In tali motu adest malitia obiectiva.

34 Hæc satis solidè firmantur ex P. Augustino acerrimè propugnanti contra Iulianum motus concupiscentiæ esse malos. Quod probat 1. lib. 5. cap. 7. sic: *Id contra quòd concupiscit spiritus bonus, non est bonum; sed contra hos motus concupiscit spiritus bonus: ergò non sunt boni.* Probat 2. lib. 4. cap. 2. sic: *Id quod frænandum est, nè noceat, malum est; sed huiusmodi est concupiscentia actualis: ergò.* Probat 3. lib. 1. *operis imperfecti* fol. 102. *Intollerabile est id, quod provocat ad malum, non dici malum; sed libido actualis in obiectum prohibitum provocat ad malum: ergò mala est.* Probat 4. *Impudentia, & dementia est negare esse malum, desiderium mali, & concupiscentiam peccati, etiamsi ei non consentiatur, sed per spiritum adversus eam contraveniatur; sed motus libidinosus est desiderium mali, & concupiscentia peccati: ergò talis motus malus est.* Ex quibus colligo magno cum timore, & matura consideratione oportere procedere; quando rationibus metaphysicis contenditur motus illos denudare ab omni inordinatione, & malitia; & ad summum admittitur aliqua inordinatio extrinseca, aut indecentia respectu hominis, quatenùs rationalis est.

Dict. probantur ex M.P. quatuor testimonijs.

35 Nec recursus pro discrimine in utroque statu ad fomitem relictum ex peccato originali prodest: Nàm iuxta plures homo post lapsum à seipso, ut in pura natura, solum differt ut nudus, & nudatus. Tùm quia etsi ratione peccati originalis haberet homo tanquam pœnam, quod eius appetitus pluriès rebellet, aut frequentiùs, ut pluribus placet; non tamen quod esset rebellis. Quapropter semèl quod appetitus hominis in pura natura haberet motus aliquos, & aliquoties contrarios rationi, ut est innegabile iuxta doctrinam D. Thomæ; restat eadem difficultas de illis, ac de motibus post lapsum. Unde non sunt laudandi aliqui Authores ita volentes depurare ab omni inordinatione motus concupiscentiæ, quos homo haberet in pura natura, ut ex parte illorum videatur nihil esse malum.

Rejicitur quoddam discrimẽ.

36 Ulteriùs in anteced. relinquimus probatum, motus appetitus in obiecta delectabilia ultra malitiam obiectivam, habere etiam inclinare, allicere, & provocare voluntatem in consensum deliberatum peccaminosum. Hæc autem inclinatio est aliquomodò saltim inchoativè mala moralitèr: sicuti in affectione sancta est quędam rectitudo, & per quam sortitur rationem gratiæ excit. consistens in movere, & inclinare voluntatem ad consensum deliberatum salutarem. Ex omnibus his deducitur, in prædictis motibus adesse defectum duplicem à Deo incausabilem per se, & politivè, & in quibus Deus complacere nequit. Redeundo igitur ad doctrinam Div. Thom. supra positam, si ex actu oportet dignoscere naturam potentiæ; vide-

Datur aliqua malitia inchoativè imputabilis.

detur negari non posse in appetitu sensitivo, ut formalitèr potenti elicere tales motus, adesse aliquam defectibilitatem saltim moralem inchoativè malam, sive inclinativè: quam formalitatem, sive potiùs defectibilitatem, à Dei causalitate relegare condecens est. Nèc in hoc dicto videtur nobis ullatenùs fieri recessum à doctrina Div. Thom. siquidèm nullibi asserit, illlam defectibilitatem, quam haberet in puris naturalibus, ut aliquando rebellaret rationi, esse à Deo; sed solùm affirmat fore quemdam defectum non habentem rationem culpæ, aut rationem pœnæ. Nàm etiam peccabilitas in voluntate est huiusmodi; & in intellectu posibilitas ad errorem; quæ omnia exulant à causalitate positiva ex parte Dei.

Hinc notandum, inefficacitèr impugnari defectibilitatem in appetitu à nobis supra probatam, sequenti modo arguendi: *Appetitus in homine non habet talem defectibilitatem ex specie sua; deindè non habet illam ex coniunctione cum ratione; cùm ex hoc potiùs habeat inclinare in bonum: ergò appetitus hominis in pura natura, & secluso peccato, nihil habet à Deo incausabile.* Ratio huius est manifesta: Nàm nemo negabit, stando doctrinæ Div. Thom. sup. quæst. 74. art. 3. appetitum sensitivum in homine esse potentem elicere plures motus formalitèr peccaminosos, per quos potest esse subiectum vitiorum accedente consensu voluntatis: Nùnc rogo: Hæc potentia peccandi, & capacitas, ut pluribus vitijs subiaceat, undè ei conveniunt? Non ex specie sua: Non ex coniunctione cum ratione; cùm ex hac tantùm habeat ei obedire, & inclinari in motus ordinatos: ergò quòd à RR. asignetur pro huius instantiæ solutione, asignabitur pro solutione alterius instantiæ supra positæ.

37 Illat. contra aliq. RR.

38 Ex hucusque dictis constat manifestè solutio ad argum. negand. scilicèt min. Latè enim relinquimus probatum, concupiscentiam sumptam pro habilitate ad motus circa turpia in quocumque statu, non esse à Deo, ut causa. Ad 1. min. prob. Resp. Causam talis habilitatis (eo modo, quo causam habere potest) esse appetitum hominis in se, & si bi derelictum: sicuti causa huius, quod est, illum posse elicere actus pravos circa turpia mortalitèr peccaminosos, est ipse appetitus defectibilis, adiuncto prævio consensu libero voluntatis. Quòd si causam primam, & radicalem utriusq; defectibilitatis, tàm circa motus indeliberatos, quàm deliberatos quæras? Resp. Esse ipsam animam rationalem, quę quia facta est ex nihilò, derivat primò in voluntatem, tùm defectibilitatem circa actus indeliberatos inducentes ad peccandum, tùm circa actus liberos peccaminosos; & postmodùm secundò derivat similem defectibilitatem in appetitu sensitivo, quem radicat. Ad 2. eiusdem min. probat. dist. mai. Quæ consequuntur per modum perfectionis, & actualitatis, conced. mai. Per modum defectus, subdist. Purè physici, admitto mai. Moralis saltim inclinativè, aut inchoativè, neg. mai. & cum eadem min. dist. neg. conseq.

Ad 2.

Tertia probatio patitur instantiam in peccabilitate, quæ nequit negari appetitui sensitivo hominis; sicuti est innegabile, in illo intrinsecè residere habitus vitiosos, & virtutes morales eis contrarias; estò bonitas, aut malitia in suis actibus, pendeat à motione voluntatis. Et tamen iuxta doctrinam D. Thom. talis peccabilitas nequit à Deo, ut causa provenire. De quo fusè alibi. * Undè si principium huius defectibilitatis est defectus perfectæ subiectionis ad rationem, cùm ei tantùm politicè, & non despoticè subjiciatur; paritèr defectus idem erit causa, ut posit ei resistere, & rebellare appetendo obiecta sensibilia, etsi rationi adversentur. Hoc enim est de ratione subiectionis tantùm politicæ, ut posit resistere ei, cui subjicitur. Cùm autem resistentia incipiat à motibus indeliberatis; ideò facultas ad hos motus circa turpia provenit ex ipsa defectibilitate appetitus. Ad ultim. Resp. Concupiscentiam ultra id, quod ibi asignatur, importare etiam *inclinare*, & *provocare* voluntatem, & ipsum appetitum, ad consensum liberum, ut latè probatum relinquimus, & authorit. Div. Augustt. roboravimus.

39

Ad 3.

* Tom. 2. dub. 2. de causa peccati.

Quid sit fomes?

Ad ult.

Resp. directè ad argum.

Ad 1. pro bat.

In-

40 Inquires 1. *An suppositò, appetitum sensitivum distingui specie in homine, & bruto; possit dici, ex specie sua aliqualitèr inclinare in malum saltim remotè?* Ad hoc Resp. 1. notando ex Div. Thom. hac 1.2.quæst. 79. ar. 2. ad 3. ly *ex specie sua* posse sumi, vel constitutivè, vel consecutivè; qua ratione asserit, aliquos actus dici malos moralitèr *secundùm speciem suam*, aut *ex specie sua*; non quia malitia sit differentia constitutiva illorum, sed quia ad eam se habet consequentèr. Unde similitèr dici potest, appetitum sensitivum hominis habere ex specie sua posse aliquando tendere in bonum contrarium rationi; licèt se habeat, non constitutivè, sed consecutivè ad sui essentiam, posse rebellare rationi. Quare sicuti in odio Dei causat Deus quidquid essentiæ, & speciei invenitur, quin causet malitiam consecutam, ita dicendum de appetitu hominis. Resp. 2. disting. mai. Habet *ex specie sua* positivè, neg. mai. Permisivè, conced. mai. & cum eadem min. dist. neg. conseq. Constat doctrina solutionis in voluntate creata, quæ dicitur ex specie sua potens tendere in bonum apparens, non quidèm positivè; aliàs posse peccare, & spectaret ad eius constitutionem, & insuper causaretur à Deo; tolùm igitur dicitur permisivè potens ex specie sua tendere in illud; quia cùm sit species, & essentia ad mixta imperfectioni, permittit secum talem defectibilitatem.

Cuidam quæsito Resp. 1.

Talè dist. tenet Godoy supr. disp. 18. n. 15.

Secundò.

41 Inquires 2. *An motus inordinati se habeant per accidens relatè ad appetitum?* Resp. Effectum aliquem dupliciter posse se habere per accidens; uno modo præter intentionem, & influxum causæ in ipsum; alio modo præter intentionem tantùm, non tamen præter illius influxum. Ita Divus Thom. quæst. 1. de Malo art. 3. ad 14. Quam doctrinam probat exemplo domus fortunatæ, & inventionis thesauri; esse enim domum fortunatam, est effectus per accidens primo modo respectu artificis; inventio autem thesauri secundo modo. Hinc deduci potest, qualitèr malitia (præsertim si in positivo consistat) sit effectus per accidens voluntatis; quia videlicet, est præter eius ordinem, actualitatem, & intentionem, licèt non præter eius influxum. Quapropter necesse est ponere ex parte illius quamdam defectibilitatem inchoativè malam moraliter, à qua, ut causa proveniat. Consequenter ad hæc dicendum: pugnam, & rebellionem adversus rationem convenientem motui appetitus, se habere per accidens ad ipsum in primo sensu; non tamen in secundo; cùm detur in appetitu coniuncto cum ratione vis, ut possit ei resistere; & defectus plenæ subiectionis ad illam, ut possit ipsa nolente rebellare; eamque ad consensum trahere. Si quæras *An talis defectus sit privativus?* Resp. Esse privativum *ut quo*, sive inclinativè, ut diximus agentes tom. 2. dub. 6. de peccabil. voluntatis, & eiusdem appetitus sensitivi relatè ad actus sibi liberos participativè ex motione voluntatis.

Alteri quæsito Resp.

Mali non datur causa per se.

Malè cul. pæ habet causâ deficientem

Pluriès diximus, motus concupiscentiæ in bonum, quod adversatur rationi quòad sui prosecutionem liberam, provocare, instigare, & allicere voluntatem ad peccandum. Hoc autem nequit intelligi de provocatione &c. immediata, quasi post talem motum sequatur immediatè consensus voluntatis. Cùm enim peccatum in voluntate sequatur ad aliquem defectum ex parte intellectus, præsertim considerationis, & attentionis ad regulam rationis (ut docet S. Doct. hic quæst. 75. art. 1. & quæst. 1. de Malo art. 3. & 1. part. quæst. 49. art. 1. & alijs locis relatis tom. 1. circa impotentiam peccandi in Beatis ortam ex ipsa visione) talis ordo contingit in progressu ad peccandum. Prædicti enim motus ratione suæ delectationis trahunt vehementèr imaginationem ad sensibilia: ex quo provenit obnubilare, & obscurare rationem, ut efficacitèr in praxi cognoscat, & præponderet malitiam, & turpidinem repertam in consensu libero. Undè licèt remaneat aliquid rationis liberum, & aliqualis cognitio legis retrahentis à malo, vi cuius potest voluntas se detinere à consensu; ut docet S. Doct. sup. quæst. 10. ar. 3. & quæst. 77. ar. 1. Si tamen intellectus non efficacitèr attendat ad regulam rationis, & vo-

42 Advertentia dignû.

lun-

luntas non applicet intellectum, ut actu consideret præponendo bonum honestum bono delectabili; sine dubio sequitur peccatum in voluntate.

43 Sic enim verificatur, dictum à Div. Thom. hac 1. 2. ubi sup. *Voluntas tendens in bonum commutabile sine adhibitione regulæ rationis, est causa peccati.* Hac ratione probat S. Doct. præsertim quæst. 1. de Malo art. 3. Malum culpæ procedere à voluntate, ut deficiente defectu consistente in hoc, quod est actu non attendere, nèc subjici regulæ rationis. Et rursùs probat: Hunc defectũ præintelligi ante peccatum; eumque pro signo anteced. nèc esse culpam, nèc pœnam; sed fieri imputabilem ex hoc, quód voluntas sine tali consideratione procedit ad operandum. Quæ doctrina clarissimè percipitur exemplo adducto à S. D. artificis procedentis sine adhibitione mensuræ ad scindendum; ex quo provenit sectionem esse defectuosam. De quo plura tom. 1. loco citato, & tom. 2. dub. 5. §. 3. & 4.

Quia tamen hæc doctrina pro

44 pluribus quæst. valdè ut ilis ad earum resolutionem, non omnibus placet; eiusque oppositum suaderi valet ex

Aliq. test. in contra testim. S.D. opportunum duxi aliqua referre, nè subitò aliquis præoccupatus eis allucinetur, & ex eorum solutione iuxta illius mentem, firma, & clara, quæ superiùs adducta sunt, omnibus appareant. Primum testim. habetur quæst. 1. de Malo art. 3. ad 6. *In quo agit de causa mali ut sic. Cùm ergò dicitur, quòd bonum, in quantùm est deficiens, est causa mali; sic ly in quantùm designet aliquid præexistens; sic non est universaliter verum. Si autem designet concomitantiam, sic verum est universaliter: quia omne, quod causat malum, est deficiens, id est, defectum causans: sicut si diceretur, quòd omne calefaciens calefacit, in quantùm est calefaciens.* * Et ad 7. *Ut bonum sit causa mali, non est necessarium, quòd habeat qualemcumque defectum; quia etiamsi non sit deficiens, potest esse per accidens causa mali.* Ferè eadem habet solut. ad 10. & in 2. d. 34. q. 1. a. 3. ad 4. * Illius defectus, qui est in actu voluntatis, non oportet, quod sit causa alius defectus in voluntate præexistens actu; quia sic in infinitum iretur: *Sed ipsamet voluntas secundùm se considerata illius defectus causa est.*

* Sic quidã Neoter.

Primum, & secundum testi- 45 monium nulla gaudent efficacia: referuntur enim truncatè; quare si integrè adducantur, oppositum in eis docet S. D. Sic enim a. 3. de Malo præmittit: *Bonum est causa mali, in quantùm est deficiens: & etiam bonum in quantùm non est deficiens, est causa mali per accidens. Sed in voluntarijs causa mali, quod est peccatum, est voluntas deficiens; sed ille defectus nèc habet rationem culpæ, nèc pœnæ, secundùm quod præintelligitur peccato, sicut expositum est in corp. art. Nèc huius defectus oportet aliam causam quarere. Undè non oportet procedere in infinitum.* Ex quo constat, in verbis nobis obiectis loqui de malo, quod dicitur malũ tamũ in re, aut in effectu alieno agenti; ut infra fundavimus ex eodem Sanct. Doct. non autem de Malo culpæ, quod dicitur malum actionis, ut egredientis à voluntate. Secundum testimonium eodem motivo evanescit: Nàm sic præmittit: *Bonum in quantùm habet aptitudinem ad deficiendum* (En defectum, quem aliqui necessarium, & sufficientem ponunt ad peccandum) *non est sufficiens causa, quòd sit malum in actu, sed in quantùm habet aliquem defectum in actu, sicut etiam in voluntate expositum est.* Nèc obest illa dictio *sicut etiam &c.* Nàm malum actionis, sive actio defectuosa, nèc in agente naturali contingit, nisi ob defectum in eius virtute, vel in instrumento, vel in materia, ut infra dicemus.

Soluit. ad 1.

Ad 2.

Ad 3. Respond. Sanct. Doct. ibi enumerare duplicem de- 46 fectum in voluntate; unum potentialem, in quantùm est ex nihilo, & de illo affirmare: *non esse sufficientem causam, ut voluntas peccet; aliàs semper deficeret, sicut crus claudum semper claudicat.* In quo opponitur manifestè Adversar. Alium verò actualem, & repertum in ipso actu voluntatis; & in quo collocat rationem mali culpæ. Dùm ergò huius defectus nullum alium defectum, ut causam designat; excludit defectum, qui sit ma-

Ad 3.

malus, & rationem culpæ habeat; secùs autem defectum, qui sit purè negativus, & qui pro signo anteced. non habeat rationem mali. Et hoc modo se habet defectus attentionis, aut usus regulæ rationis, dùm voluntas procedit ad peccatum. Hæc solutio fundatur in discrimine assignato à S.D. dùm voluntas procedit ad primũ peccatum, & dùm prorumpit in actum exteriorem; ait enim: *Primi mali culpæ causa est voluntas bona; sed per accidens; secundi autem mali, quod est in actu exteriori, causa est voluntas iàm mala per actum interiorem.* Unde negat defectum, qui sit privativus, & rationem culpæ habeat. Hinc, etsi in prædicto loco non meminerit defectus, qui à nobis propugnatur; illum tamen non denegavit.

47 Elucidatio eorũ, quæ dicta sunt.

Pro recta intelligentia eorum, quæ dicta sunt, & doctrinæ S. Doct. circa causam mali, de qua agit locis supra relatis. Advertendum 1. Malum ut sic solum habere causam per accidens. Ita 1. p. q. 49. a. 1. & q. 1. de Malo a. 3. Ratio est: Nàm malum qua tale est præter intentionem agentis: quod autem ita evenit, dicitur effectus per accidens respectu illius. Cum quo optimè componitur, quod si rationi *mali* in privationes consistentis, adiungatur ratio *pœnæ*, vel etiam ratio conducentis ad aliquod bonum à Deo per se volitum: uti contingit in corruptione aliquarum rerum conducente ad conservationem universi; prædictum malum ut his formalitatibus indutum, cadit aliqualiter sub intentione agentis universalis; & præsertim Dei, qui iustè se gerit, dùm punit peccata, & vult conservationem universi. Quapropter non se gerit, ut pura causa per accidens respectu mali sub tali consideratione.

48 Duplex malum.

Deindè 2. advertendum est. Malum posse considerari vel pròut est malum actionis; vel pròut est malum in re aliqua, quæ nec est actio, nec effectus proprius agentis, sed effectus extraneus. Ita Sanct. Doct. loco relato ex 1. p. Hac distinctione suppositâ asserit ibidem, & q. 1. de Malo art. 3. Malum primo modo acceptum requirere pro causa sui causam deficientem, defectu, inquam, aliquo, qui præintelligitur, & præcedit ad ipsam actionem defectuosam. Hoc probat, tùm in agentibus naturalibus, tùm in agentibus voluntarijs. In agente enim naturali: quia cum huiusmodi agens agat qua tale est, si ex parte causæ principalis, vel ex parte instrumenti, quo utitur, vel ex parte materiæ, seu subiecti, in quo intendit propriam formam introducere; non præcedat aliquis defectus: nec actus proprius agentis, nec illius proprius effectus erit defectuosus. Exempla sunt de se satis manifesta pro rectitudine actionis, & proprij effectus, quando omnes causæ sunt rectè dispositæ. Pro irrectitudine, aut defectu actionis, aut proprij effectus, adsunt exempla in partibus monstruosis, & similitèr in claudicatione ob defectum cruris se habentis, ut instrumentum ad motum: & in artifice, etsi perito, secante lignum nodosum, quod non dirigitur ad rectam scissionẽ artificis, quo exemplo utitur S.D. in 2. d. 34. q. 1. a. 3. & d. 33. q. 2. a. 1. De agentibus voluntarijs loquẽdo est expressa doctrina Sanct. Doct. ubi supra, ratione sæpè adducta locis citatis: Unde superfluum est illam repetere.

Vide Eminent. Cajetan. in Commentar.

49 Malaphysica sunt à Deo; quin sit deficiens.

Si autem sermo sit de malo; quod dicitur malum in effectu extraneo agenti: uti se habet corruptio formæ ligni respectu ignis producentis formam substantialem ignis in materia prima, propter incompossibilitatem duplicis formæ substantialis: De hoc, inquam, asserit Ang. Mag. non habere causam deficientem, defectu inquam alicuius virtutis, aut actualitatis, ut inducat tale malum; quin potiùs asserit idem Mag. quòd quantò agens fuerit fortius, & vehementioris activitatis, eò perfectiùs inducet malum, quod dicitur tantùm malũ in re aliqua, seu in effectu extraneo agenti. Constat hoc in igne, qui quanto maiori activitate, & efficacia virtutis gaudeat, eò perfectiùs, & vehementiùs causabit corruptionem ligni. Hæc omnia sunt pervia, & solida in doctrina S. Doct. ut legenti constabit. Hinc meritò Div. Thom. locis ubi sup. nobis obiectis asserit, malum universalitèr non requirere causam defi-

cien-

cientem cum aliquo defectu, qui prę-intelligatur in ipsa ante malum causatum; quia cùm hoc præscindat ex se à malo, quod dicitur malum actionis, aut effectus proprij agentis, & à malo, quod dicitur tale in re aliqua, sive in effectu extraneo: falsò diceretur de illo universaliter sumpto requirere causam deficientis virtutis propter rationem dictam. Sed etiam meritò asserit S. Doct. loquendo de malo actionis, sive effectus proprij agentis, tàm in naturalibus, quàm in moralibus, illud requirere in sui causa aliquem defectum pręexistentem, & non sufficere solam aptitudinem ad deficiendum. Undè his rectè consideratis omnia constant, manetque firmatum in voluntate non posse dari malum culpæ, nisi præexistat defectus actualis considerationis, & subiectionis in voluntate ad regulam rationis, vel legis divinæ. *Et hæc de hoc dub. applic. Litt. Mag. ubi præcedens.*

DUBIUM APPENDIX AD HUNC TRACTATUM.

AN DONVM INTEGRITATIS IN Adamo fuerit entitativè supernaturale?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA.

N. 1 QUia in anteced. pluriès loquuti sumus de dono integritatis concesso Adamo innocenti; & de illius privatione secuta ex peccato originali; opportunum duxi aliqua, etsi brevissimè, de illo dicere, ut aliqualis notitia; tùm pro eius perfectione; tùm pro causa, & radice illius, lauditoribus affulgeat. Supponimus, illud fuisse gratuitum, utpotè indebitum naturæ constanti ex contrarijs inclinationibus, scil. ad bonum rationis, & ad bonum delectabile aliquando rationi contrarium, qualis est natura humana. De quo Mag. Boliv. hic dub. 3. à num 22. Supponimus etiam fuisse extrinsecè supernaturale ex parte finis: cum fuerit collatum à Deo, ut faciliùs perseveraret in gratia, & consequeretur gloriam. Admittimus etiam illud fuisse supernaturale etiam extrinsecè ex parte causæ radicantis; utpotè proveniens à gratia sanctificante infussa Adamo: Nàm etiam dotes corporis glorioši, scil. claritatis, & impassibilitatis, sunt entitativè naturales; & ortum ducunt à visione beata.* Deindè supponimus, esse possibile donum integritatis entitativè naturale. Quare quæstio est: *An fuerit huiusmodi donum integr. concessum Adamo?* M. Soto lib. 1. de natura, & gratia tuetur partem affirmativam, quem sequitur Mag. Medina in introductione ad Tractat. de necessitate gratiæ. Et Mag. Ferre tractat. de statibus fol. 51. Oppositum tuetur Cayetan. 1. part. quæst. 25. art. 1. quem sequitur Magist. Gonet. Idem docet Scotus in 2. dist. 29. Suarez proleg. 4. cap. 9. Mag. Boliv. utrumque tuetur problematicè.

Suppon. 1 Contra Baium.

Secundo.

* Sic PP. Salm.

Ultimo.

Sententię

§. II.

§. II.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Idem donum fuit intrinsecè, & entitativè supernaturale.

2 PRobatur 1. ex Div. Thom. 1. par. quæst. 95. ar. 1. asserente: *Subiectionem plenam appetitus ad rationem in Adamo fuisse secundùm donum gratiæ.* Idem docet Mag. Parens lib. 4. contra Iulian. cap. ult. appellans illud *magnam gratiam.* Deinde: Nàm sic arguit S. Doct. loc. cit. Subiectio appetitus ad rationem fuit in Adamo effectus subiectionis animæ in Deum; sed effectus nequit esse potior sua causa: ergò si hæc subiectio fuit secundum donum gratiæ, etiam prædicta subiectio animæ. Atqui S. D. intendit probare hoc discursu, subiectionem animæ in Adamo fuisse entitativè supernaturalem, sive per gratiam sanctificantem: ergò idem dicendum de subiectione appetitus &c. Rursùs iuxta D. Thom. 1. p. q. 97. a. 1. *Animæ Adami fuit data virtus supernaturalis, per quam poterat præservare corpus ab omni corruptione.* Nùnc sic: subiectio corporis ad animam fuit supernaturalis: ergò etiam subiectio appetitus ad rationem. Nàm sicut prima est integritas secundùm vitam corporalem; ita secunda est integritas secundùm vitam rationalem.

Prob. ex S.D.

3 Ratio est. Tale donum erat vigor plenè subjiciens appetitum rationi, ut operanti intra ordinem naturæ, & intra ordinem gratiæ: ergò erat subiectio entitativè supernaturalis. Añs. quòad 2. p. prob. 1. Ex vi talis vigoris ita erat appetitus subiectus rationi, ut nec resisteret, nec posset, dùm operaretur intra ordinem gratiæ; aliàs quando sic operaretur, experiretur rebellionem, quod nequit dici. Deindè pr. 2. idem añs. Appetitus talitèr erat subditus rationi, ut obediret ipsi imperanti imperio supernaturali: ergò erat subiectio ad rationem, ut operantem in utroque ordine. Quod vero ex hoc inferatur esse entitativè supernaturale, sic probat. 1. Subiectio voluntatis ad Deum, ut legislatorem naturalem, est virtus obedientiæ naturalis; subiectio vero ad ipsum, ut legislatorem supernaturalem, est obedientia entitativè supernaturalis: ergò similitèr vigor integritatis subjiciens &c. 2. Religio subjiciens voluntatem Deo, ut A. naturæ in exhibitione cultus, est naturalis; supernaturalis vero, quæ subjicit voluntatem, & facit servire Deo in exhibitione cultus, ut est Author gratiæ: ergò similitèr.

Prob. ratione.

4 Confirm. ex Div. Thom. 1. 2. q. 68. ar. 1. probante, necessitatem donorum Spiritus Sancti supra virtutes theologicas, & morales sequenti discursu: * Voluntas nostra (idem de appetitu sensitivo) est mobilis, tùm à ratione naturali, tùm etiam à ratione informata fide, & prudentia infusâ; & deniquè est mobilis etiam à Spiritu Sancto iuxta illud: *Quicumque Spiritu Dei aguntur &c.* Ergò sicuti dantur in voluntate virtutes naturales, secundùm quas sequitur ductum rationis naturalis; & virtutes infusæ, secundùm quas sequitur ductum fidei; oportet etiam dari, quasdam perfectiones, secundùm quas sequatur instinctum, & motionem Spiritus Sancti; quæ vocantur dona illius. Conseq. innititur in eò, quòd omne, quod movetur, necesse est proportionari cum suo motore, & quantò movens est altius, tantò necesse est, quòd mobile perfectiori dispositione ei proportionetur. Cùm igitur Spiritus Sanctus sit altior movens, quàm ratio nostra, etiam ut instructa fide, oportet dari in ea superiorem dispositionem, secundùm dona Spiritus Sancti. *

Confir. ex doct. S.D.

5 Ex quibus sic arguo. Subiectio voluntatis ad rationem naturalem fit per virtutes naturales; subiectio vero ad rationem, ut supernaturalitèr dirigentem, fit per virtutes infusas; & subiectio eiusdem ad motionem Spiritus S. fit per illius dona: ergò pariter subiectio plena appetitus ad rationem, tàm naturalitèr, quàm supernaturalitèr dictantem, fit mediante dono gratiæ supernaturalis. Rursùs: Vigor ille erat perfecta dispositio, secundùm quam appetitus erat mobilis à ratione operanti, tàm

Format. ratio.

na-

naturaliter, quàm supernaturaliter: ergò cum dispositio mobilis sit proportionata suo motori, talis dispositio erat super naturalis.

§. III.

Solvuntur argum. contra hanc rationem.

6 Arg. 1. Virtutes supernaturales subjiciunt appetitum sensitivum rationi, ut supernaturaliter dirigenti, & operanti: ergò talis subiectio non proveniebat à dono integritatis. Insto argumentum. Virtutes naturales subjiciunt appetitum rationi, ut naturaliter operanti: & tamen donum integritatis subjiciebat in Adamo appetitum rationi, ut naturaliter operanti: ergò. Deindè Resp. subiectionem provenientem à virtutibus non esse plenam, sed politicam, & cum facultate resistendi: ideòque indigebat vigore supernaturali, ut perfectè, & plenè ei subjiceretur. Si enim prima subiectio, estò imperfecta, fit per virtutem supernaturalē, quanto magis secunda.

Primum argum. solvitur.

7 Argues 2. Talis vigor non erat operativus, aliàs esset virtus supernaturalis: ergò solum subjiciebat appetitum, removendo omnes motus adversantes imperio supernaturali; sed quod sic obedit motioni supernaturali, scilicèt removendo prohibens, non oportet, quod sit entitativè supernaturale: ut patet in amore Dei, ut A. naturalis super omnia, pugnanti cum aversione ab ipso ut A. gratiæ: ergò. Resp. Quod licet talis vigor non esset donū per se 1. operativū, expediebat tamē positivè appetitum, ut sequeretur ductum rationis supernaturalis. Quare non erat dispositio purè negativa, sed physicè conducens ad actus supernos pro casu, quo imperarentur. Ratio est: Nàm aliter expediebat talis vigor; ac expediret decretum ex parte Dei denegandi concursum ad motus inordinatos.

Secundū arg.

Solutio.

8 Arg. 3. Talis vigor solum excludebat passiones pravas; sed istæ sunt naturales: ergò solum excludebat repugnantiam provenientem ab aliquo naturali. Sed ad hoc non requiritur aliquid entitativè supernaturale; ergò.

Tertium.

Resp. 1. Per talē vigorem non solum præstari exclusionem omnis motus inordinati, sed etiam positivè expediri appetitum sensitivum, ut obediret rationi supernaturali; proindèque ex hoc 2. cap. licet non ex 1. debebat esse entitativè supernaturale; ut patet à simili, in virtutibus moralibus supernaturalibus. Resp. 2. Passiones pravas, etsi entitativè purè naturales, multotiès esse aversivè supernaturales; scilicèt, quando repugnant rationi directè imperanti exercitium virtutis supernaturalis; & ad huiusmodi exclusionem requiri aliquid entitativè supernaturale.

Prima solutio.

Secunda.

§. IV.

Alia ratio examinatur, & liberatur ab impugnationibus.

9 Rebellio carnis adv. spiritum est homini naturalis; ideòque convenit et ipsi in pura natura: ergò donum auferens hanc rebellionem est intrinsecè supernaturale. Conseq. prob. à simili in carentia propriæ subsistentiæ, & in carentia peccabilitatis; quæ quidem quia naturaliter conveniunt substantiæ creatæ, donum auferens propriam subsistentiam, & peccabilitatem, est entitativè supernaturale. Confir. hoc ex illo Pauli ad Gal. 5. *Quis me liveravit decorpore mortis huius? Gratia &c.* ergò liberari à fomite peccati est effectus gratiæ supernaturalis, & Iesu Christi.

Proponitur alia ratio.

10 Contra hanc rationem instab. 1. Nàm probat non posse dari integritatem naturalem entitativè, absque elevatione ad ordinem gratiæ, quod est falsum; de quo Boliv. dub. 1. §. 3. 2. Nàm beatitudo naturalis possibilis in alia providentia afferret secum donum integritatis; alias talis homo non esset fœlix, sed potiùs plenus miseria, scilic. rebellione. 3. Dotes corporis glorioſi, scil. impassibilitas, & claritas; sunt entitativè naturales; & tamen auferunt defectus per se subsequtos ad corpus. Deindè cognitio speculativa omnis veri naturalis est entitative naturalis; & tamen ratione habituum, & specierum excluderet ab intellectu humano defectibilitatem in cognoscendo, illi per se convenientem: ergò ex terminis

Instab. 1.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

illa propositio : *Donum integritatis in Adamo afferebat rebellionem per se ab intrinseco convenientem appetitui : ergò erat entitativè supernaturale*; est falsa.

11 Resp. ad 1. inst. concessa possibilitate integritatis naturalis, adhuc esse discrimen. Nàm integritas concessa Adamo erat plenè subjiciens appetitum : quia scilicèt excludebat inordinationem motus contra præcepta naturalia, & supernaturalia. Illa autem integritas possibilitatis in alia providentia, solum excludebat inordinationem motus contra legem naturæ. Quemadmodum exclusio peccabilitatis præcisè contra Deum A. naturę non petit formam intrinsecè supernaturalem, ut patet in Angelis : benè tamè exclusio peccabilitatis in omni ordine. Perquod cōstat ad 2. Ad 3. Resp. Solum de dono claritatis posse concedi in beatis esse entitativè naturale; quia videlicèt percipitur à visu absque elevatione. De alijs vero donis dicimus esse intrinsecè supernaturalia. Si enim iuxta D. Thom. immortalitas Adæ erat supernaturalis, quanto magis immortalitas, & impassibilitas beatorum, quæ non solum dicit : posse non pati, & non mori, sed etiam non posse mori, & pati. Ad ult. Resp. Talem collectionem excludere ab intellectu defectibilitatem intra ordinem naturæ; non verò simplicitèr, & in omni ordine. Integritas verò concessa Adamo, utpotè extinctio fomitis, excludebat omnem rebellionem adversus rationem rebellantem, tàm in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ.

Ad 1. instant.

Ad secundam, & tertiam.

Ad ult.

§. V.

In quo quæritur : An integritas in Adamo dimanaverit à gratia sanctificante?

12 Resp. affirmativè cum communi Thomist. sensu. Nàm licet gratia sanctificans secundùm se præcisè non radicet tale donum; ut constat in omnibus viatoribus iustificatis; benè tamen, ut affecta quodammodo dominij. Sed contra hoc arg. 1. M. Ferre. Gratia Adami non dominabatur illius animæ, plusquā modo dominatur animæ nostræ : ergò. Añs. sic prob. Gratia illa ità dominabatur, ut posset Adamus eam amittere, & illa non uti; sed hoc modo dominatur animę cuiuslib. iusti : ergo. Urg. Gratia illa non dominabatur voluntati Adæ despoticè; cum illi restiterit, eamque perdiderit : ergò solum dominabatur ipsi politicè. Sed hoc dominium exercet etiā circa iustos : ergò.

Concluſ. est affirmat. Vide fol. 227. n. 41.

In contr. arguit M. Ferre.

Urget.

Propter hęc M. Ferre asserit gratiam concessam Adamo radicasse donum integritatis, non propter aliquem modū intrinsecum dominij, sed propter diversum statum : Nàm sicut gratia habitualis in statu viæ radicat fidem, & spem; & in statu termini, visionem, & fruitionem; ita similitèr in statu innocentiæ habebat radicare donum integritatis. Quod videtur expressum in D. Th. in 2. d. 32. q. 1. a. 2. ad 2. dicente : *Exclusionem rebellionis in Adamo provenire à gratia originali ratione alicuius accidentis*; in quo solum intelligi potest status innocentiæ accidentalitèr conveniens gratiæ.

13 Discursus M. Ferre.

Hic tamen modus dicendi non placet. 1. Forma radicans ratione alicuius status aliquas proprietates, dicit priotitatem ad proprietates ratione sui, & simul ratione status; siquidē status est conditio ad radicandum : ergò si gratia in statu innocentiæ radicaret donum integritatis, tàm gratia, quàm talis status, esset prior tali dono. Sed hoc est falsum, cum status constituatur innocens per donum integritatis : ergò. Nec valet si dicas : Statum innocentiæ Adami respectivè ad Deum esse priorem dono integritatis, & hoc modo radicabat gratia habitualis alia dona perficientia ipsum Adamum. Non inquam valet : Nàm dùm intelligitur gratia Adami respectivè ad Deum præcisè, solum intelligitur subjiciens animam Deo ut fine; ex hac autem subiectione non deducitur, quod radicet alia dona, ut videre est in nobis.

14 Impug.

Deindè testim. D. Th. non satis congruè explicatur, intelligendo nomine accidentis statum innocentiæ. Nā accidens alicuius rei, dicit saltim aliquē modum ipsam afficiētem, aut perficiētem; status autem formæ, estò accidentalitèr prędicetur de forma, non est modus ipsam afficiens. Hoc videre est in lapide radicanti motum extra centrum; & tamen non dicitur illum ra-

15 Ad mod vam in contra Resp.

radicare ratione alicuius accidentis. Rursùs: D. Thomas ibi non loquitur de subiectione appetitus ad rationem, sed de subiectione corporis ad animam, de qua 1. p. q. 97. a. 1. dixit: *Provvenire à virtute supernaturali existente in anima.*

16 Ad instantiam factam à Mag. Ferre Resp. Gratiam in Adamo habuisse specialem modum dominij, non solum supra voluntatem, sed etiam supra appetitum sensitivum. Natura enim divina, cuius gratia est participatio; habet infinitos modos de linea perfectionis spectantis ad lineam naturæ; unde ab illa gratia collata Adamo participabat modum specialem radicandi vigorem supernaturalem subjicientem appetitum rationi. Quare gratia cum speciali illo dominio est idem, ac gratia, ut participatio naturæ divinæ perfectè subjicientis hominem Deo, hoc est, & secundùm rationem, & secundùm appetitum.

Ad motivam contra Resp.

§. V.

Proponitur, & defenditur modus dicendi Illust. Godoy.

17 Hic Illust. A. tom. 3. in 3. p. disp. 42. §. 4. & 5. à n. 131. asserit gratiam sanctificantem in Adamo radicasse virtutes morales afficientes appetitum; sed non utcumque, sed cum quadam perfectione extensiva, sive modali; proindèque per virtutes sic affectas fuisse extinctum in Adamo fomitem peccati, idemque docet de Christo Domino iuxta doctrinam D. Thom. 3. p. q. 15. a. 2. Argumenta, quæ contra hunc modum dicendi, possunt objici ex P. Vazquez, ibi eruditè solvuntur à prædict. Illust. Hic modus dicendi placet 1. quia sic salvatur integritatem in Adamo fuisse intrinsecè supernaturalem, utpotè consistentem in quadam perfectione modali, & extensiva virtutum infusarum; extensio autem, & modus formæ est intra eundem ordinem. 2. quia in hoc modo dicendi salvatur donum integritatis radicatum fuisse in gratia: sicuti & ipsę virtutes quòad substantiam in illa radicabantur. Unde tale donum pro materiali dicebat virtutes infusas; pro formali vero perfectionem extensivam, & modalem, vi cuius subjiciebant appetitum rationi irresistibilitèr, & indeclinabilitèr. Sicut enim dicitur à Thomistis gratiam habitualem remittere peccata venialia confessa per aliquem modum ipsi superadditum; ita dicitur virtutes infusas semper subjicientes appetitum rationi quòd substantiam; ratione alicuius modi illum subjicere immobilitèr, & irresistibilitèr.

Prob. 1.

Secundo.

18 Nec dicas D. Thom. sæpè asserere hominem in statu naturæ integrè ad merendum vitam æternam, & ad supernaturalitèr agendum, indigere gratia sanctificanti: ergò supponit S. D. talem statum integritatis non includere gratiam sanctificantem. Non inquam dicas: Nàm sufficientèr exponitur D. Thom. dicendo, loqui de integritate secundùm se, & ex terminis: quam potuisse provenire ab aliquo dono naturali entitativè, communitèr tuentur Thomistæ. Quod sufficit, ut D. Thom. loquatur in sensu formali, & attentis his, quæ ex natura rei, dicit donum integritatis.

Occurrit. cuidam instant.

19 Ex dictis inferes 1. quod licet status naturæ integræ potuerit separari à statu innocentiæ; de facto tamen hi status fuerunt indivisibilitèr coniuncti. Ratio est, quia status integritatis potuit fieri per quemdam vigorem *entitativè* naturalem, etsi gratiosum *possessivè*, quia superat inclinationem naturæ humanæ ex contrarijs inclinationibus compositæ. Status autem innocentię requirit gratiam sanctificantem: cumque hæc duo inter se sint inconnexa, inde fit inter utrumque statum non dari ex se connexionem. Quia tamen gratia sanctificans constituens Adamum purum, & innocentem, de facto radicavit donum integritatis, quo perfectè appetitus sensitivus subdebatur rationi (ut supra diximus) ideò fuerunt inseparabilitèr prædicti status coniuncti. Inferes 2. Ipsam gratiam sanctificantem Adamum, quatenùs (ultra effectum formalem reddendi ipsum sanctum, Deoque amicabilitèr dilectum) habuit ex dono Dei radicare donum integritatis, immortalitatis, & alia; sortiri

Illatio prima.

Secundo.

denominationem *iustitiæ originalis*, traducendæ etiam in posteros, si Adamus non peccaret. Ex quo colligitur, quod licet per baptismum restituatur gratia sub munere sanctificantis (in quo stat primarius effectus iustitiæ originalis) non tamen per baptismum restituitur *iustitia originalis* hoc nomine significata. Siquidem ex sui ratione, & expressione, superaddit ad gratiam, quòad essentiam munus radicandi dona recensita. Unde licet restituatur rectum iustitiæ originalis absolutè sumptum, non tamen sub illa connotatione radicis in actu secundo.

20 Tertia. Inferes 3. Peccatum originale privans formaliter, & immediatè gratiam sanctificantem concessam toti naturæ humanæ sub conditione, quòd Adamus non peccaret, privare etiam ex consequenti dono integritatis supernaturalis. Ratio est, quia gratia sanctificans fuit oblata à Deo, si Adamus non peccaret, non solum quòad effectum formalem specificum sanctitatis, & amicitiæ cum Deo, sed etiam, quòad munus superadditum radicandi virtutes infusas perfectè subjicientes appetitum rationi, per quendam modum, seu perfectionem dominij supra explicatam. Unde sublato primo munere in gratia sanctificante ob peccatum originale, auferetur etiam secundum. Quia tamen hoc secundum munus non est, quasi intraneum rationi sanctitatis, & amicitiæ cum Deo, ut patet in viris insignis sanctitatis: ideò peccatum originale in ratione culpæ, & maculæ, adæquatè constituitur quoad sui essentiam per privationem illius iustitiæ, quæ etiam erat originalis, sed sub munere formalis sanctitatis.

Quia Mag. Sentent. iuxta S.D. in 2. dist. 29. q. 1. a. 2. sensit Adamum fuisse creatum in iustitia originali, non tamen in iustitia gratuita, rursùsque primam iustitiam appellat *naturalem*: in quo modo loquendi imitatur ipsum S.D. quamvis asserat * esse probabilius illum fuisse creatum à Deo in iustitia gratuita, & hanc fore communicandam posteris, si ipse non peccaret. * Nè, inquam, ex hac loquutione præbeatur aliqua occasio in favorem Michaelis Baji tuentis integritatem primi status non fuisse gratiam concessam naturæ humanæ; advertendum est: quod aliquid potest dici naturale; vel quia ortum ducit ex principijs naturæ, estque iuxta illius exigentiam; vel quia inseparabilitèr naturam committatur, estò sit donum gratiosum, sive indebitum naturæ. Et in hoc secundo sensu accipiendus est Mag. Estque doctrina D. Thom. in simili 3. p. q. 1. art. 12. & 4. contr. Gent. cap. 51. Dùm autem illam contraponit *iustitiæ gratuitæ*, nomine huius non intelligit præcisè donum gratis datum, sed donum faciens hominem Deo gratum, atque amicabilitèr dilectum; & ratione illius potentem elicere opera meritoria, & Deo grata; ut ibi asserit S. Doct. Gratiæ enim gratis datæ, & insuper motus gratiæ excitantis, sunt dona gratis concessa, non tamen sunt gratuita, ad hunc sensum; quia eis homo fiat Deo gratus. *Dicta sufficiant de hoc dub. applic. ubi præced. Et de toto hoc tractat. ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, Sacratissimique Nominis Iesu.*

21 Adverten dum.

***
*



TRAC-

TRACTATVS
DE NECESSITATE GRATIÆ

IUXTA MIRAM ANGELICI PRÆCEPTORIS DOCTINAM, HAC 1. 2. q. 109. in 2. dist. 28. Et q. 24. de Verit. & alijs suæ doctrinæ locis, è sugestu dictatus.

PROEMIUM.

INter Solis Aquinatis splendores, quibus, ut cœlestis suæ doctrinæ radijs, Catholicam Ecclesiam mirificè illustravit: præcipuè emicat aureum opus de Gratia Dei. Sic enim Mater Ecclesia testatur dicens. *Collaudetur Christus Rex gloriæ, qui per Thomam lumen Ecclesiæ, mundum replet doctrina gratiæ.* In Offic. Or. Præd. Varijs enim encomijs doctrina Angel. Præcep. sub hoc nomine à Summis Pontificibus est proclamata; dùm eam prædicant *doctrinam veridicam, Catholicam, absque ullo prorsùs errore*, & in veritate sententiarum, proprietate verborum, & modo dicendorum sola Canonica inferiorem; cuius veritate; ferè infiniti errores confutati sunt, multæque hæreses exortæ post illius *redditum ad Cœlos, confusæ, & convictæ fuerunt.* At dùm eandem Ecclesia nuncupat *doctrinam gratiæ replentem universum mundum* aliquid suspicor, in fœlici nuncupatione novi nominis, excelsum, & sublime: maximè, dùm in illius encomium iterùm canit Ecclesia:

Thomas in mundi vespere *Donis plenus ex Æthere* In Himn.
Fudit Thesauros gratiæ *Morum, & sapientiæ.*

En clarè plenitudinem doctrinæ gratiæ, dùm Thomas de fonte sui luminis effundit *in suis scriptis* Thesauros gratiæ. Memini Angelicum Doctorem adhuc lactentem, de Cœlo accepisse chartulam à Deipara Virgine missam, in qua salutatio Angelica scripta erat. Cumque Mater, & Nutrix eius, vellent è manu eripere; gestu, lachrymisque eam repetens; infantulus statim, ac sine mora eam deglutivit. O singulatis erga nostrum Thomam Virginis Deiparæ pietas; atque beneficentia; hoc munere gratiæ adoptantis illum, quasi filium, filij sui collactaneum! Ipsum enim Regem Angelorum (canit Ecclesia) sola Virgo lactabat ubere de Cœlo pleno; ipsum etiam Doctorem Angelorum Sacra Virgo lactavit, donans ipsi *Ave Maria*, Thesauro Divinitatis, & gratiæ plenum.

Divinus, atque Regius Vates David sedens in Cathedra sapientissimus pro forma, & gradu Magisterij, sic Spir. S. afflatus, affatur: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Psal. 44. In his verbis (exponit Doct. Ang.) plenitudo sapientiæ, atque sanctitatis prophetæ ostenditur: Nàm eructatio propriè ex plenitudine procedit. Sed cur, quæso, huius eructationis terminus, sive *Ructus* dicitur *verbum bonum*? Sub quo teste Mag. Basil. intelligitur Panis ille Cœlestis, qui dat vitam mundo? Quamoptimè Resp. idem Parens: *Anima sanè sacris educata disciplinis convenientem, & accomodatam sumptis edulijs emittit eructationem. Quoniam ergò spiritualis erat, optimaque nutritio, verbum bonum Propheta eructavit. Bonus namque homo ex cordis sui Thesauro bonum profert.* Quid ergò mirum ut Ang. Thom. mundum repleat doctrina gratiæ, si plenitudinem gratiæ lactando, fuit ab ipsa infantia spiritualiter nutritus? Quid mirum, ut proferat in lucem Thesauros gratiæ, si in corde suo infans Thesaurum gratiæ, quo spiritualiter nutriretur, reposuit. Eructat David verbum bonum, quia plenus sapientia, & devotione: eructat Thomas doctrinam gratiæ, quia plenus donis morum, & sapientiæ. Accedamus igitur fidenter ad illius doctrinam, undequaque Thesauros gratiæ fundentem, ut de gratia Dei, eius lumine duce agentes, illius mente assequamur.

DUBIUM I.

VTRVM HOMO SINE GRATIA aliquod verum cognoscere possit?

§. I.

QUID NOMINE GRATIÆ INTELLIGATUR?

NIOMissis varijs significationibus huius nominis *gratia*, quæ frequentèr inveniuntur apud Sac. Script. SS. PP. & etiam apud prophanos AA. sequendo considerationem Theologicam illius, & proùt ad præsentem Tractat. conducere potest; tripliciter iuxta D. Thom. 1. 2. q. 110. a. 1. gratia potest accipi: uno modo pro dilectione alicuius; sicut consuevimus dicere, quod iste miles habet gratiam Regis; hoc est, diligitur à Rege. 2. Sumitur pro aliquo dono gratis dato; sicut solemus dicere, dùm alicui beneficium elargimur: *Hanc gratiam facio tibi.* 3. sumitur pro recompensatione beneficij gratis dati. In quo sensu dicimus agere gratias pro beneficijs acceptis: quod propriè spectat ad virtutem gratitudinis, ut actus proprius illius, ob quam rationem ipse D. Thom. 2. 2. q. 106. virtutem gratitudinis gratiam appellat. Iuxta huiusmodi acceptionem percipitur sensus illius proloquij, scilicèt: *Gratia gratiam parit*, id est, beneficium, gratiarum actionem. Ordo inter has gratiæ acceptiones talis est, ut ex prima oriatur secunda, & ex secunda, tertia; quia enim diligimus aliquem, gratis ei donum impendimus; & ex dono gratis dato gratiarum actio consurgit.

Diversa acceptio gratiæ.

Sic S. D.

Hac diversitate acceptionis in gratia stabilita; *gratia Dei*, quæ est huius Tractat. finis, & scopus, quandoque sumitur pro dilectione Dei, quandoque tamen pro omni dono à Deo nobis gratuito communicato. In primo sensu dicitur de Beatissima Virgine Lucæ cap. 1. *Invenisse gratiam apud Deum.* Et similiter de alijs viris eximiæ sanctitatis, ut de Noe Genes. 6. & de Moyse Exod. 3. quia videlicèt erant Deo grati, seu amicabiliter dilecti. De gratia autem in secundo sensu intelligenda sunt plura testimonia Sac. Script. ut est illud Paul. ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Et illud ad Rom. 5. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum-Christum.* Et illud Ioann. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Rursùs: *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum-Christum facta est.* Et alibi sæpissimè.

2

Gratia primo modo, utpotè in dilectione Dei consistens, est æterna, & increata: secundo autem modo accepta, est quid causatum, & temporale, utpotè in dono à Deo nobis communicato consistens. Prima dicitur gratia Dei, quia à Deo, ut proprium donum ipsius descendens. Quam distinctionem elegantèr tradit Trident. sess. 6. de iustificatione, dicens: *Gratiam, qua iustificamur esse iustitiam Dei, & nostram.* Nostram, quia nobis intrinsecè inhærens; Dei, non quia talis iustitia sit in Deo, aut ipse Deus (ut turpissimè erravit Lutherus distortè intelligens testimonia sacra asserentia nos iustificari per Dei iustitiam) sed quia à Deo gratiosè, & liberrimè descendit. Rogabis: *An æterna Dei dilectio sit propriè, & strictè*

3

Dei dilectio dicitur gratia æterna.

Cuidam quæsito Respe

tè gratia? Resp. neg. in sensu communi Theolog. ex doctrina Mag. Par. Aug. de Prædest. SS. cap. 10. sic discernentis *inter prædestinationem, & gratiam*, ut prædestinatio sit gratiæ *præparatio*; gratia verò ipsa *donatio*: illa se habet ut causa; hæc verò ut effectus. Quæ acceptio valdè necessaria est, & apud omnes Theol. prævalere debet contra Hæreticos pariter spernentes dona intrinseca gratiæ. Undè subtilissimè Div. Thom. prædestinationem ad gloriam gratiam nominavit ad hunc sensum:* quatenùs Deus gratuitò, & non ex merito, aliquos prædestinavit.* Ita in præsenti quæst. 23. art. 1. De quo aliqua dicemus Tract. de Gratia excit. dub. 1. §. 2.

4 Inter dona a Deo nobis gratuitò communicata, alia sunt naturalia, alia supernaturalia; ob quam distinctionem gratia sumpta pro tali dono, dividitur in naturalem, & supernaturalem. Si enim donum nobis datum sit intra ordinem naturæ, dicitur gratia eiusdem ordinis; si verò de ordine supernaturali, id est, per se, & ab intrinseco conducens ad vitæ æternæ consecutionem; erit gratia supernaturalis. Sub gratia naturali continetur gratia creationis, per quam Deus substantiam, & proprietates, aliaque accidentia debita naturæ communicat. In quo sensu dicitur à M. P. Aug. sup. Psalm. 144. *Deum gratia sua nos fecisse.* Et in 6. Synod. Generali act. 11. definitur: *Angelos esse immortales per gratiam, quamvis sint incorruptibiles per naturam. Attamen naturam suam gratis acceperunt à Deo.* Hanc gratiam apertè in primo statu suæ hæresis concessit Pelag. Cùm enim negare non posset, animam indigere gratia Dei ad salutaritèr operandum, & aliundè asseret, liberũ arbitrium proprijs viribus posse mereri vitam æternam, & coram Deo iustificari; nè aperta contradictio in suis dictis appareret, dicebat se necessitatem gratiæ Dei non negare; cùm vires liberi arbitrij sint donum gratiosè in sui productione collatum. Quem errorem, & inanem evasionem rejicit Mag. P. Epist. 95. dicens: *Quòd etsi quadam non improbãda ratione dicitur gratia Dei, qua nati sumus, quia non præcedentium operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia tamen est gratia, qua prædestinati vocamur, iustificamur & glorificamur, ut dicere possimus: si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Gratia naturalis, & supernat.

5 Sed quia inter dona intrinsecè naturalia sunt possibilia, aliqua indebita naturæ, & cum ea inconnexa; ut de integritate primi hominis in primo statu plures existimant; & de cognitione omnium veritatum naturalium collectivè post lapsum Adæ, res est certa; similitèrque de adimpletione diuturna totius legis naturæ post lapsum; & de victoria gravissimæ tentationis, alijsque operibus arduis, de quibus infra agemus; ideò gratia naturalis ad plus se extendit, quam gratia solius creationis propter inconnexionem plurium donorum, quæ Deus liberrimè potest naturæ communicare, vi cuius dicuntur huiusmodi dona gratia specialis intra ordinem naturæ. Unde etsi divisio gratiæ in gratiam solius creationis, & in gratiam supernaturalem, aut iustificationis, non sit adæquata propter dicta; secùs tamen divisio gratiæ in naturalem, & supernaturalem: quem admodum dilectio Dei gratuito communicativa bonorum adæquatè suo modo distingui potest in naturalem, & supernaturalem.

Quæ contineantur sub gratia natur?

6 Gratia supernaturalis, quæ est absolutè, & simplicitèr gratia, & cuius necessitatem ad merendum, & consequendum vitam æternam, Concilia difinierunt contra Pelag. dividitur in gratiam habitualem, & actualem. Gratia habitualis est illa, qua homo redditur realitèr sanctus, & iustus coram Deo: quæ communitèr appellatur gratia gratum faciens, per quam homo fit consors divinæ naturæ, filius Dei adoptivus, & hæres secundum spem vitæ æternæ, & per bona opera ab ipsa dignificata, fit merens de condigno consequtionem vitæ æternæ. Ad illam spect. vel sub illa, includuntur virtutes infusæ, & dona Spiritus Sancti per modum proprietatis ab ipsa dimanantia, & quibus homo iustus redditur permanentèr potens, & inclinatus ad supernaturalitèr operandum. Gratia vero actualis dicitur, tam de actibus supernatu-

Divisio gratiæ supernat.

talibus cognitionis, & affectionis, quibus homo excitatur, & adiuvatur à Deo ad actus salutares, quam de auxilijs transeuntibus; quibus, tàm intellectus, quàm voluntas elevantur ad actus aliquos supernaturales. Et in sententia Ang. Præc. gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminativa voluntatis ad actus salutares, est, & dicitur principalissimè gratia actualis, non quia in actu, aut operatione voluntatis consistat; sed quia per modum motionis transeuntis à Deo infunditur. Gratia tàm habitualis, quàm actualis, iuxta doctrinam D. Thomæ dividitur in *operantem*, & *cooperantem*, in *prævenientem*, & *subsequentem*; de quo latè tractatibus sequentibus; sicuti & de divisione gratiæ actualis in *excitantem*, & *adiuvantem*.

7 Omissis alijs gratiæ acceptionibus, & divisionibus, quia parùm utilis est earum notitia; certum est; quod si nomine gratiæ intelligatur Dei voluntas gratis, & sine meritis, nobis communicans quidquid perfectionis est, homo nihil boni potest facere sine gratia; ita expressis verbis D. Thom. in 2. dist. 28. quæst. 1. a. 1. ad 1. in quo sensu exponit illud Ioan. *Sine me nihil potestis facere*; ita ut per ly *nihil* intelligat omne opus, quacumque bonitate præditum. Quod si sermo sit de bono opere meritorio, & fructificante ad vitam æternam (quam intelligentiam etiam ipse textus admittit, & amplectitur) tunc ly *sine me* non solum accipitur pro Dei voluntate gratis omnia operanti, sed etiam pro dono gratuito elevanti naturam. Ex his sequitur nomine gratiæ in præsenti intelligi donum intrinsecum nobis inhærens, & gratuito à Deo communicatum.

8 Sed quia ratio doni gratuiti est idem, ac ratio doni indebiti; notandum est 1. Quòd quamvis Dei auxilium, & eius concursus ad operandum, non sit nobis debitus debito orto ex meritis, aut per modum, quo unicuique rei debentur ipsius proprietates, & alia accidentia inseparabilia: si tamen sit debitus attento ordine divinæ providentiæ generalis, secundùm quem unicuique providet iuxta modum suum, prædictum auxilium non dicitur gratia specialis, nèc contra distinguitur ab homine, ut operante per vires suæ naturæ: ut videre est in auxilio Dei ad cognitionem alicuius veritatis naturalis, de se facillimè cognoscibilis. Hinc constat, nomine gratiæ in præsenti intelligi auxilium, vel donum à Deo dispensatum ex speciali providentia etiam intra ordinem naturæ, vel intra ordinem gratiæ.

Quid sit gratia specialis? Not. 1.

Notandum est 2. Ad rationem gratiæ specialis non sufficere, quòd auxilium ad operationem rectam moraliter, non sit debitum modo dicto huic, vel illi individuo in particulari, sed requiri non deberi naturæ, & in aliquo eius individuo vagè sumpto. Ratio est manifesta: Nàm modò accipitur gratia, pròut contra distinguitur à natura, qua tali, quæ quidèm omnia individua complectitur. Ex quo optimè percipitur, posse aliquod donum, & Dei beneficium, non esse gratiam specialem absolutè; & esse talem respectivè ad hoc individuum, in quo invenitur; siquidèm integra subsisteret Dei providentia generalis; si aliud individuum tali dono potiretur. Hac ratione, etsi robur corporis, pulchritudo, velocitas ingenij, divitiarum copia, & his similia, sint beneficia debita naturæ, attenta suavitate divinæ providentiæ; subiectum, quod his donis invenitur ornatum, tenetur speciales gratias Deo agere, & tanquàm beneficium ipsi speciale collatum reputare.

9 Secundò.

Deindè notandum: Ad rationem gratiæ specialis duo requiri, scil. &quòd sit beneficium distinctum à dono, seu gratia creationis; & insuper, quòd sit inconnexum moraliter cum illo. Ratio primi est: Quia auxilium ad rectam operationem supponit naturam à Deo datam cùm suis proprietatibus, & potentijs; quòd sufficit ad actualem distinctionem. Ratio secundi est: Nàm Deus iure creationis tenetur ex suma ipsius rectitudine ad gubernationem consentaneam naturæ rationali, quam condidit. Undè si auxilium ad rectam operationem sit connexum, & debitum attenta Dei gubernatione, erit moraliter connexum

10 Ultimò.

xum cum beneficio creationis: proindeque non erit propriè gratia specialis, sed ad gratiam creationis moraliter spectans.

§. II.

Supponuntur aliquæ conclusiones certæ.

11 PRimò supponimus: *Nullam veritatem etiam naturalem, licèt de se perviam, posse cognosci ab intellectu humano absque auxilio Dei moventis ad illius cognitionem.* Ita Div. Th. in præsenti, qui illud Div. Ambrosij super Epist. 1. ad Corinth. cap. 12. *Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est*: exponit de Spiritu Sancto, ut movente ad intelligendum, vel loquendum verum. Deindè prob. ratione: Nulla operatio potest fieri à secundo moveute, nisi præcedat motio primi moventis; sed intellectus noster ad cognoscendum verum, est secundum movens, Deus autem 1. simplicitèr: ergò nequit intellectus &c. Explicatur. Quia Sol est primum movens in ordine corporalium, nullus corpus sublunare potest exire in motum, vel operationem, nisi moveatur ab illo; ideòque cessante motu Cœlorum post diem iudicij omnis generatio, & alteratio physica in sublunaribus cessabit: ergò cum Deus sit primum movens simplicitèr, & in omni otdine, nulla operatio corporalis, aut spiritualis, potest ab agente creato progredi sine auxilio Dei moventis.

Prima.

Prob. ex S. Doct.

Explic.

12 Notandum tamen huiusmodi Dei auxilium moventis intellectum ad agnitionem veri superadditum ad sufficientiam, & actum primum, esse concursum Dei prævium, & non purè simultaneum. Assumpt. etsi neg. ab AA. Societ. probatur brevitèr. 1. Tale auxilium iuxta D. Thom. est motio Dei actù moventis intellectum ad cognitionem veri; sed iuxta ipsum S. D. 3. cont. Gent. cap. 149. *Motio moventis præcedit ratione, & causalitate motum mobilis*: ergò tale auxilium est motio, sive concursus Dei prævius, ordine causalitatis ad cognitionem veri. 2. Nàm movere intellectum ad cognitionem veri, est illum applicare, & determinare ad elicientiam talis cognitionis; sed concursus applicans, & determinans actitatem intellectus præcedit ordine naturæ cognitionem, ad quam applicat: ergò. 3. Sic se habet motio Dei respectu cognitionis elicitæ ab intellectu, sicut se habet motus Cœli in ordine ad motus corporum sublunarium, ut vidimus supra ex D. Thom. sed motus Cœli est nedùm simultaneè influens, sed etiam realitèr præveniens motus sublunares, ut causa illorum, teste D. Thom. 3. contra Gent. n. 3. c. 149. ergò. Nec obstat huiusmodi concursum provenire à Deo ut A. generali. Non inquam obstat. Nàm Deus ut A. generalis, sive ex generali providentia operans, duo habet, scilicèt, rationem causæ universalissimæ, titulo entis per essentiam; & rationem causæ primæ, primique motoris. Ob primum nihil potest influere immediatè effectivè in omne ens reale creatum, quod est ens per participationem. Ob secundum vero potest movere omnia agenti secunda, & primo producere eorum operationes, determinando scilicèt, & applicando illorum virtutem. Unde concursus, & influxus Dei ut A. generalis utrumque concursum complectitur, prævium, scil. & simultaneum.

Nota dili genter contra ali quos.

Resp. cui dam inst.

13 Supponimus 2. *Non requiri gratiam sanctificantem ad cognitionem veri, tàm naturalis, quàm supernaturalis.* Suppositio est omninò certa, constatque primò ex illo ad Rom. 1. *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* 2. Nàm fides, & etiam donum prophetiæ, separari possunt, & multotiès separantur à gratia sanctificante; sed fides, & prophetia attingunt verum supernaturale: ergò. Idem const. in cognitione de eò, quod quis offendit Deum, & ob eius peccatum pœna æterna esse dignum cognoscit, quæ cognitio est de vero supernaturali elicita absque gratia iustificanti. Unde M. P. Aug. lib. 1. Retract. cap. 4. qui aliquando tenuit oppositum; illud retractvit; cuius verba refert in præsenti D. Thom. Ratio est. Nàm peccatum quantumvis grave, nec extinguit lumen rationis, nec ex-

Secunda conclus. & prob.

excludit à peccatore omne lumen ſupernaturale, ſed ſolum lumen gratiæ, & dona Spiritus Sancti ab illa dimanantia. Hinc turpiſsimè erravit Lutherus dicens; hominem lapſum etiam Dei gratia adiutum non poſſe quidquam verè cognoſcere, & ſine admixtione erroris. Aperte enim traditur Eccleſ. 15. *In veritate anuntio ſcientiam eius*, & cap. 18. *Senſati intellexerunt veritatem*; ex quo patet Lutherum fuiſſe de inſenſatis.

Nec obſtat illud Paul. 1. ad
14 Corinth. cap. 12. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto*; ex quo videtur colligi fidem Ieſu Chriſti exigere in ſubiecto credenti, gratiam ſanctificantem. Non inquam obſtat. 1. Nam ſolum probatur eſſe neceſſariam aſsiſtentiam Spiritus Sancti, ut moventis ad credendum; non tamen ut inhabitantis per gratiam. 2. Nam ſi ly *dicere* accipiatur practicè, hoc eſt, *corde*, & *opere*, credendo in Ieſum-Chriſtum per obſervationem mandatorum; libenter conceditur, talem modum dicendi, & credendi requirere gratiam ſanctificantem, ut docet D. Thom. ſupr. expon. verba Apoſtoli. Sed quid dicendum de actu, quo crederem Deo revelanti mihi à Deo amicabiliter diligi, aut de actu, quo fide crederem me non eſſe in gratia, ex quibus primus connectitur cum gratia ſanctificanti, & ſecundus cum eius privatione? Reſp. 1. Connecti cum illa, ut re credita, non cum illa ut principio credendi. Similiter dicendum de ſecundo actu fidei reſpectivè ad privationem gratię. Satis ſit inſinuaſſe aliqua pro exercitio ingenij: deducendo 1. eſſe poſsibilē actū ſuperturalem cum repugnantia eſſentiali, ut à gratia habituali procedat: quod videtur opponi rationi naturæ in ordine ſupernaturali. Deducendo inſuper; eſſe poſsibilem actum ſupernaturalem, & honeſtum cum repugnantia, ut imperetur à charitate, & per conſequens, ut ſit meritorius; cum ſine gratia habituali, nec dilectio charitatis, nec meritum vitæ æternæ ſit poſ-
15 ſibile.

Inſtabis.

Reſp. dupliciter.

Supponimus 3. *Ut certum apud omnes, plures veritates entitative naturales non poſſe ſolo lumine naturali, & ab ſque ſpeciali gratia certò cognoſci.* Huiuſmodi ſunt cogitationes cordium, futura contingentia, & præterita, quæ nullum ſui veſtigium relinquerunt. Conſtat hoc ex illo Hierem. 17. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Et ex illo Iſaiæ cap. 12. *Anunciate nobis, quæ ventura ſunt, & dicemus, quia Dij eſtis vos.* Et Eccleſiaſt. cap. 8. *Ignorat homo præterita, & futura.* De quibus videndus eſt Div. Thom. 1. p. quæſt. 57. art. 3. & 4. & quæſt. 86. art. 4. Hæc enim, etſi in eſſe entis naturalia ſint, in eſſe tamen cognoſcibilis ſunt quid ſupernaturale ob defectum medij naturalis ducentis in eorum certam cognitionem. Idem dicendum de omnibus illis obiectis, quæ ſicèt ſecundū ſe ſint proportionata cum noſtro intellectu, ſunt tamē omninò ſenſibus occulta, uti ſunt illa, quæ intra Orbes Cœleſtes, & intra viſcera terræ continentur. Cùm enim pro hoc ſtatu omnis noſtra cognitio ortum habeat à ſenſibus; ea, quæ ſunt à ſenſibus, & ſenſibilibus omninò remota, nequeunt pro hoc ſtatu naturaliter cognoſci. Undè nomine veritatum naturalium intelliguntur illæ, quæ ex ſenſibilibus, vel ex principijs per ſe notis cognoſci poſſunt.

Tertia cō cluſio.

Prob.

Inter veritates naturaliter cog-
16 noſcibiles, aliæ ſunt ſpeculativæ, nullum ex ſe dicentes ordinem ad bonos mores, v. g. *omne totum eſt maius ſua parte: terra eſt rotunda &c.* Aliæ ſunt practicæ, id eſt, de ſe ordinatæ ad rectitudinem morum; ex quibus aliæ ſunt univerſaliſsimæ, & ad *Syndereſim* ſpectantes, v. g. *Bonum eſt proſequendum; malum vero fugiendum. Quod tibi non vis, alteri nè feceris*, & ſimilia. Aliæ ſunt minùs univerſales: v. g. *Parentes ſunt honorandi; Deus eſt colendus.* Aliæ verò ſunt, quæ in particulari occurunt hic, & nunc in materia cuiuſvis virtutis. v. g. *An hic, & nùnc propter hanc, vel illam circunſtantiam liceat omittere auditionem Sacri, vel Officij Divini recitationem?* Rurſus advertendum, veritates practicas poſſe etiam dupliciter cognoſci, ſcil. ſpeculativè, & practicè; cognoſcuntur ſpeculativè, quando talis cognitio, nèc imperat, nec allicit ad honeſ-

Veritates naturales in multiplici differentia.

tatem

tam operationem, uti contingit in cognitione huius veritatis: *Deus est colendus*, elicita ab illo, qui nullatenùs movetur ad cultum Dei, quin potiùs ipsum positivè contemnit. Tùc autem cognoscuntur practicè; quando earum cognitio movet, & allicit voluntatem ad prosequtionem affectivam boni honesti. Ex quibus constat cognitionem speculativam, & practicam harum veritatum, differre, non ex parte rei cognitæ, sed ex modo illam proponendi. Quia de causa à Logicis communitèr docetur ad cognitionem practicam duo requiri; scilicèt, quod sit de re operabili, & insuper, quod illam proponat modo operabili.

17 Deindè advertendum, de cognitione veritatum naturalium duplicitèr posse disputari, scilicet, de illarum cognitione *divisivè*, vel de cognitione ipsarum *collectivè*; ita ut nulla veritas in particulari maneat incognita ab intellectu. Deniquè notand. quæst. non procedere de omni homine determinatè, & individualitèr sumpto; aliqui enim sunt ita stolidi, ut sine speciali gratia nequeant aliquas veritates divisivè, etsi pervias, certò cognoscere. Undè dubium est de intellectu humano specificè sumpto, pròut participabilis est à diversis individuis naturæ humanæ; quatenùs potest pertingere ad cognitionem veri naturalis, vel propria inventione, vel aliorum magisterio, & disciplina. His animadversis, prima sententia docet, omne verum speculativum naturale, etiam divisivè sumptum, non posse cognosci absque speciali gratia. Ita Aliacensis in 1. Sent. quæst. 3. Alensis 3. p. quæst. 61. menib. 1. Oleoth. sup. Sap. lect. 154. Contenson disert. 1. cap. 1. tom. 5. Montesin. Granad. Vazq. in 1. 2. disp. 188. cap. 2. Secunda per oppositum docet, omnes veritates divisivè posse cognosci absque speciali gratia. Ita Mag. Soto lib. 1. de Natur. & Grat. c. 4. estque communis inter Thomist. quos referunt, & sequuntur Illust. God. M. Gonet, Fer. & Bol. Eandemque tuetur Suar. lib. 1. de Necessit. Grat. cap. 1. estque frequens inter AA. Societatis.

Ulteriùs

Deniquè.

Sententiæ circa dub propositi.

§. III.

STATUITUR PRIMA CONCLUSIO.

Ad cognitionem plurium veritatum naturalium non indiget intellectus humanus gratia speciali donanti sufficientiam, seu vires ad earum cognitionem.

18 COnclusio est Div. Thom. & ab omnibus Theol. ut indubitata tuetur. Ratio eius deducitur ex S. D. in 2. dist. 28. quæst. 1. a. 5. Nàm ex oppositò sequeretur, naturam humanam, ut intellectivam, esse simplicitèr imperfectiorem alijs naturis corporalibus. Assumpt. prob. Natura, quæ est simplicitèr minoris activitatis, est simplicitèr minoris perfectionis; cum unumquodque operetur in quantùm est in actu, & quælibet res tantum participet de perfectione, quantum habet de actualitate. Sed si natura humana, ut intellectiva indigeret gratia speciali dante ei sufficientiam ad cuiusvis veritatis naturalis cognitionem, esset minoris activitatis simplicitèr, quam aliæ naturæ corporales habentes sufficientiam, & vires expeditas ad proprios actus sine speciali motione Dei, ut de se patet: ergò esset simplicitèr imperfectior. 2. Gratia specialis illuminationis donans sufficientiam intellectui solum requiritur ad actum physicè, aut moralitèr improportionatum cum illo; sed cognitio plurium veritatum naturalium non est modo dicto improportionata cum intellectu humano: ergò. Min. quòad 1. par. constat: cùm obiectum physicè proportionatum nostro intellectui, sit quidditas sensibilis, aut ex sensibilibus cognoscibilis. Quòad 2. vero prob. Improportio moralis consurgit in intellectu ex impedimentis extrinsecis gravitèr retardantibus cognitionem veritatis; scilicèt, *Ars longa, vita brevis, occasio præceps, iudicium difficile, experimentum periculosum.* Sed hæc, etsi urgeant pro cognitione omnis veritatis naturalis collectivè, aut aliquarum de se difficilium, non tamen pro cognitione aliarum, quæ, vel sunt per se notæ; vel ex per se

Ita communiter cùm S. D.

no-

notæ; vel ex per se notis facilè per discursum cognoscibiles: ergò.

Deniquè. Nàm sequeretur lu-
19 men rationis naturalis, ut speculativæ, mansisse extinctum in nobis per peccatum originale; quod est manifestissimum absurdum. Aliqua levia possunt opponi contra dicta, quæ facilè solvuntur ex doctrina D. Thom. in præsenti art. & insuper exponendo aliqua testimonia Conciliorum, & PP. de cognitione veritatum supernaturalium; vel de cognitione practica veritatum naturalium quantum ad aliqua obiecta de se difficilia, non autem de cognitione speculativa aliquarum veritatum.

§. IV.

STATUITUR SECUNDA CONCLUS.

Non indiget intellectus gratia speciali donante actualem cognitionem aliquarum veritatum naturalium.

20 EST D. Thom. & omnium Thomistarum, contra aliquos RR. Societ. quos refert Ripalda dis-
Prob. ratione S. D put. 114 sect. 6. Prob. ratione Sanct. Doct. Unaquæque natura indita rebus creatis est efficax ad actus sibi proportionatos, ita ut non indigeat pro illorum elicientia speciali concursu Dei; ut videre est in igne ad calefaciendum, & in gladio ad scindendum: ergò idem dicendum de lumine intellectus humani; cùm non sit deterioris conditionis. Sed cognitio plurium veritatum naturalium, quæ, vel sunt per se notæ, vel ex his facilè deducuntur, est actus suo lumini intellectivo, & discursivo proportionatus: ergò pro harum cognitione non eget concursu, seu gratia speciali.
Explic. Explic. Actus, tàm physicè, quàm moralitèr proportionatus lumini intellectus humani, non eget speciali Dei providentia; sed huiusmodi est cognitio speculativa plurium veritatum naturalium: ergò. Mai. constat; cùm ad Dei providentiam generalem spectet, ut virtutes operativæ omninò proportionatæ cum suis operationibus, aliquando reducantur ad actum, nè earum virtus sit frustranea. Min. quòad 1. par. constat, & quòad 2. prob. Nàm quæ gravis difficultas potest occurrere, ut quis cognoscat essentiam hominis, & aliquas proprietates illius, ex eius operationibus, & rerum experientia manifestas? & id genus, aliaque plura. Alitèr: Concursus Dei ad cognitionem, quæ est iuxta inclinationem nativam intellectus humani, & ad quam ordinatur, ut ad finem sibi intrinsecum, non excedit providentiam generalem: cuius est unicuique iuxta modum suum providere; sed sic se habet cognitio aliquarum veritatum naturalium: ergò quòd aliquotiès huiusmodi cognitionem assequatur, non provenit ex concursu Dei specialitèr providentis.

§. V.

Solvuntur argumenta.

OBjicies 1. Id, pro quo tenemur 21
agere gratias Deo, est donum ex gratia speciali proveniens; cum necessitatē gratiæ ad actus salu Arg. 1
tares SS. PP. contra Pelag. ex argum. orationis, & gratiarum actionis convincant. Sed pro cognitione cuiuslibet veritatis tenemur Deo gratias agere, illiusque adiutorium petere possumus: ergò. 2. Potentiæ indifferenti Secundò
ad assensum verum, vel falsum, non debetur concursus ad assensum verum præ falso; sed intellectus humanus gaudet indifferentia ad assensum verum, vel falsum: ergò concursus Dei ad assensum verum præ falso non est ipsi debitus; proindèque eā gratia specialis. 3. Nulla est veritas naturalis, Tertiò
à cuius cognitione homo non possit retrahi, & impediri, per gravem tentationem; sed homo sine gratia speciali nequit vincere gravem tentationem: ergò nulla est veritas, ad cuius cognitionem, non indigeat homo gra- Quartò
tia speciali. 4. Beneficium distinctum à dono creationis provenit à Deo ex gratia speciali; cùm nomine huius intelligatur gratia distincta à gratia creationis; sed sic se habet cognitio cuiusvis veritatis naturalis; cùm Deus ex vi actionis creativæ solùm teneatur naturam hominis cum suis potentijs, &

Quintò. & reliquis proprietatibus producere: ergò. 5. Nullus concursus Dei potest dici debitus creaturæ, quantumvis inclinatæ, & expeditæ ad operandum; cùm Deus iuxta Mag. P. & Div. Th. nulli sit debitor, ob eius scil. supremum dominium circa omnia extra se: ergò concursus Dei influentis cum intellectu ad cognitionem cuiusvis veri est homini indebitus: ergò (nisi sit litigium de voce) erit gratia specialis.

22 Sed hæc levia sunt. Primum instatur in salute corporali, pluvia, & alijs beneficijs temporalibus, quæ iustè petimus à Deo, & pro quibus iustè ipsi gratias agimus; cùm tamen collatio horum donorum spectet ad providentiam Dei generalem. Tria ergò concurrunt, ut cognitio cuiusvis veritatis naturalis sit materia orationis, & gratiarum actionis; quamvis non sit ex gratia speciali. 1. Quia Deus absolutè, & iustè potest non donare talem cognitionem. 2. Quia talis cognitio est indebita huic individuo in particulari, & in hac occasione. 3. Quia influxus Dei in talem cognitionem non debetur debito necessitatis; uti debetur causæ necessariæ applicatæ ad operandum, v. g. igni ad comburendum; sed debito contingentiæ; & libertatis. Sed tamen, quia his stantibus, cognitio aliquarum veritatum naturalium est actus, tàm physicè, quàm moraliter proportionatus virtuti intellectus, & est iuxta eius innatam inclinationem, concursus ad illam non est gratia specialis, & indebita toti speciei humanæ, attentaque suavitate providentiæ Dei. Ad 2. Resp. Potentiæ indifferenti solùm quòad exercitium ob defectibilitatem intellectus, sed cum inclinatione innata ad assensum verum, deberi concursum ad illum; etsi non pro omni collectione veri, benè tamen pro aliquibus veritatibus, ut modò propugnamus.

Ad 1. reſpond. triplici ex c.

Ad 1.

23 Ad 3. Resp. 1. Ad 3. Gratiam specialem requiri ad victoriam gravis tentationis ex motivo honesto; ut autem intellectus cognoscat veritatem; à cuius consideratione per tentationem retrahitur; sufficit illam vincere ex motivo pravo. Resp. 2. Quòd tunc indigeret gratia speciali donante victoriam tentationis; non tamen donante immediatè cognitionem veri, de quo est controversia. Resp. 3. omissis præmissis dist. 1. conseq. Nulla est veritas &c. si adsit gravis tentatio, conc. conseq. Si non adsit, neg. conseq. Et addendum, quòd ad Dei providentiam, generalem spectat, ut homo non graviter tentetur pro omni casu, quo vult veritates aliquas cognoscere; cùm talis providentia permissiva foret irregularis, etiam attenta Dæmonis nequitia, & odio lethali adversus homines. Quid enim ei noceat, aut suæ pervertitati obstat, hominem speculari aliquas veritates ordinis naturæ?

Secundo.

Tertiò.

24 Ad 4. Resp. Gratiam creationis non claudere præcisè productionem naturæ cum suis accidentibus, & proprietatibus, sivè quòad primum sui esse, sive quòad illarum conservationem, & profectum; sed etiam completam providentiam ortam ex beneficio creationis. Deus enim ex sua rectitudine, & ex ordine suæ sapientiæ tenetur regere, & gubernare creaturas, quas condidit. Effectus huius regiminis, & gubernationis est promovere res ad fines proprios. Cum igitur finis proprius intellectus sit attingentia veritatis; Deus ex iure creationis tenetur creaturam intellectualem sic regere, & gubernare, ut plures veritates cognoscat. Tota hæc doctrina deducta est Div. Thom. 1. p. q. 103. art. 5. Ex quibus in forma dist. mai. Distinctum à gratia creationis, & indebitum attenta providentia, ad quam Deus tenetur iure creationis, conced. mai. Distinctum, sed debitum attenta tali providentia, neg. maiorem. Esset enim providentia Dei creantis hominem cum innata inclinatione ad penetrandam veritatem, manca, & imperfecta; si non sufficeret perducere eius intellectum ad cognitionem veri; sed illud in omnimoda obscuritate, & stoliditate, relinqueret. Quod exemplo aliarum potentiarum convinci valet.

Ad 4.

25 Ultimum probat combustionem in igne provenire ex speciali concursu Dei; neque enim minùs dominatur, estque independens, Deus ab actionibus ignis, & aliarum causarum naturalium, quàm ab actionibus nos-

Ad ult.

nostri intellectus. Ex his, quæ communiter dicuntur à Thomist. Tract. de Merito inst. oportet distinguere inter hæc duo: *Deus est debitor creaturæ. Aliquod bonum à Deo proveniens est debitum creaturæ.* Primum absolutè negatur; secundum autem conceditur. Hoc videre licèt in homine, *cui debitum est habere rationem, & alia, quæ ad humanam pertinent naturam; quin propter hoc Deus creaturæ obligetur: sed potiùs dicatur debitum, in quantùm* Fundam. S. D. *creatura debet subjici Deo, ut sua ordinatio impleatur.* Ita Div. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 1. ad 2. additque ibi quæst. 114. art. 1. ad 3. loquens de merito vitæ æternæ, ex illo non sequi: *quòd Deus efficiatur debitor simpliciter nobis, sed sibi ipsi, in quantùm debitum est, ut sua ordinatio impleatur.* Quam doctrinam tradit Mag. P. Aug. lib. 1. Confes. cap. 4. dicens: *Reddis debita, nulli debens.* De quo eruditè Mag. Ferre tom. 3. in 1. 2. tract. 11. à n. 1119. Hinc constat, hanc conseq. esse nullam: *Deus non est debitor intellectui humano: ergò eius concursus pro speculatione alicuius veritatis non est debitus.* Constat, inquâ, ex superiùs dictis, & adductis. Attamen talis concursus, estò non sit debitus illo rigore, quo homini debentur illius proprietates, & quo gloria debetur meritis; est tamen debitus intellellectui humano secundùm suam speciem, in aliquo individuo debito omnimodæ proportionis, qua gaudet ad cognitionem aliquarum veritatum; quod merito dici potest debitum connaturalitatis.

26 Objicies 2. alia min. momentii 1. Ad cognitionem cuiusvis veri necessaria est applicatio voluntatis; sed Arg. 2. hæc, utpotè actus moraliter bonus, non stat sine gratia speciali: ergò 2. Robor. 2. Intellectus noster, nedùm, ut practicus, verùm etiam ut speculativus, contraxit ex peccato originali vulnus ignorantiæ: ergò sine gratia speciali nequit scientiam alicuius veri obtinere. 3. Homo per peccatum originale meruit privari omni cognitione, tàm Tertiò. practica, quàm speculativa; cùm sit meritum omnis pœnæ possibilis: ergò, quòd pertingat ad cognitionem veri, est gratia specialis; cùm sit supra Quartò. debitum; & meritum. 4. Iuxta Concil. & PP. cognitio cuiusvis veri est donum Dei; constatque ex illo Prov. 1. *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia*: ergò cognitio cuiusvis veritatis est ex gratia Dei.

27 Ad 1. Resp. 1. negand. min. Ut enim infra videbimus, falsum est, ad quemvis actum voluntatis moraliter Ad arg. honestum requiri gratiam specialem. Resp. 1. Resp. 2. Applicationem intellectus Secundò. media voluntate ad cognitionem veri fieri posse per actū moraliter pravum ob circunstantiam pravi finis, ad quem nullatenùs requiritur gratia specialis. Ad 2. Resp. admisso antec. neg. con- Ad 2. seq. Ex tali enim vulnere solùm probatur, non posse sine speciali gratia in totam collectionem veritatum naturalium; vel in cognitionem omnium eorum, quæ primus homo in statu naturæ integræ cognoscebat; secùs tamen probare de cognitione aliquarum veritatum de se facilè assequibili. Ut enim docet Div. Thom. in præs. art. 2. *Homo infirmus, etsi non possit elicere motus, quos homo sanus elicit, benè tamèn aliquos motus non superantes eius vires.* Aliud enim est extinctio virium, aliud debilitas earum.

28 Tertium probat 1. Hominem indigere gratia speciali ad cognoscendum, se esse hominem, & non Deum, & his similia. Sed quis hoc Ad 3. credet? Probat insuper, conservationem vitæ humanæ per aliquod tempus, robur corporis, & his similia beneficia corporalia de ordine naturæ, esse ex gratia speciali Dei, & subterfugere eius providentiam generalem. Quod videtur manifestum absurdum. Sequela constat ex demerito peccati, quo homo meretur omni bono indiscriminatim privari. Licèt enim quòad sufficientiam, & attenta indignitate peccati mereatur homo omni bono privari; imo etiam & in nihilum redigi; secùs tamen, quoad efficaciam, & attenta Dei ordinatione, per quam disposuit hominem non punire. Undè siqua specialis gratia intercedit, hæc existit in non taxatione omnis pœnæ possibilis; illa tamē supposita ex misericordia Dei, nō requiritur nova gratia, ut homo plura dona, tàm naturalia;

quàm

quàm spiritualia à Deo recipiat. Ad ult. Resp. Concil. & PP. loqui de cognitione, & scientia supernaturali, sive de cognitione rerum, quæ utilis est ad consecutionem vitæ æternæ. Hæc enim petit gratiam ordinis supernaturalis; quæquidèm, etsi non sit specialis respective ad hominem, ut elevatum ad ordinem gratiæ, benè tamen respectivè ad illum secundùm sibi debita consideratum. Testimonium adductum solùm probat, omnem sapientiam etiam circa naturalia esse à Deo omnium bonorum largitore; non tamen, quòd omnis sapientia sit ex gratia speciali excedenti providentiam generalem.

Ad ult.

§. VI.

STATUITUR TERTIA CONCLUSIO.

Homo lapsus potest sine speciali gratia cognoscere omnes veritates naturales creatas divisivè sumptas.

29 EST communis inter Thomistas contra Mag. Contenson, & alios supra relatos. Conclusio procedit de veritatibus creatis ordinis naturalis, & quæ ex sensibilibus cognosci possunt. De divinis infra dicemus. Procedit etiam non de omni homine, sed de homine, ut sub se continenti omnia individua. Fatemur etiam, aliquos esse adeò hebetes ingenio, ut ad cognitionem supra descriptam indigeant gratia speciali. Prob. 1. satis efficaciter ex D. Thom. hic a. 2. in sol. ad 3. quod sic sibi opponit: *Verum est bonum intellectus; sed intellectus potest per se ipsum cognoscere verum: ergò multò magis potest homo per se ipsum facere, & velle bonum.* Ad quod respondet: *Dicendum quòd etiam verum non potest homo cognoscere sine auxilio Dei, ut supra dictum est; sed tamen magis natura humana corrupta est per peccatum, quantùm ad appetitum boni, quàm quantùm ad cognitionem veri.*

Prob. ex S. D.

30 Ex quibus sic argum. Ex corruptione naturæ humanæ quantum ad appetitum boni, provenit iuxta doctrinam Div. Thom. hic art. 2. quòd non posset sine gratia speciali velle omne bonum honestum naturale, non solùm collectivè, verùm etiam divisivè: v. g. vincere gravem tentationem ex motivo honesto; diligere Deum, ut Authorem naturæ super omnia, & alia opera honesta de se ardua, & difficilia operari: ergò si homo lapsus indigeret gratia speciali, non solùm ad cognoscendam collectionem omnis veritatis, sed etiam ad aliqua vera naturalia divisivè sumpta, ob eorum arduitatem, & difficultatem sine speciali auxilio Dei insuperabilem; eque corrupta foret natura humana, tam quantùm ad appetitum boni, quā quantùm ad cognitionem veri. Conseq. constat: Nàm ubi est similis indigentia auxilij specialis ob similem debilitatem virium, ibi intervenit similis corruptio. Confirm. ex eodem Sanct. Doct. in præsenti sic concludenti in solut. ad 2. *Ad cognoscendum ea, quæ pertinent ad naturalem cognitionem, non requiritur alia illustratio, sed solùm ad illa, quæ ad naturalem cognitionem excedunt.* Sed si foret necessaria specialis gratia ad cognoscendum aliqua naturaliter cognoscibilia, foret necessaria alia illustratio; cùm talis gratia non esset affectionis, sed illuminationis: ergò. Scio hoc testim. posse exponi de illustratione supernaturali, quam expressè probaverat in corp. art. requiri ad cognoscendum verum supernaturale. Unde hic probatione in sua probabilitate relicta.

Form. ratio prob.

Confirm ex eodē S. D.

Hæc cōf. nō ex toto placet.

Prob. sequenti ratione: Cognitio, tàm physicè, quàm moraliter proportionata, lumini intellectus humani, non requirit pro sui elicientia gratiam specialem; sed talis est cognitio cuiusvis veritatis naturalis divisivè acceptæ, hoc est, seorsim ab altera: ergò intellectus humanus ad cognoscendas omnes veritates naturales non indiget gratia speciali. Mai. constat: Nàm potentiæ omninò expeditæ in actu 1. ad actum sibi connaturalem debetur, aliquando reduci ad illum. Min. quòad 1. part. constat, & quòad 2. prob. Improportio moralis ad cognitionem alicuius veritatis cōsurgit in intellectu humano ex impedimentis eam retardantibus, scilicèt: *Brevitas vitæ, multitudo veritatum,*

31

Alia rat. magis efficax.

co-

occupatio in somno &c. Sed hæc, etsi sint impedimenta pro cognione totius collectionis, aut numeri excessivi; secùs tamen pro cognitione cuiusvis determinatæ, & seorsim ab alijs acceptæ; ut de se patet: ergò. Confirm. & præoccupatur quædam solutio. Si præter impedimenta recensita, adesset impotentia, aut improportio moralis, vi cuius foret necessaria gratia specialis; illa consisteret in difficultate obiectiva aliquarum veritatum, quòad sui cognitionem, v. g. qualis est quadratura circuli, aut compositio continui. Sed huiusmodi difficultas non probat, requiri gratiam specialem: ergò. Ptob. min. Talis difficultas non probat, requiri gratiam specialem, si superabilis est ex vi providentiæ generalis; sed sic contingit: ergò. Prob. min. Talis difficultas superabilis est ingenij acumine, & intensa applicatione ad veritatis cognitionem: aut saltim accurata attentione ad disciplinam, & magisterium aliorum; sed quòd dentur aliqui homines ingenio præditi, & indagandæ veritatis avidi, & studiosi, non excedit limites providentiæ generalis: ergò talis difficultas est superabilis sine gratia speciali.

Confirm.

32 Ex his prob. 2. ratione adducta à M. Bolivar, sub sequenti forma. Cognitio veritatis non excedens perfectionem providentiæ generalis Dei circa naturam humanam, non requirit gratiam specialem; sed huiusmodi est cognitio cuiusvis veritatis (de qua supra) divisivè acceptæ: ergò non requirit grariam specialem. Mai. est certa, & min. prob. Quòd natura humana in aliquibus individuis habeat sufficientiam, & expeditionem ad cognitionem cuiusvis veritatis divisivè acceptæ, non excedit, sed potiùs spectat ad perfectionem providentiæ generalis circa illam: ergò cognitio talis veritatis non excedit, sed potiùs spectat ad perfectionem providentiæ generalis. Conseq. videtur constans. 1. Quia causæ sufficienti, & expeditæ ad operandum, debetur aliquando reduci ad actum; proindèque auxilium ad operationem, & ipsa operatio, nequeunt esse gratia specialis, nec ex speciali providentia dispensari. 2. Quia ad perfectionem providentiæ generalis spectat efficacitèr perducere aliquoties res, quibus providet de sufficientia, ad fines sibi ipsis proportionatos: aliàs talis providentia semper esset ineffícax quòad assequtionem talis finis: & rursùs esset imperfecta, utpotè indigens pro reductione sufficientiæ ad actum; adiutorio specialis providentiæ.

Secunda ratio.

Antecedens verò prob. Quòd 33
aliqua individua naturæ humanæ polleant ingenio excellenti, & aviditate cognoscendi veritates naturales, spectat ad perfectionem providentiæ generalis. Tùm quia ad eiusdem perfectionem spectat, ut aliqua illius individua sint integræ sanitatis, magni roboris, eximiæ pulchritudinis, & vigorosæ sensationis, tàm externæ, quàm internæ, & his similia; & hoc quidèm contingit propter pulchritudinem universi ex varietate, & inæqualitate rerum maximè splendentem: ergò cùm non minus prodeat Deus homini secundum corpus, quam secundum animam; ad eiusdem perfectionem spectat &c. Tùm quia ad eiusdem perfectionem spectat, ut inter homines sit prælatio, & ordo quasi hierarchicus inter ipsos; sed hæc nequeunt subsistere absque inæqualitate ingenij, & scientiæ; cum intellectus sit Princeps Reipublicæ: ergò. Undè Div. Thom. 1. p. quæst. 96. ar. 3. & 4. probat etiam, in statu innocentiæ fore inæqualitatem secundum perfectiones corporis, & animæ, ob pulchritudinem universi: & quia natura humana exigit ob sui variabilitatem habere diversitatem in perfectionibus suorum individuorum.

Nunc sic. Sed intellectus ex- 34
cellenti ingenio præditus, & aviditate cognoscendi, gaudet sufficientia, & expeditione ad cognoscendam quamlibet veritatem naturalem divisivè sumptam: ergò. Min. constat 1. Quia aliàs nullum esset discrimen inter ipsum, & intellectum mediocri, aut parvo ingenio præditum. Tùm quia excellentia ingenij est sublimitas, vel subtilitas in penetrando veritatem rerum: ergò, cum quælibet veritas determinatè sumpta sit pro-

proportionata physicè intellectui, utpotè ex sensibilibus cognoscibilis, respectu intellectus ingenti acumine, & studio addiscendi prædita, est proportionata moralitèr ob eius sufficientiam, & expeditionem. Hinc constat peccatum originale non officere huic sufficientiæ, & expeditioni; cum etiam post lapsum spectet ad providentiam Dei generalem, quod dentur plures homines excellenti ingenio, & vehementi studio addiscendi veritatem prædita, sicut de ingenti sanitate, & corporis robore, supradictum est: & exemplum plurium Gentilium ingenij acumine excellentium, quamvis moribus corruptissimis probat. Illorum enim existentia non fuit supra debitum naturæ humanæ; licet intervenerit aliqualis ordinario Dei specialis, ut veritates, quas Plato, Aristoteles, & alij penetrarunt, famularentur ad misteria nostræ fidei explicanda, & facilius percipienda; & ut plures errores, in quibus gentes modo versantur, ratione naturali falsitatis convincerentur.

§. VII.

Solvuntur argumenta contra conclusionem.

35 OBjicies 1. Voluntas post lapsum nequit sine speciali gratia elicere omne opus honestum naturale etiam divisivè consideratum, v. g. victoriam gravis tentationis ex honesto motivo, dilectionem Dei ut Authoris naturæ super omnia, & his similia: ergò nec intellectus humanus post lapsum potest sine speciali gratia cognoscere omnem veritatem naturalem divisivè acceptam. Conseq. prob. 1. Ideò antec. est verum, quia voluntas mansit infirma per peccatum originale; sed sic mansit intellectus, etiam in speculabilibus; cum iuxta plures fuerit vulneratus in ordine ad speculationem veri: ergò. 2. Ideò antecedens est verum, quia opera honesta supra descripta sunt ardua, & difficilia; sed etiam intra ordinem veritatum naturalium dantur aliquæ arduæ, & difficiles cognitu: ergò. Urgetur: Ideò victoria gravis tentationis v. g. requirit gratiam specialem, quia est improportionata moralitèr voluntati; & hoc quidem ob eius arduitatem intrinsecam: ergò cum sit innegabile intra lineam veri naturalis dari plures veritates de se difficillimè cognoscibiles; illæ erunt intellectui improportionatæ moralitèr; proindèque iuxta consequentiam doctrinæ, requirentes gratiam specialem.

Arg. 1. Prob. con seq. 1. Secundo. Urgetur.

36 Confirmatur impugnando secundam rationem probativam. Eo non esset necessaria gratia specialis ad cognitionem cuiuslibet veritatis divisivè; quia ex vi providentiæ generalis debetur naturæ humanæ, ut in illa sint aliqui homines ingenij acumine pollentes, & avidi indagandæ veritatis; sed hæc ratio nihil probat: ergò. Prob. minor. 1. Si ex vi providentiæ generalis debetur naturæ humanæ, ut sint aliqui homines ingenio, & studio addiscendi pollentes; ex vi eiusdem etiam debetur. (Vel saltim est maximè consonum) ut sint alij tardi, & pigri ad veri cognitionem, ut exemplum de sanitate, & robore corporis convincit; cum sit valdè consonum humanæ naturæ, ut in ea inveniantur plures homines debiles robore, & sanitate: ergò si primum probat non requiri gratiam specialem, secundum probat eius indigentiam. 2. Demus hominem pollentem ingenio, & aviditate sciendi applicatum ad cognit. veritatis maximè latentis in suis principijs: prædictus homo est facilis illam cognoscere, vel non? Si primum (præterquamquod suppositio destruit casum quæstionis) manifestè infertur difficultatem cognoscibilitatis non esse intrinsecam rebus; sed respectivam denominationem desumptam ab intellectu extrinsecè; quod est omninò falsum. Si secundum: ergò cum indigentia gratiæ specialis ad aliquem actum fundetur magna ex parte in difficultate ad illum, non rectè deducitur ex prædicto capite carentia gratiæ specialis.

Confir. 1. Secundo.

Concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad illius 1. probationem aliqui negant intellectum mansisse vulneratum intrinsecè in ordine ad speculationem veri per peccatum originale; solumque concedunt esse vulneratum extrinsecè propter impedimenta supra recensita, quæ ei ex peccato originali proveniunt. * Oppositum tamen frequentiùs tuentur Thomistæ cum Illust. Godoy, quem sequitur, & illustrat Mag. Bolivar. Ratio huius sententiæ fundatur in D. Thom. 4. contra Gent. cap. 54. dicente: *Inter spirituales pœnas potissima est debilitas rationis; ex quo contingit, quod homo difficilitèr pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus bestiales omninò superare non potest; sed multotiès obnubilatur ab eis.** Ubi advertit Illust. Godoy, in primis verbis admitti à S.D. vulnus ignorantiæ in intellectu speculativo; & in ultimis, in intellectu practico, quatenùs regit, & gubernat appetitum sensitivum. Idem docet ibid. cap. 3. & 4. & hac 1. 2. q. 85. a. 3. ubi ait: *Per peccatum ratio hebetatur, præcipuè in agendis.* Ubi ly *præcipuè* supponit intellectum speculativum fuisse vulneratum, sed non adeò gravitèr, uti fuit vulneratus intellectus ipse, quatenùs practicus est. Et in præsenti art. 2. ad 3. *Magis natura humana corrupta est per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.* Quod autem loquatur de cognitione speculativa constat 1. quia loquitur de omni cognitione veri, quam in art. præced. docuerat posse haberi cum solo concursu generali Dei. 2. Quia cognitio stricte practica veri coincidit moralitèr cum affectu boni. Unde discrimen inter corruptionem quantum ad appetitum boni, & quantum ad cognitionem veri, manifestè indicat sermonem esse de cognitione speculativa.

37 Resp. ad 1. conseq prob.

* Sic Emin Cayet. M à S Thoma hic a. 2. à n. 12.

Vide S. D. in 2. d 32. q. 2. a. 3. & applica eius doct.

Quale sit vulnus in tellectus post peccatum.

38 Cum hoc modo dicendi non facilè percipio expositionem aliquorum asserentium huiusmodi vulnus consistere in impedimentis extrinsecis, scilicèt, *brevitate vitæ, occupatione rei familiaris, somno*, & alijs retardantibus speculationem veri; siquidem Eminent. Cayet. & alij negantes vulnus in intellectu, quatenùs speculativo, negare nequeunt difficultatem ex prædictis impedimentis subortam. Unde; aut debet concedi aliqua debilitas intrinseca intellectui, aut negari tale vulnus in sensu, distincto ab illo, quod alij AA. negant cum Eminentissimo Cayetano.

Non consistit in privatione physica virtutis, sed expeditionis, ex unione ad corpus corruptibile.

Admisso igitur tali vulnere, ratio discriminis stat in eo, quod voluntas per peccatum mansit inclinata in bonum privatum, quod multotiès adversatur rationi. Et similitèr appetitus sensitivus mansit vehementèr propensus ad bona delectabilia. Unde ad opus honestum arduum adsunt duo vehementèr retardantia voluntatem ab eius prosecutione; ideòque requiritur gratia specialis ad velle, & operari opera de se ardua, & difficilia. At vero in ordine ad cognitionem speculativam veri, etsi intellectus manserit vulneratus; non tamen inclinatus in falsum, aut in aliquod oppositum veritati cognitionis. Rursùs: Inclinatio corrupta appetitus sensitivi, licèt retardet, & adversetur rationi ad amplectendum bonum honestum; non tamen quòad hoc, ut cognoscat purè speculativè verum; quin potiùs sæpè ex pravo affectu vanitatis, aut avaritiæ, vehementèr applicatur intellectus ad speculationem rerum. Hinc provenit, quòd esto aliqua veritas divisivè sumpta ob eius difficultatem intrinsecam, vel ob debilitatem intellectus speculativi, sit aliqualiter ei moralitèr improportionata; non tamen absolutè, & simplicitèr; sed solum secundùm quid. Nam improportio moralis, & certitudo moralis, admittunt latitudinem quòad sui quantitatem; quinimò, sicuti inter vulnera corporalia datur maxima latitudo, similitèr discurrendum inter vulnera spiritualia. Qua ratione, esto potentia gravitèr, & notabilitèr vulnerata, non possit sine gratia speciali in opus arduum prodire; benè tamen illa potentia, quæ tantum in ordine ad illud est leviter vulnerata: & hoc modo se habet

39

in-

intellectus, ut speculativus respectu cuiuslibet veri divisivè sumpti. Hanc doctrinam (ni fallor) tradidit M. Angel. in illis verbis : *Magis corrupta est natura quantum ad appetitum boni &c.*

Ad 2. Respond. Arduitatem repertam in victoria gravis tentationis, & paritèr, in diuturna observatione legis naturæ, & his similibus, non consistere solum in magnitudine intrinseca operis, sed præcipuè in inclinationibus intrinsecè retardantibus voluntatem ad similia opera elicienda. Unde talia opera sunt propriè ardua homini post lapsum: Nàm, ut docetur Tractatu de Spe, arduitas non consistit in excellentia obiecti, sed in difficultate tàm obiectiva, quàm subiectiva ad boni sperati consecutionem. Oppositum accidit in speculatione veri, etiam si de se sit occultum, & latens; cum excellentia ingenij, & aviditas addiscendi, in pluribus hominibus (quæ ex vi providentiæ generalis debentur naturæ humanæ) reddant intellectum expeditum, & maximè inclinatum ad cognitionem. Quapropter estò concedamus plures veritates divisivè sumptas esse difficiles cognitu, difficultate obiectiva in earum excellentia consistenti, non tamen difficultate, quæ sit arduitas propriè respectivè ad intellectum specificè acceptum; cum ut dictum manet, nulla sit gravis inclinatio ex parte subiecti ad oppositum trahens intellectum. Hinc dicendum ad providentiam generalem pertinere producere aliquos homines, qui hic, & nùnc polleant facultate ad quamlibet veritatem divisivè cognoscendam; illa enim consurgit ex ingenij acumine, aviditate sciendi, & applicatione ad speculandum. Per quæ constat ad urgentiam. Videantur dicta, tùm n. antecedenti, tùm in ultim. probat.

40 Ad secundam.

Ad urg.

Confirmatio in ipso exemplo, quod affert ad sui probationem, manifestam habet instantiam; cum non obstante, quod attenta providentia generali sint aliqui homines debiles secundum corpus, & difformes secundum illius dispositionem; quia tamen ex vi eiusdem providentiæ debetur, quod existant alij sanitate robusti, & pulchritudine excellentes, non est gratia specialis beneficium conservationis vitæ per longum tempus, pulchritudo, & robur corporale: ergo semel concessio, quod ad providentiam generalem Dei spectet producere aliquos homines excellenti ingenio præditos, & studio maximè deditos, non erit gratia specialis speculatio cuiusvis veritatis divisivè sumptæ. Ratio omnium est : Nàm specialitas gratiæ dicit negationem omnis debiti. Unde semèl, quod aliquod beneficium debeatur naturæ humanæ in aliquibus individuis, amittit rationem gratiæ specialis. Ad ultimum Respond. Hominem ingenio præditum, & aviditate addiscendi, non esse propriè semper facilem ad cognoscendam divisivè quamlibet veritatem; nec propter hoc dicendum illum esse gravitèr implicatum ad illius cognitionem; siquidem difficultates, quæ circa illam occurrere possunt, temporis cursu, & applicatione, valent superari. Unde estò sit difficilis; potest tamen à tali difficultate se expedire. Neque enim excedit providentiam generalem, nec debitum naturæ humanæ, hominem se exercere per opera de se difficilia, & conari ad superandas difficultates occurrentes in eorum elicientia; cum appetitus irascibilis tendens ad difficilia habeat huiusmodi propensionem. Quod confirmari potest exemplo irrationalium ex vi providentiæ generalis superantium aliquas difficultates retardantes assecutionem boni concupiti.

41 Ad confirm.

Ad ultim.

Objicies 2. Intellectus respectu cuiusvis veritatis naturalis divisivè sumptæ, est indifferens, ut eam cognoscat, vel falsitati ei oppositæ assentiat : ergò cum indifferenti, qua tali, non debeatur concursus determinatus ad unum præ alio, auxilium ad cognitionem talis veritatis erit indebitum, & speciale. Confirm. 1. Pro cognitione

42 Arg. 2.

Confir. 1.

cuiusvis veritatis divisivè sumptæ, tenetur homo agere gratias Deo: ergò illius cognitio erit gratia specialis iuxta doctrinam Magn. Par. omnibus notam. Confirm. 2. Aliquæ veritates, etiam divisivè sumptæ, nequennt cognosci, nisi diuturna mentis applicatione; sed ad hanc requiritur gratia specialis; tùm, quia ad continuationem operis honesti, qualis est volitio cognoscendi verum, requiritur gratia specialis. Tùm, quia in prædicto tempore occurrent graves tentationes retrahentes ab indagatione talis veritatis; quarum victoria iuxta omnes requirit gratiam specialem: ergò. 3. Philosophi Gentiles, etsi ingenio excellenti, & vehementi desiderio addiscendi præditi, non nisi per longum tempus, & cum admixtione aliquorum errorum, plures veritates cognoverunt, ut benè notavit Doct. Angelic. 1. part. quæst. 1. art. 1. & 1. contra Gent. cap. 4. inde deducens necessitatem fidei, etiam ad cognosc. veritates naturales maximè ad Deum spectantes: ergò possibilis est veritas aliqua, etiam divisive sumpta, quæ sine speciali gratia, cognosci nequit. Consequent. prob. Possibilis est aliqua veritas divisive sumpta intra infinitam collectionem, quæ excellentia, & difficultate intrinseca superet omnes veritates, ad quarum cognitionem Philosophi se applicarunt: ergò si absque speciali gratia sine admixtione erroris non potuerunt cognosci ab illis similes veritates, multò minùs illa, quæ excellentia, & difficultate omnes illas superaret.

Secundo.

Tertio.

43 Ad argumentum constat ex dictis in simili in 2.conclus.§.5.quælibet enim veritas determinatè sumpta, est iuxta inclinationem innatam intellectus. Ad 1. confirm. ibidem dictum est. Ad 2. Resp. 1. Non semper requiri gratiam specialem ad continuationem operis honesti, si aliunde non sit arduum: ut constat in victoria plurium tentationum levium. Desiderium addiscendi non est opus arduum, sed ferè congenitum omni homini; propter quod plures Philosophi divitias, & alia bona temporalia, magna alacritate contempserunt. Respond. 2. Ad cognitionem veritatis sufficere quamcumque applicationem ex parte voluntatis, sive ex honesto, sive ex pravo fine; cuius amor gratiam specialem non requirit. Respond. 3. Tantùm probari requiri gratiam specialem dantem voluntati affectum speculandi veritatem, non vero dantem ipsam cognitionem: unde talis gratia erit de linea affectionis, non tamen de linea illustrationis, de qua est sermo. Ad 3. neg. conseq. ob manifestam disparitatem inter cognitionem plurium veritatum, quam Philosophi conati sunt simul assequi, & inter cognitionem cuiuslibet sumptæ divisive, hoc est, seorsim ab alia. Nec probatio urget: Nàm probat quamlibet veritatem divinam, etsi de se notissimam, requirere gratiam specialissimam, qualiter requiritur ad cognoscendum collectionem omnes veritates conatæ; cum hæc infinitè excedatur ab illa in perfectione. Unde non ex magnitudine obiecti præcisè, sed ex improportione physica, aut morali cum intellectu, venanda est indigentia gratiæ specialis.

Resp.

Ad 1.confirm.

Ad 2. Resp. 1.

Secundo.

Tertio.

Ad 3.

Obijcies 3. Conclusiones Theologicæ sunt cognoscibiles naturali discursu; sed sine gratia speciali nequit intellectus eis assentiri; cum talis assensus innitatur assensui præmissarum, quæ utpotè ad fidem spectantes, nequeunt sine gratia speciali cognosci: ergò dantur aliquæ veritates naturaliter cognoscibiles, quæ etiam divisivè sumptæ, nequeunt cognosci sine gratia speciali. Confirmat. 1. Ad omnem cognitionem indiget intellectus specie intelligibili: ergò veritates illæ, quarum species nequit intellectus acquirere viribus naturæ, non valent ab ipso cognosci. Sed huiusmodi sunt veritates naturales de creaturis possibilibus, & de Angelis: ergò istæ &c. 2. Quadratura circuli, & compositio continui, & existentia temporis ratione suarum partium, vel instantis, sunt veritates scibiles naturaliter; sed

44

Tertia solutio.

Confir.1.

Secundo.

sed istæ à nullo hucusque fuerunt certò cognitæ : ergò requirunt ad sui certam cognitionem gratiam specialem. Consequentia patet. Nàm quod natura nunquam fecit, signum est non posse viribus proprijs illud præstare.

45 Suppono intellectum non indigere gratia speciali ad cognoscendam bonitatem illationis in syllogismo Theologico ; cum hæc ex regulis dialecticis demonstretur. Certum est etiam indigere gratia speciali ad assentiendum præmissis, utpotè ad fidem spectantibus : quapropter difficultas solum restat circa assensum conclusionis. Si assensus Theologicus (sicut & habitus Theologiæ) sit entitativè supernaturalis (ut plures Thomistæ tuentur Tractat. de Prœmialibus) tùnc maior argumenti est falsa. Si namque intellectus alijs demonstrationibus Theologicis acquisierit Theologiæ habitum, assensus procedet ab illo ; ut prædicto habitu elevato ; si autem sit prima demonstratio, elevatio fiet medio auxilio transseunti, de quo Magist. Ferre ubi supra. Quod si Theologiæ habitus adstruatur entitativè naturalis, ut alij volunt, concesso maior. disting. minor. Sine speciali gratia præsuppositivè, & mediatè, conc. min. Formaliter, & immediatè requisita ad illarum assensum, neg. min. & conseq. Resp. 2. Conclusionem nostram procedere de veritatibus ex sensibilibus cognoscibilibus, non vero, ex principijs fidei. Per quod constat ad veritates in confirm. adductas ; illæ enim, aut nullam connexionem per se dicunt cum effectibus sensibilibus ; aut ex his per evidentem consequentiam nequeunt certò deduci, ob defectum medij quoad nos connexi cum illis. Idem dicendum ad ultimum, si verum est tales veritates à nullo Philosopho, etsi excellentissimo, fuisse certò cognitas.

Resp. 1.

Secundo.

46 Etsi conclusio satis firmata maneat, tùm ex rationibus probativis, tùm ex solutione argumentorum ; sitque frequens inter Theologos ; existimo illam esse intelligendam cum aliqua restrictione. Eam sequenti conclusione appono : *Si vera est sententia asserens proprietates servare inter se eundem ordinem in ratione cognoscibilis, quem servant in ratione entitatis, probabilius videtur aliquas, etiam divisivè non posse cognosci sine gratia speciali.* Conclusio procedit, casu, quo secunda proprietas, & sic de reliquis, nequeat demonstrari, nisi demonstrata prima proprietate, tanquam per medium immediatum. Ratio est. Proprietates alicuius speciei, etsi actù finitæ, sunt penè innumeræ : ergò dabilis est aliqua proprietas determinatè, & in particulari accepta, ad cuius scientificam cognitionem, necesse sit præcedere eandem scientificam cognitionem veritatum penè innumerabilium. Tùm sic : Sed intellectus noster nequit sine gratia speciali talem cognitionem acquirere ; cum tàm magna multitudo veritatum, & impedimenta ex peccato originali contracta, illam reddant moraliter improportionatam in gradu simpliciter tali : ergò si verum est &c.

Conclus. antec. tuetur cum aliqua restrictione.

47 Nec dicas 1. Hanc conclusionem non satis sibi constare. Nàm veritas aliqua divisivè sumpta, est veritas sumpta seorsim ab alijs, & earum cognitione : ergò veritas, ad cuius cognitionem prærequiritur alia cognitio, non est veritas accepta, ut divisivè cognoscibilis. Non inquam dicas. 1. Quia in dicto casu remanet locus divisioni respectivè ad cognitionem proprietatum aliarum specierum. 2. Quia adhuc remanet cognitio alicuius veritatis divisivè, si ly *divisivè* accipiatur contrapositivè ad collectionem omnis veritatis, pro qua solum affirmant AA. requiri gratiam specialem. Ex quo patet conclusionem appositam directè adversari sententiæ affirmanti ad solam cognitionem totius collectionis veri naturalis requiri gratiam specialem.

Primæ instantiæ occurrit.

48 Sed dices 2. Præfati AA. non negant, quod si veritates sint adeò numero plures, ut intellectus maxima difficultate laboret in earum

Secundæ.

cognitione, requiratur gratia ſpecialis; ut patet à ſimili in obſervatione plurium præceptorum per longum tempus: ergò ſine recurſu ad noſtram concluſionem, ſubſiſtit neceſsitas gratiæ ſpecialis. Reſp.

Prima ſolutio. 1. Quod etſi antecedens ſit verum, tamen prædict. AA. non utuntur hac dictione *diviſivè*, ſive *in particulari*; nec poſſunt: cum plures veritates diverſarum ſpecierum non ſint veritas aliqua determinatè, & in particulari accepta. Huiuſmodi autem eſt proprietas aliqua, de qua procedit concluſio; eſtò ad illam debeat præcedere aliarum priorum proprietatum cognitio. Reſp.

Alia ſolutio. 2. Quod AA. tuentes antecedens, non poſſunt deſignare certum numerum pluralitatis in veritatibus cognoſcibilibus, ut præſcribant caſum determinatum indigentiæ gratiæ ſpecialis; ut ipſis contingit loquentibus de neceſsitate gratiæ reparationis per gratiam habitualem ad hoc, ut homo lapſus in novum non incidat peccatum per aliquod temporis ſpacium; cuius deſignatio ſoli Deo relinquitur. In caſu autem noſtræ concluſionis figitur terminus indigentiæ gratiæ ſpecialis, ut de ſe conſtat; & quod præcipuum eſt, talis deſignatio non arbitrio prudentum committitur, ſed intra terminos philoſophicos præſcribitur.

§. VIII.

QUARTA CONCLUSIO STATUITUR

Aliquæ veritates Dei Authoris naturæ, etſi alias ex creaturis cognoſcibiles, nequeunt certò cognoſci abſque ſpeciali gratia.

49 ITa Mag. Lemos tom. 3. part. 2. tract. 1. cap. 7. illamque ſatis probabilem exiſtimat Mag. Bolivar hic dub. 5. num. 11. Fatemur plures veritates Dei A. naturæ poſſe cognoſci abſque ſpeciali gratia etiam poſt lapſum, v. g. exiſtentia, & unitas Dei, ratio entis per eſſentiam, primi motoris, cauſæ univerſaliſsimæ, & his ſimilia. Ratio eſt: Nàm omnes creaturæ ſuum clamant Creatorem, eiuſque attributa, & perfectiones oſtendunt, iuxta illud: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Et illud: *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: ergò ab intellectu acumine ingenij, & ſtudio addiſcendi prædito, plures veritates cognoſci poſſunt facili diſcurſu. Sed quia præter veritates deſcriptas reſtant aliæ infinitæ numero, & excellentia; dicimus plures non poſſe cognoſci abſque ſpeciali gratia confortationis, & illuſtrationis. Prob. 1. ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 4. dicente: *Ratio humana in rebus divinis eſt multum deficiens ad cognoſcendum ea, quæ de divinis naturaliter cognoſcibilia ſunt.* Sed potentia, quæ eſt multum deficiens ad operandum, indiget gratia ſpeciali: cum magna deficientia ſit magna improportio moralis: ergò aliquæ veritates, etſi naturaliter cognoſcibiles, nequeunt ſine gratia ſpeciali ab intellectu humano cognoſci.

Pſalm. 18 Ad Rom. 1.

Prob. ex S. D.

Idem colligitur ex ſolutione ad 1. ibidem, ubi ait: *Inveſtigatio rationis non ſufficit humano generi ad cognitionem divinorum, etiam, quæ ratione oſtendi poſſunt.* Ubi autem datur inſufficientia, requiritur aliqua gratia ſpecialis. Nec poteſt dici Sanctum Doctorem loqui de cognitione omnis veritatis collectivè. Non inquam poteſt dici; quia talis cognitio eſt impoſsibilis; cum perfectiones convenientes Deo, ut Authori naturæ, ſint actu numero infinitæ. Rursùs: quia ex tali inſufficientia probat neceſsitatem ſacræ doctrinæ, ut homines de veritatibus divinis etiam naturaliter cognoſcibilibus, inſtruantur. Conſtat autem non poſſe inſtrui per ſacram doctrinam de collectione omnis veritatis. Ad idem facit, quod Antiqui Philoſophi excellenti ingenio prædíti, quamvis per multum tempus, & ſummo ſtudio, pro penetratione aliquarum veritatum determinatè laboraverint; ad illam tamen non pervenerunt. Ratio etiam favet: Nàm ſtat optimè effectum connecti cum aliqua veritate, & perfectione

50

Confirm. ex eiuſdé doctrina.

Evaſio rejicit. 1.

Secundo.

Tertio.

tione causæ, & huiusmodi connexionem esse valdè obscuram, & implicatam, utpotè convenientem effectui secundum rationes latentes in eo. Unde si intellectus eas perfectè non penetret (quod valdè superat illius debilitatem) non poterit in cognitionem veritatis divinæ assurgere.

51 Quod explicari potest exemplo luminis gloriæ, ad cognoscenda possibilia in particulari: de quo asserunt Thomistæ communitèr ad penetrationem illorum possibilium in particulari, quæ magis latent in omnipotentia, requirere in se maiorem intensionem. Unde sicuti huiusmodi latentia non tollit, quominùs talia possibilia sint cognoscibilia: ita dicendum de latentia aliquarum veritatum convenientium Deo, ut Authori naturæ. Nec hoc derogat suavitati divinæ providentiæ, aut perfectioni intellectus humani. Ad illam enim sufficit, ut aliquæ veritates principales, & nobis necessariæ, possint sine speciali gratia, & per concursum generalem cognosci. Imò potiùs ad ipsam providentiam spectat ostendere insufficientiam, & debilitatem nostri intellectus, etiam ad cognoscenda aliqua prædicata Dei, ut Authoris naturæ, determinatè, & in particulari accepta. Idemque sufficit, ut consulatur providendo perfectioni intellectus, iuxta modum suum, secundùm quem iuxta Div. Thomam invenitur multum deficiens ad illorum cognitionem, in quo etiam apparet suavitas divinæ providentiæ generalis.

Explicatio doctrinæ datæ.

§. IX.

QUINTA CONCLUSIO, ET ARG. occurritur.

Ad cognoscendum omnes veritates collectivè requiritur gratia specialis.

52 Conclusio est communis, & loquendo de intellectu humano post lapsum Adami, prob. Talis cognitio est summè difficilis intellectui humano, difficultate orta ex plurimis impedimentis relictis ex peccato originali, quæ nec homo potest à se abjicere, nec cum eis prædictam cognitionem componere; illa enim sunt *ars longa* (& respectu collectionis longa penes infinitè) *vita brevis &c.* & iuxta D. Thom. 1. contra Gent. cap. 4. *Occupatio rei familiaris, tarditas in addiscendo, pigritia in applicatione ad studium, diversi passionum motus, quibus anima fluctuat.* De his enim negari nequit maximè impedire speculationem veri; anima enim, iuxta communem sensum, quiescendo à tumultuatione, tàm interna, quàm externa, fit sapiens: ergò sine gratia speciali, imò specialissima, nequit cognoscere omnes veritates collectivè. Hæc ratio etiam probat de homine iustificato; gratia enim sanctificans, nec removet impedimenta supra relata, nec auget vires naturales cognoscendi. Probat paritèr de homine, etiamsi perseverasset status innocentiæ ex capite multitudinis penè infinitæ, & occupatione rei familiaris. * Nàm etsi iuxta Div. Thomam 1. part. quæst. 101. a. 1. in illo statu non fuisset ignorantia, quæ est privatio scientiæ debitæ, nec difficultas acquirendi scientiam, inveniendo, vel addiscendo; quia tamen illarum cognitio acquireretur ministerio sensuum; cum sit impossibile totam collectionem cadere sub illo, vel mediatè, vel immediatè, modo requisito ad cognitionem certam, & non purè coniecturalem: dicendum prædictam cognitionem excedere perfectionem talis status. Unde ex vi providentiæ correspondentis prædicto statui præ statu lapsus, homines habuissent scientiam, quæ eis competebat secundùm tempus opportunum; & insuper habuissent sufficientem scientiam practicam, & maiori celeritate usum rationis multo plenius, quàm nunc naturalitèr habemus. Ita D. Thom. art. 1. & 2. De qualitate huius gratiæ pro utroque statu infra redibit sermo.

Prob.

* Sic Ferre, Alvarez, Suarez, & Alij.

53 Argues 1. Cognitio alicuius veritatis divinæ determinatè acceptæ, est

Primum argum.

est altior, & perfectior cognitione omnis veritatis creatæ collectivè: ut videtur certum, & docetur à D. Thoma ex Philosopho 1. part. quæst. 1. a. 5. ergò si primam cognitionem potest intellectus habere sine gratia speciali, paritèr, & secundam. Quo enim altior est cognitio, magis superat virtutem intellectus. Resp. Indigentiam gratiæ specialis probari ex altitudine cognitionis, tàm obiectiva, quàm subiectiva, propter admixtionem, vel cum sui obscuritate, vel cum impedimentis illam retardantibus. Si enim cognitio sit ex specie sua altior ob excellentiam obiecti; sed tamen de se manifesta, aut facile de se cognoscibilis ob connexionem perspicuam cum effectibus; non requirit ad sui elicientiam gratiam specialem. Sic contingit in cognitione existentiæ Dei primi entis, & universalissimi motoris propter testimonium creaturarum eam apertè proclamantium, de quo plura alibi. Unde consequentèr ad hanc doctrinam non admittitur per se loquendo ignorantia invincibilis existentiæ Dei sub ratione saltim universali summi, & incommutabilis boni; benè tamen de pluribus veritatibus creatis infinitè distantibus in perfectione.

Solutio.

54 Argues 2. Cognitio omnis veritatis naturalis collectivè est possibilis naturalitèr intellectui humano: ergò non indiget gratia speciali. Prob. antec. Appetitus innatus solùm ordinatur ad id, quod est naturalitèr possibile; ut communitèr docent Thom. Tract. de Visione. Sed intellectus humanus appetit appetitu humano innato cognitionem omnis veritatis collectivè. Primò; quia talis cognitio est maxima perfectio naturalis intellectus; & quælibet res innatè appetit maximam perfectionem naturalem sui. Secundò; quia intellectus innatè appetit sui facietatem intra ordinem naturæ; & hæc haberi non potest, nisi omnes veritates collectivè cognoscantur. Tertiò; quia falsitas circa quamlibet veritatem in particulari adversatur eius innatæ inclinationi. Ultimò: quia quælibet veritas in particulari est terminus saltim inadæquatus inclinationis innatæ illius; proindèque tota collectio erit terminus adæquatus eiusdem: ergò cognitio omnis veritatis naturalis &c.

Secundũ arg. & satis difficile.

Variè Resp. AA. nostræ sententiæ. Alij dicunt inclinationem innatam intellectus solum ex consequenti terminari ad collectionem totius veritatis, non autem primo, & per se, ità P. Suarez. Hæc tamen solutio communitèr impugnatur à nostris Thomistis, ut insufficiens, & falsa. Nàm appetitus innatus, utpotè dicens exigentiam termini, in quem inclinat; nec adhuc ex consequenti potest terminari ad impossibile per naturam. Videantur Thomistæ ubi supra. Sed ut impugnatio apposita sit efficax, notandum hanc propositionem: *Intellectus nequit cognoscere naturalitèr collectionem omnis veritatis naturalis*, duplicem sensum posse facere; vel quia ad talem collectionem requiritur gratia supernaturalis intrinsecè saltim modalitèr; vel quia requiritur gratia specialis intra ordinem naturæ. Si propositio accipiatur in primo sensu, impugnatio est efficacissima: unde nec ad reunionem formæ semèl amissæ admittunt communitèr Thomistæ appetitum innatum in materia prima: eo quod cum talis appetitus sit adæquatè à Deo ut A. naturæ, nequit ullatenùs respicere terminum consequibilem dependenter à Deo supernaturalitèr operante. Si autem propositio accipiatur in secundo sensu, videtur impugnationem supra adductam, pati aliquas instantias. 1. Nàm homo inclinat innatè ad beatitudinem naturalem; quæ quidèm, utpotè consistens in cognitione practica Dei, & amore naturali ipsius, ut finis ultimi super omnia naturalis; requirit gratiam specialissimam. 2. Nàm victoria gravis tentationis contra castitatem v. g. ex honesto motivo naturali est terminus inclinationis innatæ hominis, ut est agens rationale: cũ lapsus in illam sit contra inclinationem naturalem illius; & tamen talis victoria nequit consequi sine gratia speciali. 3. Nàm ipse Mag. Boliv. utens tali impugnatione Tract. de Necessit. gratiæ dub. 8. §. 3. num. 22. ait: *Dilectionem Dei A. naturæ super omnia esse terminum inclinationis innatæ ho-*

55 Prima solut. impugnatur

hominis; * & tamen ad illam requirit gratiam specialissimam naturalis ordinis.

56 Secunda solutio.

2. Resp. Illust. Godoy dist. duplicem impossibilitatem, unam physicam, ob defectum continentiæ ex parte virtutis operativæ: alteram moralem, propter impedimenta extrinseca ad positionem termini. Rursùs: Distinguit duplicem appetitum innatum, unum perfectum, & completum; alterum verò imperfectum, & incompletum. His suppositis, asserit, ad terminum physicè impossibilem modo dicto, non posse dari appetitum innatum in natura; si verò terminus solùm sit impossibilis moralitèr, estò ad illum nequeat dari appetitus innatus perfectus, & completus; secùs tamen imperfectus, & incompletus. Cùmque cognitio totius collectionis veritatum solùm sit impossibilis moralitèr post lapsum ob extrinseca impedimenta supra recensita, potest terminare inclinationem innatam illius, estò non completam, benè tamen incompletam, & propter hoc (asserit) requiri gratiam specialem in intellectu ad prædictam cognitionem. Ex qua doctrina, facilis est solutio argumenti in forma.

57 Impugn. à M. Ferre.

Hanc distinctionem de duplici appetitu innato, scilicèt, perfecto, & imperfecto, acritèr impugnat M. Ferre quæst. 2. §. 5. num. 186. sequenti discursu: Appetitus innatus, cùm sit pondus naturæ, consequitur necessariò ad vires physicas intrinsecas naturæ: ergò quoties prædictæ vires non minuuntur physicè, nèc ipse appetitus potest minui. Sed propter impedimenta relicta ex peccato originali non minuuntur vires physicæ intellectus: ergò nèc propter illa appetitus innatus ad cognitionem veri erit minutus; ita, ut qui ante peccatum erat perfectus, & completus, modò sit imperfectus, & incompletus.

58 Non videtur efficax impugn. 1.

Hæc tamen impugnatio non est ex toto efficax. 1. Nàm ipse M. Ferre Tract. de Peccatis fol. 394. col. 1. expressè tradit distinctionem, quam impugnat. Nàm cùm sibi opposuisset, quod si homo haberet inclinationem innatam ad bonum honestum, non posset assuefieri ad inhonestè operandum; & insuper, quòd voluntas non indigeret compleri per habitus virtutum naturalium ad virtuosè agendum; ut patet à simili quòad utrumque in lapide innatè propendèti in centrum. Resp. disting. duplicem inclinationem innatam eisdem terminis, quibus illam tradit Illust. Godoy; asseritque, * inclinationem voluntatis, utpotè coniunctam cum defectibilitate, esse incompletam, & inchoatam ad bonum honestum in particulari, & quòd sit bonum alterius; ideòque posse assuefieri ad vitia, & indigere virtutibus acquisitis. * Quæ solutio est communis inter Thomistas.

59 Secundo.

2. Nàm iuxta D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 1. * inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum: per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad similes actus. Oportet autem, quòd ex hoc, quòd aliquid inclinatur ad unum contrarium, diminuatur eius inclinatio in aliud. Undè cùm peccatum sit contrarium virtuti, minuit inclinationem ad virtutem. Et art. 2. Dupliciter potest intelligi diminutio inclinationis; uno modo ex parte radicis; alio modo ex parte termini. Primo modo inclinatio ad virtutem non minuitur per peccatum; sed secundo modo diminuitur propter impedimentum pertingendi ad terminum. * Et quamvis hæc doctrina maiori cum proprietate intelligatur de peccatis personalibus: etiam suo modo verificatur de peccato originali, ad quod fuerunt consecuta quatuor vulnera naturæ humanæ, ut communitèr docent Theologi ibi exponentes S. Doct.

Si igitur huic doctrinæ Div. Thomæ addatur alia communis inter Thomistas, & quam expressè tuetur M. Ferre, scilicèt, * intellectum etiam, ut speculativum, mansisse vulneratum per peccatum originale, licet non tam gravitèr, ac fuit voluntas: * quid prohibet dicere inclinationem innatam ad cognitionem veri mansisse imperfectam, & incompletam; non quidèm intrinsecè, & ex parte radicis, sed extrinsecè, & ex parte termini propter plurima impedimenta retardantia cognitionem omnis veritatis. Rursùs: vulnus afficiens

60 In favor. Illustr. Godoy.

ciens intellectum humanum etiam, ut speculativum, deducitur ex illis verbis Div. Thom. 4. cont. Gent. c. 92. *Inter spirituales pœnas potissima est debilitas rationis, ex qua contingit, quòd homo difficilitèr pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem.* Ex quibus colligitur, quòd nihil prohibet dicere appetitum innatum eiusdem esse incompletum, & imperfectum; cùm à S. Doct. appelletur inclinatio coniuncta cum debilitate, & de facili labilis in errorem.

61 Impugnatio M. Boliv. cõtra Ill. God.

Alio ex cap. eandem solutionem impugnat Mag. Boliv. probando, intellectum humanum non habere appetitum innatum ad collectionem omnis veritatis, etsi incompletum, & imperfectum. 1. Nequit dari appetitus innatus, etsi incompletus, ad terminum physicè impossibilem; sed huiusmodi est cognitio totius collectionis respectu intellectus humani post lapsum: ergò. Min. prob. notand. dupliciter posse contingere, quòd aliqua operatio sit physicè impossibilis; uno modo propter defectum continentiæ in virtute operativa; alio modo, quia estò contineat in se virtus operativa talem operationem, nequit physicè abjicere impedimenta illam impedientia; ut videre est in homine ligato catenis, de quo verificatur non esse physicè potentem ambulare, non quia ambulationem non contineat, sed quia catenas à se abjicere nequit. Cum ergò homo post lapsum nequeat à se abjicere impedimenta ad cognitionem totius collectionis, hæc absolutè est ei physicè impossibilis. 2. Implicat inclinatio innata ad cognitionem totius collectionis sine inclinatione innata ad media requisita pro tali cognitione; cum appetitus innatus respiciat finem, ut practicè consequibilem; proindèque media à quibus provenit illius consequibilitas practica; sed intellectus humanus non habet innatam inclinationem ad media pro totius collectionis cognitione requisita: ergò. Prob. min. Talia media iuxta Illust. Godoy sunt infusio omnium specierum, & habituum: sed hæc superant inclinationem innatam intellectus humani; utpotè solum debita naturæ Angelicæ, ipso expressè fatenti: ergò.

62 Occurritur instãt. in gratiã Ill. God. ad 1.

Hæc, etsi satis efficacia, possunt tamen in gratiam tanti Mag. probabiliter solvi. Ad 1. impugn. admis. dist. tradita ab ipso Mag. de duplici modo physicæ impossibilitatis in aliqua operatione. Resp. Impossibilitatem physicam provenientem ex impedimentis purè extrinsecis, & minimè exactis à virtute operativa, sed aliundè provenientibus; non obstare appetitui innato imperfecto, & incompleto ad talem operationem; secùs autem foret, si illa impedimenta ortum ducerent; aut saltim, essent positivè consona potentiæ innatè propendenti in operationem. Sic contingit in impedimentis pro cognitione totius collectionis veritatum naturalium. Illa enim (ut consideranti patebit) sunt purè extrinseca intellectui humano secundùm se inspecto, & ortum ducentia *ex brevitate vitæ, somno,* & alijs corpori corruptibili necessariò annexis. Quæ doctrina aliqualiter roborari potest exempla quàm plurium corporum gravium, quibus ob eandem rationem est physicè impossibilis quies in centro, ad quòd naturaliter inclinant. Idem de homine catenis ligato; cuius potentia ambulativa innatè inclinat in actum ambulandi; cum tamen iuxta præd. Mag. ambulatio sit ei physicè impossibilis.

63 Pro solut. ad 2. not. 1.

Ad 2. Resp. notand. Cognitionem, de qua in præsenti, non se extendere ultra veritates ex sensibilibus cognoscibiles: nèc necessariò requirere, quòd sit cognitio comprehensiva, aut quidditativa perfectè, & sub omni modo abstractionis à materia, quo eadem veritas entitativè potest, & solet cognosci. Ex hoc iàm apparet qualiter sit privativè debita naturæ Angelicæ infusio specierum intelligibilium; cum prædictæ species & sint repræsentativæ omnium verit. naturalium, corporalium, & spiritualium; & insuper propter excellentiam luminis Angelici; perfectè quidditativè, & comprehensivè totum ordinem naturæ repræsentent. Unde, etsi Adamus in statu innocentiæ habuerit scientiam rerum naturalium à Deo infusam, hæc tamen fuit multum deficiens

Secundo. ciens à cognitione Angelorum. Deindè notandum, infusionem specierum intelligibilium repræsentantium veritates ex sensibilibus cognoscibiles, similitèrque infusionem omnium scientiarum, qualis fuit concessa Adamo, solùm requiri ad facilem, & omninò expeditam cognitionem totius collectionis, quando, & quomodò homo voluerit: non tamen ad cognitionem habendam successu temporis, ministerio sensuum, & cum magna difficultate: cùm Deo suppetant modi infiniti, quibus sine tali infusione posset confortare utrumque intellectum agentem, & possibilem, ut ex speciebus præconceptis alias species formaret, & propter conformitatem, & distinctionem unius naturæ ab alia, formare speciem intelligibilem veritates talium naturarum repræsentantem. Et quamvis hæc esset gratia specialis, non tamen illa, quam ponit impugnatio; tanquàm propria naturæ Angelicæ, & superans omnem proportionem luminis intellectus humani. Ex quibus facilis est solutio in forma, & per illam satis probabilitèr defensabilis solutio tradita ab Illustr. Godoy.

64 3. Resp. aliqui Thomist. concedendo intellectui humano appetitum innatum ad cognitionem omniũ veritatum collectivè, quin obstet non posse in præsenti statu haberi talem cognitionem sine gratia speciali sup. descripta. Sufficit enim esse ipsi debitam, & sine gratia speciali assequibilem, in aliquo statu cognitionem omnis veritatis collectivè sumptæ. Nàm hæc propositio: *Frustra est potentia, & inclinatio, quæ non reducitur ad actum*: intelligitur cum his conditionibus: scilicet, *quando, quomodò, & ubi oportet.* Licèt autem anima in statu coniunctionis ad corpus talem cognitionem habere nequeat, benè tamen in statu separationis, cui connaturalitèr ex Dei providentia debetur infusio specierum omnium rerum huius universi ordinem constituentium, ut docet Div. Thom. 1. p. q. 80. ar. 3.

Tertia solutio ex M. Serna.

65 Sed hæc solutio habet contra se 1. Nàm status separationis non est connaturalis animæ, sed secundùm quid violentus, vel saltim præternaturalis: de quo expressè Div. Thom. 4. contra Gent. cap. 79. Omnis autem potentia, & natura petit consequi terminum suæ innatæ inclinationis, dùm existit in statu sibi connaturali. Si enim natura exigit terminum, in quem innatè inclinat, paritèr exigit statum requisitum ad termini consecutionem; proindèque talis status nequit esse contra, aut præter omnem illius inclinationem: ergò in anima non datur appetitus innatus ad cognitionem collectionis omnium veritatum naturalium, si hæc solum est possibilis pro statu separationis. 2. Nàm S. D. 1. p. q. 89. a. 3. solũ concedit animę in statu separationis cognitionem confusam rerum naturalium collectivè: quæ quidem cognitio ad sacietatem innatæ inclinationis, & ad præsens institutum, non sufficit. 3. Nàm possibilitas cognoscendi verum convenit intellectui humano penès eius activitatem, & penès efficaciam, quam habet homo ratione intellactus agentis ad acquisitionem specierum. His enim principijs innititur Ang. Præcep. Tùm in 2. dist. 28. q. 1. a. 5. Tùm in præsenti, ut doceat, ad quam cognitionem indigeat gratia speciali, & ad quam non. Atqui cognitio conveniens animæ separatæ respectu rerum spectantiũ ad universum, est unicè per infusionẽ specierum à Deo, ut est certum: ergò etiam admisso, quòd talis cognitio sit distincta, & clara attingentia illarum, impertinens est præs. instituto, & ad expositionem doctrinæ, quam Ang. Præc. tradit in præsenti.

Impug. 1. Secundò. Tertio.

66 His omissis solut. (estò probabilitèr tueri possint) verior, & frequentior solutio ab ipsis AA. de quibus supra, tradita, negat appetitum innatum in intellectu ad cognitionem omnis veritatis naturalis *collectivè*; estò talis cognitio, utpotè magna perfectio, sit conformis, & iuxta eius innatam inclinationem. Ratio est: Nàm talis appetitus solùm respicit pro termino formali, & per se, rationem entis cognoscibilis ex sensibilibus secundùm se, & in sua abstractione formali, & ut potentem movere ad cognitionem huius, vel illius obiecti proportionati; quemad-

quemadmodùm inclinatio innata potentiæ visivæ est ad visionem coloris communitèr sumpti, ut sub se continentis omnes species coloris. Undè ut talis inclinatio non sit frustra, sufficit reduci sine grat. speciali ad aliquem, vel aliquos actus, estò non ad omnes; in quolibet enim salvatur ratio formalis termini, ad cuius attingentiam per se innatè inclinat.

67 Dato etiam, quòd omne verum collectivè sumptum terminet inclinationem innatam intellectus; adhùc non convincit argumentum: Nàm licèt verum modo dicto terminet, non terminat, ut simul cognoscendum ab intellectu, sed ut cognoscendum divisivè; cùm ad hoc habeat facultatem, & expeditionem naturaliter debitam. Exemplum habetur in formis substantialibus; omnes enim simùl sumptæ terminant inclinationem passivam materiæ primæ; sed non, ut simul recipiendæ, sed divisivè. Adest tamen aliqua diversitas, consistens in eo, quòd sensus divisus in formis est positivus propter repugnantiam simultatis unius formæ cum alia: unius autē veritatis cognitio non excludit alterius cognitionem. Undè est sufficiens fundamentum, ut hæc propositio sit vera: *Intellectus non inclinat innatè in cognitionem huius veri simul cum alterius cognitione.*

68 Argues 3. Natura corporea est sufficiens sine motione speciali ad omnes operationes sibi proportionatas etiam collectivè sumptas: ergò idem dicendum de intellectu humano in ordine ad cognitionem collectionis omnis veritatis naturalis. Prob. conseq. Nàm alias intellectus humanus esset minoris perfectionis: siquidèm esset minoris activitatis, proindèque minoris actualitatis, in qua fundatur perfectio potentiæ activæ. Resp. ex Illust. Godoy concesso anteced. neg. conseq. Ad illius prob. dist. anteced. Esset minoris activitatis extensivè sine gratia speciali, conced. anteced. Esset minoris activitatis intensivè, nego antec. Licèt enim natura corporalis possit sine motione speciali elicere plures operationes, quam intellectus, in quo consistit maioritas extensiva; attamen intellectus humanus etiam sine gratia, & motione speciali, potest in aliquos actus cognitionis prorumpere, ut dictum est concluſ. 1. Cumque hi actus longè superent in perfectione totam collectionem operationum naturæ corporalis; etiam intellectus manet cum eodem excessu, etsi in ordine ad totam collectionem gratia speciali indigeat. Perfectio enim intensiva, & substantialis naturæ, & illius potentiarum, non desumitur ex numero, aut multitudine operationum, sed ex harum specifica, & substantiali perfectione.

Tertium argum.

Solutio. ex Godoy

69 Displicet hæc solutio M. Ferre, & objicit primò contra illam testimonium Div. Thom. in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 5. sic asserentis: *Si intellectus agens esset insufficiens ad faciendum speciem esse intelligibilem actù, natura humana alijs imperfectior esset, quia non sibi sufficeret in naturalibus.* Ex quo sic arguit. Quamvis quilibet actus intellectus agentis sit perfectior tota collectione actuum aliarum naturarum; si tamen intellectus agens non posset prodicere species omnium objectorum naturalium, esset illis imperfectior iuxta Div. Thom. ergò idem dicendum de intellectu possibili in ordine ad cognitionem omnis veritatis naturalis. Conseq. videtur legitima, utpotè simili doctrinæ innitens. 2. In dicta hypothesi natura humana formalitèr in ratione naturæ esset inferior alijs, estò materialitèr foret eis præstantior. Assumptum probatur sic: Conceptus naturæ est conceptus radicis operationum: ergò natura, cui munus radicandi operationss convenit cum maiori perfectione, est perfectior in ratione naturæ. Sed natura, quæ naturaliter, & sine gratia speciali, habet radicare omnes operationes sibi proprias, excedit in perfectione radicandi illam, quæ tantum aliquas operationes radicat: ergò.

Impug. 1.

Secundo

70 Hæc tamen efficacia non sunt. Non primum desumptum ex testim. S. D. Nàm, vel in illo concedit intellectui agenti virtutem producendi species omnium veritatum naturalium collectivè, vel solùm divisivè, & earum veritatum, quæ ex principijs per se notis possunt facilè cognosci? Si hoc secundum: testimonium

Respond.

non

non est ad rem, ut de se patet. Si primum: ergò cùm intellectus possibilis possit cognoscere obiecta, à quibus intellectus agens abstrahit species intelligibiles; sequitur, intellectum possibilem sine gratia speciali posse cognoscere omnes veritates naturales collectivè, quod est apertè falsum, & ab ipso Mag. Ferre acritèr impugnatum. Alitèr: Tota, aut ferè præcipua difficultas in cognitione totius collectionis, provenit ex impotentia abstrahendi ministerio sensuum species repræsentantes multitudinem penè infinitam veritatum naturalium propter brevitatem vitæ, & alia impedimenta extrinseca. Undè gratia specialis pro cognitione totius collectionis, præter infusionem habituum, adduceret etiam infusionem omnium specierum, ut ipse Mag. fatetur: ergo si huiusmodi impotentia non provenit ex difficultate se tenenti ex parte intellectus agentis; nèc paritèr se tenere valet ex parte intellectus possibilis; aut dicendum, vulnus afficiens naturam humanam ex peccato originali unicè retardare intellectum possibilem, non verò agentem, quod est manifestè falsùm. Quapropter authoritas Div. Thom. intelligitur de intellectu agente in ordine ad abstractionem specierum intelligibilium indefinitè; quatenùs de se est sufficiens ad plurium specierum ex rebus sensibilibus abstractionem, licèt non ad species totius collectionis. Ad 2. const. ex sup. dictis; excessus enim in munere radicis consistit, non tàm in facilitate radicandi operationem per remotionem omnis impedimenti, quàm in elevatione, & excessu actualitatis requisitæ ad radicandum. Quando autem operatio est actualior, estò non ita facilè ab aliquo principio radicali proveniat, requirit in tali principio maiorem actualitatem; proindèque excessum in ratione naturæ, quæ est prima forma, & actualitas rerum.

Ad secundum.

71 Rursùs instantiæ adductæ solvi debent ab ipso Mag. Ferre expressè tuenti in præsenti tract. quæst. prœmial. à num. 77. hominem non posse sine gratia speciali consequi (etiam secluso peccato) beatitudinem naturalem consistentem in cognitione, & amore Dei A. naturæ super omnia: Cùm tamen quælibet alia natura sine gratia speciali finem naturalem, ad quem ordinatur, possit consequi. Ex qua doctrina formo simile argumentum: Perfectior est natura illa, quæ sine gratia speciali potest consequi suum finem, quàm illa, quæ finem prædictum consequi non potest: præsertim cùm consecutio finis fieri debeat per aliquam operationem: ergò si homo non potest consequi sine gratia speciali suum finem ultimum naturalem, erit imperfectioris naturæ &c. Unde quòd prædict. Mag. dederit pro solutione huius instantiæ, paritèr & nos dabimus pro solutione alterius. Sed illam tradit Div. Thom. 1. 2. q. 5. ar. 5. ad 2. dicens: *Nobilioris conditionis est natura, quæ potest consequi bonum perfectum, licèt indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quàm natura, quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum; licèt ad consecutionem eius non indigeat exteriori auxilio. Sicut melius est dispositus ad sanitatem, qui potest consequi perfectam sanitatem, licèt hoc sit per auxilium medicinæ, quàm qui solùm potest consequi quandam imperfectam sanitatem sine medicinæ auxilio; & ideò creatura rationalis, quæ potest consequi perfectum beatitudinis bonum, indigens ad hoc divino auxilio, est perfectior, quàm creatura irrationalis.* In quibus verbis habetur confirmata authoritate D. Th. solutio tradita ab Illust. Godoy.

Retorqu. contra M Ferre.

Sed videamus quid Resp. ad argumentum sup. factum Mag. Ferre: Ait enim,* quòd quando non posse ad omnem operationem provenit ex insufficientia virium naturalium, tùnc impotentia virium arguit imperfectionem in tali natura; secùs autem quando provenit ex impedimentis extrinsecis contractis per aliquem defectū. Cùm ergò non posse hominem cognoscere omne verum collectivè proveniat ex impedimentis contractis per peccatum, & non ex insufficientia virium; non diminuitur eius perfectio respectivè ad alias naturas, quæ solutæ ab omni impedimento radicant omnes suas actiones naturales, non solùm divisivè, sed etiā collectivè.*

72 Nō placet solut. M. Ferre.

Hæc

Hæc tamen ſolutio, eſtò contineat veram doctrinam, non videtur plenè ſufficiens. 1. Nàm ipſe Mag. hic num. 197. tuetur, quòd etiam ſi perſeveraſſet innocentiæ ſtatus, non poſſent homines ſine gratia ſpeciali cognoſcere omne verũ naturale *collectivè*; & tamen certum eſt, tùnc non fore impedimẽta ex peccato, aut defectu provenientia. 2. Nàm homo conditus in puris naturalibus non poſſet ſine ſpeciali gratia cognoſcere omne verum collectivè; & tamen impedimenta ex peccato provenientia tunc non eſſent. Undè relinquitur ſolutionẽm ſupra traditam ab Illuſt. Godoy eſſe ſolidiorem, & pro omni caſu adæquatam; & inſupèr, ut vidimus, authoritate Ang. Mag. confirmatam.

§. X.

STATUITUR SEXTA CONCLUSIO circa veritates practicas.

Intellectus ſine gratia ſpeciali poteſt cognoſcere aliquas veritates practicas; non tamen omnes collectivè, benè tamen diviſivè.

73 Prob. 1. pars. PRima pars conſtat: Nàm veritates illæ, in quarum cognitione nulla apparet difficultas, ſed earum veritas ex ipſa apprehenſione terminorum patet, non indigẽt gratia ſpeciali; ſed huiuſmodi ſunt aliquæ veritates practicæ, & ad mores ſpectantes; v. g. *Bonum eſt proſequendum, malum fugiendum. Quod tibi non vis, alteri nè feceris* &c. ergò. Rursùs: Lumen rationis naturalis practicum non fuit extinctum per peccatum, licèt fuerit vulneratum. Undè dicitur Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quod de lumine ad diſcernendum inter bonum, & malum exponit Div. Thom. 1. 2. quæſt. 19. art. 4. ergò ſine ſpeciali gratia poteſt cognoſcere aliquas veritates practicas. Conſeq. patet: Nàm qui ægrotat, eique aliquid vitæ ſupereſt, poteſt nonnulla opera exercere. Idem dicendum de veritatibus practicis contentis in Decalogo; nàm iſtæ deducuntur ratione naturali ex principijs per ſe notis: ergò ſine ingenti difficultate poſſunt ab intellectu humano cognoſci; proindèque ſine gratia ſpeciali.

74 Secunda pars. Secunda pars, quæ procedit de cognitione certa, & firmitèr diſcernenti inter honeſtum, & turpe; conſtat 1. ex illo Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* In quibus expreſsè affirmatur, noſtra iudicia eſſe incerta, fluctuantia, & erroribus permixta, propter comercium animæ cum corpore, & appetitus rebellionem. Nàm cupiditates corporeæ obnubilant rationis iudicium; ut docet Philoſ. *Quia qualis unuſquiſque affectus eſt, ſic omnia videntur ei*: Ergò cùm homo poſt primum peccatum manſerit proclivis ad malum, & oppugnetur motibus inordinatis; impoſsibile eſt, ut poſsit verè, & conſtanter, iudicare de omni veritate ad mores pertinenti. 2. Intellectus ut cognoſcitivus veritatum moralium, & circa agenda, manſit vulneratus per peccatum primi Parentis; de quo D. Thom. 1. 2. q. 85. ar. 3. ergò quemadmodùm homo ſanus poteſt per ſe ipſum integrè, & perfectè ſuos motus exercere: ſecus autem homo æger; ita intellectus vulneratus circa agibilia nequit per vires ſibi proprias in omni materia morali integrè, & ſine errore cognoſcere, quid ſit fugiendum, quid verò proſequendum. His addi poſſunt multitudo penè infinita harum veritatum, & eventuum, qui accidere poſſunt circa agenda; quæ omnia æquè, aut magis, urgent pro tota collectione, quàm pro cognitione collectionis omnis veri ſpeculativi. Si ergò ex dictis conc. 5. ad hanc requiritur gratia ſpecialis, paritèr ad illam.

75 Tertia. Tertia verò pars ſuadetur ex adductis concluſ. 3. Ad providentiam generalem Dei ſpectat, ut etiam poſt lapſum, ſint aliqui homines avidi ſtudendi, & excellenti ingenio prædíti, nondùm circa ſpeculabilia, ſed etiam circa agibilia; cùm homo ſit rationalis, tàm ſpeculativè, quàm practicè. Undè plures Philoſophi Antiqui circa mo-

moralium cognitionem totis viribus se applicarunt: ergò nulla est determinatè veritas practica, quæ sine speciali gratia non possit cognosci. Prob. conseq. Nulla est veritas practica determinatè, & in particulari accepta, quæ superet vires hominis excellenti ingenio prædíti, & maximè avidi circa illius cognitionem: ergò si ad providentiam generalem spectat dari homines ornatum dotibus supra descriptis, ad eandem spectat, ut omnis veritas practica determinatè sumpta sit ab ipsis cognoscibilis.

76 Arguitur contra 1. partem.

Contra primam partem conclusionis possunt objici ea, quæ obiecta, & soluta, manent concluſ. 3. undè ab eis in præsenti supersedemus. Gregorius Arimino in 2. dist. 26. quæst. 1. concluſ. 1. cui adhæret Capreol. in 2. dist. 28. quæst. 1. concluſ. 1. Plura affert testimonia Mag. Par. & etiam aliqua ex Sacra Pag. in quibus affirmatur, *ad gratiam Dei spectare scire quid agendum sit, & quòd nobis appareat ut bonũ, quod antea latebat;* ita de Peccat. merit. lib. 2. cap. 17. Undè Millevitanum c. 4. ait: *Utrumque Dei munus est, scire, quid agere valeamus, & diligere, ut faciamus.* Et Apost. 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis &c.* Et ad Rom 8. *Spiritus adiuvat infirmitatẽ nostram; nàm quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Et Salom. Sap. 9. sic orat: *Da mihi Domine sedium tuarum assistricẽ sapientiam, & mitte illam de Cœlis, ut sciam quid acceptum sit coràm te omni tempore.* Et id genus alia plura. Ergò nulla veritas ad mores spectans potest cognosci sine speciali Dei auxilio.

77 Solutio.

Resp. cum Mag. Medina, & Alijs., Concilia, Sacram Pag. & SS. PP. loqui de cognitione agibilium, *pròut expedit, & conducit ad vitæ æternæ consecutionem, quæ nobis promissa est per Iesum-Christum;* cuius oppositum docuit Pelagius, & cuius errorẽ Concilia, & PP. præcipuè expugnare contendunt. Undè sæpè Concilia addunt has dictiones, *pròut expedit, pròut oportet*, ut videre est in Arausican. & Trident. Rationem huius expositionis ultra dicta tradit Doctissimus ille M. Nàm in Sacro Eloquio solùm habetur in prætio, & reputatur tanquàm aliquid, cognitio, quæ nos ducit in beatitudinem; quæ verò ad hunc finem non conducit, quantumvis acuta, tanquàm nihilum æstimatur. Hac loquendi forma usus est Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si habuero* (inquit) *prophetiam, & noverim mysteria omnia, nihil sum, si charitatem non habuero.* Constat igitur testimonia adducta non officere nostræ conclusioni, quæ solùm procedit de cognitione veritatis practicæ ad honestatem morum intra ordinem naturæ spectantem. Resp. 2. Concilia, & PP. loqui de cognitione practicè practica veritatum moralium indefinitè; quatenùs ad aliqua opera difficilia, & agenda, & practicè modo dicto cognoscenda, requiritur speciale auxilium Dei, ut infra dicemus. In præsenti autem loquimur de cognitione speculativa aliquarum veritatum moralium; quæ tamen non est proximè, & immediatè regulativa honestæ operationis. Sed præstat prima solutio. Resp. 2.

78 Arg. cõt. 3. partẽ.

Contra secundam partem nihil dignum se offert. Contra tertiam verò sic arguitur: Etsi intellectus, ut speculativus, sit vulneratus per peccatum originale, magis tamen vulneratus est, in quantùm est practicus, ut expressè docet Div. Thom. 1. 2. quæst. 85. art. 3. & hic art. 2. ad 3. ergò minores vires habet ad cognitionem veri practici, quàm veri speculativi. Sed hoc directè opponitur cum eò, quòd possit absque gratia speciali cognoscere omnem veritatem practicam divisivè, & solùm indigeat tali gratia ad cognitionem totius collectionis; quandoquidem hoc idem fatemur de cognitione veri speculativi: ergò indiget gratia speciali ad cognoscendas aliquas veritates practicas determinatè, & in particulari. Urgetur 1. Quia natura humana iuxta S. D. magis corrupta est quantùm ad appetitum boni, quàm quantùm ad cognitionem veri, inferimus cum frequenti Thomist. sensu, voluntatem non posse ad omne opus honestum etiam divisivè sine gratia speciali: ergò si intellectus circa agibilia est magis vulneratus, quàm circa speculabilia &c. Urgetur 2. Nequit homo Urgetur. Secundo.

post

post lapsum diligere Deum Authorem naturæ super omnia sine gratia speciali (idem de victoria gravis tentationis) ergò etiam sine gratia speciali nequit practicè iudicare hic, & nùnc Deum esse diligendum super omnia. Pr.conseq. Nàm sicut voluntas mansit propensa in bonum proprium,& ob vehementiam passionum experitur gravissimam difficultatem ad talem dilectinem,ob idque indiget gratia speciali; ita intellectus practicus ob eandem propensionem ex parte voluntatis, & obnubilatus exuberantia passionum, difficilè potest practicè formare iudicium regulativum talis dilectionis iuxta illud Philos.3.Ethic.*Qualis unusquisque est, talis finis videtur ei.* Sic Mag.Ferre referens pro seMagistrum Ioannem à S. Thoma.

79 Si sensus conclusionis explicetur, nullum existimo dari dissidium inter Thomist. etsi Mag. Ferre iudicet se opponi Illust. Godoy, & Alijs. Pro quo notandum, ut iàm num. 16. advertimus: veritates de se practicas, & ad mores spectantes, tàm universales, quàm particulares in materia cuiusvis virtutis moralis, posse duplicitèr cognosci; uno modo purè speculativè; alio modo practicè. Tùnc cognoscitur aliqua veritas practica speculativè tantùm, quando talis cognitio non accipitur pro regula operationis ab ipso cognoscente; nèc ipsum allicit, vel dirigit ad operationem; ut constat in eo, qui offendens Deum, cognoscit actù esse diligendum super omnia. Undè talis cognitio solùm iudicat de rebus agibilibus secundùm eorum merita, non habito respectu, ut sic in praxi æstimentur à cognoscente.Quando autem cognitio eiusdē veritatis accipitur pro regula operationis, & proponit illam, ut allicientem voluntatem ad sui prosecutionem; est, & dicitur cognitio practica. Hinc cognitio speculativa boni dicitur arida, & sterilis, iuxta D. Th. 1. 2. quæst.9.a.1.& 2.Quare à Philos. comparatur imaginationi, per quam apprehenduntur obiecta, ut in pictura, quæ nullatenùs movent. Cognitio autem practica est fœcunda, & affectiva.

Nota pro solutione

Huiusmodi cognitio potest esse multiplex ob diversitatem movendi voluntatem ad prosecutionem obiecti, & ob diversitatem connexionis cum illa. Potest enim movere solùm quòad sufficientiam, & in actu primo; uti contingit in iudicio indifferentèr proponenti amorem, & odium, vel amorem, & carentiam illius. Nàm etsi iuxta aliquos per tale iudicium tantùm speculativè proponatur ut bonum; reverà talis propositio est practica, utpotè proponens bonum, ut conveniens voluntati, estò non connectatur cum amore. Potest etiam bonum cognosci per iudicium determinatum subsecutum ad indifferens; quatenùs, ex duobus bonis perpriùs apprehensis, intellectus dictat determinatè hoc præ alio esse eligendum. Hoc iudicium est magis practicum, quàm præcedens: Nàm etsi, ut frequentèr tuetur, non connectatur absolutè cum affectu voluntatis; benè tamen ex suppositione, quòd à voluntate non respuatur movendo intellectum ad formandum iudicium oppositum. De quo Mag. à S. Thom. tom. 1. in 1. 2. quæst.13. disp. 6. a.2. & illustrat Doct.Rios disp.2.subdub.unic. de Iudicio indiffer. In idem coincidit sententia eorum, qui,estò negent ad amorem unius obiecti præ alio, requiri iudicium determinatum,concedunt requiri iudicium prælativum proponens cum maiori convenientia, & vivacitate unum præ alio. Potest tandem fieri propositio practica boni per actum imperij strictè talis; qualitèr ab omnibus Thomist. ponitur pro usu activo ad electionem subsecuto; estò aliqui illud requirant pro omni actu libero voluntatis; ut videre est in Mag.Gonet tract. de Actib. volun. disp. 11. art. 4. & Illustr. Godoy de Prædest. disp. 49. §. 7. Huiusmodi imperium propter connexionem ex natura rei cum actu voluntatis, quem imperat, dicitur practicè practicum.

80 Ulteriùs notandū.

De quo Rios ibi §.4. & 5.

His summatim prænotatis, dicendum cum Mag. Bolivar in præsenti cognitionem attingentem quamlibet veritatem practicam in materia cuiusvis virtutis moralis; sed cum indifferentia ad illius prosecutionem, vel omissionem,posse haberi sine gra-

81

tia

tia ſpeciali. Ratio eſt: Nàm huiuſmodi cognitio conſtituit liberum arbitriũ ad bonum, & malum. Sed libertum arbitrium ad bonum, & malum, non eſt gratia ſpecialis, ſed pertinet ad conſtitutionem naturæ: ergò. Plura alia adducit, quæ in ipſo videri poſſunt. Dicẽdum 2. * Cognitionem practicam per iudicium determinatum, & etiam per imperium aliquarum veritatũ ad mores ſpectantium, non poſſe haberi ſine gratia ſpeciali. * Ratio eſt: quia formare iudicium practicũ dictans hic, & nunc dilectionem Dei A. naturæ ſuper omnia v. g. ſimilitèrque formare in præſentia gravis tentationis iudiciũ practicum efficacitèr dictans elicientiã actus honeſti, quo vincatur tentatio, eſt æquè difficile, ac ipſa dilectio, & victoria gravis tentationis, propter debilitatem rationis, & vehementiã paſſionum illam obnubilantium. Qua de cauſa, gratia ad formationem talis iudicij, & gratia ad actum voluntatis, moraliter reputatur eadem. Ex quo manet probatum, idem dicendum pro actu imperij, in quo reſplendet maior efficacia, & in ſuper maior difficultas in ſui elicientia: quando ſcil. actus imperatus eſt de ſe arduus, & difficilis. Idem dicendum cum prędicto Mag. de iudicio practico prælativo boni honeſti, ſi ad amorem huius requiratur gratia ſpecialis. Ratio eſt: quia in præſentia gravis tentationis, per quam bonum delectabile intensè, & vivacitèr proponitur; bonum vero honeſtum tepidè, & remiſsè: formare iudicium contrario modo ſe habens, ſi non eſt æquè difficile, ac ipſe actus voluntatis; eſt tamen valdè arduum: proindèque requirens gratiam ſpecialem.

* Alia concluſio.

Tertia.

Per hæc facilis eſt ſolutio ad argumentum, utpotè ſolum probans intellectum, ut cognoſcentem veritates practicas, ſed cognitione ſubiectivè, & ex motivo illas attingẽdi practica, per iudicium prælativum, dererminatum, vel habens rationem imperij, requirere gratiam ſpecialem, quando etiam actus volũtatis, circa eaſdem veritates practicas, requirit gratiam ſpecialem. Unde ſi ad dilectionem Dei, ut A. naturæ ſuper omnia requiritur gratia ſpecialis in voluntate (idem de alijs actibus arduis) pariter dicendum ad cog-

82

Reſp. directe.

nitionem practicam huius tendentiæ: *Deus hic, & nùnc eſt à me diligendus ſuper omnia.* Hanc neceſsitatem probat vulnus ignorantiæ circa agibilia, per quod intellectus, ut practicus, fuit magis vulneratus, quam ipſe, ut ſpeculativus; ſiquidem intellectus, ut practicus, non differt à ſeipſo, ut ſpeculativo præciſsè propter cognitionem veri practici, ſed propter modum illud cognoſcendi, ſcilicèt, cum extenſione ad opus. Ipſa enim praxis, & modus illius eſt etiam cognoſcibilis ſpeculativè; ut conſtat, dùm definitur à Philoſopho morali modus practicus operandi prudentèr, & cum imperio. Per quod conſtat etiam ad alia, quæ adduximus ex M. Ferre: cum ſolum probent neceſsitatem gratiæ ſpecialis ad cognoſcendas aliquas veritates practicas in particulari; modo tamen practico ſuperiùs explicato. Quod libentèr fatentur Thomiſtæ, quos ſibi impugnare videtur. Hæc omnia breviſsimè complexus eſt Mag. Medina noſtram ſententiam tenens, dùm in ſolutione ad 1. dixit: *Intellectus accepit in ſe vulnus ignorantiæ; non quidem in cognoſcendo, ſed in exequendo, & imperando.*

Ad fund. ex M. Ferre.

§. XI.

In quo exponitur, qualis ſit impotentia ſupra propugnata, & quænam gratia ſpecialis ſit requiſita ad cognitionem omnis veri collectivè.

SEntio cum Magiſt. Bolivar hic §. 3. impotentiam in homine lapſo (idem de homine in puris naturalibus ob eadem ferè in omnibus impedimenta) ad totius veri collectionem in uno ſenſu eſſe phyſicam, in alio vero non. Ratio primi eſt: Nàm, qui non poteſt excludere à ſe impedimenta obſtantia operationi, aut cum illis coniungere operationem, dicitur phyſicè impotens ad operandum: ut videre eſt in homine ligato catenis in ordine ad ambulandum; ſed homo lapſus nequit phyſicè à ſe abjicere impedimenta ad totius veri collectionem, nec cum eis cognitionem prædictæ collectionis coniungere; ut de

83

Reſp. cum diſtinctione.

se patet: ergò in aliquo sensu talis impotentia dicenda est physica. Ratio 2. est. Impotentia physica simpliciter talis ad aliquam operationem solum contingit propter defectum potentiæ, sive virtutis, quæ physicè principiet talem operationem; aut saltim, quando huiusmodi operatio est physice ordinis superioris ad potentiam. Sed nihil horum invenitur in homine lapso ad cognitionem totius collectionis: ergò. Prob. min. Potestas hominis ad cognitionem veri contingit ex intellectu possibili fœcundato specie intelligibili, & ex intellectu agente potenti producere talem speciem ex sensibilibus desumptam. Sed homo lapsus gaudet huiusmodi potentijs cum omni activitate physica eis debita: & aliunde cognitio totius collectionis est eiusdem ordinis physici; cum sit de obiecto sensuum ministerio de se cognoscibili, fuitque in Adamo innocenti: ergò.

Hæc ratio potest confirmari à simili. 1. Nam voluntas sine cognitione practica boni est physicè impotens amare illud; cum cognitio se habeat ex parte actus primi ad omnes affectus voluntatis; & tamen talis impotentia non est propter defectum virtutis, aut activitatis in voluntate ad amandum; nec enim superadditio conditionis est superadditio virtutis, aut principij affectivi: ergò. 2. Ignis sine applicatione est physicè impotens comburere passum; similiterque natura sine subsistentia, aut existentia, est physicè impotens operari. Et tamen nec applicatio, nec existentia aut subsistentia, sunt virtus operativa, aut præbentes continentiam physicam operationum; sed ad summum requiruntur, ut expeditiones principij operativi: ergò pariter stare poterit hominem lapsum esse physicè impotentē cognoscere omne verum collectivè; & non propter defectum potētiæ, aut virtutis cognoscitivæ, sed quia nō potest excludere à se impedimenta extrinseca impedientia talem cognitionem. Ad hoc accedit, quod, ut homo per lapsum cognoscat omne verum collectivè per gratiam specialem, solum requirit infusionem specierum, & habituum: uti contigit in Adamo innocenti iuxta doctrinam D. Thom. 1. part. quæst. 94. art. 3. Cumque in his omnibus non appareat additio alicuius virtutis cognoscitivæ elevantis intrinsecè intellectum possibilem; signum est impotentiam, quam sine gratia speciali habet homo lapsus, non esse physicam per defectum potentiæ, aut virtutis cognoscitivæ, sed propter impossibilitatem se expediendi ab impedimentis recensitis.

84 Confirm.

Hæc omnia illustrantur ex doctrina Ang. Præc. in 3. dist. 12. q. 2. a. 2. ubi postquam art. 1. docuit: Christum, ut hominem non posse peccare, quærit, utrum habuerit potentiam peccandi? Cum autem posse peccare sit quasi effectus formalis potentiæ peccandi, videtur superflua 2. articuli interrogatio. Ablit tamen; cum potiùs in causa fuerit, ut mira subtilitate, & solliditate distinctionem inter posse peccare, & potentiam peccandi statuat, & explicet.* Dupliciter enim actus comparatur ad potentiam; 1. per modum effectus illius, quatenùs egreditur à potentia; 2. in genere causæ quasi formalis, quatenùs potentia specificatur per actum. Ex quo provenit, quod cum dicitur, iste homo v. g. habet potentiam videndi, dupliciter potest intelligi; vel prout designatur ordo potētiæ principiantis actum; vel prout designatur specificatio potentię per actū. Unde, qui habet visum impeditum, sicut non potest dici, quod possit videre, ita non potest dici, quod habeat potentiam videndi modo dicto; potest tamen dici, quod habet potentiam videndi secundo modo, sicut, quod habeat potentiam visivam.* Ex hac doctrina constat 1. posse aliquem dici physicè impotentem videre, aut intelligere, & non propter defectum potentiæ visivæ, aut intellectivæ; sed propter aliquod impedimentum inauferibile. Constat 2. quod, estò sit vera absolutè hæc propositio: *Homo lapsus non potest sine speciali gratia cognoscere omne verum collectivè*, hæc tamen propositio potest in aliquo vero sensu concedi: *Homo lapsus habet potentiam, & vim intellectivam prædictæ collectionis.* Sed de his satis.

85 Illustr. ex D. Th.

86 Dic. cum P. Arand.

Dices. Species intelligibilis est prin-

principium physicè influens in cognitionem: ergò defectus illius est defectus principij influentis incognitionem; ergò cum homo lapsus careat speciebus requisitis ad cognitionem collectionis, est physicè impotens ad illam, nedùm propter impedimenta supra recensita, verumetiam propter defectum virtutis,&continentiæ illius.Huic instantiæ Resp.Ill.Godoy ex illa solum probari hominem lapsum non habere potentiam completam, & in actu 1. expeditam; secùs autem non habere potentiam physicam incompletam, & remotam; quia ad hoc sufficit,ut possit physicè per intellectum agentem acquirere species requisitas ad cognitionem totius collectionis. Displicet hæc solutio P. Aranda dùm ita ait: * inutiliter laborat Ill.Godoy contentus evincere intellectum habere vim physicam intelligendi omnes, & singulas virtutes naturales: quod de remota potentia verum est: falsum de proxima, quæ,si desit ex defectu essentialis comprincipij, nequit intellectus absolutè dici physicè potens ad cognoscendum; quod annotaverat iam diù P. Suarez cap. 1. n.12.*

Resp. Godoy.

Impugn.

87 Sed in hac impugnatione solum apparent livor impugnandi, & à furore turbatus est oculus eius. 1. Nàm, ut vidimus,ipse Ill.Godoy expressis verbis fatetur intellectum hominis lapsi non habere potentiam proximam, sed solum remotam ad cognoscendū omne verum collectivè: ergò sine causa ipsum arguit de inutilitate laboris, vel seipsum de eodem vitio corripiat. 2. Nàm illa propositio, cui innititur P. Aranda, *dùm deficit intellectui aliquod comprincipiū essentiale ad cognitionem, nequit intellectus dici absolutè potens physicè ad cognoscendum;* est propositio falsa,nisi aliquid superaddatur.Constat hoc in eo, qui caret specie visibili, aut intelligibili, quam tamen potest habere;de quo nō potest dici,quod sit physicè impotens videre, & cognoscere. Res est de se manifesta, & pluribus exemplis demonstrabilis. Quapropter potestatem absolutam ad aliquam operationem communiter dividunt Theologi in potestatem immediatam,&mediatam, quatenùs potest acquiri principium immediatè requisitum ad operationē. Quid enim obest defectus alicuius comprincipij libertati ad operandum, si pro meo libito possum illud acquirere? Unde ut solidè solutio Ill.Godoy à prædicto A. impugnaretur, debebat probare hominem lapsum,nec habere species repræsentantes totam collectionem, nec potentiam physicam ad illarum acquisitionem;quod est apertè falsum,& negatur ibidem ab Ill. Godoy; loquendo de potentia physica consistenti in virtute innata intellectus agentis;licet ob impedimenta extrinseca iam recensita,talis virtus nequeat sine speciali gratia reduci ad actum.

Vindicat.

88 Deveniendo ad 2.difficult. in hoc §. contentam. Dico 1. *Ut homo lapsus cognoscat collectionem omnis veritatis,nō requiritur gratia entitative supernaturalis.* Ita communiter Theologi, & prob. breviter. Actus entitativè naturalis non exigit pro principio,& etiam pro applicatione talis principij,aliquod entitativè supernaturale; sed cognitio omnis veri collectivè sumpti est entitativè naturalis,& eiusdem rationis cū illa,quæ fuit in Adamo innocenti iuxta D.Tho.1.p.q.94.art. 3. ergò ad talem cognitionem non requiritur gratia illustrationis, aut etiam gratia actualis motionis entitativè supernaturalis.

Alia conclusio.

89 Dico 2.*Gratia, per quam homo lapsus esset potens expeditè in actu 1. cognoscere talem collectionem,esset supernaturalis quòad modum non absolutè, sed respectivè.* Est etiam communis sensus. Ratio est: Nàm talis gratia consisteret in infusione specierum naturalium, quas homo lapsus ob impedimenta recensita non poterat expeditè acquirere;etsi velis,etiam in infusione habituum scientiarum, ut esset omninò facilis,& expeditus: qualis fuit Adamus in statu innocentiæ. Sed hæc omnia, estò sint supra exigentiam naturæ humanæ,non tamen sunt supra exigentiam naturæ Angelicæ;cui titulo substantiæ completè intellectualis debetur infusio specierum omnium rerum naturalium, & earum cognitio etiam comprehensiva iuxta plures:ergò solū esset talis gratia supernaturalis respectivè.Cons. pat. Nàm supernaturalitas quòad substantiam talis, vel etiam quòad modum absolutè, est supra exi-

Ultima.

gentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis. Unde præsentia Sacramentalis Christi Dom. in Eucharistia, & modus unionis cum accidentibus, qui sunt absolutè, & intrinsecè supernaturales, superant exigentiam, & activitatem omnis agentis creati. Notandum secundo, quod supernaturalitas modalis, quam adstruimus, non inesset formalitèr cognitioni totius collectionis; sed solum se haberet antecedentèr ex parte modi habendi omnia requisita ad talem cognitionem. Addendum etiam, quod talis cognitio fuit verè connaturalis Adamo pro statu innocentiæ, in quo fuit creatus à Deo, ut esset potens plenè alios instruere circa cognitionem, tàm practicam, quàm speculativam, veritatum naturalium, ut docet D. Th. loco ubi sup. Ex quo colligitur infusionem specierum, & similitèr cognitionem omnis veri collectivè, non superare exigentiam naturæ humanæ pro omni statu, & in omni eius individuo, per quod supernaturalitas respectivè modalis, quàm adstruimus, aliqualiter manet diminuta.

Noto 2.

Tertio.

Sed contra dicta arg. 1. Infusio omnium specierum repræsentantium veritates supra descriptas esset miraculosa in homine lapso, utpotè opus arduum præter solitũ cursum naturę; arduum, inquam, propter impedimenta ad habendum omnes species: insolitum; cum modus connaturalis intelligendi in homine sit acquirendo species ministerio sensuum. Sed in homine nequit dari potentia physica naturalis ad operationem prærequirentem aliquod miraculum ex parte Dei: ergò homo lapsus non habet potentiam physicam ad cognoscendum omne verum collectivè. 2. Ex hoc ipso. Nàm etiam homo lapsus haberet potentiam physicã ratione intellectus agentis, ut producat species requisitas ad cognitionem talis collectionis. Sed intellectus agens non gaudet tali potentia physica: ergò. Prob. minor 1. Intellectus agens non gaudet potentia physica ad opus miraculosum; sed talis est existentia omnium specierum, & earum acquisitio; cum Deus extraordinariè operaretur concurrendo cum intellectu agente, ut omnes species produceret: ergò. 2. Activitas physica intellectus agentis proportionaretur activitati sensuum ministrando ei phantasma, ut ex his possit species intelligibiles educere. Sed in sensibus hominis lapsi non datur activitas ad experiendum omnia sensibilia collectivè, ex quorum cognitione formantur phantasmata: ergò nec in intellectu agente datur activitas ad productionem omnium specierum intelligibilium.

90

Arg. 1.

Prob. 2.

Arg. 2. Si homo lapsus gauderet potentia physica ad cognitionem omnis veri collectivè, posset Deus uno, vel pluribus præceptis, talem cognitionem præcipere; ad modum, quo præcipit ipsi vitationem omnium peccatorum venialium, saltim secundariò, & ex consequenti; quia videlicèt, estò non possit moraliter omnia vitare; benè tamen potest physicè. Consequens videtur absurdum: ergò & ans. Nec valet si dicas cum M. Bolivar, quod intellectus estò physicè contineat talem cognitionem, non tamen est physicè expeditus in actu 1. ad illum; cum non possit excludere impedimenta pro tali cognitione; at vero in ordine ad vitanda peccata venialia voluntas est physicè expedita, & physicè continet talem vitationem; quapropter potest ad eam uno, vel pluribus præceptis obligari. Non, inquam, valet: quia aliqui Thomistæ, inter quos M. Ferre, tuentur impotentiam voluntatis ad vitanda omnia peccata venialia collectivè esse in aliquo sensu impotentiam physicam: ergò discrimen est insufficiens. 2. Nàm ipse M. Boliv. dub. 13. §. 4. num. 27. asserit: impotentiam ad vitanda omnia peccata venialia, posse dici physicam ob defectum libertatis ad omnia. 3. Nàm impossibilitas ex parte hominis ad aliquam operationem, cognoscitur à nobis quanta sit, ex indigentia gratiæ specialis ad eius elicientiam. Sed gratia requisita ad vitanda omnia peccata venialia est gratia specialissima, & valdè miraculosa, non minùs, quam gratia specialis, quæ requiritur ad cognitionem omnis veri collectivè: ergò disparitas de impotentia in utroque casu est nulla.

91

2. arguit.

Si dicas.

Contr. est 1.

Secundo.

Tertio.

D.

92 D. Thomas 1. p. q. 105. a. 8. tria genera miraculorum distinguit, penès triplicem modum excedendi facultatem naturæ. 1. *Excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul in eodem loco; vel quod Sol retrocedat, & quod corpus humanum glorificetur, quod natura nullo modo facere potest, & ista tenent summum gradum in miraculis.* 2. *Excedit aliquid facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit: sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cœcorum, & similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo.* 3. *Modo excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad modum, & ordinem faciendi; sicut cum aliquis subito per virtutem divinam à febre curatur absque curatione, & consueto processu naturæ in talibus.* Conformiter ad hæc dicen. quòd cognitio omnis veri collectivè in homine lapso, & infusio specierum ad illam requisita, esset miraculum in secundo modo à D. Thom. explicato, scilicèt, *non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit.* Cum enim talis cognitio, & infusio specierum, sit naturalis, & fuerit connaturalis Adamo innocenti, iuxta doctrinam D. Thom. solum potest dici miraculosa ratione subiecti, & status, in quo consideratur, scilicèt, in statu lapsus propter impedimenta ex peccato contracta. Attamen adhùc tale miraculum non pertingeret ad perfectionem resurrectionis, & illuminationis Cœci: cum ad hæc opera patranda nulla sit virtus in natura humana, aut Angelica. Unde propter huiusmodi inferioritatem etiam participaret aliquid de tertio modo miraculorum, scilicèt, *quantum ad ordinem faciendi*: Nàm cum infusio specierum esset præter consuetum modum naturæ humanæ, licet non Angelicæ, non immeritò assimilatur miraculo restitutionis sanitatis subitò, & sine mora temporis.

Diversitas miraculorum.

93 Deinde notandum ex M. Bolivar tract. de Merito Christi dub. 4. §. 8. à n. 77. optimè componi dari in creatura virtutem ad influendum, etiam per modum causæ principalis in aliquam operationem, etiamsi ad illam præcedat aliquod miraculum. Apponit exemplum in conversione D. Pauli, quæ fuit miraculosa quantum ad modum, scilicèt, propter subitam illius existentiam; & tamen voluntas illius influxit in ipsam, tanquam causa principalis. Idem explicat exemplo libertatis Christi Domini ad omissionem amoris liberi circa creaturas; cum tamen, ut detur talis omissio, necesse sit intervenire aliquod miraculum; eò quod voluntas Christi Domini est naturaliter immutabilis in affectibus semèl præconceptis propter perfectionem status beatifici, & quia talis amor liber visione beata regulatur.

Ulteriùs nota.

Ex his ad argum. Resp. applicando doctrinam supra traditam de triplici modo miraculorum, distinguendo illam propositionem. In homine lapso nequit dari potentia physica ad opus prærequirens aliquod miraculum; si sit miraculum, quòad substantiam facti, conc. mai. Si sit præcisè miraculum quantum ad subiectum in quo fit, subdist. Nequit dari potentia physicè expedita, conc. mai. Potentia physica, sed impedita, neg. mai. Unde solum prob. hominem lapsum non esse physicè potentem agnoscere omne verum collectivè; secùs vero talem cognitionem non contineri physicè in intellectu hominis lapsi; siquidem posita tali infusione non requiritur nova virtus, ut intellectus speciebus infusis utatur. Ad 2. probat. neg. min. Sumpta potentia pro virtute productiva specierum; non vero proùt dicit expeditionem eiusdem virtutis. Ad eius prob. Resp. ex Mag. Bolivar ubi sup. n. 78. quòd combustio ignis in loco, ubi non est physicè præsens, est miraculosa, non quia deficiat ei virtus, à qua principaliter producitur, sed ob defectum conditionis naturaliter requisitæ ex parte actus primi ad comburendum: ex quo provenit ignem hic existentem non dici potentem absolutè comburere Romæ, licet verificetur de illo habere virtutem combustivam. Non enim adderetur ipsis virtus combustiva, disponente Deo v. g. ut Romæ combureret. Unde claritatis gratia distingui debet de opere miraculoso quoad substantiam, & de miraculoso opere quòad modum:

94 Solutio.

& rursùs in hoc debet distingui id, quod est de opere, & id quod est de miraculo. Unde sicuti combustio rei absentis ob defectum conditionis est miraculosa; ita acquisitio omnium specierum esset talis ob impedimenta extrinseca, scilicèt: *Brevitatem vitæ, occupationem rei familiaris &c.* Dicta roborantur in anima separata, habens vim naturalem informandi corpus, licet reunio prærequisita sit miraculosa, de quo Godoy disp. 17. à n. 82.

95 Ad 2. Resp. Impossibilitatem ad cognitionem totius collectionis esse; maiorem impossibilitate vitandi omnia peccata venialia. Primo. Quia peccata venialia, quæ frequentèr occurrunt vitanda, sunt in numero exiguo respectivè ad numerum naturarum componentium hoc universum, & earum proprietates, ut cuilibet considerànti patebit. 2. Quia ad vitandum quodlibet peccatum veniale in particulari, sufficit parùm temporis; ut autem aliquæ veritates in particulari sciantur, oportet plurimum temporis consumère. 3. Quia brevitas vitæ iuvat ad vitanda peccata venialia; cum per mortem status viatoris finiatur; talis autem brevitas impedit cognitionem totius collectionis. 4. Quia ad vitanda plura peccata venialia, scilicet, illa, quæ ex ociositate proveniunt, sufficit ordinatio omnium operationum de se indifferentium ad finem honestum, ut virtualiter perseverans; quæ quidem ordinatio non est multum difficilis. At vero virtutes non sciuntur, nisi in se distinctè attingantur, & non solum quatenùs præexistunt virtualitèr in suis principijs.

96 Illatio ex dictis. Ex hac maiori difficultate colligitur, quòd estò posset admitti collectionem omnium peccatorum venialium esse prohibitam uno præcepto, vel saltim pluribus prohibentibus quodlibet in particulari; non tamen posse præcipi eodem modo cognitionem totius collectionis veritatum naturalium. Sicuti; quia maior est impossibilitas moralis vitandi omnia peccata venialia, quàm omnia mortalia usque ad finem vitæ; potest quis simitèr proponere, & vovere vitationem omnium mortalium, secùs autem venialium. Plurimum enim conducit ad iustam legis impositionem possibilitas physica, & moralis rei præceptæ. Hæc dicta sunt pro solutione argumenti sistendo his terminis præcisè: *Potest homo obligari ad vitanda omnia peccata venialia, etiam collectivè, estò talis vitatio sit difficillima, & impossibilis, indigensque gratia specialissima: ergò idem dicendum de cognitione collectionis omnis veritatis.* Concesso enim eius antecedenti, negatur consequentia ob maiorem difficultatem, & impossibilitatem supra ponderatam.

97 Cuidam dubit. fit satis. Si autem sermo descendat magis in particulari, & contendat collectionem omnis venialis esse prohibitam, & simul esse illius vitationem physicè impossibilem; ideòque debet concedi posse Deum præcipere homini cognitionem totius collectionis, non obstanti eius physica impossibilitate. Ad hoc Resp. negando assumptum. Illo enim concesso difficilis apparet ratio disparitatis, estò aliquas excogitaverim. Nec probat. in cont. adducta urget. Nàm M. Ferre, qui tenet talem impotentiam physicam, apertè negat talem prohibitionem, ut in ipso videre est. Id quòd additur ex Mag. Bolivar non facit ad rem. Dicendo enim: *Talem impotentiam posse dici physicam ob defectum plenæ libertatis ad vitanda peccata ex subreptione provenientia*; clarè indicat non esse strictè physicam, sed aliquatenùs; quatenùs non gaudet plena libertate ad totam collectionem, benè tamen libertate imperfecta. Hanc autem non habet respectu cognitionis totius collectionis propter impotentiam physicam in homine ad se expediendum ab impedimentis supra recensitis. Ad id quòd additur de gratia specialissima. Resp. Illam esse maiorem in æstimatione morali, utpotè in materia morum, & adeò ægregiè conducenti ad consecutionem gloriæ; attamen si ratio gratiæ specialis consideretur quòad essentiã, proùt dicit rationem indebiti; maior esset gratia data ad cognitionem totius collectionis. Magis enim excedit beneficium creationis hominis, auxilium ad prædictam cognitionem, quã

ex-

excedat beneficium iustificationis, & auxiliorum ad non peccandum venialiter, gratia efficax, ut vitet omnia peccata venialia, sivè ut nullum committat. Adest simile in gratia miraculorum, & gratia ad actum dilectionis ex quibus utraque dici potest maior altera; sed in diverso sensu. *Estò cognitio unius veritatis reddat intellectū magis habilem; quia tamen non tollit impedimenta, eget gratia specialissima pro collectione. *Et hæc de hoc dth. applic. Litt. Mag. in 2. dist. 28. ubi excitatur à Div. Thoma.* * Nota.

DUBIUM II.

AN SUFFICIENTIA AD OPERANdum honestè intra ordinem naturæ sit gratia specialis?

§. I.

SUPPONUNTUR ALIQUA.

N. 1 DUbium procedit de opere honesto aliàs facili: Nàm de difficili, vel ratione motivi, ut dilectio naturalis Dei super omnia; vel ratione circunstantiæ gravis tentationis, & his similia, in sequentibus agemus. Ex dictis dub. antec. constat, quid veniat intelligendam nomine gratiæ specialis; scilicèt auxilium à beneficio creationis omninò distinctum, & indebitum, non solum huic, vel illi individuo in particulari, sed etiam omnibus sub specie humana contentis. Inter requisita ad aliquem actum, quædam se tenent ex parte actus primi; quædam vero ex parte actus secundi. Primi generis sunt illa, quæ, aut sunt principium, à quo egreditur actus per influxum physicum, aut saltim tale principium expediunt, illudque moralitèr complent. Quapropter his non intellectis non intelligitur existentia actus, nec proxima possibilitas ad illum. Illa vero, quæ secundo modo requiruntur, se habent, ut determinatio, & applicatio virtutis ad agendum. Unde, etsi eis deficientibus, actus etiam necessariò ex consequenti deficiat, non tamen potestas añs. sufficientia, & libertas ad ipsum. Constat hoc in gratia prædeterminanti adeò solidè, & clarè à nostris Thomistis propugnata, ut ulterior explicatio sit superflua.

Sēsus dubij.

2 Ob hanc distinctionem, ut à faciliotibus incipiamus; in præsenti solum de sufficientia ad honestam operationem est sermo, non autem de auxilio efficaci actu inducente, & connexo cum tali operatione. Est enim ex terminis notum posse esse debitum homini ex vi providentiæ generalis auxilium sufficiens ad operandum, non tamen auxilium efficax. Rursùs: Nàm aliqui adeò existimant liberum hominis arbitrium attenuatum viribus ad honestè operandum, ut non solum reputent pro gratia speciali auxilium efficax, verumetiam auxilium proximè, & expeditè sufficiens: quapropter, ut omnem opinionem accuratè examinemus; meritò à sufficientia præcisivè ab auxilio efficaci; dubio nomen sufficientiæ imponimus. Cum voluntas ad actum honestum naturale non requirat necessariò habitum virtutis moralis (ut modo suppono ex communi doctrina Philosophorum asserentium habitus acquisitos non dare simpliciter posse, sed tantum facilitatem ad operandum) ut illa possit potentia antecedenti honestè

Prosequitur assūp.

nestè operari, solùm indiget cogitatione proponente obiectum, ut honestè prosequibile. Cui cognitioni si adiungatur alia cognitio, vel saltim alia terminatio prioris cognitionis, retrahens voluntatem ab illius amore; voluntas erit tùm proximè sufficiens; tùm etiam libera ad honestatem actus, & illius omissionem. Hinc dubium propositum reipsa plurimum coincidit cum illo, quod P. Suarez lib. 1. de Necessitate gratiæ cap. 2. num. 13. & cap. 13. num. 3. sub his terminis proponit: *An sancta cogitatio, ut sufficiens ad actum honestum naturalem, sit gratia specialis?*

3 Sed antequam ab ea, in quibus est aliqua difficultas, descendamus; supponimus 1. ut certum apud Catholic. hominem sine gratia sanctificante, & in peccato lethali existentē, posse operari aliqua opera moralitèr honesta. Prob. ex Concil. Trident. sess. 6. can. 7. ubi anathematizat dicentem: *Omnia opera, quæ fiunt ante iustificationem, esse peccata.* Deindè: Nam actus, quibus homo disponitur ad iustificationem, & remissionem peccati, sunt actus honesti. Sed iuxtà idem Concilium cap. 6. Actus fidei, timoris, spei, & attritionis, disponunt hominem ad gratiam sanctificantem, & remissionem peccati: ergò sine gratia sanctificante potest homo &c. Hinc sequens propositio Michaelis Baij, quæ ex ordine 35. damnata est à SSmo. Pio V. *Omnè, quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est.* Et novissimè ferè eadem 1. propositio Quesnell damnata est à SS. Clemente XI. quæ talis est: *Quid enim aliud remanet in anima, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones: Superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad orationem, & ad omne opus bonum. Hinc propositione 59. dixit: orationem in impio esse peccatum.* Cum ergò peccator teneatur Deum exorare pro peccati remissione; teneretur ad peccatum, & insuper absque sufficientia ad honestam vitationem illius, peccaret.

Prim. sup pos. prob. authorit.

Error Baji, & Quesnèl damnatur.

4 Adsunt etiam rationes efficacissimè refutantes prædictum errorem. 1. Nàm per privationem gratiæ sanctificantis inductam ex peccato non extinguitur, aut deperditur liberum hominis arbitrium: ergò nec deperditur facultas, & sufficientia ad aliqua opera honesta ordinis naturæ. 2. Quia lex naturalis æquè obligat hominem peccatorem, ac iustum: ergò neutri deficit sufficientia ad obediendum; cum ad impossibile nemo teneatur. Sed obedire legi naturæ est honestum: ergò. 3. Voluntas prævenita cognitione proponenti elargitionem eleemosynæ v. g. ut hic, & nùnc conveniehtem, & consonam regulæ rationis, est potens proximè honestè operari: sed ad nihil horum requiritur gratia sanctificans; & cum nullo ex illis pugnat status peccati: ergò stat sufficientia, & expeditio ad aliqua honestè agendum, sine gratia sanctificante.

Rejicitur variis rationib. 1.

Secunda.

Tertia.

Eisdem ferè motivis supponim. 2. ut Catholicè certum: gratiam fidei supern. non requiri ad honestè agendum intra ordinem naturalem. Ita omnes Theologi loquendo per se, & præcisivè ab aliqua lege Dei, de quo infra. In primis asserere omnia opera infidelium esse peccata, est propositio damnata in Michaele Bajo. Et quam novissimè damnavit Clemens XI. ut assertam à Quesnell sic deliranti: *Quid aliud esse possumus sine fidei lumine? nisi aberratio, nisi tenebræ, nisi peccatum?* Ex hac igitur Catholica Doctrina sequitur veritas nostræ suppositionis: Nàm potestas ad non peccandum per potestatem ad operandum indifferentèr in individuo est prorsùs inepta; talia enim opera: aut repugnat in S. August. & D. Thomæ sententia; aut sunt rara. Quis enim credat damnatum ab Ecclesia Bajum, quia non admittit possibilitatem actus indifferentis in individuo? Sincera, solidaque intelligentia erroris relati, eiusdemque iustæ damnationis, petit concedere veram sufficientiam, & libertatem sine fide ad operandum honestè intra ordinem naturalem. Videatur Sanct. Doct. 2. 2. q. 10. a. 4. probans non omnia opera infidelium esse peccata, sed plura honestate naturali gaudere. Constat idem rationibus supra adductis, quæ mutato nomine *gratiæ sanctificantis* in nomen

5 Secunda suppos. cont. Bajum, & Quesnel.

gra-

gratiæ fidei idem assumptum convincunt. Plura satis eruditè affert Mag. Gonet hic disp. 1. a. 3. §. 3. Ripald. disp. 19. tomo contra Bajanos. Suarez lib. 1. de Necessit. cap. 6. n. 6.

6 Tertiò supponendum, ut omninò certum, gratiam charitatis, per quam Deus, ut Author gratiæ diligitur super omnia, & omnia referuntur in ipsum ut finem ultimum, non requiri ad hoc, ut voluntas plures actus honestos eliciat. Oppositum huius tenuerunt aliqui existimantes, omnes actus virtutum ex imperio charitatis non procedentes esse malos moraliter, & peccati malitia infectos. Constat 1. ex propositione 38. Michaelis Baji damnata à SS. Pio V. & iterum ab Alexandro VIII. contra Jansenist. quæ talis est: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corda diffusa, Deus amatur.* Similiter damnatur sequens propositio Ordine 7. in Decreto Alexandri: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*: Ex quibus constat, plures actus humanos extra charitatem elicitos, & sine relatione ad Deum super omnia dilectum, gaudere honestate, & rectitudine morali.

Tertia cont. Bajum, & alios probatur 1.

Constat 2. ex Trid. sess. 14. c. 4. & can. 5. definiente: *Attritionem, quæ est dolor de peccatis, non ex motivo charitatis, sed propter turpidinem peccati, vel ob metum gehennæ, esse verum donum, & Spiritus Sancti impulsum.* Ex quo evidenter sequitur, esse affectum honestum moraliter. Idem convincitur de actibus *fidei, spei, timoris,* & *attritionis,* quibus homo disponitur ad gratiam remissivam peccati, de quibus fide constat ex Trid. sess. 6. cap. 6. à Dei gratia excitanti, atque adiuvanti provenire, proindeq; esse honestos, Deoque placentes: & tamen fiunt absque dilectione Dei super omnia. Quod si hoc innegabile est de honestate supernaturali; à fortiori idem dicendum de actibus sola honestate intra ordinem naturæ prædictis. Origo prædicti erroris fuit non distinguere in actibus humanis rationem honesti, & rationem meriti ad vitæ æternæ consecutionem, sivè honestatis fructuosæ. Fatemur sine imperio charitatis (quem admodum sive gratia sanctificante) non dari meritum propriè tale; benè tamen honestatem, sive rectitudinem moralem: dummodò actus respiciat obiectum conforme rationi, & nulla prava circunstantia affectum. Quod si etiam requiritur relatio ad Deum, qui est fons, & origo totius rectitudinis; sufficit relatio, quæ sit tantum virtualis, aut implicita intra ordinem naturæ, ob dependentiam honestatis repertæ in obiecto; non autem, quæ sit, aut fuerit talis per amorem appreciativum Dei super omnia, præsertim, ut est Author supernaturalis, de quo iterùm.

7 Secundò.

§. II.

Aliqua argumenta contra dicta solvuntur.

8 COntra 1. suppositionem objicies illud Matthæi 7. *Non potest arbor mala fructus bonos facere.* Sed homo in peccato mortali existens est arbor mala: ergò nihil boni facere potest. Rursùs: Omnis actus elicitus à peccatore ordinatur in bonum proprium ipsius, ut in finem ultimum: ergò est moraliter pravus. Prob. anteced. De ratione finis ultimi est, ut omnia ordinentur ad ipsum; sed finis ultimus peccatoris est bonum proprium illius, ut modò supponimus: ergò omnis actus peccatoris, quamvis ex obiecto, & alijs circunstantijs videatur bonus; vitiatur tamen ex circunstantia pravi finis ultimi.

Arg. 1. contra 1. suppositi.

9 Ad 1. Resp. Nomine arboris malæ intelligi à SS. PP. pravam intentionem finis, sicuti, & nomine arboris bonæ, ab eisdem recta finis intentio intelligitur. Unde prædicta sententia Christi Domini est eadem cum illa, in qua dicitur Lucæ 11. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit; si autem nequam; totum corpus tenebrosum erit.* Constat autem nomine oculi intelligi intentionem finis, ut videre est apud Div. Thom. 1. 2. q. 12. a. 1. ex doctrina Mag-

Respond. ad 1.

Magni Par. Undè fatemur, ex intentione prava in homine iuſto, aut peccatore, non procedere opus moralitèr honeſtum; at eſt omnino innegabile in peccatore pluriès intendi fines moralitèr honeſtos ex præſcripto rationis naturalis. Ad 2. Reſp. Quòd ſicuti in homine iuſto (cuius finis ultimus eſt Deus amicabilitèr ſuper omnia dilectus) actus venialiter peccaminoſi tantùm habitualitèr referuntur in Deum, quin ob eiuſdem relationem participent aliquam honeſtatem moralem: ita ob ſimilem relationem in operibus naturalibus ad bonum proprium peccatoris nullatenùs excluditur ab illis rectitudo moralis: ſi aliundè reſpiciant obiectum de ſe conſonum rationi. Ratio eſt: Nàm prædicta relatio tantùm eſt habitualis ex parte ſubiecti, & per puram concomitantiam; quatenùs, ſcilicèt, ſubiectum eliciens huiuſmodi operationes, eſt habitualitèr converſum, ut finem ultimum, vel in Deum, vel in bonum proprium ſui. De quo latiùs Tract. de ultimo fine dub. 12. tom. 1.

Ad 2.

Contra 2. ſuppoſitionem opponunt fidei hoſtes illud Div. Pauli ad Rom. 14. *Omne, quòd non eſt ex fide, peccatum eſt.* Et item ad Hebreos 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Opus autem moralitèr honeſtum abſque dubiò placet Deo. In idem facit authoritas Mag. Par. pluriès aſſerentis: *Sine fide nullum fieri opus bonum, ideòque negat poſſe in infidelibus dari veras virtutes morales; imò potiùs vitia eſſe dicenda.* Sufficiat illud lib. 4. contra Iulian. cap. 3. *Opera omnia infidelium ſunt peccata.* Unde tract. 89. in Ioan. inquit: *Quid eſt boni operis ante fidem?* Cùm dicat Apoſt. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ad quæ ſuperaddit: *Ubi deeſt cognitio veritatis, falſa eſt virtus, etiam in bonis moribus.* Idem affirmat Sanct. Proſper. carm. de ingratis, dùm ait: *Omne etenim probitatis opus, niſi ex ſemine veræ exoritur fidei, peccatum eſt &c.* Deindè arguunt à ratione. Nullum poteſt dari opus bonum ſine intentione recta iuxta illud Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 3. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo.* Sed in infidelibus non poteſt dari recta intentio: cum fides, quæ eſt mentis oculus, dirigat intentionem: ergò &c. Quòd argumentum deſumitur ex Mag. Parent. ſuper Pſalm. 31. Deniquè: Infidelis Paganus habens Idolum pro Deo, ſe, & omnia ſua opera retulit in Idolum, tanquàm in finem ultimum: ergò omnia opera illius ſunt prava; cùm circunſtantia peſsimi finis vitientur.

10

Contr. 2. ſuppoſit. arg. 1.

Arg. 2. à ratione.

Ad hæc, de quibus latè Mag. Soto lib. 1. de Natura, & Gratia cap. 20. & Alij Controverſiſtæ; Reſp. prænotando, quòd in Sacr. Litt. id, quod non eſt meritorium vitæ æternæ, ſæpè appellatur nihil, ut conſtat ex Paulo 1. ad Chorinth. *Si habuero Prophetiam, & noverim omnia myſteria, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et c. 7. *Circumciſsio nihil prodeſt.* Quam doctrinam tradit Mag. Parens lib. de Gratia Chriſti cap. 26. Ex hac animadverſione conſtat, quid dicendum ſit ad ſequentem propoſitionem ſæpè aſſertam à Mag. Parent. *Nullum opus bonum fieri poteſt ſine fide.* Conſt. inquam: Nàm intelligendus eſt de bonitate, quæ ſit meritoria vitæ æternæ; aut ad eam conduc. quæ ſolùm ſimpliciter, & Theologicè nomine honeſtatis digna eſt. Ita ſe ipſum exponit Mag. Parens lib. 4. contra Iulian. cap. 3. dicens *Scito nos illud opus bonum dicere, per quod homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Non autem negat ſine fide poſſe inveniri bonitatem moralem ad virtutem philoſophicam ſpectantem, & in conformitate cum recta ratione conſiſtentem. De hac enim Epiſt. 99. ait loquendo de Ethnicis: *Illi, excepto Dei cultu, in quo erraverunt, in cæteris moribus parſimoniæ, continentiæ, caſtitatis, ſobrietatis, ſervatæque fidei, imitandi proponuntur.*

11

Reſpond.

Exponit. Par. Aug.

Per hæc conſtat etiam ad aliam propoſitionem Mag. Parentis negantis: *Sine fide, & charitate, poſſe dari veras virtutes.* Aliud nàmque eſt ſine fide, & charitate non dari veras virtutes, etſi imperfectas; aliud verò ſine ipſis non dari virtutes, quæ ſimpliciter, & perfectè virtutes dicantur; ut expreſsè docet Div. Thomas 2. 2. quæſt. 23. art. 7. Licèt enim deficiente charitate, non ſit aliqua virtus, quæ ſimpliciter, & perfectè talis

52

Alia propoſit. eiuſ. de M. P. exponit.

lis dicatur; benè tamen potest dari virtus essentiam virtutis habens, etsi ob defectum ordinationis ad Deū, imperfecta sit, hoc est, sine statu virtutis, & sterilis ad consecutionem vitæ æternæ. Quod alijs terminis explicatur ab Emin. Caiet. in Comment. prædicti artic. his verbis: *Quoniam quilibet artifex iudicare debet secundùm proprias sui causas; indè diversa est ratio sermonis apud Theologos, & Philosophos Morales. Theologus siquidèm, cuius obiectum est Deus, & considerat hominem in ordine ad finem ultimum simpliciter, qui est obiectum charitatis, asserit, quod sine fide, & charitate non sunt virtutes perfectæ simpliciter. Philosophus autem, qui hominem considerat in ordine ad ultimum finem naturalem, nèc superiorem novit finem, virtutes humanas sine fide, & charitate, veras virtutes perfectè simpliciter dicit.* Eandem solutionem tradit Mag. Serna apud Ferre de Merito iusti fol. 699. traditurque talis distinctio à Div. Thom. quæst. 14. de Veritate art. 3. & art. 6. ad 5. Hæc benè notaveris, dicta Theologorum, & Philosophor. non spernes. Quo nihil discretius, & opportunius, ut Div. Augustin. exponamus, & aliqua eius dicta circa virtutes morales Gentilium sine contradictione percipiantur.

Hinc: Qui Caietan. impugnant; etiam S. D. adver.

13 Similiter exprimitur alia eiusdem

Conformitèr ad hæc exponenda est alia propositio eiusdem S. Par. in qua affirmat: *Virtutes Gentilium esse falsas virtutes, & opera eorum esse prava, & vitiosa.* Est enim locutio satis frequens in Antiq. PP. quodcumque opus insufficiens ad vitæ æternæ consecutionem, illud appellare *vitium*, & *peccatum*; non quantùm ad id, quod hæc dicunt de dissonantia rectam rationem, sed quantùm ad id, quod dicunt de negativo, scilicet, non conducere, nèc promovere hominem ad illius sanctificationem, & glorificationem. Quæ doctrina necessariò admitti debet ad rectè exponenda aliqua testimonia Sacræ Paginæ, & SS. PP. ut eruditè animadvertit Sixtus Senens. lib. 6. Biblioth. annotat. 40. Quæ animadversio habet ad sui maius robur authoritatem Div. Thom. hic quæst. 98. ar. 1. ad 1. ubi illa verba Ecechiel. 20. *Dedi eis præcepta, non bona*, sic exponit: *Dominus loquitur ibi de præceptis cæremonialibus, quæ quidèm dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam à peccato omnes mundarentur.* Cùm igitur virtutes morales, quæ fuerunt in Gentilibus, ut de Romanis expressè fatetur ipse Sanct. Parens lib. 5. de Civitate Dei cap. 15. infructuosæ, & omninò steriles ad consecutionem gloriæ extiterint, ob id eas *falsas, & vitia* appellat, propter convenientiam cum vitijs, & falsitate morum in prædicato negativo insufficientiæ, inutilitatis; ellò non in prædicato positivo, aut quasi positivo malitiæ, & dissonantiæ ad rectam rationem.

Testimonium Pauli ad Corint. sic exponitur à Div. Thom. ibi: *Omne, quod est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est, etsi ex genere suo bonum esse videatur; ut si Pagarus ad honorem suorum Deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat.* Undè constat, ly *non* sumi ab Apost. contrariè, aut privativè; ita idem S. D. 2. 2. quæst. 10. art. 4. Sed tamen cùm infidelis possit ex dictamine rationis operari non referendo opus ad finem suæ infidelitatis, sed ex naturali pietate, aut amore honestatis ductus: ideò potest operari aliquoties honestè in consideratione philosophica, ut supra diximus. Ad testimonium ex Epistola ad Hebræos Resp. Apost. expressè loqui deplacere Deo simpliciter, & propriè; cùm hoc sit esse Deo gratum, & amicabiliter dilectum: quod sine fide repugnat. Ille autem, qui est in peccato, & elicit aliquod opus honestum, solum placet Deo secundùm quid, & in illo opere; quemadmodùm iustus venialiter peccans placet Deo simpliciter, & displicet secundùm quid. Ad argumentum desumptum ex ratione Resp. ex Div. Thom. ubi sup. ad 2. & in 2. dist. 41. quæst. 1. artic. 2. Fidem dirigere intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; intentionem verò respectu finis naturalis, qui est vivere secundùm rationem, dirigi à ratione naturali, & prudentia naturali simul cum sindereſi.

14 Ad test. Apost.

16 Ad aliud testim.

Ad auth. D. Th.

15 Ad arg. de Idol.

Ad ultimum, quod solùm probat de infidelibus idolatris; non verò

verò de alijs; Resp. Solutione communi. Nàm cum actus de se honesti suaptè natura ordinentur ad finem honestum, non verò ad finem pravum; sed potius quando ita accidit, contra propriam dignitatem, & quasi violenter ordinentur: non sufficit ordinatio generalis, & antiqua facta ab Idolatra ad illorum turpitudinem, sed requiritur specialis, & moderna. Quemadmodum impetus concessus lapidi à generante sufficit ad motum deorsum; ut tamen ascendat, requiritur impetus proijcientis perseverans. Undè Idolatra, qui oblitus antiquæ ordinationis, vult efficere actum bonum, vult illum secundùm naturam suã; & ita retractat priorem intentionem secundùm extensionem ad prædictum actum. Oppositum autem dicendum opposita de causa in iusto referenti in primo instanti suæ iustificationis omnia sua opera honesta in Deum super omnia dilectum; Nàm cum talia opera suaptè natura ordinetur in Deum; sufficit hæc prior ordinatio, ut censeatur virtualiter perseverans, etiam respectivè ad talia opera.

16 Contra tertiam partem nostræ suppositionis arguitur ex pluribus testimonijs Parentis Aug. & aliorum PP. asserentiũ nullum opus posse dici bonum, si fiat absque charitate. Undè in Psalm. 67. hæc habet: *Ea quippè sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei.* Qui plura desiderat adeat M. Ferre tom. 3. in 1. 2. tract. de merito iusti art. 4. dub. 1. à n. 1245.

Contra 3 Suppositionem.

Arguitur

Respond. Ad hoc Respondetur, quòd in phrasi D. Aug. & Aliorum PP. solum illud opus dicitur bonum, quod est fructuosum, & meritorium vitæ æternæ; ut ipse expressè fatetur *lib. 4. contra Julianum cap. 3.* Quia tamen ratio bonitatis moralis separari valet à merito vitæ æternæ; stat huiusmodi bonitas absque gratia dilectionis. Vel dicendum sine charitate nullum dari opus bonum, quod sit tale in consideratione Theologica; benè tamen in consideratione morali Philosophica, quæ solũ considerat conformitatem actus cum recta ratione, & regulis prudentiæ; ut expressè tradit S. D. quæst. 14. de Verit. art. 3. in corpore, & art. 6. in solutione ad quintum. Si autem dicas ad honestatem actus requiri ordinationem illius ad Deum, ut finem ultimum. Resp. 1. Sufficere ordinationem ad Deum, ut est Author naturæ. Resp. 2. Sufficere ordinationem virtualem implicitã in ipso amore boni honesti: cum enim omnis bonitas, & honestatis sit à Deo participata, & ad ipsum ultimatè ordinetur, amor honesti est virtualis implicita relatio in Deum, ut finem ultimum operis; estò non operantis; ideòque nec dilectio naturalis Dei super omnia requiritur ad rectitudinem actus.

De hoc Alij latè. Sed unusquisque in suo sensu, &c.

Cuidam instant. Resp. &c.

§. III.

PRIMA CONCLUSIO.

Cogitatio recta, ut movens sufficienter voluntatem ad non peccandum intra ordinem naturæ, non est gratia specialis, & homini indebita.

17 ITa expressè Mag. Bolivar in præsenti dub. 6. a n. 17. Suarez lib. 1. de Gratia cap. 2. & 13. Vazquez in 1. 2. disp. 189. cap. 15. à n. 126. Ripalda tom. 2. disp. 114. sect. 14. Oviedo controv. 3. punct. 1. à num. 9. Estque certa apud omnes Theologos. Notandum tamen, quod quamvis in vera sententia D. Thom. non admittentis actum indifferentem in individuo, minimum sufficientiæ in voluntate ad non peccandum sit minimum sufficientiæ ad honestè operandum in individuo; secùs tamen in opinione Scoti, & aliorum adversantium D. Thom. cum iuxta ipsos peccatum possit vitari absque operatione ullatenùs bona moralitèr. Unde non sequitur statim, quod si sufficientia ex parte cogitationis ad non peccandum non sit gratia specialis, idem affirmari debeat eadem certitudine de sufficientia cogitationis ad honestè operandum. Hac de causa, etsi aliqui Theologi existiment P. Vazquez sentire omnem cogitationem etiam, ut præbentem sufficientiam ad bonum morale, esse gratiam specialem homini lapso; constantèr fluentur expressis verbis eiusdem Doc-

Explicatur sensus Conclus.

Sermo est post lapsum Adæ

to-

toris sufficientiam ad non peccandum non esse gratiam specialem. Videatur P. Oviedo ubi supra à num. 2. rectè, & discretè præiactum discrimen animadvertens. Hinc disputationis gratia distingui debet saltim ex terminis, & per se loquendo, inter libertatem naturalem hominis ad peccandum, & non peccandum, & inter libertatem eiusdem ad bonum, & malum morale. De prima libertate est sermo in præsenti; de secunda verò erit in sequentibus. Hoc animadverso.

22 Prob. 1. Ex propositione 28. Michaelis Baji damnata, quæ talis est: *Liberum arbitrium sine Dei gratia, & Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.* Ex qua damnatione sequitur contradictoriam illius, scilicet *liberum arbitriũ hominis etiam secluſſa Dei gratia, eiusque adjutorio, est potens, habetque vires ad non peccandum*, esse ab omnibus Catholicis tenendam: ergò cum sine cogitatione quoad sufficientiam retrahenti à peccato voluntas non sit sufficienter potens, nec habeat vires ad non peccandum, talis cogitatio nequit esse gratia respectu liberi arbitrij, ut potentis non peccare. 2. prob. Ex Concilio Tridentino definienti sess. 6. canon. 5. contra Lutherum, & Calvinum *liberum hominis arbitrium post lapsum Adami non fuisse extinctum, licet viribus attenuatum, & inclinatum.* Ex qua definitione sic infero: ergò in homine mansit liberum arbitrium ad peccandum, & non peccandum: ergò cognitio, ex qua provenit libertas, & potestas ad non peccandum, pertinet ad rationem liberi arbitrij, etiam post lapsum Adami. Sed id, quod sic pertinet ad rationem, & constitutionem liberi arbitrij, non est gratia specialis; cum non sit beneficium omnino naturæ indebitum: ergò.

Aliorum rationib. omissis.

Probat. 1.

Authorit.

Secundò.

23 Confirm. Confirm. hæc ratio. Cognitio dans homini sufficientiam ad vitationem peccati est iuxta inclinationem innatam voluntatis: ergò non est gratia specialis. Conseq. patet, & Añs. prob. Sufficientia, ut homo vitet peccatum, est iuxta inclinationem innatam voluntatis: ergò cognitio præbens homini, &c. Prob. añs. Peccatum est contra inclinationem innatam voluntatis, & quatenùs est appetitus rationalis, sive à recta ratione dirigibilis, ut modo suppono demonstratum à D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 2. ergò sufficientia, & potestas ad non peccandum, &c. Urg. Si cognitio retrahens quoad sufficientiam hominẽ à peccato esset gratia specialis, voluntati hominis post lapsum Adæ, solùm esset debita cogitatio suasiva peccati; sed hoc repugnat, cum etiam post lapsum Adæ voluntas sit appetitus rationalis, & de se inclinans innatè ad non peccandum: ergò prædicta cogitatio, &c. Mai. de se constat, & ulterius illam sic probo. Voluntati ut liberę iam post lapsum Adæ, debetur aliqua cognitio, suadens ipsi elicientiam plurium actuum: ergò cum inter peccare, & non peccare, non detur aliquod medium, si cogitatio suadens carentiam peccati esset ei omninò indebita, solùm esset debita ipsi cogitatio suasiva peccati.

Urget.

24 Probat. 3. Cognitio supra dicta est debita homini ex vi providentiæ generalis, per quam iustè, & sapienter regit, atque gubernat hominem: ergò talis cognitio non est gratia specialis. Prob. Añs. Ex vi providentiæ generalis, per quam Deus iustè, sapienterque hominem gubernat, præcipit ei non peccare, non solum infundendo dictamẽ naturale universalissimum, & ad sinderesim spectans, quale est * nullum peccatum est faciendum, * sed etiam alia dictamina particularia ad legem naturæ spectantia, * non est furandum, non est occidendum *, &c. ergò ex vi providentiæ generalis tenetur Deus præbere homini sufficientiam, vireſque ad evitationem peccati; qui enim providè intendit aliquem finem, tenetur providere de sufficientia ad illius consequtionem. Tùm sic. Sed sine cogitatione supra dicta nõ adest sufficientia ad non peccandum: ergò ex vi providentiæ generalis tenetur Deus, &c. Vel aliter. Deus ex vi providentiæ generalis tenetur gubernare hominem, quatenùs est agens rationale, & se discernens à brutis in modo operandi: ergò ex vi eiusdem providentiæ tenetur præbere ipsi media sufficientia, ut in suis operationibus se gerat tan-

Probat. 3.

tanquam agens rationale, & in ſuis affectionibus ſe diſcernens à brutis. Sed homo non poteſt ſic ſegerere, niſi ad minus non peccando: ergò tenetur dare ei ex vi providentiæ generalis cogitationem, qua redditur ſufficiens ad non peccandum. Hæc ratio deſumpta eſt ex Doctrina D. Thom. 1.p.q.103.art.5.

25 Denique prob. Potentia peccandi in actu 1. expedita convenit homini abſque gratia ſpeciali: ergò idem dicendum de potentia expedita in actu 1. ad non peccandum. Sed talis expeditio potentiæ provenit ex cogitatione ſuadente non peccare: ergò. Añs. eſt certum. Et conſeq. prob. 1. Quia potentia expedita ad peccandū neceſſariò includit poteſtatem ad non peccandum; cum nemo peccet in eo, quod vitare non poteſt, ut eſt principium catholicum. 2. Nàm potentia expedita ad peccandum dicit in ſui ratione potentiam, ut peccatum ab illa libere, & contingenter præcedat, niſi vellis poſſe aliquem peccare ſine libertate: quod eſt hæreticum. Sed peccatum poſſe libere, & contingenter exiſtere, dicit neceſſario poteſtatem ad non peccandum; cum iſtæ ſint æquipollentes in *Edentuli. Non eſt neceſſe hominem peccare, poſsibile eſt hominem non peccare*: ergò. 3. ex Mag. Boliv. Non ſtat potentia expedita ad peccandum abſque cognitione malitiæ in obiecto, & contrarietatis cum recta ratione (quamvis hæc cognitio non ſit, quæ movet voluntatem ad peccandum, ſed cognitio proponens delectabilitatem, aut convenientiam in obiecto rectæ rationi contrario.) Sed cognitio advertens, & proponens malitiam, & diſſonantiam cum recta ratione, eſt cognitio ſufficiens ad non peccandum: ergò. Min. conſtat: Nàm ſicuti bonum phyſicum obiecti prohibiti provocat ad amorem, ita malum morale eiuſdem de ſe revocat à tali amore, & provocat ad odium.

Ultima probat.

26 Inquires: *An cogitatio ſupra minimum ad non peccandum poſsit dici gratia ſpecialis?* Ratio dubitandi eſt. Nàm ex vi providentiæ, & impoſitionis præcepti ad non peccandum, Deus ſolum tenetur conferre ſufficientiam requiſitam, ut homo non peccet; ergò licèt minimum cogitationis retrahentis à peccato non ſit gratia ſpecialis; ſecus tamen cogitatio perfectior, aut in intenſione, aut in claritate, & vivacitate in modo proponendi peccati vitationem: ſiquidem hac deficiente cum exceſſu prædicto, Deus ſatisfaceret debito ſuæ providentiæ.

Inquires.

Reſp. Negativè. Ratio eſt 1. Nàm licet voluntas ſit defectibilis, potenſque peccare; inclinat innatè ad non peccandum, ut ſupra diximus: ergò ad rectitudinem Divinæ providentiæ ſpectat, ut aliquoties ſufficientia ad non peccandum ſit maior, quàm poteſtas expedita ex vi pravæ cogitationis ad peccandum. Conſeq. patet: Nàm rectitudo providentiæ generalis petit, ut, etſi in ſui executione debeat attendere defectibilitatem voluntatis, magis tamen conſulat eius inclinationi innatæ, quàm ipſe Deus amore condidit, & amore conſervat, quàm potentiæ peccandi, quæ ab ipſo Deo non eſt. 2. Nàm ad providentiam Dei generalem ſpectat ultrà neceſſariò requiſita ad conſecutionem finis rerum proviſſarum, favorabiliter ſegerere in conferendo media ſufficientia rebus proviſis. Nec enim ita rigida eſt providentia Dei, ut præcludatur locus liberalitati, & munificentiæ: ut videre eſt in providentia circa res inanimatas, quibus non æqualiter providet, etſi ſint individua eiuſdem ſpeciei, circa media ad conſervationem ipſorum. Hoc quidem exigit etiam illius perfectio; ut ſcilicèt non uniformiter ſemper ſegerat, ſed diffor-

27 Reſpond. negat.

miter, ut magis reſplendeat ſuæ ſapientiæ pulchritudo. Denique; quia talis exceſſus perfectionis in cogitatione non excedit concurſum generalem Dei, & cauſarum ſecundarum; ſiquidem poteſt conſurgere medijs exhortationibus amicorum ad non peccandum, cognitione pœnarum, & caſuum terribilium pro peccatis, & etiam cognitione malitiæ peccati maximè avertentis ab illo. Sed quod hæc omnia occurrant homini, non excedit concurſum communem, ſive generalem Dei, & creaturarum: ergò. Undè quamvis Deus conferendo minimum cogitationis ſatisfaceret iuri ex par-

parte creaturæ, non tamen satisfaceret perfectioni debitæ bonitati, & magnificentiæ suæ providentiæ generalis.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Existente præcepto negativo præcisè, qua tali, cogitatio præbens sufficientiam ad illius observationem per actum moraliter honestum, non est gratia specialis.

28 SUpponimus ex communi doctrina præceptum negativum v. g. non furandi posse dupliciter libere observari. 1. Per puram omissionem furti, aut si velis, per omissionem causatam ex actu, qui sit causa, vel occasio illius. 2. Per actum expresse, & directè terminatum ad omissionem, ut cum quis expresse, & directe vult non furari. Et hoc dupliciter, vel ex motivo honesto, vel ex motivo indifferenti. Deinde, ut maior locus detur disputationi, admittimus possibilem esse vitationem peccati per actum indifferentem in individuo, & nulla honestate, vel malitia ratione circunstantiarum præditum. His suppositis P. Vazquez in 1.2. disp. 193. cap. 4. à num. 42. asserit *occurrente præcepto negativo, tantum deberi nobis cogitationem præbentem libertatem ad non peccandum; cumque ad hoc sufficiat cogitatio suadens non peccare ex motivo indifferenti, & absque ulla honestate ex parte actus etiam hic, & nunc: ideò (subdit) quòd Deus in dicto casu præparet voluntati cogitationem sufficientem ad honestè operandum, & honestam vitationem peccati, est gratia specialis. *Ita mentem prædicti, Authoris exponit P. Oviedo ubi sup. punct. 1. num. 4. Hinc iam apparet inefficax impugnatio prædictæ opinionis adducta à P. Suarez lib. 1. de necessit. gratiæ cap. 2. num. 9. quæ est huiusmodi.

Explicantur conc.

Oppositū tuetur P. Vazquez.

29 *Non potest intelligi, ut homo habeat libertatem ad peccandum, & non peccandum, quin habeat cogitationem sufficientem ad eliciendum hunc actum voluntatis: Nolo peccare*; vel vollo *nou me præcipitare. Sed hic actus est honestus*: ergò *si cogitatio sufficiens ad non peccandum non est gratia specialis, sed debita ratione præcepti, idem dicendum de cogitatione sufficienti ad bonum morale: vel ab opposito: si hæc est gratia specialis homo non præventus aliqua gratia peccare non posset.* Apparet, inquam; nam in sententia P. Vazquez minor universaliter sumpta est falsa; cū possit peccatum vitari ex motivo purè indifferenti, sive nolendo peccare, aut positivè volendo non peccare; quod rectè animadversum est à P. Oviedo n. 3. Nullam inconsequentiam doctrinæ præscribens P. Vazquez in his duobus dictis: *Cogitatio constituens libertatem ad non peccandum existente tantum præcepto negativo, non est gratia specialis; bene tamen cogitatio præbens libertatem, & sufficientiam ad honestè operandum in dicto casu.* Quare ecto prædicta impugnatio sit efficax apud tuentes doctrinam Mag. Par. & D. Tho. negantium actum indifferentem in individuo; non tamen est efficax apud tuentes opinionem P. Vazquez oppositum modo supponentis. Addo, quòd in sententia satis probabili Thomistarum tuentium possibilem putam omissionem liberam, & simul indifferentem in individuo; apparet non esse idem, nec cum necessaria connexione, cogitationem ad libere vitandum peccatum commissionis prohibitum ex vi præcepti negativi, ac cogitationem dantem sufficientiam, & libertatem expeditam ad honestè operandum. Constat ergò, quòd nisi admittatur repugnantia actus indifferentis in individuo; prędicta ratio non convincit Adversarios.

Prob. ex P. Suarez non placet.

30 Prob. 1. Evertendo fundamentum A. Eò cognitio supra posita esset gratia specialis, quia ex vi talis præcepti solum debetur homini à Deo sufficientia ad illius liberam impletionem, & hęc indifferentèr haberi potest, aut per cognitionem proponentem motivum honestum, aut proponentem motivum indifferens; sed hæc ratio est nulla: ergò. Minor prob. 1. Hæc ratio probat omne bonum, ad cuius collationem Deus proprie non tenetur, esse gratiā specialem respectu creaturarum; sed hoc est falsum: ergò Deum in dicto casu non teneri determinatè ad conferendam cognitionem

Probat. 1

Prima prob. min

co-

cogitationem suadentem omissionem ex motivo honesto est nulla. Probat. min. Quidquid Deus confert creaturis ex vi providentiæ generalis, non est gratia specialis, de qua in præsenti, ut est omnibus certum. Sed Deus ex vi providentiæ generalis plura bona dispensat, ad quæ propriè etiam ex suppositione aliqua ex parte creaturarum non tenetur. Prob. 1. Quia ut provisor generalis potest esse magis, aut minùs benevolus, & liberalis in diffundendo suam bonitatem. 2. Quia sic segerit respectu creaturarum irrationalium, in quibus aliæ excedunt alias in fortitudine, pulchritudine, sanitate, perfectione sensuum, & pabuli sufficientia ad earum conservationē. Et tamen sine huiusmodi excessu beneficentiæ, poterant individua eiusdem speciei conservari; & species in perpetuum durare. Si ergò hæc beneficentia, ultrà requisita ad finis consecutionem, verè cōdecet providentiam generalem Dei erga irrationalia; cur providentia generalis circa hominem, quem ad imaginem suā creavit, & benignè gubernat, ita arctatur ut solum necessaria dispenset, & abundātiora ad finem intentum deneget? Certè videtur mihi huiusmodi providētia prorsus indigna Deo, imò etiam homini potenti, & liberali; solumque congrua exerceri circa illos, quos respicit, ut mercenarios.

31 Secunda.

Prob. 2. Eadem minor. Deus ex vi providentiæ generalis supernaturalis, per quam homines ordinantur ad consecutionem vitæ æternæ, confert eis auxilia sufficientia ut illam consequantur. Sed huiusmodi auxilia in alijs sunt minora, in alijs uberiora, etiam si damnentur: ergò Deus ut provisor generalis in ordine gratiæ, plura dona confert, ultrà necessariò requisita quoad sufficientiam, ad finis præintenti consecutionem: ergò idem concedi debet providentiæ generali Dei intra ordinem naturæ. Explicatur, & urgetur hoc. Sicut existente præcepto negativo, & illius advertentia, adimpletio libera fieri valet ex motivo honesto, vel indifferenti; ita existente præcepto affirmativo fidei charitatis, &c. In uno homine, aut diversis, talis impletio fieri valet per actum minimum in intensione, proindeque libertas integre subsistit per minimam cognitionem suadentem elicientiam actuum supernaturalium. Sed hoc non obstante, non excedit providentiam generalem supernaturalem, quòd Deus eidem, aut diversis hominibus, præparet auxilia sufficientia inæqualia, ut est certum: ergò similiter. Si dicatur hanc inæqualitatem conducere ad finem ultimum providentiæ supernaturalis, scilicèt, manifestationem suæ magnificentię, & liberalitatis; Cur non idem dicetur de providentia generali respectu creaturæ, ut liberæ ad non transgrediendum præcepta negativa?

32 Tertia.

Prob. 3. eadem min. Estò posito tali præcepto, possit Deus providere de sufficientia ad non peccandum per sanctam cogitationem, vel cognitionem motivi indifferentis; attamen magis consonum, & conforme est agenti rationali innatè propendenti in bonum honestum, posse vitare peccatum per actum moralitèr honestum: ergò quod sic à Deo provideatur de sufficientia ad liberè non peccandum, non est propriè gratia specialis. Prob. conseq. Non est propriè gratia specialis respectu hominis illa sufficientia, quæ est conformis ipsi in esse agentis rationalis, & iuxta illius innatam inclinationem; *Nàm ad providentiam Dei generalem spectat providere unicuique iuxta modum suum, hoc est, consentaneè ad eius naturā, dispositionem, & inclinationem. Urg. Non spectat ad specialem providentiam Dei, ut permissoris, quod existente præcepto negativo, voluntas aliquādo sit potens in actu 1. illud transgredi per cogitationem suadentem malum: ergò non spectat ad providentiam specialem Dei, ut benefactoris; quod in dicto casu, voluntas sit aliquando potens vitare transgressionem per cogitationem suadentem bonum. Prob. conseq. Ideò afis. est verum, quia voluntas hominis de se est defectibilis, & potens peccare. Sed etiam ita est potens non peccare, ut sit inclinata ab intrinseco ad honestè operandum: ergò. Vel aliter. Sufficientia ad non peccandum per cogitationem rei indifferentis est con-

* Nisi sit valdè arcta.

Urgetur.

conformis voluntati, ut potentiæ ad nō peccandum necessariò imbibitæ in ipsa potentia peccandi; sufficientia autem per cognitionem motivi honestè est conformis, tùm potentiæ non peccandi, tùm inclinationi innatæ, qua gaudet voluntas ad honestè operandum. Similitèrque expeditio ad peccandum per cognitionem obiecti prohibiti est conformis suæ defectibilitati convenienti, quia est ex nihilo: si ergò propter huiusmodi conformitates cognitio prava, aut indifferens, non excedit providentiam Dei generalem, multò minùs cognitio proponens honestum motivum ad non peccandum.

Probat. 2. conclusio ratione communi. Existente advertentia præcepti negativi, & cognitione aliqualitèr invitanti ad peccandum, est moralitèr necessarium, ut aliquando occurrant aliquæ cogitationes suadentes non peccare ex honesto motivo: ergò prædicta cogitatio non est gratia specialis. Consequentia patet, & anteced. prob. In casu supra dicto est moralitèr impossibile, ut omnes cogitationes, quæ frequenter possunt occurrere ad non peccandum, sint unicè proponentes motivum indifferens; cum motiva de se, & hic, & nùnc indifferentia, sint pauca; sicuti & actus indifferentes in individuo, ut fatentur Authores illos propugnantes: ergò moralitèr loquendo attento frequenti, & regulari concursu obiectorum, in eo qui excitatur ad peccandum, necesse est occurrere aliquando, & aliquibus cogitationes suadentes non peccare ex motivo honesto. Patet consequentia: Nàm istæ sunt æquipollentes: *Est impossibile moralitèr omnem cogitationem suadentem non peccare, proponere motivum indifferens: necesse est moralitèr aliquam cogitationem suadentem non peccare, non proponere motivum indifferens; utpotè ambæ in Illiace.* Sed cogitatio suadens non peccare, & non ex motivo indifferenti, suadet non peccare ex honesto motivo; cum non detur medium: ergò.

33 Prob con clusio.

34 3. Probat. Pro quo suppono, quòd licèt cognitio præcepti non sit principium constituens libertatem, aut potestatem ad actum præceptum; eo quòd sine præcepto potest fieri talis actus; constituit tamen potestatem ad obedientiam formalem, sive ad eliciendum actum ex fine se conformandi cum præcepto. Deindè suppono velle aliquem actum, aut omissionem in re præceptam, quia conformis cum præcepto esse actum honestum, utpotè virtutis obedientiæ, etsi res præcepta sit de se indifferens. His suppositis sic argumentor: Existente præcepto negativo non furandi v. g. & illius advertentia, stat cognitio sufficiens ad omissionem furti ex motivo honesto: ergò existente advertentia præcepti negativi, sufficientia ad bonum morale non est gratia specialis. Probat. anteced. Existente tali præcepto, & illius advertentia stat cognitio sufficiens ad omissionem furti ex motivo obedientiæ, scilicèt, ex motivo se conformandi cum præcepto: ergò. Añs. constat ex dictis: Nàm cognoscere omissionem esse præceptam, est cognoscere talem omissionem esse conformem cum præcepto; sed conformitas omissionis cum præcepto est motivum exercendi actum formalis obedientiæ: ergò qui advertit omissionem existere sub præcepto cognoscit adesse in illa motivum ad eam amplectendam per actum formalis obedientiæ. Tertia prob.

35 Confirmat. Qui sine gratia speciali cognoscit omissionem furti gaudere aliqua honestate morali, habet cognitionem sufficientem ad dilectionem honestam illius; sed qui advertit præceptum non furandi sic cognoscit omissionem: ergò. Prob. minor. Qui sic advertit præceptum non furandi, cognoscit omissionem esse conformem cum Dei præcepto; sed huiusmodi conformitas est honestas moralis obiectiva obedientiæ formalis: ergò. Urgetur: Qui sine gratia speciali potest formare sequentem cognitionem: *Bonum, & conveniens est mihi velle omissionem furti ad obediendum Deo præcipienti*; potest sine gratia spe-

Confirm.

Admittitur pro nùnc sufficere ad rectitudinè actus attingere in obliq. honestat. objecti.

Urget.

speciali habere cognitionem sufficientem ad omittendum ex motivo honesto; sed stante advertentia præcepti negativi potest quis sine gratia speciali formare prædictam cognitionem: ergò. Prob. min. Talis cognitio deducitur per bonam causam ex his præmissis: *Bonum, & conveniens est præstare obedientiam Deo; obedientiam, inquàm, consistentem inconformitate cum voluntate illius; omissio actus, quem cognosco esse prohibitum, est conformis voluntati Dei.* Atqui sine gratia speciali potest quis cognoscere tales præmissas; de minori enim constat ex ipsa cognitione præcepti habita sine speciali gratia; de maiori autem res est certa; cùm contineat veritatem universalem, & ad lumen rationis naturalis per se spectantem: ergò.

Hinc inferes: In casu advertentiæ præcepti negativi non esse necessariam aliam cognitionem ex æquo distinctam, & inconnexam, proponentemque aliud motivum honestum præter illam, quæ necessariò annectitur, aut includitur in tali advertentia; hæc enim est cognitio attingens, & proponens omissionem, ut conformem cum Dei præcepto. Rursùs: Cùm Dei voluntas sit regula, & mensura boni moralis: cognitio attingens circunstantiam præcepti in tali omissione, attingit, & proponit illam cum circunstantia debitæ commensurationis; proindèque voluntas tali cognitione prævenia potest velle omissionem, aut ex motivo præcepti, aut saltim vestitam tali circunstantia; quòd sufficit ad honestatem moralem actus. 36 Illatio ex dictis.

Nec apponas instantiam in Dæmonibus peccantibus contra præcepta negativa, quibus adest cognitio præcepti omittendi, & etiam cognitio conformitatis eiusdem omissionis cum præcepto: & tamen talis cognitio nec sufficienter, & in actu primo, movet voluntatem ad bonum morale; cùm in eis non sit talis libertas. Quædam instantia.

Non inquam instes. 1. Nam providentia circa pœnam, & malitiam Dæmonum, est specialissima, & non pertinens ad statum viatorum. 2. ex hoc ipso: Quia talis cognitio præcepti in ipsis est omninò sterilis propter adhæsionem ad malum, & obstinationem in illo, vi cuius talis cognitio impeditur à vi excitativa ad illius observationem. In homine autem lapso viatore nihil horum invenitur, quin potiùs adsunt ei plures affectiones communes ad honestè agendum. Unde cognitio præcepti adiuncta eis potest esse aliquatenùs practica, & in actu primo excitativa affectus, quo velit rem præceptam, ut conformem cum præcepto, conformitate se habente, vel ut motivo, vel ut circunstantia sufficienti modo volita, ut tale velle sit moraliter honestum. 37 Fit satis.

Ea, quæ contra dicta opponi possunt, facilem habent solutionem. 1. In dicto casu Deus non tenetur dare cogitationem suasivam boni; cum ad non peccandum sufficiat cognitio proponens motivum indifferens: ergò cogitatio suasiva boni est supra debitum ex parte Dei, proindèque gratia specialis. Quod urgeri potest: ex quò indifferenti ad duo non magis debetur concursus, etiam quòad sufficiētiam ad unū obiectum, quàm ad alterum ergò cum non peccare sit indifferenter vitabile per actum indifferentē, & actum moraliter bonum &c. Rursus: Homo per peccatum Adæ meruit privari omni cogitatione suasiva boni: ergò cum ad observationem præcepti negativi sufficiat ex parte actus primi cognitio proponens motivum indifferens; cognitio suasiva boni erit gratia specialis. 38 Objic. 1. Secundò. Tertiò.

Hæc omni prorsùs vi carent; si non admittatur possibilis actus indifferens in individuo. Illo tamen admisso, Resp. ad 1. concesso añti. negand. conseq. Aliàs fortitudo, & pulchritudo corporis, bonitas ingenij, & similia, essent gratia specialis; cum sine his donis posset Deus providere naturæ humanæ. Unde ultra adducta requiritur, quòd bonum collatum non sit positivè consonum inclinationi naturæ rationalis, & excedens frequentem concursum causarum secundarum. Cognitio autem suadens vitationem peccati ex motivo honesto, & esset positivè conformis inclinationi voluntatis, & ex concursu obiectorum frequentèr 39 Solutio ad 1.

tèr occurrentium excitari valet. Deindè Resp. disting. anteced. Non tenetur debito stricto, & orto ex iure creaturæ, conced. anteced. Debito condecentiæ orto ex benevolentia, & liberalitate Dei, etiam ut Provisoris Generalis, neg. anteced. Licèt enim Deus providens generalitèr rebus creatis, & unicè eis tribuens id, quod est necesse quòad sufficientiam ad finis consecutionem, nullam iniustitiam committeret, eique nemo posset dicere: *Cùr sic fecisti?* Attamèn talis dispensatio non esset ei condecens, attenta liberalitate, & magnificentia convenienti ipsi, ut Provisori Generali. De his satis num. 30. Quòd si stemus rationi propositæ à num. 34. dicendum: antecedens esse verum de motivo honesto, quod non sit obedientiæ formalis. Si autem contendat probare, exclusionem etiam huius motivi; anteced. est falsum, & per se loquendo repugnans.

Ad 2. & 3. Ad 2. Resp. negand. anteced. de indifferentia inclinationis; cùm cognitio honesta sit ei positivè conformis. Ad ultimum Resp. Illud probare, vitam hominis per aliquod tempus esse gratiam specialem. Rursùs: Antecedens solùm est verum de merito quòad sufficientiam; secùs quòad efficaciam; quare estò sit specialis ordinatio, & gratia Dei, quòd non meruerit privari actù illa cogitatione, restat difficultas: An excedat etiam proportionem, & vires naturæ rationalis, quæ in ea remanserunt post lapsum Adæ? In qua difficultate partem negativam probatam relinquimus.

§. V.

TERTIA CONCLUSIO.

Existente præcepto de actu interno moraliter honesto, cognitio, ut præbens sufficientiam ad illum, non est gratia specialis.

40 Sensus concluſ. COnclusio intelligitur de actu honesto de se facili, tàm ex parte obiecti, quàm circunstantiarum; de actu verò dilectionis Dei, ut Authoris naturæ super omnia, & de actu, qui est victoria gravis tentationis ex honesto motivo, infra erit sermo. Est communis inter Theologos; eamque esse de mente P. Vazquez fatetur Oviedo ubi supra num. 4. Pro opposita opinione citatur Capreolus in 2. distinct. 28. quæst. 1. ubi in solutione ad argumenta contra primam conclusionem asserit: *Hominem non posse sine speciali auxilio cogitare aliquod bonum seorsim, & in particulari.* Aitque, hoc concludere argumenta adducta à Gregorio Ariminensi. Verumtamèn Illustris. Godoy hic disp. 41. num. 3. ipsum exponit de gratia speciali ad actum honestum, & ad cogitationem, ut efficaciter moventem ad actum, & non precisè quòad sufficientiam. Quia tamen conclusio procedit de sufficientia ad bonum morale restrictim, pro casu scilicèt, urgentiæ præcepti: Prob. facilè ex dictis concluſ. anteced.

Ita frequentèr Theolog.

De hoc erudite M. Manso tom. de Virtut. q 4.

Cognitio illa, ad cuius collationem Deus ex suppositione præcepti tenetur, non est gratia specialis; sed huiusmodi est cogitatio, ut præbens sufficientiam ad honestè agendum pro casu urgentiæ præcepti de tali honestate: ergò. Prob. min. Deus ex suppositione talis præcepti tenetur dare homini auxilium, sivè vires saltim sufficientes ad eius observationem; cùm nemo iustè teneatur ad impossibile, & ad id, quod non est in sua potestate; sed sine cogitatione proponenti bonum honestum, actus honestus est voluntati antecedentèr impossibilis, & extra illius potestatem, sive dominium; cùm talis cognitio se teneat ex parte actus primi: ergò Deus &c. Hæc ratio desumpta est ex Trident. sess. 6. cap. 11. dicenti: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, ut possis.* Quæ propositio desumpta est ex Magno Parente de Natura, & Gratia cap. 43. & de Fide contra Manich. cap. 9. & Sermone 191. de Tempore; & ex alijs SS. Patribus relatis à Ripalda tom. 3. disp. 23. sect. 11. & ex D. Thoma in 2. distinct. 28. quæst. 1 art. 3. Ex quorum doctrina damnata est

41 Prob.

Prob. ex Decreto Trident.

propositio Jansenij, & Baji tuentium, *præcepta Dei esse hominibus etiam iustis impossibilia.*

41 Advert. Advertendum tamen, quòd licèt existente præcepto non sit homini semper sufficientia moralis, hoc est, sufficientia expedita, & sinè gravi difficultate ad præcepti observationem; adest tamen sufficientia, ut homo orando possit talem potestatem moralem à Deo obtinere. Similitèrque; licèt existente præcepto non semper adsit sufficiētia, & potestas physica immediata ad eius adimpletionem; adest tamen sufficientia mediata ad consecutionem immediatæ. Quę doctrina est certa apud omnes Theolog. contenta in illis verbis Trident. *Et petere, quod non possis.* Traditurque à Mag. Par. lib. de Perfect. iustitiæ cap. 1. *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.* Plura adducit ad probandum dicta Mag. Manso tom. 2. quæst. 5. & quæst. 9. à n. 3. Dùm igitur adest potestas ad acquisitionem potestatis immediatæ, verificatur dari potestatem absolutam, & veram libertatem ad agendum; imò iuxta plures, qui est potens acquirere id, quod immediatè influit, & ex parte actus primi requiritur ad actum; etsi non gaudet potestate immediata physicè, benè tamen moraliter; eò quòd dominium ad acquisitionem potestatis immediatæ moraliter reputatur, ac si esset ipsa potestas immediata.

42 Explicat. amplius. Hæc dicta sunt pro explicatione conclusionis: Nàm etsi non semper, atquè adest advertentia urgentiæ præcepti de actu honesto facili, adsit cognitio suadens ad eius adimpletionem; proindèque non adsit sufficientia immediata; semper adest cognitio sufficiens ad orandum pro illa; vel sufficiens, ut possit ex principijs generalibus illam deducendo formare; v. g. discurrendo hoc modo: *Bonum est prosequendum; hic actus, utpotè præceptus, est bonus, & simùl est materia virtutis Religionis.* Tales enim cognitiones, utpotè modo dicto acquisibiles, non requirunt gratiam specialem ad sui existentiam; non enim superant potestatem physicam, aut moralem hominis advertentis præceptum. Idem dicendum de alijs requisitis ad sufficientiam immediatam; v. g. de apertione Breviarij ad recitandum; de ingressu in Ecclesiam ad audiendum Sacrum &c. Idem tandèm dicendum admissa opinione aliquorum tuentium iudicium prælativum, & etiam iudicium determinatum, se tenere ex parte actus primi ad elicientiam actus; quæ quidèm iudicia non sequuntur necessariò ex impositione præcepti, & advertentia obligationis eiusdem. Si autem quæras: An cogitatio suadens bonum ultra minimum sit gratia specialis? Cuidam quæsito Resp. Resp. negativè iuxta dicta num. 26. Solumque erit huiusmodi, si sit nimium intensa, & quasi extraordinariè invitans ad bonum. Aliqua, quæ opponi possunt, manent soluta in antecedentibus, & ex dicendis solutio illorum ampliùs constabit.

§. VI.

QUARTA CONCLUSIO.

Cognitio recta, ut sufficiens ad actum naturalem moraliter honestum, etiamsi non sit præceptum, non est gratia specialis.

43 PRO opposita sententia refertur ab aliquibus Pater Vazquez 1. 2. disput. 193. num. 42. ubi ait: *Non existente præcepto eliciendi actum honestum naturalem, auxilium sufficiens ad illum esse gratiam specialem per Christum.* Illam expresse tuetur Par. Hurtado Complutensis, de quo asserit Oviedo controver. 3. punct. 1. num. 3. per plures annos illam docuisse, atque propugnasse in publicis Concertationibus Universitatis. Conclusio est communis inter Theologos, eique expresè adhærent Bellarminus lib. 3. de Gratia, & Liber. arbitr. cap. 8. Pater Suarez libr. 1. de Gratia cap. 2. asserens esse omninò certam; Pater Tortes Opuscul. 2. de Gratia disput. 1. dub. 1. num. 9. ubi sententiam oppositam iudicat improbabilem; & num. 14. refert aliquos iu-

AA. oppositum sentiētes.

Nostra concl. est commun.

iudicantes illam esse errori proximam, sicuti censet esse valdè absurdam P. Suarez lib. ubi sup. cap. 13. num. 5.

44 Prob. 1. ratione desumpta ex libertate. Libertas ad bonum, & malum morale in homine, etiam post lapsum Adæ, non est gratia specialis distincta à gratia creationis, & providentiæ naturalis Dei, ut gubernantis ipsum: ergò idem dicendum de recta cogitatione, ut præbenti sufficientiam voluntati ad aliqua exercitia bona moraliter. Conseq. const. 1. Nàm unum ex constitutivis libertatis ad honestè operandum, est cognitio proponens talem honestatem; cùm voluntas non possit ferri in incognitam. 2. Nàm libertas est facultas voluntatis simul, & rationis, expedita & ad utrumlibet se habens: ergò libertas ad bonum morale necessariò includit expeditionem voluntatis ad illud. Sed sine cogitatione saltim in actu primo allicienti, & invitanti media propositione boni moralis, voluntas non est expedita ad illius prosecutionem: ergò. Anteced. verò prob. 1. Libertas ad bonum morale intra ordinē naturæ est aliqua proprietas hominis, quatenùs est agens rationale; sed hoc ipso non est gratia specialis distincta à gratia conservationis, &c. ergò. Prob. mai. Talis libertas convenit homini, quatenùs ratione suæ voluntatis est potens tendere in bonū morale contentum sub ratione universali boni, & quatenùs homo virtute intellectus potest discernere inter bonum, & malum morale, præferendo unum alteri: Sed tàm universalitas conveniens voluntati in appetendo, quàm virtus discretiva intellectus cum præferentia, sunt aliqua proprietas hominis in esse agentis rationalis: ergò.

45 Confirm. & urget. hæc ratio. Quod convenit homini, quia est ad Imaginem Dei, convenit ipsi ex vi gratiæ conservationis; sed huiusmodi est libertas ad bonum morale: ergò hæc convenit ei ex vi gratiæ conservationis. Tùm sic: Sed libertas ad bonum, includit cognitionem suasivam illius: ergò. Omnia constant, & mai. (si qua est in ea difficultas) traditur expressè à D. Basil. in hom. *Quod Deus non est Author peccati*, sequentibus verbis: *Liberum arbitrium creaturæ participi rationis maximè conveniebat, propterea, quòd ad imaginem Dei creata est.* Idem expressè traditur à Div. Bern. Serm. de Annunt. circa medium, & à S. Damas. lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 12. & ab alijs PP. quos adducit P. Ripalda tom. 3. disp. 14. sect. 8. & sequentib.

Nec valet si dicas, propietates naturæ posse ei convenire per gratiam distinctam ab illius conservatione si illæ miraculosè conserventur in præsentia alicuius morbi de se naturam corrumpentis; ut si visus contra morbidam aliquam qualitatem conservetur: taleque fuisse peccatum Adami contra libertatem ad bonum. 46 Si Resp. Contra q Non inquam valet. 1. Nàm modus dicendi aliquorum asserentium ex peccato Adæ provenire in nobis morbidam qualitatem inficientem omnes potentias, ut commentitius habetur. Unde in Evan. Luc. c. 10. ubi sub metaphora cuiusdam hominis descendentis à Hierusalem in Jerico describuntur mala, in quæ incurrimus per peccatum Adæ; omnia hæc in spoliatione, vulneratione, & plagarum impositione continentur; hoc est, in bonorum gratuitorum supernaturalium privatione; in infirmitate, & attenuatione liberi arbitrij ad bene agendum, & corporis mortalitate. Quapropter Trident. sess. 6. cap. 5. damnat eos, qui dicunt: *Liberum hominis arbitrium fuisse extinctum per Adæ peccatum*; licet manserit infirmum, & viribus attenuatum. 2. Quia cum libertas ad bonum morale ex activitate voluntatis, & cognitione invitanti ad illud coalescat, nulla causa potest per se libertatem perdere, nisi per incompossibilitatem cum aliquo ex duobus numeratis. Sed nulla qualitas vitiosa, aut morbida, potest activitatem voluntatis ad omne bonum morale perdere; nec similiter potest auferre ab intellectu, quin cognoscat quamplura bona honesta ex ipso cursu, & concursu rerum, passim obvia, & illa apparere, ut pulsantia voluntatem ad sui amorem: ergò solutio est penitùs insufficiens. Ex quibus, Secundo.

47 2. Prob. concluſ. Liberum hominis arbitrium ad benè operandum non fuit extinctum per peccatum Adę, licet manſerit infirmum, & viribus attenuatum: ita Trident. ubi ſupra. Tum ſic: Repugnat vera libertas ſine cognitione obiecti, ad quod voluntas poteſt liberè determinari: ergò deficiente cognitione ſuaſiva boni honeſti, manet perdita, & extincta libertas ad honeſtè operandum: ergò ſi ſuppoſito Adæ peccato nulla datur in homine ex vi providentiæ generalis ſimilis cogitatio; extincta manſit libertas ad bene operandum. Perdidit enim primus homo, & nos in illo, granditate peccati libertatem ad diligendum Deum, & meritoriè operandum iuxta ſententiam Magn. Par. quia videlicèt, eſtò principia ad dilectionem, & meritum, poſsint à Deo nobis conferri; hoc tamen provenit ex gratia ſpecialiſsima Dei operantis, & ſua miſericordia vincentis demeritum peccati: ergò ſi hoc idem accideret circa principia requiſita ad quancumcumque honeſtam operationem propter demeritum peccati originalis; abſdubiò extinctum fuiſſet liberum arbitrium ad honeſtè agendum intra ordinem naturæ; eſto Deus ex gratia ſpeciali poſſet talia principia conferre.

Prob. 2. concluſ.

Prob. ex M. P.

48 Confirm. iuxta Trident. Liberum hominis arbitrium ob peccatum manſit infirmum: ergò manſit in homine poteſtas ad aliqua obiecta honeſte proſequenda. Conſeq. pat. Nàm eſtò homo infirmus non poſsit perfectè moveri, aut elicere omnes operationes, quas homo ſanus; valet tamen elicere aliquos motus, & operationes. Sed ſine cognitione ſuadenti bonum, non adeſt in voluntate poteſtas ad illud; cum talis cognitio ſe habeat ex parte actus primi; & rurſus bonum non intelligitur, ut obiectum potens terminare amorem ſui, niſi ſit ab intellectu propoſitum: ergò aliquæ cogitationes ſuaſivæ boni ſunt homini debitæ etiam poſt peccatum Adæ. Hinc vulnera relicta ex peccato originali, *ſecundùm malitiam in voluntate, propter pronitatem illius ad privatum bonum; & ignorantia intellectus obnubilati propter vehementiam paſsionum; & concupiſcentia in appetitu, propter rebellionem adverſus ſpiritum, *reddunt profectò liberum arbitrium impeditum, & quaſi implicatum ad opera magna, & ardua; ſecùs verò ad opera, etſi honeſta, facilia tamen, & maximè conſona nativæ inclinationi naturæ rationalis.

Confirm.

49 3. prob. concluſ. Deum conferre homini plures cogitationes allicientes ipſum quòad ſufficientiam, ut honeſtè operetur, ſpectat ad eius providentiam generalem: ergò non ſunt gratia ſpecialis. Prob. anteced. Deum actù complere, & expedire aliquotiès inclinationem innatam voluntatis ſpectat ad illius providentiam generalem; eſt enim proprium huius operari in unoquoque iuxta modum ipſius. Sed voluntas hominis innatè inclinat ad honeſtè operandum; cùm ſit appetitus rationalis reſpiciens pro termino vivere ſecundùm rationem: Qua de cauſa probat Sanct. Doct. 1. 2. quæſt. 71. art. 2. Omne peccatum qua tale eſſe contra hominis naturam; & quæſt. 94. art. 3. probat etiam, omnes actus virtutum ſecundùm rationem communem actus honeſti eſſe de lege naturæ: ergò cùm huiuſmodi inclinatio voluntatis compleatur, & reddatur expedita, per cogitationes ſuaſivas boni honeſti; harum collatio ſpectat ad providentiam generalem Dei. Confirm. Inclinatio innata ad aliquem terminum ſupponit poteſtatem ad illum, & ſuperaddit exigentiam in natura ſic inclinanti: Si igitur iuxta commune proloquium, fruſtra eſt potentia non reducta aliquando ad actum; quantò magis erit fruſtra, ſi talis potentia gaudens ſimùl inclinatione innata non eſt proxime reducibilis ad actum? Igitur ſufficientia proxima, & expeditio potentiæ ad opera aliqua intra terminos ſuę nativę inclinationis, ſpectat ad providentiam generalem Dei. Patet conſeq. Nàm ad huiuſmodi providentiam ſpectat, nè inclinatio ab ipſa indita rebus ſit per ſe loquendo inevitabiliter fruſtranea, tùm per non reductionem ad actum, tùm etiam per defectum ſufficientiæ ad illum.

Prob. 3.

Confirm

50 Hinc excluſſa manet evaſio per recurſum ad peccatum, in quo exiſ-

Quædam evasio rejicitur.

existit naturâ humana post lapsum Adæ; excluditur inquam; quia tale peccatum non auffert inclinationem innatam voluntatis ad bonum rationis, nèc illam diminuit intrinsecè in radice, sed solùm per oppositionem fomitis concupiscentiæ retardatur à perfecta prosecutione boni honesti, ut expressè docet Sanct. Doct. hac 1. 2. quæst. 85. art. 1. Hoc autem solùm probat, indigentiam gratiæ specialis ad opera ardua, non verò ad opera de se facilia. Quod assumptum sic suadetur: Inclinatio innata voluntatis terminatur ad bonum morale, ut verè ipsi possibile: ergò id, vi cuius opus moraliter honestum redditur possibile voluntati, est iuxta eiusdem inclinationem. Neque enim aliquis finis potest terminare inclinationem innatam alicuius naturæ, & quòd media, vi quorum redditur possibilis, sint supra omnem inclinationem talis naturæ. Undè quia materia prima innatè inclinat in formam substantialem, actio productiva formæ est iuxta illius inclinationem. Tùm sic: Sed bonum honestum redditur possibile voluntati quòad sui prosecutionem per cogitationem proponentem illius honestatem: ergò talis cognitio est iuxta inclinationem voluntatis; proindèque eius infusio ad providentiam generalem Dei spectat, per quam attendit inclinationi naturali voluntatis.

Prob. insupèr conclusio à paritate cognitionis pravæ: Cognitio prava movens voluntatem ad peccandum spectat ad providentiam generalem permissivam Dei: ergò etiam cognitio recta suadens voluntati honestam operationem. Antecedens est certum, & conseq. prob. Ideò primum est verum; quia voluntas hominis, utpotè facta ex nihilo, est potens peccare, estò non inclinet innatè in peccatum. Quapropter Deum permittere cognitionem turpem, per quam fit potens proximè peccare, spectat ad generalem providentiam providentem unicuique rei iuxta modum suum. Sed voluntas, utpotè appetitus rationis, non solùm est potens operari rectè, verùm etiam ad sic operandum habet inclinationem innatam: ergò si ob primùm, cognitio prava &c.

51

Alia probat. conc.

Confir. hæc ratio. Potentia expedita ad peccandum ratione cognitionis pravę allicientis ad peccatum, convenit homini ex vi providentiæ generalis: ergò etiam potentia expedita ad rectè operandum ratione cognitionis allicientis ad bonum morale. Consеq. prob. 1. Ideò antec. est verum, quia est moraliter impossibile, ut ex concursu, & occursu obiectorum frequentèr occurrentium, non excitetur aliqua turpis cogitatio. Sed hæc eadem impossibilitas subsistit pro non excitatione alicuius cogitationis suadentis bonum morale: ergò. Prob. min. Nàm beneficia ordinis naturæ nobis à Deo collata sunt innumerabilia, & de se provocant ad gratitudinem, & laudē Dei. Rursùs: Miseriæ, & ærumnæ proximorum, quæ frequentissimè occurrunt, valde provocant ad misericordiā. Deindè: Mors repentina, amissio temporalium bonorum, & alij fortuiti fatales eventus, qui quotidiè sunt in prospectu nostro; efficacissimè movent ad rerum temporalium cōtemptum: ergò quòd ex his omnibus non excitetur aliqua cogitatio suasiva boni, nequit contingere absque aliquali violentia; vel specialissima Dei providentia deserendi creaturam rationalem.

52

Confirm.

Prob. 2. eadem consеq. Non stat cognitio prava suadens peccatum; scil. non subvenire extremè indigenti, quin adsit cognitio proponens omissionem subveniendi extremè indigenti, esse contra rectam rationem; cùm malitia talis peccati consistat in oppositione voluntaria cum recta ratione; & nequeat dari volūtarietas, si non adsit illius cognitio: ergò non stat præiacta cognitio, quin etiam adsit cognitio proponens subvenire extremè indigenti esse conforme rectæ rationi. Sed cognitio proponens obiectum, ut conforme rectæ rationi, proponit illud, ut bonum morale: ergò non stat posse peccare ex vi talis turpis cognitionis, quin sit etiam cognitio repræsentans voluntati bonum morale. Tùm sic: Sed pone-

53

re talem cogitationem semper esse adeò sterilem, ut nec in actu primo alliciat ad prosecutionem talis boni, est ad minus moralitèr impossibile; & solum in damnatis potest admitti: ergò implicat potentiam expeditam ad peccandum haberi pluriès ex vi providentiæ generalis, & non haberi ex vi eiusdem potentiam expeditam ratione cogitationis rectæ ad aliquando honestè operandum.

54 Ultima probat. concluſ.

Denique probatur conclusio ratione communi. Si omnis cogitatio suadens rectam operationē, esset nova gratia distincta moralitèr à dono creationis, qui admitteret talem cogitationem, admitteret veram gratiam à dono creationis dictam. Consequens est falsum: ergò & anteced. Prob. min. Pelagius in primo statu suæ hæresis nullam agnovit veram gratiam à dono creationis distinctam; unde cum ex una parte assereret sufficere vires liberi arbitrij sine Dei gratia ad benè operandum; & ex alia inspiceret, videri nimis durum, & Sac. Scripturæ adversum, negare necessitatem gratiæ ad benè operandum; hæc omnia componere connatus est dicendo: *Se minimè excludere gratiam Dei: cum ipsum liberum arbitrium sit nobis collatum à Deo gratuitò, & sine meritis.* Atqui Pelagius expressè admittit necessitatem cogitationum suadentium voluntati rectè operari, ut constat ex Mag. Par. lib. de Gratia Christi cap. 7. & 10. Nec oppositum absque enormi errore in Philosophia sentire potuit; cum voluntas nequeat ferri in incognitum: & ipsa quidditas libertatis, quæ est facultas voluntatis, & rationis ad utrumlibet, convincit: ergò nec liberum arbitrium hominis quòad entitatem voluntatis, nec cogitatio suadens honestam operationem, est vera gratia Dei, & à dono creationis distincta. Videatur P. August. de Spiritu, & lit. cap. 2. & serm. 11. de Verbis Apost. cap. 7. D. Hieronym. epistol. 1. ad Ctesiphont. & lib. 2. Dialog. contra Pelag.

§. VII.

Solvuntur argumenta.

OBjicies 1. iuxta Apostolum 2. ad Corint. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: ergò non solum cogitatio suasiva boni est ex gratia Dei, verum etiã sufficientia ad rectè cogitandum. Confirm. hoc ex pluribus testimonijs Conciliorum expressè affirmantium: *Scire quid facere debeamus, provenire nobis ex gratia Dei*, ita Arausican. can. 9. & Milevitanum cap. 4. Celestinus Epistol. 1. ad Episcop. Galliæ his verbis: *Ita Deus in cordibus, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, & pium consilium ex Deo sit.* Quod roborari potest ex frequenti oratione, per quam Deum supplicitèr exoramus, ut nos illuminet de agendis, & pias, rectasque cogitationes, mentibus nostris infundat. Cumque oratio iuxta Magn. Par. sit clarissima gratiæ testificatio: dicendum omnem rectam, piamque cogitationem, etiam quòad sufficientiam, ad rectè agendum, esse ex gratia Dei. 55 Arg. 1.

Urgetur hoc ex P. Augustin. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. aiente: *Nolunt homines facere, quod bonum est, sive, quia latet, sive quia non delectat. Quod autem appareat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates*: ergò omnis cognitio, per quam nobis appareat ut conveniens, operari quod bonum est, provenit ex gratia Dei. Item lib. de Correp. cap. 2. *Sine gratia Dei nullus prorsùs bonum faciunt homines, sive cogitando, sive volendo, sive quidquam boni agendo.* Consequenter ad hæc SS. PP. exigebant à Pelagio, quod si vellet esse Catholicus, *fateretur gratiam Dei dari ad singulos actus.* * Cum ergò omnis actus bonus sumat initium à recta cogitatione, fatendum est illam haberi per gratiam Dei. 56 Aug. epist. 107. ad vitalem.

Resp. Apostolum loqui de cogitatione, & sufficientia ad illam, ut ex Au- 57 Respon.

expedit, ad salutem, secus verò de cogitatione ad opus facilè, etsi honestum intra ordinem naturæ. Hæc expositio colligitur expressè ex Arausic. Est communis responsio. can. 7. dicente: *Si quis dixerit per naturæ vigorem, & absque Spiritus Sancti illuminatione naturam humanam cogitare posse aliquod bonum, ut expedit ad salutem, Anathema sit.* Eodem modo exponenda sunt testimonia Conciliorum, & SS. PP. asserentium: *Scire, quid facere debeamus, haberi in nobis per gratiam Dei*; vel quia pluries addunt hanc particulam; *prout expedit ad vitæ æternæ consecutionem*; vel præsertim, quia cum Pelagius adeò fortè, & vigorosum poneret nostrum liberũ arbitrium, ut assereret, *posse sine gratia Christi per vires naturæ elicere actus salutares, ut constat ex Trident. sess. 6. can. 1. Quando SS. PP. illum impugnant requirentes gratiam Dei etiam ad cogitandũ bonum, præcipue loquuntur de cogitatione, & scientia fœcunda, & fructuosa, * ut homo sit Iustus coram Deo, & vitam æternam mereatur, & ut ad gratiã se præparet.* Verba Celestini hanc eandem ex propositione præseferunt, ut constat ex illa voce. *Sancta, & pium*; non enim salvatur sanctitas, aut vera pietas, nisi propter conducentiam ad finem supernaturalem. Eodem modo solvitur argumentum ex oratione Ecclesiæ; sicut enim omnia dicta orat, ut consequenda per Christum Dominum nostrum; ita omnia illa deprecatur, ut conducentia ad regnandum in Cœlo cum Christo.

58 Ad testimonia M.P. Resp. Ipsum loqui de facere bonum, & iustum, quòd est simpliciter tale, & hoc nomine; solum bonum meritorium, & Ad testim ex Conc. ad salutem æternam conducens, sive, quòd idem est, bonum Theologi cètale, est strictè dignũ. Ita expressè colligitur ex testimonio eiusdem P. supra n. 11. relato per hæc verba: *Scito nos illud tantum dicere hominis bonum, per quod homo ad regnum, æternumque Dei donum, potest perduci.* Videatur etiam S. Prosp. lib. Resp. cap. 9. ubi asserit: *PP. Concilij Palestini compulisse Pelagium, ut fateretur gratiam Dei ad singulos actus dari; ita ut sine illa nihil veræ sanctitatis possit homo operari.*

Objcies 2. Quod est supra omne debitum naturæ humanæ, est gratia specialis respectu illius: sed huiusmodi est cogitatio, ut sufficiens ad benè operandum: ergò. Prob. min. Homo ratione 1. peccati meruit privari omni cogitatione etiam, ut sufficienter moventi ad bonum: cum illud sit infinitum in ratione demeriti, aut saltim in ordine superiori: ergò collatio talis cogitationis est supra debitum, &c. 59 Arguit. 2.

Resp. neg. min. & illius probat. Ad rationem enim meriti completè, & actù talis, requiritur promissio ex parte Dei, si sit propriè meritum; aut saltim comminatio; si sit demeritum. Deus autem solum decrevit punire homines ob peccatum Adæ, eos spoliando bonis gratuitis supernaturalibus, & rursùs donis spectantibus ad integritatem naturæ; ex quorum privatione mansit liberum arbitrium infirmum, & vulneratum, non vero extinctum; ideòque potens habere aliquas cogitationes suadentes ipsi operari benè moraliter. Licèt ergò attenta gravitate peccati privatio omnis rectæ cogitationis fuerit pœna possibilis, non tamen pœna ullo modo taxata. Quapropter licet non comminando talem pœnam interceserit aliqua gratia ex parte Dei: illa tamen suppositа, non requiritur ulterior gratia pro existentia rectæ cogitationis. Et quidem amentia, & mors infligenda statim post animationem, fuit pœna possibilis infligi pro peccato originali; quin per hoc hominem esse sanæ mentis, & vitæ diuturnæ, proveniat ex gratia speciali Dei distincta à dono creationis. 60 Solutio.

Deniquè objc. Cognitio movens sufficienter voluntatem ad bonum non debetur homini ex vi gratiæ creationis: ergò est gratia specialis. Prob. añs. Ex vi gratiæ creationis solum debentur homini eius proprietates; sed prædicta cognitio non est proprietas hominis; cum solum intellectus, voluntas, & aliæ potentiæ dicantur proprietates animæ: ergò. Confirm. Deus etiam suppositа hominis creatione, cõfert libertimè cognitionem allicientem eius voluntatem, ut benè operetur: quapropter homo 61 Ultimum argum. Confirm.

tenetur Deo gratias agere pro huiusmodi cogitatione : ergò nisi sit litigium de nomine, dicenda est gratia
Urget. specialis. Urget. Deus absque ulla iniuria homini irrogata, potuit sic disponere concursum, & occursum obiectorum, aliarumque causarum secundarum, ut in eius mente nulla cogitatio suasiva boni honesti in particulari oriretur : ergò inspiratio huiusmodi cogitationis est gratia distincta à gratia creationis, proindèque gratia specialis.

62 Probat argumentum durationem hominis per aliquod tempus, bonum
Respond. ingeniũ, fortitudinem, & pulchritudinem corporis, esse gratiam specialẽ. Siquidem Deus hæc omnia liberrime confert, & homines tenentur gratias Deo agere pro huiusmodi bonorum communicatione: & insuper quia Deus negando prædicta dona, nulli iniuriã faceret. Undè nego, ant. ad eius probationem, dist. mai. Ex vi gratiæ creationis physicè acceptæ, conc. mai. moraliter sumptæ, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Gratia enim creationis moraliter, & completè sumpta includit necessariò providentiam gubernativam rei conditę iuxta illius naturam, & conditionem, in ordine ad finis proportionati consecutionem. Cumque homo sit naturæ intellectualis liberæ, & propensæ in bonum honestum, ut finem sibi proportionatum ; collatio libertatis ad rectè operandum debetur ipsi ex vi talis providentiæ. Undè sicuti potentiæ visivæ v. g. quæ est proprietas animæ, debetur species, qua reddatur potens proximè aliquoties videre ; ita intellectui humano, ut practico, & voluntati, prout est appetitus rationalis, debetur cognitio practica reddens voluntatem proximè potentem tendere in bonum honestum. Quare talis cognitio, estò non sit strictè, & in sensu philosophico proprietas; habet tamen aliquid proprietatis; quatenus est perfectio exacta à nostra libertate, & quã Deus sine aliquali violentia negare nequit.

63 Ad confirmationem, dist. añs. Libere libertate spectanti ad providentiam generalem, conc. añs. Non
Ad conf. spectanti, neg. añs. & conseq. Etsi Deus post decretum creandi hominem possit concipere decretum negãdi ei omnem cogitationem allicientem ad bonum ; hoc tamen faceret, operando extraordinariè, & miraculosè ; qui modus operandi, etsi sufficiat, ut Deus liberè conferat sufficientiam ad benè operandum, non sufficit, sed potius officit specialitati gratiæ. Nequè enim Deus est minus liber in permittendo turpem cogitationem, quam in donando cogitationem rectam : & tamen illa spectat ad providentiam generalem Dei; quia videlicet voluntas est de se defectiva in operando. Cum ergò voluntas nedum sit potens ad prosecutionem boni honesti, verùm etiam innatè propendens in illud, cogitatio honesta complens, & expediens huiusmodi potestatem, & inclinationem, est debita voluntati ex vi providentiæ generalis perfectè, & cum suavitate disponentis omnia. Ad urg. resp. Quòd esto Deus denegando omnem cogitationem honestam nullam iniuriam homini irrogaret, ex hoc minime probatur donationem prædictæ cogitationis esse gratiam specialem. Constat hoc clarè ex exemplis adductis num. antecedenti ; cum tamen largitio illorum donorum non sit gratia specialis. Constat 2. Nàm si Deus damnaret iustum perseverantem in gratia, nullam iniuriam ipsi irrogaret, teste M. Par. * idemque dicendum, *si Deus relinqueret absque præmio opera meritoria hominis iusti*; & tamen non est gratia specialis propriè dicta, hominem iustum non damnari à Deo, aut illius opera dignè præmiari supposita promissione, & illius perseverantia. Ut igitur largitio alicuius donum non sit gratia specialis, sufficiens est, vel quòd tale donum sit debitum, debito fundato in iure creaturæ, vel debito fundato in suavitate Divinæ providentiæ consono, & conformi naturæ rei provisæ. *Et hæc de hoc dub. applic. litt. Mag. ubi præcedens.*

Ad urg.

In Psal. 70. S. Bernard. ser. 1. de Annunc.

(o)

¶b¶ ¶b¶ ¶b¶

DU-

DUBIUM III.

AN COGITATIO SVASSIVA BONI moralis, quatenus est efficax, & congrua, sit propriè gratia specialis?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA.

N. 1 CUM sit exploratum apud omnes Theologos contra hæreticos nostri tēporis, auxilium sufficiens, vi cuius habetur potestas ad actum, distingui realiter, vel saltim in munere ab auxilio efficaci donanti actum (qua de causa non omnis homo, qui est potens, & liber ad bene agendum, operatur bene) postquam dub. anti. egimus de cogitatione suasiva boni moralis, quatenus est præcisse sufficiens, sive prout se tenet ex parte actus 1. ad amorem boni honesti; restat agere de illa, prout est efficax in actu 2. & prout coniungitur cum amore liberi boni honesti. Sub 1. consideratione est coniungibilis cum recta, & prava operatione; sub 2. verò coniungitur infallibiliter, (Deo illam dispensante) cum recta operatione. Huiusmodi cogitatio appellatur à Theologis cogitatio congrua, in hoc sequentibus, & venerantibus M. P. qui sæpè in suis scriptis; præsertim lib. de Præd. c. 10. *Vocationem efficacem, altam, atque secretam* interius in cordibus hominum, infusam, nomine vocationis congruæ insignivit. Cum autem iuxta M. P. vocatio congrua sit talis, ut homo, qui vocatur à Deo, vocantem non respuat, *& per ipsam sic Deus agat sensum hominis, ut accommodet assensum, & omnis vocatus illam sequatur*; manifeste colligitur nomine vocationis, & cogitationis congruæ intelligi cogitationem, ut infallibiliter, & in actu 2. coniūctamcū amore, vel actu, ad quē

Noto 1.

movet, & excitat voluntatem. Quod si etiam vellis cogitationem rectam, ut sufficientem, cum aliquibus appellare congruam cum hac restrictione, scilicet, de se, & in actu 1. alienabis terminos congruitatis iuxta loquutionē, & acceptionem M. Aug. 1. ad Simp.

Etsi omnes catholici summa animi veneratione, & concordia, suscipiant distinctionem datam inter cogitationem ut sufficientem, & ut congruam; sive, ut proprius loquamur, inter vocationem congruam, & non congruāpræcisivè; sufficientem, & efficacem; adest tamen magna dissensio inter Theologos in assignanda causa, ex qua proveniat, quòd vocatio de se, & secundum sibi intrinseca sufficiens ad actum, reddatur congrua, efficax, & coniuncta cum actu. Angelica Schola (si rationem vocationis solum cœlesti cogitationi attribuas) tuetur cogitationem rectam de se suasivam consensus salutaris reddi congruam ex additione gratiæ prædeterminantis reducentis illam de actu 1. ad actum 2. Qua de causa tā sufficientia vocationis, quàm eius congruitas, sive efficacia, provenit à Deo pro suo libito prædeterminanti voluntatem ad salutariter agendum. Ex Auth. Socier. Aliqui asserunt omnē rectā cogitationem reddi congruam, sive efficacem, ex determinatione, & libito voluntatis creaturæ, in cuius potestate est determinare, & applicare ad operationem omnia comprincipia libertatis ad agendum. Alij verò, quasi faciliori

2

Secundò.

via

via incidentes (ut sibi videtur) tuentur congruitatem vocationis desumi penes attemperationem illius ad genium, complexionem, affectionem, & alias dispositiones, circunstantiasque loci, & temporis, in quibus, & cum quibus invenitur homo, quando vocatur à Deo. Alij verò ex præviſione conditionata consensus sub illa. Ita P. Suarez proleg. 2. c. 5. n. 16. & de quo etiam M. Lemos lib. 4. p. 2. tract. 2. à cap. 1. & tract. 4. à cap. 28. & M. Bolivar hic dub. 6. §. 4. & alij, quos referemus, Deo volente, agentes de congruitate vocationis.

3 Tertio. Non dubitatur in præsenti de cogitatione congrua ad actum supernaturalem, sed ad actum honestum entitative naturalem. Nec pariter difficultas procedit de cogitatione congrua ad actum arduum, & heroicum, sed facilem; dummodo sit undequaque moraliter honestus. Deinde revocanda est in memoriam doctrina de quiddirate gratiæ specialis, consistenti in eo, quod illa nullatenus sit debita naturæ rationali, sitque specialis favor providentiæ Divinæ, non solum prout respicit hoc individuum, verum etiam omnia individua naturæ humanæ; ita, ut etiam si Deus nulli hominum concederet ullam cogitationem congruam, & coniunctam cum actu moraliter honesto, adhuc subsisteret integra, atque perfecta, providentia Dei gubernativa naturæ humanæ.

4 Sententiæ His prænotatis P. Vazquez in 1. 2. disp. 189. & 190. acerrime defendit ad omnem actum honestū, etsi naturalem, requiri gratiam specialem consistentem in eo, quòd Deus conferat homini cogitationem præviſam per scientiam mediam, ut congruam, & efficacem, potens iuri creaturæ plenè satisfacere, ei conferendo cogitationem purè sufficientem, & incōgruam exillius prava determinatione. Additque huiusmodi gratiam esse ex meritis Christi; & illam, quam PP. & Concilia propugnant contra Pelagium. An verò ex hoc inferatur talem gratiam esse Theologicam? dicemus infra. Refert pro se magnum numerum Theologorum ex antiquis, quibus annumerari possunt Ludovicus Torres, Meratius, Granados, Aldrete, Amicus, Card. Sfortia, & alij RR. Societ. licèt quantum ad id, quòd docet de gratia Theologica, non omnes AA. iam citati conveniant cum P. Vazquecio. Hunc modum opinandi impugnant omnes Thomistæ, & acerrimè ei adversatur P. Suarez lib. 1. de gratia, à cap. 12. Ripalda n. 12. disp. 105. Oviedo tract. 2. controv. 1. & 2. P. Aranda lib. 10. disp. 52. sect. 2. Esparzà, & alij Jesuit. Illust. Godoy in 1. 2. disp. 41. Mag. Boliv. tract. de nec. gratia dub. 6. §. 4. Plura continet decisio præsentis dub. ideòque maiori claritate possibili communem sententiam firmabimus.

§. II.

Quædam ratio probativa ab ingeniosa R. adducta pro sententia negativa reijcitur, ut inefficax.

PArtem negativam probat P. Aranda ubi supra sequenti ratione: 5

Proponitur. Iure creationis debentur à Deo naturæ humanæ aliquæ cogitationes honestæ quę sint congruæ, sive efficaces: ergò non omnis cogitatio congrua est gratia specialis. Assis. prob. Iure creationis debetur naturæ humanæ providentia Deo digna. Sed providentia non conferens homini ullam cogitationem congruam, non est Deo digna: ergò. Prob. min. Providentia ita disponens res, ut nulla cogitatio honesta congrua occurrat, est providentia impeditiva omnis actus honesti; cum sine tali cogitatione non detur actus honestus; sed providentia impeditiva omnis actus honesti non est Deo digna: 1. Quia contrariatur fini intento à Deo in omni providentia, scilicèt, glorificationi extrinsecę sui propter bona opera hominis. 2. Quia providentia impeditiva omnis actus honesti est impeditiva consecutionis finis, in quem homo innatè inclinat; quæ impeditio est Deo indigna. 3. Quia providentia auferens à natura rationali bona propria, & consentanea ipsi, est indecens Deo. Sed huiusmodi est operari honestè: ergò. Denique. Providentia, quæ potius est perturbatio, quàm guberna-

tio

tio creaturæ rationalis, est indecens Deo. Sed providentia impeditiva omnis actus honesti potiùs est perturbatio creaturæ rationalis, quam illius gubernatio; cum talis providentia illam impediat, & excludat à consecutione proprij finis: ergò.

6 Explic. robur rationis. Et ostenditur eius inefficacia 1.

Tota efficacia huius rationis nititur duabus proponibus 1. *Providentia impeditiva omnis actus honesti in natura rationali est indecens Deo.* 2. *Si ex vi providentiæ generalis non conferentur à Deo aliquæ cogitationes honestæ congruæ, talis providentia esset impeditiva omnis actus honesti.* Prima est omnino vera; 2. autem, & facilè solvitur, & ostenditur, ut falsa, & etiã in principijs scientiæ mediæ instari potest. Probatur 1. assumpt. advertendo *impedire existentiam actus honesti*, posse dupliciter accipi, uno modo per se, & ex intentione, nè scilicèt fiat actus honestus; alio modo per accidens, hoc est, non conferendo omne requisitum ad existentiam actus honesti; utendo tamen iure suo, eo quòd ad id non tenetur. Licet ergò ponere in Deo providentiam 1. modo impedientem omnem actum honestum sit indecens Deo; non tamen ponere providentiam, quæ 2. modo actum honestum impediat. Huiusmodi esset providentia debita naturæ rationali iure creationis conferens tantum sufficientiam ad honestè operandum; quæ solum per accidens impediret honestè agere, non conferendo cogitationem congruam; quia ad illam non tenetur. Undè constat, quòd nisi probetur Deum, ut creatorem naturæ rationalis, teneri positive ad provisionem cogitationis congruæ, ratio adducta nihil probat, & in illa continetur petitio principij. Ex qua doctrina in forma resp. faciliter disting. illam universalem. Providentia impeditiva per se, & ex intentione est indecens Deo, conc. Impeditiva purè per accidens, & impeditione consistente in non conferendo omne requisitum ad actum honestum, neg.

7 Secundò.

Ulterius probo falsitatem illius discursus, scilicèt, *Si ex vi providentia generalis non conferretur à Deo ulla cogitatio honesta congrua, talis providentia esset impeditiva omnis actus honesti.* Pro quo suppono 1. beatitudinem naturalem in perfecta contemplatione, & dilectione Dei, ut A. naturæ, consistentem esse finem proprium, & consentaneum naturæ rationali, ad quem innatè inclinat. Suppono 2. huiusmodi beatitudinem non posse haberi ab homine, maximè post lapsum, sine gratia speciali de ordine naturæ propter excellentiam actuum quos includit; ut fatetur præfatus M. lib. 11. disp. 57. à n. 273. Ex quibus infertur providentiam Dei conferentem homini, tùm beatitudinem naturalem, tùm media efficacia ad eius consecutionem esse providentiam specialem, & non debitam homini iure creationis.

8 Probatur idem assumptũ.

His suppositis iam apparet in efficacia præiacti discursus. Inquiro enim: An providentia generalis, & debita homini iure creationis, sit impeditiva beatitudinis naturalis, quæ est finis proprius, & in quem innatè inclinat; vel non? Si 1. ergò stat providentia impeditiva finis proprij hominis; quin sit indecens Deo. Si 2. ergò ex quo omnis cogitatio honesta congrua pertineat ad providentiam specialem, & supergrediatur providentiam generalem Dei, non sequitur hanc esse impeditivam omnis actus honesti. Quapropter sicuti præfatus A. tenetur dicere providentiam debitam homini iure creationis non impedire illum per se, & positive ad consecutionem beatitudinis naturalis, sed ad summum per accidens, & negativè utendo iure suo, vi cuius non tenetur conferre beatitudinem naturalem, sed sufficientiam ad illam; ita poterit responderi argumento à se terminato contra opinionem P. Vazquez.

9 Idem in Doctrina suæ mediæ.

Deindè probo prædictam rationem non esse satis efficacem iuxta principia scientiæ mediæ. Etenim iuxta illa congruitas cogitationis consistens in coniunctione cum operatione honesta; vel si mavis, in prævisione conditionata talis coniunctionis; provenit ex determinatione voluntatis; sicuti, & incongruitas, aut inefficacia provenit ex pravo usu voluntatis, in cuius potestate est reddere vocationem sufficientem exercitè congruam, aut

aut incongruam. Ex his ſequitur Deum pro ſuo libito conferentem vocationem prævisam incongruam, & non vocationem prævisam congruam, non conferre aliquid, quod proùt deſcendit ab ipſo Deo, & ſecundùm id, quòd habet ab illo, propriè impediat actum honeſtum; ſiquidem incongruitas pugnans cum exiſtentia actus honeſti, non provenit ex Dei determinatione, ſed ex determinatione voluntatis creatæ. Ex hac doctrina facilis eſt ſolut. diſt. hanc propoſitionem: *Deum conferre per providentiam generalem cogitationes unicè incongruas, eſt impedire exiſtentiam omnis actus honeſti, ſi cogitationes eſſe incongruas proveniat ex Dei determinatione, aut illas diſpenſet ex fine incongruitatis*, conc. mai. *Si res ita non eveniant*, neg. mai. vel illam ſubdiſt. *Impeditione pure, permiſsiva*, conc. mai. *pluſquam permiſsiva*, neg. mai. Si enim diſpenſatio talium cogitationum eſſet indecens Deo, poſſet creatura iuſtè de illo conqueri, dicendo: *Cur mihi dediſti cogitationes, quas prævidiſti incongruas, & non eas, quas prævidiſti congruas?* At qui huiuſmodi quærela ceſſat in principijs ſciētiæ mediæ; ſiquidem Deus poſſet iuſtè reſpondere, dicendo: *Inculpa voluntatis tuæ exitit, quod illæ cogitationes fuerint prævisæ incongruæ: unde in earum diſpenſatione utor meo dominio; ſicut & voluntas tua prave uſa eſt ſua libertate, beneficia cogitationum reddendo incongrua.* Et quamvis etiam congruitas ex determinatione voluntatis proveniat; Deus tamen complacet in illa, & confert cogitationem quia prævisa eſt congrua: ideòque eſt cauſa per ſe conſenſus, ad illam conſecuti.

10 Et quidem ſi de Deo, ut par eſt, ſentiendum ſit, non ſolum debet negari illum impedire per ſe exiſtētiam omnis actus honeſti; verum etiam exiſtentiam alicuius in particulari, maximè, dum inſtat præceptum. Ratio huius eſt, 1. Nàm impedire exiſtentiam unius extremi, eſt determinare exiſtentiam cōtrad. oppoſiti, cumque inſtante præcepto actus honeſti, oppoſi tūhuius ſit omiſsio peccaminoſa, Deus proprie impediendo talem actum determinaret exiſtentiam peccati. 2. Quia cum Deus ratione præcepti ſuadeat, provocet, & invitet voluntatem ad illius adimpletionem; videtur durum, concedere illum ſimul, & in ſenſu compoſito, per ſe impedire actum adimpletivum præcepti. Hæc doctrina debet placidè ſuſcipi ab AA. Societ. Siquidem propter illam impugnant prædeterminationem Thomiſticam, probantes Deum, cùm pro ſuo libito non prædeterminat actum adimpletivum præcepti, præ impedire illius adimpletionem. Quod non rectè componitur cum ſumma ſanctitate Dei, ſeriaque voluntate obſervationis præcepti. Modo ſic argumentor. Dum exiſtente præcepto, ad cuius adimpletionem requiritur gratia ſpecialis (uti eſt victoria gravis tentationis) non confert Deus voluntati creatæ per providentiam generalem cogitationem prævisam congruam, ſed potius incongruam; aut impedit adimpletionem præcepti, vel non? Si 1. (præterquamquod iuxta ſuperius adducta nequit affirmari) eſt devorare ſimile inconveniens. Si 2. ergò ſolutio, quæ adhiberi debet pro vitanda in Deo impeditione unius actus honeſti requirentis gratiam ſpecialē, poterit exhiberi pro vitanda in ipſo impeditione omnis actus honeſti, etſi ad illum requiratur gratia ſpecialis.

Robatur dicta.

Obiter duxi notandum quàm immerito P. Aranda *referens M. Gonet impugnantem opinionem P. Vazquez diſp. 1. de neceſsit. gratiæ art. 3. §. 5. & 6. Sic increpatoriè loquitur de illo: Rationem à priori deſumptam ex viciſſitudine rerum ſecūdum quam cum concurſu generali Dei connaturaliter excitantur plures cogitationes honeſtæ congruæ; & ex D. Thom. 2. contra gent. cap. 29. deductam: reddit optimè Doct. Eximius lib. 1. de gratia cap. 12. 13. & 14. videndus: ex quo reſumit omnia, quæ non ultra promovet, & diſputat contra Vazquez Mag. Gonet, illaudato noſtro Mag. per quem profecit.* 11 Nota.

12 In hoc dicto deſideratur veritas: *In primus falſum eſt Div. Thom. loco citato prædictam rationem à priori adducere, vel inſinuare; cum ibi, nec per umbram indicet aliquo verbo deberi aliquas cogitationes congruas naturæ hu-* Vindicat. M. Gonet

humanæ ad honestè operandum ex vi providentiæ generalis : multòque minus: *Ex vi concursus, & occursus rerum in præsenti providentia. Deindè falsum est: M. Gonet usum fuisse pro impugnatione opinionis Vazquez ratione desumpta ex vicissitudine rerum, ut legenti illum, luce clarius constabit.* Rursus falsum est: M. Gonet omnia motiva, quibus impugnat P. Vazquez *desumpsisse ex P. Suarez capitibus citat*: cum ferè omnes rationes, quibus utitur, non adducantur à P. Suarez contento solùm vicissitudine rerum, sive concursu, & occursu causarum secundarum, ut probet ex vi illius deberi aliquas cogitationes honestas congruas. *Quapropter motiva adducta à M. Gonet, deprompta sunt ex Div. Thom. & ex illius antiquis discipulis, scilicet Soto, Medina, Zumel, Alvarez, & alijs. Undè non est mirum M. Gonet non promovere motiva P. Suarez, nec illum laudare, sed illaudatum relinquere: nec pariter ex tanto Doct. profecisse: quia nullius entis nullæ sunt proprietates.*

13 Quapropter, ni fallor, *causa huius locutionis contra M. Gonet fuit, quia in prob. 7. contra P. Vazquez asserit merito dixisse P. Suarez gratiam à Vazquez concessam esse gratiam palliatam. Sed in hoc non est dignus aliqua reprehensione, si aliàs P. Suarez ea dignus non est. Imò potius prudentissimè, & modestissimè fegesit M. Gonet, dùm ex animi proprij sententia talem censuram non protulit, uti fecerunt alij RR. Societatis; inter quos Ripalda disp. 105. n. 8 sic ait: prob. 1. Pelagium admisisse in re, quidquid P. Vazquez, & ipsius asseclæ, per gratiam internam entitative naturalem intelligunt, & n. 9. Qua ergò in re cogitatio naturalis, in qua P. Vazquez auxilium gratiæ constituit; à gratia Pelagiana disentit?* P. Oviedo controv. 3. de necessit. gratiæ punct. 1. n. 33. in fine post explicationem gratiæ specialis consistentis in cogitatione congrua ex concursu naturali rerum excitata, ita ait: *Si hoc modo gratia explicetur, non parum accedit ad errorem Pelagij.* Et ipse Aranda lib. 10. n. 255. sic ait: *Videte ergò, in quo differat à Pelagio discursus Vazquistarum penes hanc naturalem cogitationem honestam congruam?*

§. III.

Prima ratio Sancti Doctoris, probans cogitationem honestam congruam ad aliqua opera honesta naturalia, non esse gratiam specialem.

DIV. Thom. hac 1.2 q. 109. art. 1. & 2. probavit hominem cum generali motione Dei posse cognoscere aliquas veritates, similiterque operari aliqua bona honesta;* eo quòd natura humana, sicut & quælibet formâ creata; habet sufficientes vires, & efficaciam ad actus sibi proportionatos. Et quamvis natura humana manserit vulnerata per peccatum Adæ; quia verò non fuit totalis corrupta, potest per virtutem suæ naturæ tendere in bonum sibi proportionatum. * Hæc enim ratio innititur terminis proprijs, & Theologicis. Igitur sequendo D. Tho. prob. concl. Cogitationem aliquam esse congruã, est illam coniungi activè cum honesta operatione; sed talis coniunctio nõ est gratia specialis: ergò cogitatio honesta naturalis, ut congrua, non est semper gratia specialis. Prob. min. Cogitationem honestam coniungi cum recta operatione non excedit vires physicas, aut morales voluntatis creatæ. Sed ad operationem aliquam hoc modo non excedentem vires voluntatis, non requiritur gratia specialis; ubi enim est maxima proportio, & expeditio ad aliquem actum, nulla est infirmitas, aut debilitas virium ad eius elicientiam, proindeque non requiritur gratia specialis roborans vires voluntatis: ergò. Mai. quoad primam partem cõstat, & quoad secundã prob. excessus alicuius operationis supra vires morales voluntatis provenit ex illius arduitate; sed cogitationem honestam coniungi aliquando cum operatione honesta de se facili v. g. *colere parentes, subvenire extreme indigenti ex naturali proprietate* non gaudet huiusmodi arduitate: ergò.

14 Prima rã tio ex D. Tho.

15 Explic. hæc ratio. Gratia specialis in debita alicui naturę, & excedens providentiam generalem Dei in ordine ad aliquam operationem, solùm po-

Explicat.

poteſt adſtrui propter improportionem phyſicam, aut moralem cum illa; non enim alia ratione cauſæ naturales in ſuas operationes cum ſolo concurſu generali Dei prodire poſſunt. * Sed humana natura etiam poſt lapſum eſt proportionata, tàm phyſicè, quàm moraliter cum aliqua cogitatione honeſta congrua; cum non ſemper urgeant graves difficultates pro illius elicitia; quin potius pluries adſunt gravia incitantia, tùm ex parte appetitus, tùm ex parte voluntatis ad ſic honeſtè cogitandum; ut videre eſt in honoratione parentum, & applicatione ad ſtudium veritatum naturalium, & alijs: ergò.

* Sermo eſt de illis, ex quib. contingenter ſequitur effectus.

16 2. prob. Providentia illa, qua Deus aliquàdo conſulit, ſive attendit inclinationi naturæ rationalis, eſt providentia generalis; cui proprium eſt providere unicuique iuxta modum ſuum. Sed huiuſmodi eſt providentia, per quam Deus confert cogitationem honeſtam coniunctam aliquando cum recta operatione voluntatis: ergò cogitatio honeſta congrua non eſt ſemper gratia ſpecialis. Prob. min. Natura, in qua datur inclinatio innata ad rectam operationem naturalem, habet etiam ſimilem inclinationem in coniunctionem cogitationis honeſtæ cum rectitudine talis operationis; utpotè eſſentialiter requiſita illius ad rectitudinē. Sed natura rationalis gaudet inclinatione innata ad rectè operandum intra ordinem naturæ, ut eſt certum: ergò. Roboratur hoc, & tacitæ inſtantiæ occurritur. Ad providentiam generalem Dei ſpectat, ut inclinatio naturæ rationalis ad rectè operandum non ſit fruſtranea: ergò ad ipſam ſpectat, ut aliquando reducatur in actum. Sed repugnat aliquando reduci in actum, niſi adſit cogitatio congrua, hoc eſt coniuncta cum recta operatione: ergò quòd cogitatio ad rectè operandum ſit aliquando congrua, ſpectat ad providentiam generalem Dei. Aliæ rationes infra commodius proponentur.

Secunda ratio.

Quædam inſtantia diluitur.

(o)

§. IV.

Solvuntur argumenta.

17 OBijc. 1. Probando omnem cogitationem congruam non contineri ſub beneficio creationis adhùc moraliter. Salvis iuribus creationis, poteſt Deus negare homini omnem cogitationem honeſtam congruam: ergo non continetur ſub gratia creationis. Añs. prob. 1. Salvis prædictis iuribus Deus libere confert homini quamcumque cogitationem congruam, ut videtur innegabile: ergo cum libertas ad unum extremum requirat poteſtatem ad oppoſitum, poteſt Deus, &c. 2. Iuribus creationis naturæ humanæ fit ſatis, & abūdè per ſufficientiam ad honeſtè operandum: ergò attentis iuribus creationis cogitatio congrua eſt gratia ſpecialis. Prob. añs. Iuri elevationis naturæ humanæ ad gloriam fit ſatis per collationem auxiliorum ſufficientium ad eius conſecutionem: ergò iuri creationis eiuſdem naturæ fit ſatis per ſufficientiam ad honeſtè operandum. Conſeq. patet. Tùm à paritate, tùm etiam à ratione: Nàm quēadmodum honeſtè operari eſt iuxta inclinationem naturæ rationalis: ita eſt iuxta inclinationem eiuſdem, proùt elevatæ per gratiam, ipſa conſecutio gloriæ; cum gratia ſit fons aquæ ſalientis in vitam æternam: ergò ſi hoc non obſtante, naturæ, ut elevatæ, fit ſatis, &c.

Arg. 1.

Prob. 1. antec.

Secundò.

18 Probat argumentum in ſui 1. probatione pulchritudinem corporis, robur, ingenij acumen, & conſervationem vitæ ultrà mediocre ſpacium in aliquibus hominibus, eſſe gratiam ſpecialem reſpectu naturæ humanæ, proindeque ſubterfugere ordinem providentiæ generalis. Siquidem Deus omnia dona recenſita liberè confert naturæ humanæ, quam creavit. Undè in forma Reſp. diſt. añs. Poteſt Deus potentia abſoluta, conc. añs. Potentia ordinaria, neg. añs. & conſeq. Hæc enim potentia Dei ob ſui ſuavitatem, attendit rerum inclinationibus, & modo connaturali operandi in eis; cumque natura rationalis ne-

Solutio ad 1. probat.

nedùm sit potens, quia libera, verumetiam innatè inclinat ad honestè operandum intra ordinem naturæ; quod nunquam reducatur ad sic operandum propter defectum omnis cogitationis congruæ, poterit evenire Deo extraordinariè agente, non tamen iuxta providentiam ordinariam.

2. Probatio anteced. solum probat auxilium efficax collatum homini ad consecutionem beatitudinis naturalis, consistentis in perfectissima complatione, & amore Dei A. naturæ, esse gratiam specialem. Quod libentèr concedimus absque ulla specie contradictionis in dictis. Ratio est: Nàm quemadmodum intra ordinem gratiæ hæc duo distinguí debent; scilicèt operari aliquando benè supernaturalitèr, & consequi re ipsa finem ultimum gloriæ, ad quem elevatur: ita intra ordinem naturæ oportet distinguere hæc duo; scil. operari aliquando honestè, & consequi beatitudinem naturalem, ad quam homo ex se ordinatur. Si sermo sit de elicientia alicuius actus honesti supernaturalis; dicimus cogitationem congruam ad ipsum non esse gratiam specialem intra ordinem supernatutalem, sed spectare ad providentiam generalem eiusdem ordinis; quod efficacissimè probant rationes superiùs adductæ; & de quo videri potest Illustrissim. Godoy disput. 46. cum frequenti Theologorum sensu. Unde liquidò constat argum. probans auxilium efficax ad consecutionem gloriæ esse gratiam specialem, adhùc intra ordinem gratiæ, solum probare auxilium efficax ad affecutionem beatitudinis naturalis, esse etiam gratiam specialem intra ordinem naturæ; secùs vero cogitationem congruam ad aliquando honestè operandum. Nec distinctio inter decretum creationis, & decretum cogitationis congruæ, obstat contra dicta. Nàm, ut non sit gratia specialis, sufficit inter talia decreta dari exigentiam, sive connexionem moralem, ortam ex suavitate divinæ providentiæ, ad quam spectat gubernare creaturam rationalem iuxta modum, & inclinationem illius; quæ quidem gubernatio perfecta non esset, si inclinationem innatam nunquam reduceret ad actum vivendi secundùm rationem, nisi per recursum ad providentiam specialem. Doctrina hæc explicatur ægregia sanitate, & ingenij acúmine plurium hominum; quorum decretum distinguitur à decreto creationis quòad substantiam; quin illud ad providentiam specialem spectet.

19 Ad 2.

Obiic. 1. Vi providentiæ generalis naturalis non debetur naturæ humanæ ulla cogitatio congrua: ergò hæc est gratia specialis. Prob. antec. Vi providentiæ generalis naturalis solum debetur naturæ humanæ ordinatio ad rectè operandum intra ordinem naturæ; in quo finis proprius illius consistit; constat hoc ex diffinitione providentiæ, scilicèt, *ordinatio rerum in finem*; sed per sufficientiam ad rectè operandum intra ordinem naturæ salvatur naturam humanam esse ordinatam ad rectè operandum: ergò. Confirmat. Vi providentiæ generalis supernaturalis solum debentur naturæ humanæ auxilia sufficientia ad consecutionem gloriæ, quæ est finis talis providentiam: ergò vi providentiæ naturalis tantum debentur naturæ humanæ cogitationes sufficientes ad consecutionem finis per talem providentiam inspecti. Sed huiusmodi finis est vivere secundùm rationem: ergò nulla cogitatio efficax qua talis ad honestè operandum, est debita vi providentiæ generalis.

20 Arg. 2. Confirm.

Probat. 1. Argumentum concursum Dei cum creaturis irrationalibus ad proprias operationes excedere providentiam generalem circa ipsas: siquidem per formas, & virtutes naturales à Deo sibi inditas, sunt ordinatæ ad fines proprios ipsarum consequendos. Unde ignem comburere, sursumque ascendere, & his similia, spectabunt ad providentiam specialem, quod est planè ridiculum. Probat. 2. Etiam secluso lapsu Adæ, cogitationem congruam esse gratiam specialem, ut tantisper consideranti patebit, quod non est ad mentem AA. contrariæ opinionis. Ineffi-

21 Resp.

cacia argumenti clarè constabit, describendo finem proprium ultimum intra ordinem naturæ, ad quem homo ordinatur vi providentiæ generalis naturalis. Hic enim non est præcisè honestè agere, multòque minùs unum, vel alterum actum honestum operari, est ergo beatitudo, sive fœlicitas naturalis consistens in perfectissima cognitione, & amore naturali Dei super omnia. Quemadmodum finis simplicitèr talis, & ultimus intra ordinem gratiæ, non est supernaturalitèr operari, sed beatitudo supernaturalis in Dei clara visione consistens. Quapropter argumentum solum probat collationem beatitudinis naturalis esse specialem gratiam, & ad providentiam specialem naturalem pertinere; uti accideret, casu, quo Deus hominem in puris naturalibus condidisset, aut sola integritate naturali ornatum. Tùnc enim foret in Deo duplex providentia naturalis; una generalis, conferens sufficientiam ad consecutionem talis beatitudinis; alia specialis, conferens actu illam benè operantibus. Quod si vivere honestè dicitur etiam finis proprius creaturæ rationalis; hoc dictum intelligitur de fine proximo; sicuti combustio dicitur finis proprius ignis, & cognitio veri, finis intellectus; similitèrque salutaritèr operari dicitur finis proprius auxiliorum sufficientium intra ordinem gratiæ. Unde loquendo de fine simplicitèr tali, & ultimo, hic solum est beatitudo, vel naturalis, vel supernaturalis, iuxta modum providentiæ.

22 Ex his constat ad confirmat. Solum probantem auxilium efficaciter conferens beatitudinem naturalem pertinere ad specialem providentiam; secùs vero auxilium efficax, sive cogitationem congruam ad aliquando honestè operandum. Quemadmodum, estò collatio gloriæ sit gratia specialis; non tamen est gratia specialis intra ordinem supernaturalem dari aliquam cogitationem congruam ad rectè supernaturalitèr agendum. Unde quando dicitur, * ex vi providentiæ generalis supernaturalis solum dari auxilia sufficientia; * hoc intelligitur de sufficientia in ordine ad consecutionem gloriæ; secùs vero de sola sufficientia ad aliquando salutaritèr operandum; ut videre est in reprobis, qui cum plures actus supernaturales, & meritorios gloriæ eliciant (meritorios, inquam, de se, & in actu primo) sine dubio Deus illis confert plura auxilia efficacia; efficacia, quidem, pro illorum elicientia, & inefficacia pro consecutione gloriæ.

Ad confirm.

23 Objicies 5. Homini non debetur aliqua cogitatio honesta naturalis congrua: ergò est gratia specialis. Prob. anteced. 1. Talis cogitatio congrua non omnibus datur: ergò. 2. Si Deus denegaret homini omnem cogitationem congruam, nullam iniuriam ei irrogaret; cum sit Supremus Dominus illius; & dominium sit facultas utendi re sua absque iniuria alterius: ergò in natura humana nullum est ius ad talem cogitationem. Sed ubi nullus est ius, nullum est debitum: ergò. 3. Repugnat naturæ humanæ esse debitam aliquam cogitationem honestam congruam, quin Deus sit debitor dandi illam; at qui Deus nullo modo potest dici debitor naturæ humanæ. Tùm, quia dominus non est debitor servi. Tùm, quia debitor, qua talis, dicit aliquam inferioritatem, & subiectionem respectu illius, cui est debitor: ergò. Deniquè. Si talis cogitatio esset debita naturæ humanæ, Deus illam ex iustitia conferret; iustitiæ enim proprium est reddere unicuique, quod ipsi debetur; at qui nequit dici Deum talem cogitationem conferre ex iustitia. Tùm: quia illam confert liberalitèr, & ex misericordia. Tùm: quia est novum beneficium superadditum ad sufficientiam; ut ipsa gratiarum actio convincit. Tùm: quia aliàs non esset necessarium illam petere à Deo; sicuti ob eandem rationem non est necessaria oratio pro libertate ad non peccandum supposito præcepto; consequens est falsum: ergò naturæ humanæ non debetur ulla cogitatio honesta, quatenùs congrua, & efficax ad rectè operandum, estò sit debita, quatenùs est sufficiens.

Arg. 3.

Hoc

Hoc argumentum non vacat difficultate propter proprietatem aliquarum locutionum circa Deum in materia iustitiæ, de quibus ex professò tract. de Merito iusti. Unde conformitèr ad illa, quæ ibi traduntur, solvere conabimur. Sed ante omnia notandum 1. illud probare etiã omnia dona Phys. ad excellentiam animæ, & corporis pertinentia, esse gratiam specialem, & subterfugere dispositionem providentiæ generalis. Notandum 2. Argumentum etiam probare de homine, tàm in pura natura, quàm in natura integra, & non solum de homine post laptum: ut probationes adductę manifestè convincunt, si pro præsenti instituto sunt efficaces.

24

Pro solutione noto 1.

Secundo.

His notatis 1. dicendum est, posse quàm optimè bonum aliquod conferendum à Deo, esse debitum creaturæ, quin tamen Deus debeat creaturę illud conferre, aut sit propriè debitor creaturæ. Ita D. Th. 1. p. q. 21. a. 1. ad 3. & 1. 2. q. 114. a. 1. ad 3. & 3. contra Gent. cap. 28. & 29. Assumptum probat sequentibus exemplis: *Homini enim debentur duo oculi, & duæ manus, utpotè spectantes ad integritatem illius, & tamen Deus non debet homini illa dare. Similitèr Deus tribuit pœnam debitam peccatoribus, quãdo illos privat gratia pro sẽper, & vita æterna; & tamen Deus non tenetur, nec debet hanc pœnam infligere; cum possit eam gratiosè remittere.* Hanc doctrinam desumpsit ex Magn. Par. 1. Confes. cap. 4. ubi loquens cum Deo ait: *Reddis debita nulli debens.* Ubi expressè affirmat posse aliquod bonum esse debitum creaturæ, & Deum non debere creaturæ illud dare. Ratio est: Nàm ut bonum sit debitum creaturæ, sufficit, quod sit proprietas, aut ad integritatem illius spectans, aut iuxta illius exigentiam, sive inclinationem. Attamen cum creatura ex Dei ordinatione habeat gaudere his, vel illis proprietatibus, & his, vel illis inclinationibus; ideò prædicta bona, estò sint debita creaturæ, Deus non est debitor illi, sed ad summum sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur.

25

Doctrina S. D. maximè notanda.

26

Quod autem Deus nequeat dici debitor creaturæ, probat Div. Thomas 2. contra Gent. cap. 28. hoc discursu: *Nullus debet aliquid alicui, nisi per hoc, quod aliqualitèr dependet ab ipso, vel aliquid accipit ab eo;* sed nihil horum reperitur in Deo respectu creaturæ: ergò Deus nulli est debitor. Rursùs: Qui est alteri debitor, est quodammodo illi obligatus, & iure ipsius gravatus: hoc autem nequit affirmari de Deo respectu cuiusvis iuris creaturæ; cum nemo obligetur à suis donis: & omne ius, sive debitum ex parte creaturæ, sit donum Dei. Quod si à Magn. Parent. serm. 26. de Verbis Apostoli, & à Div. Thoma in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 1. ad 1. dicitur: *Deum fortè effici nobis debitorem ex sua promissione*: ly *debitor* accipitur improprie, ut constat ex illa particula *fortè*, addita à Sanct. Doct. & rursùs, dùm ibidem ita subdit: *Deus aliquomodo est nobis debitor.* Qua de causa Sanct. Doct. tradit aliam solutionem, ut mentem suam cum maiori proprietate exprimat, in qua negat dari ullum debitum ex parte Dei, quamvis concedat dari in creatura ius ad præmium conferendum à Deo. Videatur Mag. Ferre Tractat. de Merito iusti fol. 545. & Vergomens. in tab. aurea dub. 431.

Prosequitur idem assumpt.

Hinc consequentèr dicendum, quod, etsi Deus denegaret aliquod bonum, ad quod daretur in creatura ius strictum, & rigorosum, non irrogaret iniuriam ipsi; ad hoc enim requiritur, & quod bonum sit debitum, & quod Deus sit debitor creaturæ. Prob. Irrogare alteri iniuriam non est solum operari non annuendo iuri, sed operari contra ius, à quo quis est obligatus. Si autem tale ius sit sub Dei dominio, & dependens ab illo in fieri, & in conservari, per hoc quod deneget Deus bonum, ad quod datur ius in creatura, non facit ei iniuriam; cum utatur iure suo. Hac de causa, etiamsi iustus mereatur de condigno vitam æternam, & Deus denegaret ei gloriam, nullam iniuriam ipsi irrogaret, ut docet S. Bern. serm. 1. de Annuntiation. & S. P. super Psalm. 70. Idem dicendum, casu, quo Deus denega-

27

ret homini intellectum,& alias potentias, & igni, prævium concursum ad comburendum.

28 Deindè advertendum ad hoc, ut auxilium Dei (idem de quolibet alio dono) non sit gratia specalis, sufficere dari ex parte creaturæ aliquod ius, sive exigentiam connaturalitatis, fundatam in beneficio creationis, & in potestate completa ,& expedita ad operandum ; quamvis ex parte Dei non adsit verum debitum. Constat hoc in concursu Dei cum causis naturalibus ad suas operationes. Imò etiam ; quamvis ex parte creaturæ non adsit aliqua exigentia ad tale donum , sufficit , ut non sit gratia specialis , dari in creatura vires tàm physicè, quàm moraliter proportionatas ad operandum tale bonum. Ratio est : Nàm providentia generalis, qua Deus suaviter omnia gubernat , non solum attendit rerum exigentijs , & inclinationibus ad operandum ; verumetiam attendit expeditioni , & proportioni virium , ut eas aliquando reducat ad actum. Unde consultò dicitur providentiam generalem unicuique providere *iuxta modum suum* , & non præcisè iuxta *inclinationem innatam illius.* Et quidem: si quia defectibilitas est quasi conditio , aut modus creaturæ intellectualis , ipsam imperficiens , spectat ad providentiam generalem Dei , aliquando permittere peccatum; quantò magis ad eandem providentiam spectabit movere ad honestam operationem vires tàm physicè , quàm moraliter proportionatas , ut honestè operetur ?

Applicatur doctrina data

29 Ex hac doctrina pluribus apparet inefficacia argumenti. 1. Si enim stat quamoptimè dari in creatura rationali verum ius , & strictum debitum ad gloriam ratione meritorum , quin Deus propriè debeat creaturæ illam dare , aut sit debitor illius, & quin denegando gloriam , aliquam iniuriam ipsi irroget : quanto magis nihil horum attribueretur Deo denegantí omnem cogitationem congruam ad rectam operationem; cum hæc non sit strictè debita creaturæ rationali ; sed solum debito connaturalitatis , & attenta suavitate divinæ providentiæ in gubernatione illius. 2. Ut auxilium cogitationis congruæ non semper sit gratia specialis, sufficit unum ex tribus ; vel quod detur ex parte creaturæ debitum rigorosum ad illud ; aut saltim quod detur aliqualis exigentia secundum innatam eius inclinationem; aut quod tale auxilium sit in ordine ad operationem,tàm physicè, quàm moraliter, proportionatam. Contra quæ non militant probationes argumenti.

Ostenditur ineffis cacia argum.

30 Cum his rectè componitur, quod Deus, ut generalis provisor naturæ humanæ,sit liberalis in conferendo cogitationem congruam ad honestè operandum ; cum huiusmodi cogitatio non sit strictè debita , sed solum secundum quid , attenta eius inclinatione , & proportione cum recta operatione. Componitur etiam collationem illius esse gratiam specialem respectivè ad hoc inddividuum,& in hac occasione, aut circumstantia temporis: siquidem solum debetur modo dicto naturæ humanæ in aliquo individuo vagè. In quo apparet discrimen respectu concursus generalis Dei cum causis naturalibus debitè applicatis ad operandum, qui omnibus causis in individuo debetur . Nàm cum istæ sint causæ necessariæ determinatæ ad unum , & sine ulla indifferentia activa ad operandum , vel non operandum; denegatio prædicti concursus non est iuxta earum activitatem, & virtutem. Quapropter concursus ex parte Dei cum illis,& in illis,est debitus debito necessitatis naturalis;in causis vero liberis , debito contingentiæ, & libertatis. Componitur etiã: subiectum, cui talis cogitatio confertur , teneri ad specialem gratiarum actionem; cum respectu illius sit gratia specialis. An autem possit dici Deum ex iustitia talem cogitationem conferre ? Resp. Posse concedi de iustitia latè sumpta pro condecentia , scilicèt, ad divinam bonitatem : iuxta illud Anselmi : *Cum parcis malis , iustus es , quia tuæ bonitati condecens est* ; & insuper , quia in tali dispensatione Deus distribuit dona sua iuxta proportionem activitatis creaturæ rationalis , per quòd magis accedit ad perfectionem iustitiæ , etsi ad illam non perveniat. De quo D. Thom.

Omnia consonãt.

Cuidam interrogationi fit satis.

Thom. 1. p. quæst. 21. art. 1.

Objc. 4. Cogitatio honesta congrua ad victoriam gravis tentationis, similitèrque cogitatio ad dilectionem Dei A. naturæ super omnia, est gratia specialis, sicuti, & ipsa victoria, & actus dilectionis. Atqui huiusmodi cogitationes, etiam ut congruæ, sunt juxta inclinationem naturæ rationalis, ut est certum: ergò cogitationem congruam honestam ad alia opera moralitèr bona, esse conformem inclinationi naturæ rationalis, non probat eam non esse gratiam specialem.

31 Arg. 4.

Resp. Adesse manifestum discrimen: Nàm cogitatio honesta congrua ad aliquando rectè operandum, non solum est iuxta inclinationem innatam voluntatis, & etiam iuxta inclinationem intellectus, ut practicus est; sed etiam est proportionata, tàm physicè, quàm moralitèr, cù viribus utriusque potentiæ; cum non adsint gravia impedimenta retardantia intellectum, ut ita cogitet, nec retardantia voluntatem, ut talem cogitationem amplectatur. Constat hoc in elargitione eleemosynæ Patri indigenti. At vero cogitatio, ut congrua ad victoriam gravis tentationis, & ad dilectionem Dei Authoris naturæ super omnia, non est proportionata moralitèr naturæ humanæ; cùm gravis tentatio vehementèr retardet intellectum, ut efficacitèr imperet talem victoriam. Quemadmodùm ratione propensionis ad bona sensibilia relictæ in voluntate ex peccato originali, adest in voluntate vehemens difficultas discedendi efficacitèr ab omni bono sensibili, & ponere omnem inclinationem in Deo super omnia dilecto. Idem dicendum de repetitione cogitationis honestæ congruæ ad continuationem plurium actuum, estò sint de se faciles: Nàm ob vertibilitatem naturæ humanæ diù perseverare in bono, estò facili, est arduum, & superans illius sufficientiam moralem, ut ait D. Thom. 2. 2. quæst. 137. art. 3. ad 2.

32 Solutio.

Objc. 5. Cogitatio congrua ad 1. affectum honestum in voluntate; 1. inquam, vel in principio usus rationis, vel in initio diei; vel dùm homo novam rerum seriem agreditur, est gratia specialis. Tùm quia talis cogitatio est à Deo moventi speciali instinctu intellectum, & voluntatem; ut docet D. Thom. 1. 2. q. 9. a. 4. & q. 109. a. 2. ad 1. ex qua doctrina probant communitèr Thomistæ Angelum non posse peccare in 1. instanti; eo quod cum dictamen firmatum in 1. instanti sit à Deo specialitèr movente, nequit esse defectuosum; proindèque nec actus voluntatis illo regulatus esse peccaminosus. Tùm quia talis cogitatio non est in potestate voluntatis; cum præcedat omnem actum illius: ergò talis cogitatio est gratia specialis: ergò, & affectus honestus ad illam subsecutus procedit ex gratia speciali; consequentèrque alij affectus subsecuti, electionis, scilicet, & usus, erunt absolutè, & in radice, gratia specialis.

33 Arg. 5.

Probat argumentum, omnem cogitationem congruam esse gratiam specialem, etiam in natura humana pro statu integritatis.* Tùm quia doctrina D. Thom. adducta intelligitur de 1. affectu voluntatis, in quocumque statu consideretur. Tùm quia id expressè affirmat S. D. de homine etiam sano 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1. per hæc verba: *Unde etiã mens hominis sani, ita habet dominiũ sui actus, ut indigeat moveri à Deo motione*, inquam, de qua Philos. cap. de bona fortuna. Deindè oppositum probat argumentum, si benè percipiatur doctrina D. Thom. Eo enim iuxta ipsum S. D. motio Dei ad 1. actum intellectus, & voluntatis, est specialitèr ab ipso; quia ad completam productionem naturæ intellectualis pertinet constituere illam in statu apto ut possit se movere applicativè ad proprios actus; sicuti ad perfectam, & completam generationem animalis, spectat motus cordis, qno constituitur animal potens se movere ad alios motus. Hac ratione 1. p. q. 63. a. 5. probavit primam operationem Angeli non posse esse defectuosam; quia videlicèt prima operatio incipiens cum esse rei tribuitur agenti danti esse rei, sicut motus lapidis est à generante lapidem. Unde si prima operatio Angeli esset defectuosa, defectus illius tribueretur Deo. De prima cogitatione, & affectu voluntaris, est similis ratio, ut il-

34 Resp. * De hoc infra.

la sit unicè applicativè à Deo (etiam in qualibet nova serie rerum) quia cum intellectus, & voluntas nullo modo sint in actu; nequeunt se applicare ad primum actum; ideòque Deus est unicè movens applicativè intellectum, & voluntatem. Hinc constat talem primam cognitionem, & affectum, non posse dici gratiam specialem; cum proveniant à Deo titulo creatoris constituentis rem in suo esse completo, & titulo primi motoris. Quapropter illa propositio: *Prima cogitatio, & primus affectus sunt à Deo specialiter*, exponi debet de specialitate ex parte modi movendi; quia voluntas, nec se movet applicativè ad primum actum intellectus, nec ad 1. suum actum: sed solus Deus: secùs autem de specialitate ex parte rei operatæ, de qua est præsens quæst.

S.D. 1.2. q. 9. a. 4. ad 3. Vocat illam motionē generalē.

De quo S D. 1.2.q. 9. a. 4. & q. 11. a. 2.

35 Illatio ex dictis.

Ex dictis colliges, quod cum in sententia Thomistarum cogitatio sit congrua exercitè ratione prædeterminationis ei adiunctæ, & receptæ in voluntate, vi cuius amplectitur cogitationem honestam; talis gratia prædeterminans ad aliquos actus honestos non est gratia specialis. Idem dicendum de vivaciori propositione boni honesti; si hæc requiritur, ut tenent plures Thomistæ, ad hoc ut voluntas eligat bonū honestum præ delectabili. Ratio est: Nàm in homine adsunt vires sufficientes, tàm physicè, quam moraliter, ut in sui cognitione practica aliquando præferat bonum honestū delectabili. Unde colliges; nec cogitationē indifferenter proponentem bonum, & malum; nec cogitationem præferentem bonum honestum bono delectabili; nec iudicium determinatum de prosecutione boni honesti; nec prædeterminationem ad actus aliquos honestos de se faciles, per quam omnes cogitationes recensitę redduntur congruæ in sententia Thomistarum, hoc est, efficaces, & connexæ cum actu voluntatis, esse gratiam specialem. Alia argumenta desumpta, tùm ex demerito peccati originalis, per quod natura humana meruit privari omni cogitatione honesta congrua; tùm ex indifferentia intellectus, ut congruè, aut incongruè cogitet: soluta manent à simili in præcedentibus. Reliqua vero infra commodiùs proponentur.

Ita M. à S.Th. 1.2. q. 13. disp 6. art. 2. Gonet, & alij.

Et hæc de hoc dub. applicand. litter. Magist. ubi præced.

DU-

DUBIUM IV.

AN HOMO LAPSVS POSSIT ELICere aliqua opera honesta absque auxilio efficaci, quod sit gratia specialis intra ordinem naturæ?

HUcusque egimus de concursu Dei ad rectè agendum sub nomine cogitationis congruę, ut morem RR. geramus; nùnc autem

N. 1

eandem conclusionem statuimus sub ratione magis essentiali, ut proùt à D. Thom. & alijs antiquijs Theologis propugnatur, scilicèt, sub ratione auxilij efficacis, *adiutorij quo, sive motionis prævia*, per quam Deus operatur in nobis omne bonum. Hæc enim omnia in sententia Thomistarum conveniunt auxilio physicè prædeterminanti; sive hæc consistat in actione increata Dei, sive in motione intrinseca creata, sive in affectione indeliberata infallibilitèr connexa cum actu libero, ut tenet M. Albelda. Adest etiam speciale motivum pro positione conclusionis sub terminis præscriptis; quia videlicèt P. Ripalda existimat in sententia Thomistarum ponentium præter cognitionem, & subitam affectionem, necessariò requiri gratiam prædeterminantem ad honestè operandum, debere concedi ab ipsis nullum opus honestum fieri posse sine gratia speciali. Tùm etiam, quia aliqui Theologi, inter quos M. Contenson, præter motiva P. Vazquez supra adducta in favorem cogitationis congruæ, afferunt alia specialia examine digna. Ob hanc ergò causam; & nè diversitas argumentorum varijs principijs innitentium, confussionem pariat, eandem conclusionem sub nomine auxilij efficacis propugnamus cum frequenti Thomistarum sensu.

De hoc expresè Manso q. 8. tom. de Virtut.

***

§. I.

Statuitur conclusio affirmativa.

PRob. 1. ex D. Thom. in 2. dist. 28. q. 1. a. 1. dicente: *Homo per liberum arbitrium potest bona, & mala facere. In actum meritorium non potest exire sine habitu gratiæ. Sicuti sine habitu virtutis non potest talem actum facere, qualem facit virtuosus quòad modum; benè tamen quòad genus operis. Ita ut ly per se* (hoc est per liberum arbitrium) *non excludat divinam causalitatem secundum quod ipse Deus operatur in nobis,* * *ut causa universalis boni* Ex quibus constat voluntatem creatam viribus proprijs, & cum concursu generali Dei ut primæ causæ, posse aliqua opera honesta facere. Et ibidem solut. ad 1. *Si nomine gratiæ intelligitur ipse Deus gratis dans; Sic nihil boni potest homo facere sine Dei gratia, eo quod ipse est principium omnis boni, tàm in hominibus, quàm in alijs creaturis*; ubi concursum generalem Dei, titulo primi principij omnis boni, solum exposcit ad aliqua bona opera hominis; asseritque; gratiam Dei accipi pro ipso Deo gratis dante. Et q. 24. de Verit. a. 14. loquens de bono proportionato naturæ humanæ, uti est dare eleemosynam ex quadam naturali dilectione, & pietate, ait: *Hoc opus posse fieri ab homine per liberum arbitrium; licet non possit facere sine Deo: cum causa secunda nequeat exire in operationem, nisi virtute causæ primæ, ut ait Phil.* Ex his testimonijs deducitur argumentum (etsi videatur negativum) satis efficax pro nostra conclusione. Si D. Thom. sentiret ad omnem actum honestum naturalem requiri gratiam

2

Prob. ex doctr. D. Thom.

* Non dicit. nobiscum.

ſpecialem Dei, eſtò intra ordinem naturæ ; abſdubiò illam deſignaſſet in locis, ubi expreſſe agit de adiutorio Dei requiſito ad omne opus honeſtum naturale; proindeque non fuiſſet contentus, deſignando ſolũ concurſũ generalẽ Dei, proùt operatur in omnibus omne bonum. Sed ſic ſe geſsit D. Th. ut conſtat ex teſtimonijs adductis: ergò quia ſentit poſſe hominem aliqua opera honeſta elicere ſine gratia ſpeciali intra ordinem naturæ.

3 Prob. 2. ex eodem S. D.

2. Probatur concluſionem eſſe de mente Div. Thom. ex art. 2. hac 1. 2. quæſt. 109. ubi cum inquirat : *An homo poſsit velle, & facere aliquod bonum ſine gratia?* Reſpond. in corpor. artic. aſſerendo quatuor de natura humana poſt lapſum Adæ. 1. Non poſſe in omne bonum ſibi proportionatum, ita quod in nullo deficiat, uti poterat in ſtatu naturæ integræ. 2. Poſſe per virtutem ſuæ naturæ in aliquod bonum particulare. 3. Non poſſe operari ſupernaturaliter, & meritorie, ſine gratia ſupernaturali ipſam elevanti, & ſananti. 4. Ad rectè operandum in quocumque ſtatu indigere auxilio divino, movente ipſam ad benè agendum. Hæc eſt ſumma totius articuli, ex qua expreſsè (ni fallor) deducitur Sanctum Doctorem minimè ſentire requiri gratiam ſpecialem in homine lapſo ad quodcumque opus moraliter honeſtum ; quandoquidem talis gratia in nullo ex prædictis aſſertis continetur, ut de ſe eſt manifeſtum : quin potiùs loquendo de auxilio efficaci ad omnem rectam operationem, aſſerit illud *eſſe auxilium Dei 1. moventis cauſam ſecundam ad omnẽ rectam operationem*; quod quidem non eſſe gratiam ſpecialem, & de ſe conſtat ; & inſuper : quia de illo affirmat fuiſſe neceſſarium etiam in natura integra. Unde unum è duobus dicendum ; aut Sanctum Doctorem ſentire ad aliquos actus honeſtos naturales ſufficere auxilium generale ; aut ſi oppoſitum ſentiebat, diminutè proceſiſſe in loco adeò opportuno pro explicanda neceſsitate gratiæ ſpecialis, nullam mentionem illius faciendo.

4 Nec valet dicere. 1. Div. Thomam in illis verbis : *Natura corrupta poteſt in aliquod bonum particulare*, loqui de bono purè civili, ut conſtat ex his quæ ſubdit, v. g. *Plantare vineas, colere agros &c.* non tamen loqui de bono particulari intra lineam rectitudinis moralis. Sic Vazquez, & Contenſon. Non inquam valet. 1. Nàm prædicta verba, & alia ibi relata, deſumpſit ex authoritate Magu. Parent. lib. 3. Hypognoſt. cap. 4. aſſerentis : *Hominem per liberum arbitrium poſſe in bona, quæ ex bono naturæ proveniunt, & ad præſentem vitam ſpectant v. g. velle habere amicam, velle addiſcere diverſarum artium bonas doctrinas*; ſed huiuſmodi ſunt bona etiam moraliter ; utpotè ſpectantia ad amicitiam, & virtutem ſtudioſitatis : ergò. 2. Nàm velle omnia bona recenſita quando, & quomodo oportet ſpectat ad virtutes morales, quas D. Thomas appellat politicas ; quia ſunt circa bonum proportionatum naturæ humanæ ; atqui nullum adeſt fundamentum, ut Sanct. Doct. Auguſt. & Thomas, non loquantur de prædictis bonis elicitis quando, & quomodo oportet : ergò. 3. & principalis : Nàm Div. Thomas loquitur de poſſe ad bonum particulare conveniens naturæ humanæ, quia illa non manſit totaliter privata bono rationis, ſcilicèt, inclinatione innata ad bonum moraliter honeſtum : de quo ipſe Sanct. Doct. hac 1. 2. quæſt. 85. art. 2. Sed quod manſerit in natura humana poſt peccatum inclinatio innata ad bonum rationis, ſive ad bonum moraliter honeſtum, ſe habet omninò impertinenter, ut poſsit ad bona purè civilia, & præſcindentia ab honeſtate morali : ergò loquitur de bono particulari, ut moraliter honeſto. 4. Nàm in prædictis verbis contraponit naturam corruptam naturæ integræ; quatenùs hæc poterat in omne bonum ſibi proportionatum ; illa vero non, ſed tantum in aliquod bonum particulare : ergò eodem modo accipit * bonum particulare ; ac priùs accipit * omne bonum ſibi proportionatum. Atqui eſt fere evidens nomine omnis boni proportionati, in quod poterat natura ratione integri-

Prima ſo. lutio rejicit 1.

Secundo.

Tertio.

Quartò.

gritatis intelligi bonum moralitèr honestum : Nàm ad laborandum in vinea v.g. proùt est præcisse bonum physicum, non erat necesse Adamum creari à Deo cum dono integritatis, impassibilitatis, &c. ergò nomine boni particularis, &c.

5 Ultimo.

Denique. Nàm his duabus propositionibus, scilicet : *Non potest natura humana post lapsum in omne bonum sibi proportionatum* : *potest tamen in aliquod bonum particulare*, respondet directè articulo, in quo inquirit : *An homo possit facere bonum sine gratia* ? Nunc rogo : dùm inquirit de necessitate gratiæ ad bonum, loquitur S. D. de bono morali præcisse ; aut de bono præscindenti à Physico, & morali ? Si 1. ergò dùm asserit posse in bonũ particulare, ut responsio sit ad interrogationem ; *loquitur de bono morali. Si 2. ad quid deservit differentia status integritatis, & status corruptionis ? Ad quid authoritas M. P. in arg. Sed contra, Scilicet, sine gratia Dei nullum prorsus bonum faciunt homines &c* ? Ad quid conducit *naturam humanam fuisse magis corruptam quantum ad appetitum boni, quàm quantum ad cognitionem veri ?*

6 Secunda solutio.

Nec valet dicere 2.(admisso S.D. loqui de bono morali) solùm excludere auxilium gratiæ specialis dantis sufficientiam ; non verò donantis actu benè moraliter operari. Ratio est: Nàm dùm instituit sermonem de homine in statu naturæ integræ, expressè loquitur de potestate ad omne bonum proportionatum ,, quantum ad sufficientiam virtutis : ergò cum asserit naturam corruptam posse per virtutem suæ naturæ in aliquod bonum particulare, loquitur de posse quantum ad sufficientiam ; non tamen de posse consequentèr, sive quòad efficaciam. Hoc etiam suadet exemplum de infirmo adductum àS.D. Nàm in eo sensu asserit infirmũ posse per se elicere aliquem motum, in quo asserit non posse perfectè moveri, nisi sanetur auxilio medicinæ: atqui auxilium medicinæ sanantis infirmũ, dat posse ãns: ad motũ perfectum: ergò dùm asserit infirmum habere potestatem ad aliquem motum per se ipsum, solùm loquitur de sufficientia virtutis ad se movendum, & non de auxiliò efficaci ad motum.

7

Ob hæc, quæ satis efficacia videntur ; Aliqui existimant D. Tho. in primis verbis, scilicèt, *homo in statu naturæ integræ poterat &c.* loqui de sufficientia virtutis, tàm physica, quam morali. Simultèrque dùm ait: *Homo postpeccatum ab hoc etiã deficit, ut non possit totum huiusmodi bonum implere.* Loquitur de defectu, sive impotentia morali antecedenti, ob attenuationem virium liberui arbitrij post peccatum, ad collectionem omnis boni honesti, etsi naturalis. Quapropter dùm statim subdit : *Sed quia natura humana non est totaliter corrupta per peccatum, potest per virtutem suæ naturæ in aliquod bonum particulare.* Videtur attento recto ordine procedendi eiusdẽ, D. Tho. loqui de sufficientia virtutis, tàm physica, quàm morali; quod manifestè convincit exemplum hominis infirmi in ordine ad aliquos motus; undè exclusio necessitatis gratiæ specialis, ut præcisè donantis actu benè operari, non adeò expressè invenitur in his verbis. Hinc non satis circunspectè procedit M. Gonet, dùm in sexta probatione aliquando sic concludit: *ergò quòad sufficientiam virtutis potest homo per se ipsum in aliquem actum bonum. *

8 Reijcitur

Sed tamen exclusio gratiæ specialis satis efficacitèr apparet in dicto art. dùm solùm requirit auxilium Dei, ut 1. moventis ad quamcumque operationẽbonam, & insuper, dùm nullius gratiæ specialis mentionem facit; nè dicamus S. D. diminutè processisse. Hæc dicta sunt, quantum pertinet ad sensum expressum S. D. Nàm via discursus, sive deductionis procedendo ex eius doctrina, efficacissimè constabit, non requiri gratiam specialem; Tùm ex sufficiencia morali naturæ humanæ, etiam post lapsum ad aliquas honestas operationes; Tùm ex eo, quòd homo infirmus estò auxilio medic: adiutus, non est potens etiam consequenter ad aliquos motus; Tùm ex eoquòd ex opposita sententia sequeretur naturam humanam mansisse, nedùm infirmam, verumetiam, quasi viribus extinctam ad rectè operandum.

Exemplũ medicinæ est in contra.

9

Sed contra hæc obijc: Aliqua tes-

testim. D. Thom. 1. habetur 2. 2. q. 136. art. 3 ad 2. per hæc verba: *Dicendum, quod bonum politicum virtutis commensuratum est naturæ humanæ; & ideò absque auxilio gratiæ gratum facientis, potest voluntas humana in illud tendere, sed non absque auxilio gratiæ Dei.* Atqui appellare concursum generalem Dei auxilium gratiæ non videtur satis proprium, minùsque videtur usitatum: ergò homo ad bonum politicum, vel proportionatum, indiget auxilio speciali Dei. 2. habetur q. 24. de verit. art. 14. *Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod donum habituale, sed ipsam misericordiam Dei, per quam motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum salutem: sic nullum bonum potest homo facere sine gratia Dei.* Ex quibus verbis duæ fiunt ponderationes: prima, quòd concursus generalis Dei non dicitur gratia absolutè. Secunda, quia si omne opus honestum sit per Dei gratiam; cum hæc excludat omne debitum; nequit auxilium Dei ad aliqua opera honesta esse debitum creaturæ rationali.

10 Ad 1. Resp. D. Tho. ibi expressè agere de opere excellenti virtutis moralis, ad quod requiri auxilium gratiæ specialis intra ordinem naturæ, libenter fatemur; eo quod quāvis tale opus sit physicè proportionatū, non tamen moraliter. Sermo enim est indicto loco de Gentilibus, qui plura mala tolerarunt, nè proderent Patriam, aut aliquid inhonestum committerent. Ad 2. Resp. Quod licèt in sensu stricto concursu generalis Dei, non dicatur gratia; attamen in aliquo sensu sic appellari potest, si sit ad bonū, quia liberè, & sine meritis dispēsatur à Deo. Adquod accedit authoritas D. Th. hac 1. 2. q. 110. art. 2. ubi auxilium Dei moventis animam ad cognoscendum, volendum, & faciendum bonum, appellat gratuitum effectum divinæ voluntatis; hic enim est gratia. Rursus accedit alia eiusdē S. D. ubi supra: *Si gratia Dei intelligatur ipse Deus gratis dans; sic nihil boni potest homo facere sine gratia.* Ex quibus constat auxilium Dei moventis ad quodcumque opus bonum posse dici iuxta Doctrinam Div. Tho. gratiam Dei in propria acceptione, estò non stricta, & proprijssima quem in sensu, & voce debemus sequi. Quod autem loco nobis obiecto accipiat gratiam Dei in hoc sensu, constat ex eo, quod ante præmittit, dicens: *Huiusmodi bona non potest homo facere sine Deo; cum nulla res possit exire in operationem naturalem, nisi virtute causæ 1. ut dicitur in lib. de Caus.* Ad id, quod additur de misericordia, Resp. Quod cū debitum ad auxiliū Dei moventis pro aliquibus actibus honestatis, non sit strictè tale, ut diximus, sed debitum secundum quid, attenta suavitate Divinę providentię, & proportione in creatura rationali ad honestè operandum; relinquitur locus misericordiæ Dei, cui solum obstare posset strictum ius, & ex meritis eius proveniens. Et quidem hæc obiectio est valdè futilis; cum etiam Deus, ut provisor generalis, sit liberalis, & misericors. Ex his constat solutio ad aliud testimonium ex 1. 2. q. 109. art. 8. ad 3. ubi ait D. Tho. *Quod homo velit bonum, habet ex auxilio gratiæ.* Constat etiam ad alia, quæ objici possunt. De hoc iterum.

Solutio ad 1.

Ad 2.

§. II.

Reiecta ratione probativa cuiusdam R. proponitur 1. ratio innitens doctrinæ D. Tho.

11 PRobat. concluſ. P. Aranda lib. 11. disp. 56. n. 147. & 270. sub hac forma. Homo potest sine gratia speciali elicere plures actiones logicè difficiliores, aliquibus actibus honestis: ergò ad horum elicientiam non requiritur gratia specialis: prob. añs. Summopere difficilius est conijcere corpus in ardentem pyram lucro inanis gloriæ, omniaque bona in mare proijcere, ut quis appareat prodigus: quàm dicere verum ex honestate virtutis; dare eleemosynam pauperi, & honorare Parentes ex naturali pietate. Sed omnia illa potest homo operari absque speciali gratia; cum sint mala moraliter ex circunstantia finis: ergò. Urget. Actum fieri ex honesto motivo non ponit, nec auget difficultatem in eius elicientia: Nam etsi bonum honestum possit esse arduum, non tamen hoc habet quia honestum; cum ho-

Ratio, qua utitur ingeniosus. Recent.

Urget.

honestas de se alliciat voluntatem ad sui amorem: ergò titulo honestatis in prædictis actibus nequit poni gratia specialis, ut necessaria ad eorum elicientiam.

Hæc ratio est valdè inefficax:

12 Ex illa enim deducitur impotentiam moralem ad bona opera excellentia provenientem ex rebellione appetitus adversus spiritum: similiterque; debilitatem virium in libero arbitrio post lapsum, non esse medium efficax ad probandum requiri gratiam specialem ad eliciendos actus excellentes, & eximiæ virtutis; quod communi Theologorum sensui contradicit. Sequela prob. Nàm prædicta Theol: motiva directè suadent gravè difficultatè in eliciendo talia opera; similiterque directè suadent actus heroicos excedere virtutem libero arbitrio ob eius infirmitatem post peccatum; at qui iuxta prædicti A. nec debilitas virium probat necessitatem gratiæ specialis; nec similiter arduitas operum: cum homo sine tali gratia valeat elicere opera magis ardua: ergò. 2. Falso asserit honestatem in opere non augere difficultatem in potentia debili, & infirma ad bonum, & propensa in malum; qualiter mansit natura humana post peccatum. Ratio est: Nàm gratia medicinalis requiritur in homine ad opera honesta titulo infirmitatis virium ad benè operandum; at qui titulus infirmitatis virium dicitur talis respective ad opera ardua, & difficilia: ergò honestè operari addit difficultatem in natura infirma, & propensa ad malum.

Non apparet efficax 1.

Secundò.

13 Denique (alijs omissis) probationem prædicti A. sibi opposuit D. Th. 2. 2. q. 136. art. 3. ubi cum assereret: *Ad patientiam in toleratione malorum propter bonum virtutis requiri gratiam Dei*; sic proponit primum argumentum: *Id, ad quod ratio magis inclinat, magis potest implere creatura rationalis; sed magis rationabile est pati mala propter bonum, quam propter malum: ergò cum aliqui patiantur sine auxilio gratiæ mala propter malum; multo magis potest quis pati mala propter bonum.* En argumentum P. Aranda. Cui Resp. prædict. Ang. Mag. *Ad primum dicendum, quod in natura humana, si esset integra, prævaleret inclinatio rationis; sed in natura corrupta prævalet inclinatio concupiscentiæ, quæ in homine dominatur. Et ideo pronior est homo ad sustinenda mala propter bona, in quibus delectatur præsentialiter, quam tolerare mala propter bona futura, quæ secundum rationem appetuntur*; cuius doctrinæ intelligentia est. Quamvis aliqua operatio videatur de se ardua, & difficilis; si tamen sit conformis inclinationi gratiæ Dominanti; non ita excedit vires agentis, ac operatio de se facilis, cui inclinatio prædominans resistit. Cum igitur actui honesto adversetur prava inclinatio cõcupiscentiæ prædominans in homine; secus tamen actibus inhonestis ob pravum finem: potest requiri gratia specialis ad rectè agendum, esto facilitèr; non tamen ad plures actus pravos, quamvis ex se plus difficultatis habeant.

Ultimo.

14 Prob. 1. concluſ. Naturæ humanæ etiam post lapsum, debetur ex vi providentiæ generalis auxilium efficax ad aliquos actus undequaque moraliter honestos; hoc est, nulla prava circunstantia vitiatos: ergò tale auxilium non est &c. Prob. añs. Naturæ humanæ ex vi providentiæ generalis debetur, ut aliqua eius individua habeant aliquando vires sufficientes, tàm physicè, quàm moraliter, ad aliquos actus moraliter honestos; sed naturæ hac sufficientia virium præditæ, debetur aliquãdo auxilium efficax ad illorum elicientiam: ergò. In primis prob. mai. Ad providentiam generalem Dei spectat, ut aliqua individua naturæ humanæ sint excellenti ingenio prædita, & cum vehementi desiderio studendi, proindeque cum sufficientia, tàm physica, quam morali, ad plures veritates cognoscendas: ergò ad ipsum etiam spectat, ut dentur plura individua cum simili sufficientia virium ad aliquando rectè operandum. Consequentia patet, tùm à pari, tùm à ratione. Nàm Dei providentia non minùs est liberalis, & benefica, circa naturam humanam secundùm partem affectivam, quàm secundùm intellectivam: quia cum res subdantur providentiæ Dei; quatenùs ordinantur ad ipsum ut ad finem; & hic ordo æque, si non principalius, con-

Vera ratio.

conveniat homini secundùm partem affectivam ; planè sequitur æqualis liberalitas Dei, ut provisoris generalis circa naturam humanam utroque, modo consideratam quòad omnē sufficiēciā virium in pluribus individuis. Tùm quia;cū providentia circa distributionē bonorum proveniat in Deo ex amore, & Deus non minus diligat naturam humanam, ut prosecutivam boni honesti, quàm ut cognoscitivam veri ; quin potius plus (ut ita dicam) curat de illa in ordine ad prosecutionem honesti, quàm in ordine ad speculationem veri ; idem dicendum quantum ad providentiam virium. Nec obstat mai. corruptio naturæ humanæ secundùm partem affectivam. Hæc enim solùm probat necessitatem auxilij specialis ad actus de se difficiles.

15 Min.verò prob.1. à paritate creaturarum naturalium contingenter influentium in proprios effectus ; v. g. *germinatio plantæ*, & quibus ratione cō pletæ sufficientiæ debetur multoties motio Dei efficax ad illorum productionem. 2. Virtus ad honestè operandum cum sufficientia physica, & morali, est omnimode proportionata cum recta operatione : ergò auxilium efficax Dei est ipsi aliquoties debitum; frustra enim est potentia omnino proportionata ad agendum, quæ nunquā sit reducenda in actum, sine recursu ad aliam specialem providentiam; Tùnc enim maneret *manca*, & imperfecta providentia generalis Dei donans expeditionem virium, tàm physicam, quàm moralem, & impotens contactu suæ virtutis illam perducere ad effectum.

Confirm. hæc ratio ex D. Tho.

16 1.2. q.58. art.4. & q.63. art.1.& q. 1. de verit.art.4. docenti, *quod licet omnes homines ex conceptu specifico naturæ rationalis inclinent innatè in bonum honestum ; aliqui tamen ex conceptu individuali, ratione complexionis, & indolis, sunt naturaliter inclinati ad aliqua opera virtutum ; scilicèt, misericordiæ, temperantiæ, mansuetudinis, &c.* Ex quibus infert *virtutes morales, acquisitas esse à natura, quantùm ad aptitudinem, & inchoationem in nobis, licet non quoad sui completionem, & consummationem.* Ex his sic argumentor. Natura, in qua iuxta providentiam generalem dantur plura individua, ultrà inclinationem specificam, naturalitèr inclinata, & propensa ex conceptu individuali ad aliqua opera virtuosa, est natura exigens connaturalitèr reduci ad actum virtutis in prædictis individuis : id enim dicitur unicuique connaturale, quod est conforme, omni ex capite, suæ innatæ inclinationi. Sed huiusmodi est natura humana attenta providentia generali, secundùm quàm Deus disposuit eam multiplicare in pluribus hominibus, qui ratione individuationis sunt propensi in opera virtutum, ut vidimus ex D.Tho. ergò exigit connaturalitèr, ut medio auxilio efficaci reducatur ad actum virtutum in prædictis individuis. Urget. Natura rationalis communicata pluribus individuis, in qua cōcurrit duplex inclinatio innata supra descripta ad rectè operandum, est natura, in qua respectivè ad talia individua nulla urget gravis difficultas aliquoties ad honestè operandū, quin potius ab honesta operatione cessare, erit difficile propter utramque innatam propensionem. At qui ubi nulla urget gravis difficultas, sed potius propensio cum magna facilitate, nequit auxilium efficax dici gratia specialis; ergò.

17 Instabis 1. Adamus innocens habuit sufficienciam, tàm physicam, quàm moralem, ad perseverandum in bono : cum iuxta M. P. de correp. & gratia cap. 12. fuerit à Deo præditus magna facilitate non peccandi, & tamen, ut perseveraret in bono, indigebat gratia speciali : ergò. 2. Homo elevatus ad ordinem gratiæ habet multoties potentiam, tàm physicam, quàm moralem, ad aliquos actus supernaturales; cum non semper urgeat, aut gravis tentatio in oppositum ; aut actus supernaturalis non sit de se arduus ; v. g. darè stipem pauperi ob Redemptoris venerationem; & tamen huiusmodi auxilium semper est gratia specialis ; utpotè indebitum naturæ titulo supernaturalitatis: ergò.

Instantia contra tationem. 1

Secunda

18 Ad 1. Resp. Potentiæ omnimodè expeditæ ad rectè agendum deberi ex vi providentiæ generalis reduci

Solutio ad 1.

ali

aliquoties ad actum, non tamen semper, & indeficienter; ob eius indifferentiam, & vertibilitatem in malum; qua ratione Adamus, etsi innocens, eguisset gratia speciali, ut perseveraret in bono. Ad 2. Resp. Auxilium efficax ad quemcumque actum supernaturalem esse gratiam specialem relatè ad naturam humanam secundùm se; non tamen relatè ad ipsam, ut elevatam ad ordinem gratiæ: cum ad providentiam generalem supernaturalem spectet, conferre quãdoque aliquibus hominibus auxilia efficacia pro actibus supernaturalibus fidei, spei, attritionis &c. licèt non sint efficacia pro consecutione gloriæ. De his latè infra.

Ad 2.

§. III.

Proponitur secunda ratio deducta ex doctrina S. D.

19

Secunda ratio.

CUm natura humana non sit totaliter corrupta per peccatum, ut, scilicet, toto bono naturæ privetur, potest etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere; licet non possit in totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat. Verba sunt S.D. hic. Ex quibus sic argum. Naturę rationali, in qua præter sufficientiam virtutis ad aliquos actus honestos, datur innata inclinatio ad honestè operandum, debetur ex vi providentiæ generalis auxilium efficax, ut aliquãdo honestè operetur. Sedsic se habet natura humana etiam post peccatum: ergò ex vi talis providentię debetur &c. Min. est certa quòad utramque partem; siquidem libertas ad bonum, & malum, in qua necessariò includitur sufficiencia virtutis ad honestè operandum, mansit in homine post peccatum; aliter fuisset extinctum liberũ arbitriũ, quod est hæreticum, de quo dub.2.§.3. De inclinatione innata ad bonum etiam constat: cum sit de intrinseca perfectione naturæ rationalis per identitatẽ cum illa; ideoque impossibile est auferri, aut deleri per quamcumque multitudinem peccatorum, ut evidenter convincit S.

20 D.1.2.q.85.ar.2.

Mai, vęrò prob. Deus ex vi providentiæ generalis tenetur providere unicuique iuxta modum suum, hoc est, dare auxilia efficacia proportionata activitati naturæ, cui provider. Sed auxilium efficax ad aliquando honestè operandum, est valdè proportionatum activitati naturæ rationalis, in qua datur, tùm sufficientia virtutis; tùm etiam inclinatio innata ad sic operandum: ut est de se certum: ergò. Urget. Plus est habere suf- Urget. ratio proposita.
ficientiam virtutis cum inclinatione innata ad honeste operandum; quam habere defectibilitatem in operando propter indifferentiam ad malũ, & sine inclinatione innata ad illud; atqui ad providentiam generalem Dei spectat, quod naturæ sic defectibili denegetur aliquando auxilium efficax ad bonum, & ipsi permittatur malum: ergò ad eandem providentiam spectabit potiori titulo, quod naturæ, tùm sufficientia vitium præditæ; tùm inclinatione innata, &c.

21

Urg. Ad suavitatẽ providentiæ generalis Dei circa naturam intellectualem spectat aliquando attendere, & consulere eius defectibilitati, non dispensando ipsi aliquoties auxilia efficacia ad bonum: ergò multo magis spectare debet attendere aliquando, & consulere eius perfectioni quòad sufficientiam, & inclinationem innatam ad bonum (quæ omnia sunt propria opera Dei) donando auxilia efficacia, ut aliquando benè operetur. Nec dicas: eo permissionem Si dicas.
peccati spectare ad generalem providentiam Dei, quia in ea ostenditur supremum dominum eius; quam ostensionem intendit Divina providentia. Non inquã &c. Nàm sicuti in negatione gratiæ efficacis ostenditur dominium Dei supra sua dona; ita in eius collatione ostenditur bonitas, & liberalitas illius; at qui divina providentia hæc omnia intendit etiam, & pręcipue manifestare: ergò. Hæc ratio traditur à M. P. lib. de spiritu, & lit. c.27.& 28. ubi reddit rationem, cur infideles faciant aliqua opera bona, his verbis: *Quia in natura humana imago Dei non usque adeò terrenorum affectum labe exterminata est, ut nulla in ea velut lineamenta remanserint.*

Amplius urgetur.

Contra est.

Ratio adducta fundatur in M.P.

Dices. Sufficientiam, & inclinationem innatam naturæ humanæ ad 22

bo-

Si fortè dicatur 1.

bonum rationis ut coniunctam cum inclinatione ad malum ratione appetitus sensitivi multoties actualiter adversantis ei; quæ quidem inclinatio, etsi elicita, est mai. fortiorque inclinatione innata ad bonum. Undè ratio proposita probat efficaciter de natura humana integra, secus de illa corrupta per peccatum. Sic Ripalda disp. 114. sect. 9. n. 102. cui ratio adducta non placet.

23

Sed contra. Nàm talis coniunctio inclinationum sibi invicem adversantium solum probat excedere providentiam generalem, quod natura humana frequenter, & semper reducatur ad actum prosequendi bonum rationis; non verò aliquando. Ratio est: Nàm admisso inclinationem, sive potius defectum inclinationis, ex parte appetitus ad malum, esse vehementiorem inclinatione innata voluntatis ad bonum; hæc tamen sine dub. est perfectior, imò unicè perfecta, & à Deo conditore naturæ; alia verò non est perfectio, sed potiùs defectus perfectionis, non quidem à Deo, sed ex peccato proveniens. At qui repugnat (si res attentè considerentur) Deum per providentiam generalem magis attendere inclinationi, quæ est defectus, & à peccato proveniens, quàm inclinationi, quæ, & est magna perfectio naturæ, & proprium opus ab ipso, ut Authore proveniens: ergò. Undè de providentia generali, si vera est opposita sententia, & solutio Ripaldæ verificaretur, illud proloquium hispanicum: *Pro museis: que siempre se vàn à lo podrido.*

Contra est 1.

Proverbium Hispanum.

24

2. Nàm estò inclinatio elicita appetitus ad malum præveniens usum rationis sit mai. quòad munus trahendi hominem ad pravum consensum, quàm sit inclinatio innata voluntatis ad bonum rationis; non semper adest talis inclinatio elicita, ut experientia patet: Hoc ipsò spectanti ad providentiam Dei, ut non semper appetitus actù adversetur rationi, sed potiùs sint in ipso plures affectus subiti inclinātes ad opera virtutum, ortum ducentes ex pluribus occasionibus timoris, & terroris, & exemplorum provocantium ad bonum honestum; quæ, quis in se quotidie experitur: ergò talis mai. vehementia inclinationis elicitæ circa bonum apparens, non obstat, ut pluries providentia Dei attendat inclinationi innatæ in bonum rationis cum subitis affectionibus honestis, tàm in voluntate, quàm in appetitu, coniunctæ.

Secundò.

25

Dices 2. Deum per providentiam generalem teneri consulere sufficientiæ, & inclinationi innatæ in bonum, quando hæc prævalet inclinationi in malum; secus verò, si oppositum contingat, ut de natura humana post peccatum docet D. Tho. 2. 2. q. 136. a. 3. ad 1. per hæc verba: *Dicendum quod in natura integra prævalebat inclinatio in bonum rationis, in natura vero per peccatum corrupta, prævalet inclinatio concupiscentiæ, quæ in homine dominatur.*

Respond. 2.

26

Sed contra obstant 1. dicta. Nàm estò inclinatio habitualis concupiscentiæ prævaleat inclinationi innatæ voluntatis, quatenùs efficaciùs ob eius defectibilitatem, trahit illam ad malum; hæc tamen prævalet in perfectione, activitate, & ex parte finis, quē habitualiter respicit, scilicet, ipse Deus, ut finis ultimus naturalis. Sed hoc ipso Deus debet aliquando annuere huiusmodi inclinationi ex vi providentiæ generalis; cum sic attendere perfectioni naturæ, & eius perfectionem promovere, sit maximè consonum bonitati, & suavitati talis providentiæ: ergò ex vi illius &c. 2. Prævalentia, & dominium, quod S. D. tribuit inclinationi concupiscentiæ ad malum, est Tyranica, & solùm quātum ad effectum; quatenùs plures sunt qui sequuntur illam; eo quod bona præsentia fortius movent, quam bona futura. Sed totum hoc subsistit, etiam si providentia generalis aliquoties dispensat aliquibus hominibus auxilia efficacia, ut honestè operentur: ergò. Undè inclinatio innata in bonum est inclinatio princeps, & præcipua in homine conveniens ipsi secundùm animā partem principalem sui. Quare estò aliquatenùs appetitus dominetur rationi; ille tamen revera est subditus, estò politicè, dominio rationis, iuxta illud Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Dices 3. S. D. solùm asserere

Impugnatur 1.

Secundò.

Resp. 3.

sufficientiam ad rectè agendum non esse gratiam specialem, ut constat ex illo *per virtutem suæ naturæ*; secus de auxilio efficaci. Sed, ut hæc solutio impugnetur.

§. IV.

Alia ratio proponitur, qua præcedens magis roboratur.

27 AA. nostræ sententiæ illam probant frequenter ex eo, quod si homo auxilio generali Dei tantum suffultus nullum posset elicere opus moraliter honestum, sequeretur naturam humanam in ordine ad moralia fuisse viribus extinctam, & totaliter corruptam per peccatum: quod ut hæreticum damnatur à Trid. sess.6.can.5. definiente: *In homine post peccatum mansisse liberũ arbitriũ, viribus, licet infirmum, & attenuatum.* Ratio sequelæ videtur clara; Nam qui sine speciali auxilio, non potest adhuc in motum aliquem facilem, potiùs dicendus est viribus extinctus, quàm infirmus; ut patet assimili in homine, ita ægrotanti, ut nisi adiutus auxilio medicinæ, nequeat ullum motum elicere. Quod confirm. ex illo M.P. epist.107. ad vitalem: *Liberũ arbitriũ ad diligendum Deum grauitate peccati perdidimus.* * Et hoc quidem quia non sine speciali auxilio gratiæ valet homo diligere Deum super omnia: ergò si viribus proprijs, & absque speciali gratia, nullum opus moraliter honestum, etsi facilès; valet elicerẽ liberũ arbitrium, potius dicendum est perditum, quàm infirmum propter peccatum.

Proponitur ratio.

Confirm.

* Saltim quoadposse morale

28 Dices 1. Argum. convincere, si gratia specialis, nedum esset requisita ad benè operari, verum etiam ad posse; secus tamen, si præcisse adstruatur ad actu bene agere. Ratio discriminis videtur manifesta 1. quia dùm adsunt sunt vires ad bene agere, nõ dicitur liberũ arbitriũ esse extinctũ; cum libertas in sufficientia virium, & non in actuali operatione consistat, ut constat ex eius diffinitione: Ex quibus sic urgeo. Quod non est perditio libertatis, non est eius extinctio; non est autem perditio libertatis, quod nõ est perditio virium, sive facultatis ad bonum: atqui gratia specialis requisita ad actum honestum titulo indifferentiæ, & ex alijs capitibus, non infert perditionem virium, sive facultatis ad bonum; sed solùm privationem debiti in natura humana, ut actu bene operetur: ergò ex tali specialitate gratiæ &c. 2. Gratia donans victoriam gravis tentationis, & dilectionem Dei A. naturæ super omnia, est gratia specialis; & tamen propter hoc nequit dici naturam humanam mansisse viribus extinctam ad illa omnia per agenda: & hoc quidem, quia iuxta plures Thomistas, talis gratia non requiritur per se ad posse simpliciter, sed ad melius posse, & simpliciter ad actu agere: ergò.

Instabis contra rationem 1.

Secundò,

29 Existimo tamen ex indigentia gratiæ specialis ad quodcumque opus honestum probari in vi conseq. non posse admitti in natura humana inclinationem innatam, & sufficientiam virium ad honestè operandum, ideoque liberum arbitrium mansisse extinctum per peccatum. Pro quo notandum ex D. Tho. 1.2. q 85.ar.2. & 3. Triplex bonum naturæ posse meditari in homine. 1. *Natura ipsa, & potentia* per modum proprietatis ad eam consecutæ. 2. *Iustitia originalis*, eo, quod fuit donum in 1. parente toti naturæ humanæ concessum, si perseveraret in bono. 3. *Inclinatio innata ad bonum rationis, & habilitas ad illud conveniens homini, quia rationalis est.* Primum bonum naturæ nec fuit ablatum, nec diminutum per peccatum: naturalia enim in Angelo, & homine, iuxta Dionysium integra permanserunt. Secundum fuit totaliter destructum per peccatum. Tertium verò solum fuit diminutum extrinsecè, & ex parte termini; non autem intrinsecè, & ex parte radicis; cum natura rationalis semper inclinet in bonum rationis; manetque in damnatis. * Undè illa verba præsentis art. *Quia tamen non fuit totaliter corrupta per peccatum, ut toto bono naturæ privetur*; intelligenda sunt de bono naturæ in inclinatione innata ad bonum rationis consistenti.

Hæc est difficilia non enervant rationem.

Notand. ex S.D.

* Hucusq. Doctr. S. D.

30 Hoc notato, consequentia formata à D. Tho. est huiusmodi. *Natura hu-*

humana etiam post lapsum mansit cum sufficientia virili, & inclinatione innata habili ad bonum rationis; esto simul manserit infirma: ergò cum auxilio generali Dei potest in opera honesta facilia prodire. Sicuti homo viribus infirmus, non tamen eis extinctus, potest sine auxilio medicinæ aliquos motus faciles elicere: ergò ab opposito consequētis: *Natura humana nequit sine auxilio speciali in aliquod opus honestum: ergò in ea nec mansit sufficientia virili, nec inclinatio innata habilis ad honeste operandum.* Urg. hoc exemplo hominis infirmi; qui enim nullum motum, etsi facilem, posset elicere; nisi exteriori auxilio medicinæ adiuvaretur, vel ab aliquo Baiulo portante ipsum, potius dicendus foret virtute motiva extinctus, quàm secundùm illam infirmus: ergò idem dicendum de natura humana in ordine ad actus honestos de se faciles.*

* Ita S Prosper. cōtra collator. cap. 12. agens de sapientia directiva morum.

31 Ad ea, quæ in favorem solutionis adducuntur, Resp. neg. tùnc casus dari sufficientiam virium ad honeste operandum. Ut enim ait D. Th. hic art. 1. *Unaquæque forma indita rebus creatis habet efficaciam respectu actus determinati, in quem potest secundùm suam proprietatem*: Si ergò natura humana ad nullum actum honestum, quantumvis facilem, potest sine auxilio speciali: nec daretur in ea sufficiencia virium; multoque minùs inclinatio innata habilis ad bonū. Ad 2. Resp. Quod ad non extinctionem virium necessario requiritur posse sine auxilio speciali saltim ad actus faciles; ut patet ab exemplo hominis corporaliter infirmi, & vi motiva non totaliter carentis. Ex his constat tùnc casus sequi etiam libertatem fuisse perditam per peccatum; hæc enim est potestas expedita ad bonum, & malū, v.g.* quæ expeditio deficeret; si attenta providentia generali nullum auxilium efficax deberetur ipsi ad aliquando rectè operandum.

Respond. ad 1.

Ad 2.

* S. D. 1. p. q. 83. ar. 2. ad 2.

(o)

§. V.

Solvuntur argumenta.

ARgues 1. Omnis actus moraliter honestus requirit iuxta Thom. gratiam prædeterminantem ad sui existentiam; sed gratia prædeterminans semper est specialis: ergò. Prob. min. Gratia, quæ unicè pro suo libito conceditur à Deo, & ex concursu, & occursu causarum secundarum, nequit ullo modo excitari, est gratia specialis; sed talis est iuxta Thom. gratia prædeterminans: ergò. Debile argum. Quid enim obest, ut aliquòd auxilium ab intrinseco efficax spectet ad providentiam Dei generalem, illud conferri à Deo pro suo libito, & quod ex concursu causarum secundarum nequeat excitari; si hoc habet ex sua natura, & confertur à Deo, ut 1. movente, & supremo domino? Undè aliud est physicam prædeterminationem non excitari ex cōcursu, & occursu rerum; aliud verò non esse consonam naturis rerum. Primum libenter fatemur: cum nulla creatura possit facere, ut Deus faciat; sed ipse sit, qui pro bona sua voluntate operatur omnia in omnibus, & rursus: qui, quando, & quomodo vult, facit, ut velimus bonum, & illud operemur. Secundùm vero aperte negamus gratia de prædeterminante liberū arbitrium humanū ad aliquos actus moraliter honestos. Cum enim in libero arbitrio sit multoties ultrà sufficientiam physicam virium, expeditio moralis, & inclinatio innata ad honeste operandum; quòd Deus aliquando dispensat physicam prædeterminationem pro honesta operatione, est valdè consonum naturæ rationali; proindeque debitum attenta suavitate suæ providentiæ, secundū quàm omnibus providet iuxta modū suum. Deinde; ad quid necesse est recurrere ad gratiam præderminantem; si etiam concursus simultaneus Thomist. cōsistēs in operatione increata Dei pertingente immediatè ad omnem effectum causæ secundæ, eadem videtur laborare difficultate?

32 Primum arg. ex Ripalda. disp. 114. n 8.

Solutio.

33 Argues 2. Prædeterminatio ad ac-

actum honestum, etsi facilem, non solum producit entitatem talis actus, verumetiam honestatem illius: ergò est concursus specialis Dei. Prob. conseq. Concursus generalis Dei solum terminatur ad entitatem, & bonitatem physicam rerum, cum conveniat Deo titulo primi entis, sive entis per essentiam; qua ratione Deus iuxta Thomistas, etiam prædeterminat ad entitatem peccati: ergo concursus se extendens ultra entitatem physicam actus ad illius rectitudinem moralem, est concursus specialis. Confirm. hoc.

Confirm. Aliter se gerit Deus iuxta Thomistas, dùm prædeterminat ad entitatem peccati, ac quando prædeterminat ad actum moraliter honestum; sed in prædeterminando ad entitatem peccati se gerit Deus, ut causa universalis: ergò dùm prædeterminat ad actum moraliter honestum, se gerit, ut Author specialis.

34 Prob. arg. Etiam sufficientiam lib. arbit. ad actum virtutis esse gratiam specialem: Nàm aliter se gerit Deus

Instatur. dans sufficientiam ad ipsum; ac dùm præbet sufficientiam ad actum peccati, ut entitas est. 1. enim se extendit, & ad agere, & ad benè agere; 2. vero solum respicit pro termino agere; non

Secundo. tamen pravè agere. Rursùs: argum. non militat specialiter contra prædeterminantes; nàm etsi AA. Societatis (nobiscum sentientes cum P. Suarez sub nomine auxilij, aut cogit. congruæ) concedant Deum positivè influere in entitatem peccati, & illius malitiam, per concursum simultaneum: attamen hic concursus respectu actus honesti est per se talis, constituitque Deum causam per se illius; utpotè præparatus ex intentione actus honesti; respectu vero peccati est tantum causa per accidens, & permissiva. Unde sicut, si quis ita argueret ex P. Vazquez contra illos: *Aliter se gerit Deus, dùm influit in actum bonum, ac dùm influit in actum malum; sed in actum malum influit titulo causæ universalis; eo quod omne ens est positivè à Deo: ergò in omnem actum bonum influit per gratiam specialem.* Si, inquam, ita argueret, inefficaciter procederet; ita dicendum de argumento innitenti concursui prævio.

Resp. Argumentum fortè continere litigium de nomine, pro quo dissolvendo dicimus: componi quamoptimè, aliquod donum spectare absolutè consideratum ad providentiam generalem Dei, & tamen sub alia consideratione ex speciali providentia, tantum respectivè tali, provenire. Adest exemp. in collatione auxiliorum sufficientium ad consecutionem vitæ æternæ; quæ quidem spectat ad providentiam generalem ordinis gratiæ ortam ex voluntate antecedenti salvandi omnes homines. Si namque talis providentia comparetur ad naturam humanam secundùm se inspectam, absdubiò est providentia specialis; utpotè supra omne meritum, exigentiam, dispositionem, & positivam proportionem ex parte illius; si autem comparetur ad providentiam prædestinativam, per quam homines infallibiliter consequuntur vitam æternam; dicitur, & est providentia generalis. Unde dispensatio auxiliorum sufficientium, & etiam efficacium pro aliquibus actibus supernaturalibus, per se spectat ad providentiam generalem ordinis gratiæ, licet facta comparatione ad naturam secundùm se inspectam dici valeat, provenire ex providentia speciali; quę tantum cum restrictione, & respectivè ad aliam, dicitur specialis. 35 Resp.

Consequentèr ad hæc dicendum de prædeterminatione ad aliquos actus moraliter honestos: illa enim per se, & absolutè considerata (utpotè conformis naturæ rationali innate pro pendenti in bonum rationis, ut in finem sibi proprium; & aliundè sine speciali difficultate ad illorum elicientiam) pertinet ad providentiam generalem, secundùm quam Deus gubernat creaturam rationalem suavitèr, & iuxta modum proprium illius in esse agẽtis; non quidem purè physici, sed liberi, & moralis. Si autem fiat comparatio eiusdem prædeterminationis respectivè ad motionem prævìam, secundùm quam Deus movet, & applicat causas naturales ad proprias operationes: vel etiã; si fiat cõparatio respectivè ad eandem naturam humanam, ut potentem se exercere per actiones purè naturales; quia præveniunt illius li- 36 Applicat. Doctr.

bertatem: vel tandem, ut se avertentem à Deo per actiones pravas moraliter, potest dici favor, & gratia specialis. Quia tamen hæc consideratio est solum respectiva, & cum limitatione; 1. vero absoluta, & simpliciter talis: ideò dicitur auxilium, quo Deus prædeterminat libertatem humanam ad aliqua opera honesta, provenire à providentia generali Dei: non quidem secundum quod hęc se extendit ad creaturas irrationales, sed secundùm quod est propria creaturæ rationalis in esse agentis moralis. Ex quibus in forma dist. consequ. Concursus specialis per se, & absolutè, neg. consequ. Respectivè, & secundùm quid, nego consequ. Constat hoc, in legis, & mandatorum impositione; si enim hęc absolutè consideretur, est actus providentiæ generalis; quatenus suavitèr, & modo debito, gubernat creaturam rationalem; si autem consideretur relatè ad gubernium, quod exercet Deus circa irrationalia, potest dici gubernatio, & favor specialis.

37 Ad confirmat. Resp. disting. mai. Aliter se gerit Deus &c. alietate se tenente ex parte termini, ad quem prædeterminat, conced. maior. Alietate exigenti aliam providentiam, per quam prædeterminet, neg. mai. & concessa min. dist. consequ. eodem modo. Homo enim, & habet innatam inclinationem, simulque expeditionem moralem ad aliquos actus moraliter honestos; & insuper gaudet defectibilitate, ut possit peccare. Quare habet, & movere hominem ad bonum: & etiam permittere malum. Unde diversitas in prædeterminatione ad entitatem peccati, & in prædeterminatione ad actum honestum, solum stat penès terminum, ad quem dispensatur à Deo, non vero; quia una exigat aliam providentiam, præter generalem Dei. Argumentum initari potest in natura humana integra; cui Deus posset in aliquibus individuis permittere peccatum, & prædeterminare ad illius entitatem; & in aliquibus prædeterminare ad actum moraliter honestum; quin propter hanc diversitatem prędeterminatio ad bonum esset gratia specialis respectivè ad statum integritatis.

Argues 3. Ut homo quovis modo operetur benè moraliter, duo requirit; & quod in voluntate eius præcedat aliqua subita affectio circa bonum morale; & insuper, quod illa superet in intensione, affectionem pravam circa malum. Primum constat ex Magn. Parent. lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Quis animo amplectitur, quod cum non delectat?* Rursùs: *Voluntas, nisi occurrerit aliquid, quod eam delectet, moveri non potest.* Secundum constat etiam ex eodem Sanct. Par. lib. de Spiritu, & lit. cap. 36. & cap. 5. in expositione epistolæ ad Galatas, ubi ait: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur, necesse est.* Sed quod delectatio boni honesti superet intensivè delectationem turpis, est gratia specialis; cum sit supra influxum, & excitationem obiectorum, quæ frequentèr occurrunt: ergò. 38 Tertium argum.

Resp. admissa mai. intellecta etiam de necessitate simpliciter, neg. min. Nàm sine gratia speciali; exigentibus inclinatione ad honestum, & subiecti inclinationibus peculiaribus; potest subita delectatio honestatis suboriri, & superare; imò, & moraliter impedire, ortum turpis delectationis; uti accidit in Patre ad alendos filios, & in filijs ad subveniendum Parentibus gravitèr indigentibus, & (si velis) petentibus ab ipsis alimentum. In quibus omnibus connaturale est, & fortè moraliter necessarium, suboriri plures affectus subitos honestos intensiores affectibus contrarijs. His accedit, quod supra adduximus ex D. Thom. docente cum M. P. lib. cont. Iulian. cap. 4. esse aliquos homines naturaliter inclinatos ad opera diversarum virtutum moralium; in quibus connaturale est, ut aliquotiès affectiones subitæ circa bonum honestum superent in intensione, & vehementia, affectiones pravas retardantes ab illius prosecutione. 39 Resp.

Arg. 4. Nullus est actus moraliter bonus, pro quo homo non possit iustè, utiliterque, Deum orare; sed hoc ipso est necessaria gratia Dei ad illius elicientiam: ergò omnis actus &c. 40 Arg. 4.

&c. Mai. constat ex epist. Cœlestini I. dicentis: *In omnibus actibus, causis, motibus, cogitationibus, adiutor, & protector orandus est Deus.* Min. etiam est Doct. SS. PP. probantium ex oratione contra Pelagium *necessitatem simpliciter gratiæ Dei ad benè operandum.* Ita P. August. sæpissimè; & ferè per totam epistol. 107. S. Hieron. in lib. contra Pelag. & PP. Concilij Cartagin. in epist. ad Innocentium.

Confir. 1. Confirm. 1. Nullus est actus moraliter honestus, pro quo homo non teneatur Deo gratias agere; ut constat ex illo ad Ephes. 5. *Gratias agentes semper pro omnibus.* Idem habetur 1. ad Thessalon. 5. constatque evidenter. Tùm quia talis actus est Dei beneficium. Tùm quia, si iuxta August. lib. 2. Confes. cap. 7. *Pro peccato non commisso debetur Deo gratiarum actio.* Multò magis pro quocumque actu virtutis: illo enim, & vitatur peccatum, & aliquid boni fit. Atqui ex gratiarum actione facta Deo pro fide, & bonis moribus probant SS. PP. necessitatem gratiæ contra Pelagium, ut patet ex D. August. epist. 107. citat. & lib. de Prædest. SS. c. 19. alijsque innumeris locis: ergò.

41 2. Si auxilium efficax ad rectè agere non esset gratia specialis, illud esset debitum naturæ humanæ ex vi providentiæ generalis; sed hoc est falsum. Tùm quia hoc probat hominem non indigere oratione pro illius existentia; sicuti nemo orat pro concursu Dei exhibendo igni applicato ad comburendum. Tùm quia probat tale auxilium negari à Deo non posse: ergò, ut hæc omnia vitentur, dicendum &c.

Secundo.

Hoc argumentum validum reputatur ab Adversar. sed meo videri, sine gravi fundamento: præcipuè in sententia Thomistarum, iuxta quos post sufficientiam ad benè operandum, necessarium est auxilium prædeterminans, per quod Deus pro sua libertate reducat voluntatem de actu primo ad actum secundum, immediatè determinando ipsam, ut benè velit, & agat. E contra vero dicendum in illa sententia, iuxta quam voluntas semèl constituta cum sufficientia ad benè agendum, est potens pro suo libito se ipsam determinare, & alia comprincipia operativa, absque ulteriori determinatione ex parte Dei. In hac enim sententia arguunt Thomist. hominem non debere orare Deum pro existentia actus honesti; cum unicè sit in potestate voluntatis liberæ ad agendum, & non agendum, determinare existentiam actus præ carentia ipsius. Pro quo videatur inter alios Illustrissim. Castell. tom. de Liber. arbitr. disp. 2. quæst. 3. sect. 6.

Solutio.

Oratio igitur fussa ad Deum pro quocumque bono cuiusvis ordinis, duo evidenter probat, & convincit. Primum huiusmodi bonum donari, & fieri immediatè à Deo pro sua bona voluntate. Secundum (loquendo de actibus liberis honestis) Nos indigere novo auxilio, novo adiutorio, novaque ope Dei, cùm benè volumus, & operamur, superaddita sufficientiæ, & libertati ad benè operandum. Utrumque negabat Pelagius affirmans; quod licet à Deo nobis proveniret posse benè agere; à nobis autem proveniebat, & ex nobis, actù benè velle, & agere: ideòque consequenter affirmavit semèl collata libertate, & sufficientia ad benè operandum in quocumque ordine, opus non esse ulteriori ope, & auxilio Dei. Sic enim aiebat: *Aut vtor potestate mihi semèl concessa, ut servetur in me liberum arbitrium, aut si ulteriori ope indigeo, perit in me arbitrij libertas.* Hac de causa Magn. Par. toto lib. de Gratia Christi convincit erroris hoc dictum Pelagij, probans ex Sacr. Script. hominem non solum indigere *simpliciter adiutorio possibilitatis*, per quod potest benè velle, & facere; sed etiam *adiutorio voluntatis, & actionis, per quod fit, ut benè velit, & benè faciat.* Hoc assumptum probat argum. orationis, *per quam Deum deprecamur, ut nil mali faciamus, sed quod bonum est operemur*: ut dicitur 2. ad Corinth. 13. *Et per quam deprecamur, ut nolentes credere, velint credere, & credentes perseverent in fide.* Ita epist. 107. ad Vit. & alibi sæpè. Ex quibus sic infert M. P. *Oramus, ut homines*

42 Explicatur solutio.

velint credere: ergò Deus operatur in eis velle credere. Oramus, ut credant, & credentes perseverent: ergò & credere, & perseverantia in credendo, est donum Dei. Hinc constat, orationem esse argum. efficacissimè convincēs post collationem libertatis ad rectè operandum necessitatem *ulterioris auxilij, adiutorij, & opitulationis divinæ ad rectè volendum, & agendum, in quocumque ordine.*

43 Inquires.

Sed quia SS. PP. non solum *nomine auxilij, & adiutorij* facientis nos velle, & agere, ut sunt contra Pelagium; sed etiam *nomine gratiæ*; quamobrem S. P. epist. 107. tradit Vitali hanc regulam, ut si nolit esse Pelagianus: *Fateatur gratiam Dei ad singulos actus dari, & non secundùm merita nostra.* Hinc oritur aliqua difficultas: *An scilic. nomine gratiæ possit comprehēdi auxilium etiam generale Dei; dummodò sit præveniens, & donans nobis efficacitèr benè velle, & agere?* Sed hæc facilè solvitur ex doctrina D. Th. 1. 2. q. 110. a. 2.* ubi ait: *Gratia dupliciter accipitur: uno modo pro dono habituali animæ impresso; alio modo pro auxilio Dei, quod est gratuitus effectus divinæ voluntatis movētis, & adiuvant. animam ad aliquid cognoscendum, volendum, & agendum.** Idē docet q. 111. a. 2. ubi gratiam Dei sumptā pro auxilio, dividit in operantem, & cooperantem; id est, in motionem gratuitam voluntatis ad 1. velle bonum, & motionem gratuitam ad facere bonum. Hinc cōstat auxilium Dei movens prævenien-do voluntatem ad velle bonum merito dici gratiam Dei; quia superaddita ad sufficientiam; & quia gratuitò, & liberalitèr confertur à Deo. Hoc autem auxilium, si sit ad actus supernaturales, erit gratia entitativè supernaturalis: si vero ad actus naturales moralitèr honestos, erit gratia entitativè naturalis. Si vero talis gratia detur ad actus difficiles, etsi entitativè naturales, erit gratia specialis intra ordinem naturæ.

Resp. * Se refert ad q. 109. ar. 1.

* De hac ait non esse qualitat. sed motum.

Ex his constat, quid dicendum ad hanc propositionem: *PP. ex oratione probant necessitatem gratiæ.* Dicendum, inquam, probare efficacissimè gratiā, prout hæc est auxilium, & adiutorium Dei, per quod facit, ut benè velimus, & agamus. An vero ex oratione ex terminis probetur efficacissimè gratia determinatè supernaturalis? Resp. cum dist. ex oratione facta per Ecclesiam Dei interpellantem merita Christi, & in ordine ad consecutionem iustitiæ, & gloriæ (qui modus orandi est frequens, & rarò invenietur alius in Ecclesia Dei sine circunstantijs assignatis) manifestè convinci necessitatē gratiæ auxiliantis supernaturalis, & de huiusmodi oratione loquuntur SS. PP. dum requirunt gratiam supernaturalem ad iustè, pièque vivendum. Si vero sermo sit de alia oratione privata, & possibili fieri à quolibet pro auxilio ad quemcumque actum bonum sine circunstantijs descriptis; talis oratio probat necessitatem gratiæ entitativè naturalis, scilic. novi auxilij efficacis superadditi ad auxilium sufficiens, gratuitò, & liberalitèr à Deo concessi.

44 Alteri in terrog. fit satis.

45 Ad argu. in forma, & confir.

Unde in forma dist. min. Est necessaria gratia, sumpta pro auxilio efficaci superaddito libertati, conc. min. Gratia sumpta pro auxilio speciali, & in debito naturæ humanæ ex vi providentiæ generalis, neg. min. & dist. cons. eodem modo. Ad impugnationem ibi subiunctam, scil. SS. PP. ex oratione probare contra Pelag. necessitatem gratiæ strictè talis. Resp. 1. illam non favere P. Vazquez: Nàm iuxta communem sensum Theologorum ex tali oratione probant necessitatem gratiæ supernaturalis; quam Vazquez non requirit. Resp. 2. Probare necessitatem gratiæ proportionatæ cum donis, ad quorum consecutionem Deum orabant. Si dona sint naturalia, petunt gratiam entitativè naturalem; si vero sint supernaturalia; id est conducentia ad salutem æternam petunt gratiam supernaturalem; & utramque negabat Pelagius semèl concessa libertate, ut ex superiùs dictis manifestè constat. Per hæc patet ad 1. confirm.

Ad impugn. Resp. 1.

Secundo.

46 Ad 2.

Ad 2. Resp. Tale auxilium esse debitum naturæ humanæ; non tamen in omni individuo, nec huic determinatè præ alio: quapropter remanet locus, ut Deus gratuitò, & liberalitèr conferat illud his, vel alijs individuis determinatè; & ut illi, quibus donatur, teneantur ad gratitudinem specialem. Rursùs. Etsi tale au-

xi-

xilium sit debitum naturæ humanæ, non est debitum debito necessitatis, qualiter motio Dei debetur igni applicato ad comburendum: sed solum est debitum debito secundùm quid, scilicèt, attenta suavitate divinæ providentiæ, quod ab alijs vocatur debitum contingentiæ,& libertatis.*Hac igitur de causa etiam iustè oramus Deum pro pluvia, serenitate, & frugibus terræ, etsi horum productio spectet ad providentiam generalem Dei.

* Ex S. D. hic a.1.

47 Arg. 5. Auxilium, sive gratia discretiva inter operantem honestè,& inter pravè operantem, aut inhonestè, nequit esse gratia communis omnibus, sed debet esse gratia specialis, ut de se videtur certum,& dissertè docet M.P.de Prædest. SS. c. 5. Sed gratia collata Petro v. g. ut eliciat actum honestum,non vero Paulo,est discretiva inter illos: ergò talis gratia est dicenda specialis. Aliter. Providentia generalis nequit esse discretiva inter ea, quibus providet; aliàs iam esset specialis; sed providentia conferens Petro v. g. auxilium efficax ad faciendum actum adimpletivum præcepti,& id denegans Paulo, est discretiva inter illos: ergò collatio talis auxilij non spectat ad providentiam generalem. Resp.Arg.solum probare esse gratiam specialem relatè ad hoc individuum determinatè, & cui confertur; cum possit Deus eam alteri individuo dare.Nec inferas ex hoc,quod illa pertineat ad providentiam specialem:Nàm licet providētia Dei etiam se extendat ad ad individua; attamen per se 1.respicit bonum naturæ; unde quod dicatur generalis,vel specialis; censeri debet ex ordine ad naturam, ut sub se continentem omnia individua. Notandum, quod dùm dicitur auxilium generale esse omnibus commune, non dicitur commune quòad effectum illud habendi:sed dicitur commune in iure extrinseco ipsis,scilic. ex suavitate providentiæ;&quatenùs est aliquomodo debitum naturę,cuius sunt individua.Ad id quod additur sub alia forma Resp.1.instando in providentia generali supernaturali,per quamquidam iustificātur,& accipiunt aliqua auxilia efficacia ad supernaturalitèr agendū;

Aliter.

Solutio.

Occurrit cuidā instant.

Ad aliam formam arg.

alij vero non.Unde sicuti absolutè hęc non dicitur discretiva in ordine ad consecutionem finis ultimi, scil. vitæ ęternæ;ita providentia generalis naturalis non est discretiva quoad consecutionem beatitudinis naturalis,aut amoris Dei A.naturæ super omnia;benè vero quòad aliqua. Nàm cum prodeat cum dominio, potest uni dare,aliquod donum, & illud alteri negare.

48 Arg.6.Nequit homo operari contra inclinationem permanentem sine gratia speciali;hac ratione requiritur gratia specialis ad victoriam gravis tentationis iuxta Thomist.& insuper, quia unicuique est connaturale operari iuxta inclinationē prædominantem, & iuxta finem præconceptum, cui inhæret.Ita D.Thom.1.2.q.109.a.8.Sed quoties homo elicit actum honestum, operatur contra inclinationem appetitus sensitivi ad bona sensibilia,quæ iuxta D.Th.2.2.q.136.a.3.post peccatum dominatur in homine: ergò. Urg. 1. Quoties homo agit rectè moraliter, agit,ut liber,& cum vero dominio;sed ad hoc requiritur gratia specialis: ergò.Prob.min. Homo captivus nequit agere,ut liber,& dominus,nisi per specialem favorem eius, cuius potestate tenetur captivus; sed lex carnis,ita est in homine post lapsum, ut eum captivū ducat in legem peccati iuxta illud 1.ad Rom.7.*Sentio aliam legem in membris meis &c.*ergò. 2. Ad rectam electionem debet præcedere iudicium dictans practicè esse convenientiùs prosequi bonum honestum præ delectabili;sed hoc iudicium requirit gratiam specialem,1.quia iuxta M. P. lib.2. de peccat.merit.c.17.*Ut autem innotescat, quod latebat,gratia Dei est.*2.Quia concupiscentia obscurat iudiciū, nè rectè iudicet,iuxta illud Psal.57.*Supercecidit ignis &c.*ubi M.P.*Concupiscentia facit, ut quis Solē iustitiæ videre nequeat*:ergò.

Arg. 6.

Urget. 1.

Secundo.

49 Resp.dist.mai.Contra inclinationē dominantē actu,hic,&nunc,conc.mai. Dominantem tantum in habitu, & dominio subdito rationi,neg.mai.& conseq.Dominiū inclinationis appetitus in bona delectabilia, tùnc dominatur actu,& hic,&nùnc,quando insurgunt in illo motus inordinati vehementèr inclinantes ad malum; uti contingit in gravi tentatione; qua ratione requiritur

Solutio.

ritur gratia specialis ad eius victoriam; si autem nullus motus inordinatus vehementèr insurgat, tùnc tantum in habitu dicitur eius dominium, & assimilatur dormienti. Cumque non pro omni actu honesto tales motus insurgant, quin potiùs insurgant oppositi; ut patet in Patre volente alere filios, & in homine desiderante erogare eleemosynam valdè indigenti, & cõpassione digno: ideò non est ponenda gratia specialis pro talibus actibus. Nec hoc opponitur Aug. Magist. Ibi enim solum intendit hominem sine speciali gratia non posse vitare omnia peccata, estò aliqua vitare possit; quia ratione inclinationis habitualis in bonum creatum aliquoties occurrunt plura obiecta ad illud conducentia, & nisi gratia iuvetur, propter adhæsionẽ ad finem creatum statim illa amplectitur. Ex quo constat potiùs stare pro nostra sententia, dùm concedit posse aliqua peccata vitare.

Ad urgent. neg. min. Ad eius
50 probat. dist. min. Lex peccati tenet hominem captivum, si homo ei consentiat, conced. minor. Si ei dissentiat, neg. minor. Angel. Doct. loco cit. sic exponit verba Apostoli: *Captivantem*: id est captivum me ducentem per consensum, & operationem; vel etiam dicitur hominẽ captivari quantum ad motus concupiscentiæ; quia omnes ab ipso evitari nequeunt. Captivus enim apud homines non habet ullum dominium; ideòque est favor specialis, quod aliquod opus ab eo libere eliciatur; at vero homo, etsi captivus sit ratione peccati, non amisit liberum arbitrium, ut est de fide; & ideò cum maneat Dominus suarum actionum, potest aliquod opus honestum operari. In alio sensu potest etiam dici legem carnis captivare: quia vehementèr inclinat in peccatum, per quod homo fit servus Diaboli: sicuti in humanis dicitur, aliquem captivare alios ad sui amorem, quando ob eius ægregias dotes corda illorum vehementèr allicit.

Ad urgent.

Ad 2. neg. min. Sunt enim
51 plura iudicia practica, in quorum elicientia nulla occurrit difficultas; uti in iudicando esse conveniens hic, & nunc honorare Parentes, & similitèr:

Ad 2.

subvenire indigenti ex quadam naturali pietate, & dilectione. Nàm passiones, etsi obnubilent, semper remanet aliquid rationis, per quod ex primis principijs practicis potest concludere hic, & nunc esse honestè operandum. P. Aug. loquitur indefinitè de cognitione regulativa boni, & iusti, & non præcisè de elicientia unius, vel alterius actus honesti; in his enim ex vi legis naturalis apparet eius honesta prosecutio, iuxta illud Psalm. *Signatum est super nos lumen vultus tui Dñe.* Eodem modo Resp. ad alia. Concupisc. obscurat gravitèr iudicium circa practica ardua, non tamen circa facilia; ideòq̃ sine gratia nequit homo illa operari. Unde merito dicitur facere, ut non videatur Sol iustitiæ; hic enim videtur, dùm adsunt nobis radij cognitionis ad omnia iusta, & recta peragenda. Psalm. 4.

Argues 7. Indifferenti non de-
52 betur determinatio ad unam partem suæ indifferentiæ; cùm indifferens ut tale non magis petat unum extremum quàm aliud; sed natura humana est indifferens ad benè, & malè operandum: ergò non debetur auxilium efficax, per quod determinetur ad bonum. Confir. Si gratia efficax ad benè operandum esset debita ex vi providentiæ generalis, non posset ex vi eiusdem providentiæ à Deo negari; àt talis gratia multoties negatur ex vi talis providentiæ; cùm ad eam spectet permittere peccata in pluribus hominibus: ergò. Resp. dist. mai. Indifferenti indifferentia libertatis, sed determinato per inclinationem ad unum, potiùs quàm ad aliud, neg. mai. Indifferenti indifferentia libertatis, & sine tali inclinatione, conced. & cum eadem dist. min. neg. conseq. Homo enim, etsi sit liber ad bonum, & malum, innatè inclinat in bonum. Resp. 2. cum Mag. Boliv. dist. mai. Non debetur, ut semper determinetur ad bonum, conced. mai. Aliquando, nego mai. Cùm potiùs esset monstruosum, ut indifferens ad bonum, & malum, determinaretur semper ad malum. Unde in alternatione determinationis ad bonum, & malum (quò ad entitatem) attendit propriè indifferentiam libertatis.

Arg. 7.

Confirm.

Resp. 1.

Secundũ mentem unicè inclinat in bonum.

Secundo.

Con-

53 Confirmatio probat bonum ingenium, robur, corporis &c. esse dona indebita naturæ humanæ ex vi providentiæ generalis; cum ex vi huius denegentur pluribus talia dona naturæ. Unde quemadmodum utrumque provenit ex vi providentiæ generalis, quia utrumque conducit ad pulchritudinē universi: &rursùs, quia estò bonaindoles, ingeniū &c. sint debita naturæ; non tamē debentur pro omnibus individuis, sed pro aliquibus vagè; ita dicendum de gratia efficaci ad rectè operandum. Ex quib. in form. dist. mai. Si esset debita in omnibus individuis, conc. mai. In aliquibus tantum, neg. Cum enim natura humana sit potens, & inclinata ad bonum, & aliundè sit infirma, & potens peccare; ad providentiam etiam generalem Dei spectat utrumque attendere; determinando aliquando per gratiam efficacem homines ad bonum, & permittendo alijs cadere in malum. Ad ult. diximus dub. de cogitatione congrua, ubi explicuimus qualitatem huius debiti, & ex negatione cognitionis congruæ, nullam irrogandam fore iniuriam naturæ humanæ.

Ad 1. confirm.

54 Argues ult. Si auxilium efficax ad rectè operandum, esset debitum naturæ humanæ, non posset Deus de potentia absoluta illud negare in omni individuo, & in omni occasione; sed hoc est falsum; cum sit supremus Dominus suorum donorum: ergò. Prob. mai. Si Deus negaret auxilium efficax ad rectè operandum modo dicto, ipsi imputaretur peccatum infallibiliter secutum ex tali negatione; sicuti, quia Angelo in primo instanti debetur auxilium efficax ad adimpletionem præcepti, & vitandum peccatum; si Deus negaret Angelo in primo instanti, ipsi tribueretur peccatum iuxta Thomistas. Sed id, ex quo sequitur Deo imputari peccatum, non est ipsi possibile etiam de potentia absoluta: ergò. Confirm. Si ex vi providentiæ generalis esset debitum naturæ humanæ auxilium efficax ad rectè agendum, denegatio talis auxilij omnibus individuis pertineret ad providentiam specialem; sed hoc ipso Deo attribueretur peccatum ex tali denegatione consecutum: ergò.

Arg. ult.

Confirm.

Prob. min. Providentia specialis Dei nequit esse purè permissiva peccati; cum illius permissio ad providentiam generalem consulentem defectibilitati naturæ spectet: ergò si negatio auxilij efficacis, & existentia peccati pertineret ad providentiam specialem, Deus non esset permissor, sed A. peccati.

55 Ad arg. Resp. cum M. Boliv. hic, concedendo Deum posse negare naturæ humanæ in omnibus individuis, & in omni occasione præcepti, auxilium efficax, ut nullum eius individuum aliquod vitaret peccatum. Ratio est: Nàm nihil est possibile creaturæ, quod Deus non possit facere, aut permittere; sed possibile est, quod omnia individua naturæ humanæ, & in omni occasione, qua urget præceptum, possint elicere actum bonum, vel committere peccatum; cum gaudeant libertate ad utrumque: ergò Deus est potens facere absolutè omnia individua benè operari, conferendo eis auxilium efficax; paritèrque permittere ipsis peccatum, denegando tale auxilium. Nec ex hoc sequitur Deo imputari peccatum: Nàm estò tale auxilium sit debitum naturæ humanæ modo iam explicato, supponit huiusmodi debitum in natura indifferentiam, & sufficientiam ad peccandum; unde talis auxilij denegatio non esset plusquam permissio peccati; quia hoc modo supponitur, ut possibile, antecedentèr ad negationem gratiæ efficacis.

Solutio.

56 Ad exemplum Resp. cit. Mag. quod si in Angelo pro primo instanti supponeretur potentia ad peccandum, estò haberet aliqualem exigentiam, & inclinationem ad non peccandum, sive, ut Deus ipsi conferret auxilium efficax; posset etiam Deus ipsi permittere peccatum: alioquin aliquid esset possibile creaturæ, quod Deus nec posset facere, nec permittere. Quare, iuxta Thom. sent. si Deus instante præcepto denegaret auxilium efficax Angelo in 1. instanti, nec Angelus peccaret, nec Deo attribueretur peccatum; quia estò supponatur potens ad omissionem actus præcepti secundùm se inspectam, non tamen ad illam, ut coniunctam cum præcepto; ideòq pro

Ad exemplum quo rob. arg.

Nè fit cōplicatio dicend: tùnc urgere in actu secundo.

casu negationis auxilij ad omissionem hoc modo sumptã se haberet purè passivè, ac proindè non liberè. Sicuti casu, quo Deus negaret videnti ipsum auxilium efficax ad amorẽ, in dicta hypothesi omissio amoris non esset egressivè à voluntate Beati, sed purè passivè ad eam se haberet. Videat. idem M. dub. 9. §. 6. n. 40. & est verior solutio.

57 Ad confir. Resp. not. duplicitèr posse dici aliquam providentiam specialem in Deo: uno modo ex parte finis, sive motivi talis providentiæ; alio modo ex parte præparationis causarum, sive ex parte ordinationis rei in fines sibi proprios. Primũ contingit, quando Deus intendit finem specialẽ. Secundo modo dicitur specialis, quando Deus, aut superaddit novas vires insolitas, aut efficaciores, aut removendo plura impedimenta ultra solitum concursum rerum. Certum est, quod si providentia aliqua sit specialis hoc modo, nequit se habere permissivè circa terminum ipsius; unde quia prædestinatio est specialis providentia modo dicto; scil. dando hominibus media efficacissima ad perseverandum in gratia, & removendo impedimenta peccati &c. constituit Deũ A. specialem gloriæ, & effectuum per se spectantium ad prædestinationem. Idem de providentia, quam exercuit in pluribus SS. circa actus eximiæ virtutis, & in Beatissima Virgine, eam ab omni peccato veniali præservando, & omnem motum inordinatum ab ea totalitèr auferendo.

Ad confirmat.

Si verò providentia sit specialis

58 primo modo, potest circa aliqua conducentia ad finẽ præintentum permissivè se habere. Nàm providentia non est causa producẽs aliquem effectum, nisi per causas, quas præparat, & gubernat; undè si his nullam vim activam conferat ad aliqua, se habebit ad illa purè permissivè. Sit exemplum in sententia adstruente Christum Dominum, ut Redemptorem peccati originalis, fuisse à Deo primò efficacitèr intentum, & ex tali intentione fuisse primò imperatam permissionem peccati originalis inficientis totam naturam. Nèc enim dubitari potest, hanc permissionẽ fuisse ex providentia speciali; non solùm propter imperium extrinsecum, sed etiam secundùm sibi intrinseca: nàm ordinare, quòd uno peccante, cæteri peccent, maneantque digni pœna æterna, est mysterium fidei specialissimum, & cuius rationem mens humana investigare non valet. Attamen, quia talis providentia fuit specialissima ex parte motivi, seu finis, scil. ut ostenderet bonitatem suam in Incarnatione Verbi: 2. ut ostenderet summam independentiam à creaturis, & supremum dominium, quo gaudet in largitione, & conservatione suorum donorum, & ut homo disceret non superbire, sed subditus esse Deo; neutiquam ex tali specialitate sequitur Deum fuisse plusquam permissorem peccati.

Sic accideret in illa providentia, qua 59
Deus attenta sua potẽtia absoluta negaret naturæ humanæ in omni individuo auxilium efficax ad non peccãdum; *esset, inquam, specialis ex parte motivi, quatenùs intenderet manifestare supremum, & absolutissimum dominium, quod habet, tùm supra auxilium efficax, tùm supra omnem exigentiam, & debitum concessum creaturæ: & rursùs, quòd nullis legibus, nulloque iure, sua potentia obligatur, sed potest facere, quidquid ipsi placuerit. In hac specialitate non apparet collatio mai. virium, nèc mai. vigoris in causis ad operandum, sed potiùs subtrahere id, quod liberalitèr, suaque benignitate confert creaturis; quapropter nullatenùs sequitur, quòd ex negatione omnis auxilij efficacis esset plus quàm permissor peccati.

* Urgente præcepto

§. VI.

In quo alijs motivis in contra occurritur & hucusque dicta illustrantur.

DOctissimus Magist. Manso tom. 60
de Virtutib. quæst. 8. eruditè, atque ingeniosè, pluribus contendit promovere sententiam oppositam Ariminensis, Capreoli, & Emientissimi Noris in vinditijs cap. 3. §. 4. & aliquorum, quos ipse refert q. 4. n. 33. Licet enim aliqua, quæ adducit in contra, sint soluta in antecedentibus, & reliqua ex ibi dictis solvi valeant; pro maiori claritate (etsi compen-

Ponuntur motiva ex Auth.

pendiosè) illa proponemus. Primùm
Primum. motivum desumitur ex Mag. P. Ser. 13. de Verb. Apost. cap. 10. & epist. 89. & alibi, sæpissimè asserente: *Liberum arbitrium nihil boni posse facere sine adiutorio Dei.* Sed influentia generalis illius; cum se extendat ad omne ens physicum, & etiam ad peccatum pro materiali; non dicitur adiutorium Dei: ergò auxilium ad omnem actum moraliter bonum &c. Urget.hoc. Omne opus moraliter honestum tribuendum est Divino muneri,
Secundū. ut docet Mag. P. lib. de Patientia cap. 27. & traditur à Concil. Arausican. cap. 9. dicente: *Divini est muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus.* Sed quòd ex influentia generali Dei provenit, non dicitur munus Dei: ergò.
Tertium. Idē urgetur ex fide qua creditur: *Quod cumque opus moraliter honestum dici, & esse donum Dei*; quod propriè favorem specialem designat. Ex quibus omnibus sequens formatur discursus. *Cœleste auxilium, Dei adiutorium, auxilium gratiæ, operatio proveniens ex Dei munere*; si cum proprietate loquendum sit, significant speciale auxiliū, sivegratiam; influentia enim generalis Dei ad omnia entia physica se extendens, nullo ex his nominibus propriè
Quartū. insignitivalet: ergò. His accedit auxiliū genetale nunquam appellari à D. Th. *auxilium gratiæ.* Sed iuxta ipsum ad omne bonum, etsi politicum, & naturæ humanæ commensuratum, homo indiget auxilio gratiæ: ita q. 24. de verit. art. 14. & 12. q. 109. ar. 9. & 22. q. 136. art. 3. ad 2. ergò.

61 Plura diximus §. antec. ad probandum omne opus moraliter honestum meritò dici provenire *ex gratia Dei, eius adiutorio, auxilio, & munere*; quin propter hoc debeat concedi tale auxilium, sive gratiam, esse specialem. Licèt convincatur tale opus esse novum beneficiū, & donū superaditū libertati, & sufficientiæ; gratuito, & liberaliter à Deo concessum. Et quidem testimonia adducta, siquid probant, probant superfluam, aut ineptam, esse quæstionem apud Theologos satis celebrem, in qua quæritur: *An requiratur auxilium speciale, & gratia specialis intra ordinem naturæ ad hoc, vel illud opus honestum?* Cum enim sit certum illud opus fieri ex auxilio gratiæ, & Dei adiutorio donante nobis, ut bene velimus, & bene faciamus; si hoc est fieri illud ex gratia, & auxilio speciali: ad quid 1. statuto, tàm lōga disceptatio? Supponitur enim 1. & disputatur de 2. Quid autē significetur hoc nomine *gratia specialis*; *auxilium, sive adiutorium speciale*; diximus in antec. unde nisi conveniamus in re significata; decisio quęstionis erit parùm utilis; & cum iactura temporis.

62 Si enim nomine *influentiæ, concursus, & motionis prævię generalis* intelligatur Dei operatio, prout se extendit ad omne ens creatum, & ad omnem motum, & operationem cuiuslvis causæ creatæ: Nemo dubitabit auxilium Dei, quo determinatè movet voluntatem, ut honestè operetur, donando ipsi rectam operationem, dici, & esse auxilium speciale. Attamen influentia, & concursus generalis Dei, non sic accipitur in præsenti; sed restrictè, & facta comparatione ad ipsum hominem, prout est agens morale intrinsecè ad finem honestū ordinatum, & prout subest providentiæ gubernativæ Dei speciali modo, ac bruta, aliæque causæ naturales, ipsi subduntur. Sicut enim possumus considerare providentiam generalem Dei intra ordinem naturę; uno modo communissimè; prout se extendit eius gubernatio ad omnem creaturam rationalem, & irrationalem; alio autem modo, secundùm quòd unice se extendit (in nostra consideratione) ad creaturā intellectualē morali libertate præditam, & ut potentem operari cum discretione inter bonum, & malum; ita similitèr discurrendum de motione Dei, & exteriori directione in finem, quæ iuxta S. D. 1. p. q. 104. ferè per totam est effectus proprius gubernationis Divinæ.

Quid sit concursus generalis.

Quid providentia specialis Dei circa hominē.

63 Negari nequit stando doctr. S. D. 3. contra gent. cap. 147. Providentiam, adhùc intra ordinem naturę, qua Deus hominem gubernat, esse providentiam specialem relatè ad illam, per quam gubernat omnia creata, & movet ad operandum creaturam irrationalem. Sic enim ait: *Quia vero ex superioribus manifestum est, quòd Divina providentia*

Prob. ex D. Thom.

tia aliter disponit creaturas rationales, quam res alias, secundùm quòd in conditione naturæ propriè ab alijs differunt; Idem 1. p.q. 103. ar. 5. *restat ostendendum, quòd etiam ex dignitate finis, altioris gubernationis modus eis adhibetur. Manifestum est autem quòd secundùm convenientiam suæ naturæ ad altiorem participationem finis perveniunt. Quia enim intellectualis naturæ sunt per suam operationem, intelligibilē veritatem attingere possunt, quòd alijs rebus non competit; manifestum est eis aliter provideri divinitus; quam alijs rebus; in quantum homini datus est intellectus, & ratio, per quæ veritatem, & discernere, & investigare possit &c.* ubi rationem à priori designat specialitatis providentiæ. Nàm cum iuxta Boetium sit *ordinatio rerum in finem*: & homo intra ordinem naturæ ordinetur in altiorem, & specialem finem, scilicèt, *contemplationē primæ veritatis cum rectitudine morum*, & quatenùs per illam disponitur ad beatitudinem naturalem: necesse est gubernationem hominis esse specialem; licèt plurimum deficiat ab illa, secundùm quàm ordinatur ex gratia Dei ad vitam æternam: de qua ibidem S. D. Hinc constat (ni fallor) quod nisi Authorit: & ratione, probetur opus moralitèr honestum, & auxilium prædeterminans spectare ad specialem providentiam, secundùm quàm Deus determinatè gubernat hominem modo sibi proportionato, attento, scilicèt, fine ad quem ex natura sua ordinatur, & attenta natura virium, quibus gaudet, ut agens morale ad honestè operandum, esse prorsus indebitum improportionatū; in vanum laborem suscipimus.

64 Quare; sicuti intra ordinem gratiæ ponitur duplex providentia; generalis una, altera specialis, scilicèt, prædestinativa: & hoc, iuxta diversitatem voluntatis, qua Deus vult hominibus vitam æternam: ita debet similis distinctio admitti circa providentiam, qua Deus intra ordinem naturæ (sed cum ordine ad finem honestum) providet homini, ut est agens morale, & proùt differt ab alijs creaturis. Hic autem finis, ut supra diximus, est beatitudo naturalis medijs actibus bonis moralitèr consequibilis. Undè quemadmodum auxilia sufficientia omnibus oblata, & possibilia haberi; & plura efficacia ad aliquos actus supernaturales; estò sint gratia specialis relatè ad naturam secundùm se, & cuilibet etiam in particulari; non sunt favor specialis relatè ad naturam, ut elevatam, sive, ut stat sub providentia intra ordinem gratiæ; licet etiam alia iuxta arduitatē, aut excellentiā actuū, sint etiam specialia: ita discurrendum in præsenti.

Dicere autem, quòd estò auxilium efficax sit iuxta ordinem providentiæ generalis intra ordinem naturæ; sitque etiam ad actum proportionatum, tàm physicè, quàm moralitèr naturæ humanę: potest dici gratia specialis; cum etiam auxilia efficacia supernaturalia collata à Deo per providentiam generalem, sint gratia specialis. Non satisfacit 1. Nàm si solutio intendat, quòd omnia auxilia efficacia ad quoscumque actus supernos in quorum elicientia nulla est gravis difficultas; non admittitur à nobis iuxta superius dicta, & infra dicenda cum pluribus A. 2. Quia sufficiētia proxima ad consecutionem vitę æternæ non habetur, nisi plures actus supernaturales eliciātur, qui sunt simpliciter necessarij ad illam. 3. Si attenta generali providentia sunt debita aliqua auxilia naturæ, ut stat sub tali providentia, non sunt favor specialis relatè ad illam, sic sumpta: Nàm beneficentia specialis specialem voluntatem requirit. Si autem est specialis voluntas circa omnes actus proport: naturæ rationali, in ordine ad suum finem; necesse est ponere providentiam specialem; quæ ortum dicit ex intentione finis. 65 Quædam Resp. impugnatur

His stabilitis Resp. distinguendo illam propositionem, cui innititur tota efficacia prob. Quod fit *ex adiutorio, auxilio, & divino munere, estque Dei donum*, non est influentia, concursus &c. generalis; proùt hic concursus est communis, tàm creaturæ rationali, quàm irrationali, conc. min. proùt talis concursus est proprius creaturæ rationalis, ut agentis moralis: subdisting. Si sit ad actus honestos, arduos, & excellentes, conc. min. Si sit ad actus faciles, & proportionatos, neg. min. & disting. conseq. eodem modo. Auxilium efficax collatum ad 66 Ad motiva adducta Resp.

vic-

victoriam gravis tentationis v. g. aut ad aliud opus honestū; arduum est, & dicitur speciale tùm relatè ad concursum generalem, proùt hic se extendit ad omne agens creatum; & insuper, proùt determinatè dispensatur regulariter naturæ rationali. Deinde talis prob. sic instatur. Nam in hoc modo dicendi, quamvis auxilium ad omnē actum honestum sit gratia specialis, ponitur tamen dispensari à Deo ex vi providentiæ generalis. Nunc sic. Sicuti influentia generalis Dei se extendit ad omne ens physicum, & etiam ad materiale peccati; ita providentia generalis. Si ergò stat aliquem actum honestum fieri ex adiutorio Dei, auxilio cœlesti &c. & illū pertinere ad talem providentiam, stabit etiam sic fieri, & quòd prædictum adiutorium &c. sit concursus generalis eiusdem.

Instantia.

67 Ad aliam probationem ex D. Th. responsum est §. antec. Nàm hic a. 1. auxilium ad cognoscendum verū appellat gratuitum effectum Divinæ voluntatis; & hac ratione, etiam dici gratiam, & adiutoriū. Rursus. Nullum nomen expressius significare videtur auxiliū, favorem, sive gratiam specialem; quàm hoc nomen *motio Spiritus Sancti*. Ut est innegabile. Atqui S. D. hic ar. 1. ad 1. exponens illud Ambrosij: *Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est*, ait hoc intelligi *esse ab illo, ut movente ad cognoscendum, & loquendum*: ergò cum sit certum, hominem motione generali Dei posse plures veritates cognoscere; falsum est S. D. per auxilium gratiæ intelligere unicè auxilium speciale. Ulterius doctrina expressa est apud eundē in 2. d. 26. q. 1. ar. 1. quòd cum dilectio Dei sit gratia, & principium omnis boni: quodcumque donum à Deo gratuito, & liberaliter concessum, gratia Dei dicitur. Addit tamen solut. ad 2. quod *sicut sola dilectio amicabilis Dei Antonomastice dicitur dilectio: sola gratia gratum faciens, dicitur simili modo gratia; quamvis omnes bonitates naturales, etiam gratia dicantur.* * Denique: Nam iuxta S. D. ad cognitionem cuiusvis veri, & ad omnem nostram operationē requiritur *auxilium Dei gratuito moventis*, licèt autem sic moveat,

Ad ponderationē ex S. D.

Ly gratuitum non probat.

& Deus causet omne ens physicū, & omnē entitatē peccati, nequit talis concursus, propriè dici *speciale auxilium Dei*.

68 Aliud motivum est. Ideò non requiritur auxilium speciale ad opera facilia virtutum moralium; quia est debitum naturæ in aliquo saltim individuo vagè; ideòque pertinet ad donum creationis; sed hæc ratio non congruit doctr. M. P. ergò. Prob. min. Gratia requisita ad virtutes morales, est ea, quam negavit Pelagius, & contra ipsum, & Iulian: propugnavit Aug. Sed Pelagius non negavit gratiam creationis, ut est certum: imò sub isto nomine errorem suum occultabat: ergò gratia requisita iuxta Aug. &c.

Arguit. 2.

Urgetur. Urgetur. Quòd non debetur naturæ humanę, nisi ex suppositione gratuita, non tollit rationem gratiæ specialis; sed huiusmodi est auxilium ad bene moraliter operandum respectu naturæ lapsæ; cum per peccatum meruerit privari omni auxilio ad bonum; sitque gratia Dei, quod huiusmodi pœnam non inflixerit: ergò.

69 Ad hoc Resp. ex M. Serna hic art. 2. quod gratia creationis potest sumi dupliciter. 1. In sensu Pelagij, scilicèt, pro donis habitis ex vi creationis debitisque naturę rationali debito necessitatis. Undè liberum arbitrium datum homini cum libera facultate ad utrumlibet dicitur gratia creationis. Et quia in sententia concedente concursum indifferentem, præparatio concursus simultanei facta per decretum indifferens, constituit hominem potentem ad utendum, & faciendum hoc, aut illud; etiam talis concursus indifferens pertinet ad gratiam creationis. Sic accepta gratia creationis omnes Theologi asserunt ultra illam requiri aliam gratiā, adiutoriū, vel auxilium Dei movētis, & facientis nos facere quodlibet bonum opus, etiam minimum. Et in hoc sensu P. Aug. asserit hominem non posse efficere aliquod bonum sine gratia, & sine Dei adiutorio à gratia creationis diverso; quia postquam creati sumus cum libero arbitrio, petimus ab eo auxiliū, ut benè operemur, & pro quolibet bono gratias agimus Deo; nec possumus de aliquo bono opere in nobis gloriari, sed solùm in Deo. Si ergò gratia specialis

Primo.

Gratia creationis dicitur dupliciter.

lis sumatur: prout differt à gratia creationis in sensu Pelagij: sententia asserens illam requiri ad quodcumq; opus bonum verissima est. Si in hoc sensu loquitur Capreol.(& Alij) verũ dicit.

70 2. Modo sumitur gratia creationis à Theol. Scholast. non solum pro libero arbitrio, sed etiam pro concursu, & auxilio debito ipsi; non quidem debito necessitatis, sed contingentiæ, ex generali providentia Dei, qua regit, & gubernat hominem; & hoc auxilium est, quod datur ad bona opera, tàm physicè, quã moraliter proportionata cum libero arbitrio. Qua ratione non est gratia specialis, sed pertinet, & adintegrat gratiam creationis, tamquam terminus exactus ab ipso libero arbitrio habito per creationem. Undè in hoc sensu inquirere: An ad omne opus morale requiratur specialis gratia? idem est, ac inquire-

re, an detur aliquod bonum opus virtutis moralis moraliter proportionatũ cum nostra volũtate, & ideò ipsi ex generali providentia debeatur auxilium efficax ad illius elicientiam? Ad urgent: dictum est dub. antec. Probat etiam sufficientiam ad quodlibet opus bonum esse gratiam specialem, similiterque conservationem; & alia innumera. Undè solum erit gratia specialis in radice, sed remotissima: & relatè ad peccatum Adæ; secùs relatè ad vires, quę manserunt post peccatũ. Aliud motivum, scilicèt: auxilium ad quẽcumque actum honestũ esse gratiã Christi infra dub. speciali examinabitur, sicut, & motivum ex gravi tentatione, aut periculo inanis gloriæ. Aliud sumptum ex Rip: solvitur n. 47.

Et hæc de hoc dub. applic. litteræ Mag. in 2. d. 26. & 28. & alijs distinct. quæ agunt de gratia.

DUBIUM V. APPENDIX.

AN PRO VICTORIA LEVIS TENtationis sit necessaria gratia specialis?

§. I.

PRÆLIBANTUR ALIQUA, ET REFERUNTUR SENTENTIÆ.

N. 1 CUM victoria levis tentationis inter opera honesta facilia computetur, stabilito iam in antec. posse hominem sine gratia speciali elicere aliquos actus moraliter honestos de se faciles, etiam urgente præcepto; rectè colligitur idem prorsus dicendum de victoria unius, vel alterius levis tentationis ob finem honestum. Sed quia AA. oppositum sentientes, supra motiva in antecedentibus proposita, & soluta; adducunt in sui favorem plura testimonia Scripturæ, & PP. insuperque sentiunt ad minus esse gratiam specialem, levem tentationem non fieri gravem; ob id præsens dub. etsi consectarium ad præcedentia, nomine proprio decidendum proponimus.

2 Tentatio seducens (omissa tentatione unicè probanti, quę est à Deo) est quælibet inclinatio, sive impulsus provocans voluntatem, & eam solicitans ad malum; & hoc, sive ortum ducat ex appetitu rebeliãti rationi, sive ex cognitione intellectus proponentis malum in re, ut conveniens voluntati quòad sui prosecutionem. Hinc sequitur, utquoties volũtas est potens in actu 1. expedito ad peccandum, adsit, etiam aliqua tentatio; cum voluntas nequeat esse positive; & ex-

Impugnatur 1.

expeditè indifferens ad prosequi bonum, & malum; nisi adsit cognitio alliciens illam ad bonum, & pariter cognitio retrahens ipsam à bono, & invitans ad prosecutionem mali sub ratione boni apparentis, vel quia utile, vel quia delectabile. Tentatio alia est *levis*, alia *gravis*. *Levis* dicitur, quæ non vehementer, aut nimis, retrahit à bono, & allicit ad malum. E contra vero *gravis* dicitur, quando bonum apparens efficaciùs, intensiùs, & cum mai. vivacitate proponitur, quàm bonum honestum; hoc autem solùm remissè, segniter, & tepidè apparet. Undè in summa tentatio *levis* est illa, *in qua practicè prævalet bonum honestum; gravis vero, in qua prævalet bonum apparens*; quapropter dicitur intellectū esse obscuratum, & tentatione obnubilatum; etsi semper adsit lux aliqua, ut non sine culpa peccet homo, si tentationi succumbat, & Deum possit invocare adiutorem in tribulationibus.

3 Secundò. Sed quia tentatio dicitur respective ad subiectum: contingere valet, ut illa, quæ uni est tantū levis, alteri subiecto sit gravis. Quapropter in homine vitioso, & nimis timido, qualibet propositione obiecti turpis, vehementer allicitur ad eius prosequtionem, & qualibet apprehensione mali imminentis valdè terretur. Hinc contingere potest, ut etsi aliqua tentatio sit de se gravis, & prudenter existimetur talis; ratione tamen subiecti vehementer propensi in bonum honestum ex assidua exercitatione virtutum, tantum leviter ipsum incitet ad peccandum. Huiusmodi gravitas plures continet gradus, vi quorum aliæ sunt graves, aliæ graviores, aliæ gravissimæ, iuxta diversitatem occasionum, genij, temperamenti, & præsertim iuxta suasionem diaboli ex permissione Dei. Tripliciter potest vinci tentatio, 1. eliciendo actum oppositum ex motivo supernaturali; ut dùm quis tentatus ad furandum, v.g. elicit hunc actum: *nolo furari, ne Deum offendam, & gratiam eius amittam.* 2. Potest vinci ex motivo honesto purè naturali; ut dùm quis non vult furari, quia opponitur iustitiæ, & rectæ rationi naturali. 3. Potest vinci ex amore honesto altetius peccati, ut dùm quis ex motivo vanitatis desinit furari.

4 Tertiò. Certum est ad victoriam levis tentationis 1. modo requiri gratiam supernaturalem: supernaturalem; in quam, pro elicientia actus illam imperantis, etsi talis gratia non requiratur pro elicientia actus, quo immediatè vincitur tentatio, de quo pronunc non curo; talis enim victoria est aliquatenùs salutaris, & in homine iusto, meritoria gloriæ. Similiter est certū ad victoriam 3. modo acceptam, non riquiri gratiam specialem; cum hæc non dispensetur à Deo, nisi ad actus moralitèr honestos. Et rursus: quia iuxta M. P. lib. 2. contra 2. epist. Pelagian: cap. 4. *Carnalis cupiditas alia cupiditate non sanatur*: Undè illa propriè victoria dicenda non est. *An autem in eo, qui vincit tentationem allicientem ad peccandum læthaliter, ex motivo inanis gloriæ v. g. adsit aliqua gratia ex parte Dei?* Resp. affirmative; nimirum gratiam consistentem in externa protectione Dei non sinentis ipsum peccare læthaliter. 4. addunt aliqui alium modum victoriæ; scilic. vel per puram omissionem, vel per actum indifferentem; ut dùm quis tentatus ad furandum, ommittit furtum purè negativè se habendo, aut ex motivo exeundi in agrum. Sed hic modus frequenter reijcitur à Thomistis. 1. quia actus indifferens in individuo repugnat iuxta doctrinā M. P. & D. Thom. undè vincens tentationem modo dicto; peccaret ociosè agendo. 2. quia pura omissio moralitèr loquendo non est possibilis, estò metaph: & physic: nōrepugnet. 3 quia pura omissio iuxta plures, etiam est mala moralitèr, ex defectu ordinationis ad finem honestum. 4. quia homo tenetur positivè resistere tentationi; saltim per illius contemptum, nè si neutraliter se habet in illa; se exponat periculo consentiendi.

Quartò. Cuidam quæsito Resp.

5 Sententiæ Undè difficultas solùm procedit de victoria levis tentatationis ex motivo honesto naturali. His notatis P. Vazquez 1. 2. disp. 109. per plura capita docet nullam tentationem levem posse vinci sine gratia speciali, & per Christum: idem expresse tuetur Tur-

Turrianus, Contenson. & omnes, qui cum Gregorio de Arimino tenent nullum actum honestum, etsi facilem, posse elici in natura lapsa absque gratia speciali, quos dub. antec. retulimus. Sententia negativa est communis inter Thomistas cum M. Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 21. Mag. Medina hic art. 2. Illust. Alvarez tom. de auxilijs, disp. 54. n. 14. Lorca hic disp. 6. M. Ferre, Bolivar, Gonet, Illust. Godoy, P. Suarez, lib. 1. de necessitate gratiæ cap. 23. quem alij RR. sequuntur. Alij vero, quasi media via incedere videntur asserentes, quod licet supposita levi tentatione non sit necessaria gratia specialis pro illius victoria; est tamen gratia specialis Dei levem tentationem non transire in gravem: qua de causa absolutè dicēdum est requiri auxilium speciale. Ita Bellarm. lib. 3. de lib. arb. cap. 7. Tannerus citans alios pro se, quos in bono sensu interpretatur P. Suarez, ubi supra num. 8.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Etiam si proveniat ex speciali providentia Dei, quod tentatio levis non transeat in gravem; gratia propriè requisita ad victoriam levis tentationis, non est dicenda gratia specialis.

6 Prima prob.

COnclus. destruit illationem opinionis contrariæ inferentis indigentiam gratiæ specialis ex illo antecedenti. Prob. 1. à simili. Etiã si fuerit specialis providentia Dei, per quam disposuit hominem, non obstãt: attenta indignitate peccati originalis, nõ mansisse privatum, tùm gratia sufficienti ad honeste operandũ intra ordinem naturæ; tùm etiam pluribus donis naturalibus, scilicèt, ingenij acumine, pulchritudine corporis, sanitate corporali, & duratione per mediocre tempus; falso tamen dicitur: *hominem indigere gratia speciali donante sufficientiam ad cognoscendum quodlibet verum, & ad bene operandum quovis modo intra ordinem naturæ. Similiterque falso dicitur: esse gratiam specialem respectu naturæ humanæ dari in ea aliquos homines ingenio præditos, fortes robore, & vitam degentes per mediocre tempus*: ergò dato, quòd sit specialis providentia tentationem levem non transire in gravem; falso dicitur, ad victoriam illius &c.

7 Secunda

Prob. 2. Adversus aliquos ex AA. cit. tuentibus secluſſa tentatione non requiri gratiam specialem ad operandum faciliter honeste. Sicut enim Deus gratioſe disponit res, faciendo, quod tentatio levis non transeat in gravem; ita etiam gratioſe segerit, dùm nullam permittit tentationem esse excitatã à Dæmone instante occasione operandi aliquem actum honestum facilem: Assumpt. prob. Eo enim iuxta illos est gratia specialis Dei, quod tentatio levis non fiat gravis, quia Dæmon semper est paratus ad graviter tentandum. Sed etiam semper est paratus ad tentandũ, & præcipue tempore, quo homo honeste, etsi facilitèr, operatur: ergò si primum est gratia Dei, etiam secundùm. At qui hoc non obstante falso dicitur hominem indigere gratia speciali, quoties honeste operatur, iuxta illorum sent: ergò similiter &c.

8 Tertia

Prob. 3. à priori. Quod Deus non permittat tentationem de se levẽ fieri gravem, est gratia externæ protectionis; atqui gratia requisita ad victoriam, & de qua loquimur, est gratia internæ inspirationis, & interius adiuvantis voluntatem ad victoriam: ergò ex una gratia non rectè fit transitus ad aliam. Quapropter hic distinguenda sunt duo dona Dei, scilicèt, *prævenire voluntatem, ne patiatur gravem pugnam in elicientia actus honesti*; & rursus: *adiuvare illam ad victoriam levis tentationis*. Licet ergò 1. sit ex speciali providentia Dei, non verò 2. quod sic probo. Gratia illa, per quam propriè vincitur levis tentatio, est gratia, quæ dispensatur à Deo immediatè ad actum honestum, contra quem urget tentatio; sed hæc gratia non est illa, quæ consistit in eo, quòd tentatio levis non sit gravis: ergò. Prob. min. Gratia necessariò supponens levem tentationem non est gratia, per quam fit, quod tentatio sit levis; sed gratia tribuens victoriam levis tentatio-

tio-

tionis necessariò supponit illam; cum vincere faciat sensum compositum, sicut *resistere*, *falsificare*, *frustrare*: ergo.

9 Denique. Nàm ex oppositò sequitur 1. non solùm requiri gratiam specialem, sed etiam specialissimam, Ultima ratio. ad victoriam levis tentationis: Nàm sicuti apparet gratia Dei, dùm non permittit tentationem esse gravem; ita apparet; dùm non permittit, quod levis fiat gravissima: utrumque etiam potest Deus permittere; & ad utrumque Dæmon semper est paratus: ergò cum pro victoria gravissimæ tentationis sit necessaria gratia specialissima &c. 2. Dùm aliquis urgente gravi tentatione, ei restitit ex motivo manis gloriæ, intervenit aliqua gratia ex parte Dei; nōquia permittit peccare venialiter; sed quia non permittit peccare læthaliter consentiendo gravi tentationi: & tamen propter hoc nequit dici Deum in dicta hypothesi adiuvari hominem gratia speciali ad victoriam gravis tentationis. Huius ratio est, quia talis protectio, esto gratia, se habet antecedenter, & non ut præbens vires adiuvantes ad pugnandum, & vincendum: ergò similiter quamvis &c.

10 Argues 1. Quod fit ex suppositione, quæ est gratia specialis, est Primum argum. absolutè gratia specialis; sicuti, quod fit necessariò ex aliqua suppositione libera, dicitur absolute liberum: ergò si est gratia specialis tentationem Secundū. esse levem, victoria illius est absolutè gratia specialis. 2. In hac propositione: *homo vincit levem tentationem*, importatur actu gratia specialis: ergò ad veritatem illius &c. Prob. añs. In dicta propositione importatur actu tentationem manere levem; sed hoc Tertium. admittitur à nobis, ut gratia specialis: ergò. 3. Iuxta August. 2. confes. cap. 7. *Gratiæ Dei tribuendum est non committere, quodcumque peccatum*; & hoc quidem; *quia si deficit locus, tempus, & occasio, & suasor, hoc provenit ex gratia Dei.* Et tamen plura ex his se Quartum habent antecedenter ad vitationem peccati: ergò quamvis &c. 4. Aut enim occurrit gravis tentatio; aut non? Si 1. gratia Dei facit, ut vincatur. Si 2. hoc provenit ex gratia Dei: ergò in victoria levis tentationis adest specialis gratia Dei. 11

Probat. argument. Talem gratiam esse specialissimam iuxta superius animadversa. Probat etiam libertatem ad benè agendum; conservationem vitæ, aliaque bona naturalia esse gratiam specialem; cum attenta indignitate peccati originalis, cui Deus gratiosè non annuit, potuerit omnes homines donis recensitis privare. Unde illa mai. est vera, quando talis suppositio est connexa; tentatio autem levis de se non connectitur, nec positivè iuvat ad sui victoriam. Ad 2. dist. añs. importatur gratia specialis donans, & adiuvans voluntatem ad victoriam, neg. añs. Aliter, solùm præsuppositivè, conc. añs. & neg. conseq. Quæstio enim procedit de adiutorio gratiæ donantis victoriam tentationis, quæ supponitur. Ad 3. Resp. 1. solùm probare in victoria levis tentationis intervenire gratiam Dei sumptam pro beneficio, sive spectet ad specialem, sive ad generalem providentiam Dei. Non enim omnia, pro quibus debemus referre gratias Deo, ex providentia speciali proveniunt. 2. Resp. Solùm probare necessitatem gratiæ externæ protectionis Dei se habentis antecedenter ad existentiam tentationis levis, non verò se habentis consequenter, & suppositā levi tentatione; & præcipuè, quæ sit gratia auxilians, & adiuvans ad victoriam. Ex his constat ad ultimum.

Ad 1.

Ad 2.

Ad 3. resp 1.

Secundò.

Ad ultim

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Quod tentatio sit levis, non semper provenit ex speciali providentia Dei. 12

Notand.

SUpponimus omnem tentationem provenire ex tribus animæ inimicis, scilicèt, *carne*, *mundo*, & *dæmone*. 1. provenit ex rebellione appetitus adversus spiritum, vel alliciendo ad bonum sensibile prohibitum, vel retrahendo à bono honesto. 2. provenit quatenùs, ille per amorem inordinatum bonorum temporalium;

vel

vel per terrorem incussum per persecutores,& tyrannos, provocat voluntatem, ut prosequatur malum prohibitum, vel desistat à bono præcepto. 3. provenit ex suggestione dæmonis varijs modis suadentis, & instigantis ad malum iuxta hominum genia, complexionem, & mores. Deinde. Supponendum cum D. Tho. 1.2.q.80.art. 4. non omne peccatum provenire ex diaboli suggestione, nisi ad summum indirectè, quatenùs induxit Adamum ad peccandum, ex cuius peccato derivata est in nobis flexibilitas, & pronitas ad peccandum. Nec obstat: nos in victoria omnis tentationis pugnare contra diabolũ; proindeque omnẽ ex diaboli suggestione provenire. Non, inquam obstat; quia sufficit victoriam cuiusvis tentationis esse contra eius voluntatem protervè desiderantem, ut si fieri posset, semper peccaremus.

Ultimo.

Omiss.ant. Resp.

13 His suppositis prob. conclus. de tentatione 1. & 2. generis. Ad providentiã generalẽ Dei spectat, ut pluries non insurgant motus inordinati ex parte appetitus; & similiter; quod mundus non offerat obiecta vehementer delectabilia, vel terribilia, quoties homo vult honestè operari. Sic enim contingit, dùm quis vult subvenire parenti extremè indigenti, illum honorare,& alia opera similia facere; quin potius propter propensionẽ, & inclinationẽ naturalẽ ad huiusmodi opera, experientia constat, in cessatione talium operum homines experiri magnam difficultatem, & tristitiam. De tentatione dæmonis prob. Eo enim esset providentia specialis, quod dæmon non semper graviter tentaret, quia eius vires sunt ad hoc efficacissimæ, & cui vires humanæ non possunt comparari, ut dicitur. Iob.4. Sed hæc ratio non probat. 1. quia etiam illius vires sunt efficacissimæ ad perturbandum ordinem corporum huius universi. Et tamen ad providentiam generalem Dei spectat non permittere eum sic operari. 2. Nàm providentia generalis Dei debet attendere omnibus causis, & partibus universi: ergò cum homo sit præcipua pars huius, debet per providentiam generalem attendere eius infirmitati, & debilitati, in qua mansit post peccatum. Sed hęc attenta Dei misericordia petit, ut non semper graviter tentetur: ergò ad providentiam generalem Dei &c. Hanc rationem tradit D. Th. opusc. 7. dicens: *Aliqui Deus aliquando concedit, ut non affligatur à malo, quando scilicet cognoscit eum non posse resistere; sicuti medicus infirmo debili non dat violentas medicinas.*

Prima prob.

Etiam supposito quod tentet.

Probat.2.

14 3. Non videtur consonum benignitati Dei, ut semper permissivè annuat voluntati maligne diaboli hostis sibi infensissimi: ergo licèt sit consonum eius providentiæ, ut aliquoties propter exercitium virtutis permittat homines graviter tentari; non tamen semper graviter, imò, nec adhùc leviter, ut docet D. Tho. ubi supra. Denique. Dæmonem non tentare graviter multoties provenit ex eius prava intentione; videlicet, ut homines superbiant de bonis operibus; vel ut illos securos reddat, & ita facilius postea decipiat,&ob id,in statu peccati diutiùs permaneant, iuxta illud D. Greg. lib. 24. moral. c. 7. *Dæmon eos pulsare negligit, quos quietos iure possidere sentit.*

Probat 3.

Ultimò.

15 Argues. 1. Id pro quo homo tenetur agere gratias Deo, est gratia specialis; sed homo tenetur gratias agere Deo; dùm graviter non tentatur: ergò. 2. quod provenit ex meritis Christi, est gratia specialis; sed quod graviter non tentemur semper, ac adest tentatio, provenit ex meritis Christi; ab illo enim provenit remotio omnis mali: ergò. 3. Dæmonem non tentare graviter hominem iuxta SS. PP. præcipuè D. Aug. supr. Psal. 61.& 68. provenit ex meritis Christi, per quam ligata est potestas diaboli, nè seducat universum orbem, ut constat ex Apocal.2. ubi Ioannes vidit Angelum ligantem diabolum per mille annos &c. ergò cum quidquid ex meritis Christi, provenit &c. Denique. Deum liberare hominem à potestate diaboli, est gratia specialis Christi, iuxta illud: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum &c.* ergò, & quod graviter non tentet hominem ad peccandum.

Aliqua argum. 1. & 2.

Tertium.

Ultimum.

16 Resp. neg. mai. ad gratiarum enim actionem ad summum requiritur, quod sit beneficium distinctum

Solutio.

à

à sufficientia, & speciale huic individuo, & in hac occasione, ut ex dictis in antecedent. late constat. Ad 2. neg. maior. Non enim omnia, quæ nobis ex meritis Christi conferuntur, sunt intrinsecè gratia specialis; ut constat in substantia prædestinati, & pluribus alijs bonis naturalibus collatis prædestinatis ex meritis Christi; cum tamen illa per se ad providentiam Dei generalem spectent. Requiritur ergò ad rationem gratiæ specialis, eam titulo lapsus naturæ conferri ex meritis Christi. Quod si tantum imperentur aliqua dona ex fine præmiandi merita Christi; solum probat illa esse extrinsecè gratiam specialem. Ad 3. Resp. Illam solum probare esse gratiam specialem, quod Dæmon non toties gravitèr homines tenter, ac tentabat ante Christi mortem; secùs tamen, quod non semper gravitèr tentet. Nàm ad connaturalem providentiam Dei gubernantis misericorditèr, & ut Medicus, & Custos hominum, pertinet, ut multotiès infirmitati vitium illorum attendat, & non semper annuat pravæ voluntati, & potestati Dæmonis. Ad ultim. Resp. Libertatem à potestate Diaboli, sub quo homo tenetur per peccatum captivus, esse gratiam specialem consistentem in remissione illius: & de hac loquitur textus Apostoli; secùs autem libertatem purè consistentem in eo, quod Deus non permittat illum tentare homines ad peccandum, quantùm vult, & quantùm potest, pro omni occasione.

Ad 1. & 2.

Ad 3.

Ad ult.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Ad vincendas aliquas leves tentationes non est necessaria gratia specialis in natura lapsa.

17 PRobat. 1. ex dictis dub. præcedent. ubi probavimus talem gratiam non requiri ad aliqua opera honesta facilia; nec ratione indifferentiæ voluntatis; nec ratione congruæ cogitationis à Deo liberè conferibilis. Sed victoria levis tentationis, iuxta omnes, inter opera honesta facilia computatur: ergò. 2. Nàm ferè semper, ac instat aliquod præceptum affirmativum facile adimpletione libera, v. g. subvenire Parenti graviter indigenti, intervenit aliqua levis tentatio, scilicèt, cognitio retrahens ab elicientia talis actus; aliàs non esset libera: ergò si ad talem actum, ut liberum, non requiritur gratia specialis, non requiritur ad victoriam talis cognitionis levitèr tentantis per retractionem ab illo.

Prima probatio.

Secunda.

Probat. 3. & à priori ex Tridentin. & ex Div. Thom. hic art. 2. asserentibus: *Naturam humanam per peccatum Adæ non mansisse tota litèr corruptam omni bono naturæ, licet manserit infirma, & viribus attenuata.* Natura infirma, esto non possit virtute suæ naturæ elicere opera ardua, & difficilia: benè tamen aliqua opera, in quorum elicientia non adest gravis difficultas. Patet hoc in homine infirmo: qui licet sine auxilio medicinæ non possit elicere motus perfectos, potest tamen sine illo aliquos motus faciles elicere. Sed in victoria levis tentationis non intervenit gravis difficultas, sed ut parva reputatur: ergò non requiritur &c. Confirm. & explic. hoc: Vires naturæ sunt idem, ac robur illius: ergò si natura humana post lapsum non habet robur ad vincendam modicam difficultatem repertam in levi tentatione, non habet ullas vires, sed potiùs dicenda est viribus extincta. Urgeo ulteriùs à priori: Id, quod est connaturale naturæ humanæ levitèr tentatæ ad peccandum, non est gratia specialis respectu illius; sed quod Deus conferat auxilium ad victoriam vnius, vel alterius levis tentationis, est connaturale naturæ humanæ levitèr tentatæ: ergò. Prob. min. Cuilibet agenti connaturale est operari iuxta inclinationem in illo actù prædominantem; * sed in homine levitèr tentato prædominatur actu inclinatio ad victoriam levis tentationis; cum levis tentatio sit, in qua cogitatio suadens bonum ho-

18 Tertia ex Trid. & S. Doct.

Confirm.

Urgetur.

* Hæc, tàm hic, quàm in seq. tumitur pro Dominat intrètion. practica, suasiva &c.

Ad nes-

nestum sit intensior, & efficacior in proponendo, quam cogitatio retrahens à bono, & alliciens ad malum: ergò. His accedit victoriam levis tentationis non excedere vires physicas, aut morales voluntatis; cum difficultas vincenda quasi pro nihilo reputetur; ex quo efficacissimè consequitur gratiam pro tali victoria non esse specialem supra gratiam creationis, ut hæc accipitur a Theologis; secus vero à Pelagio, de quo dub. ant. à n. 69.

§. V.

Solvuntur argumenta.

19 CONtra hanc conclusionem militant omnia, quæ in antecedentibus obiecta sunt pro necessitate gratiæ specialis, ad quodcumque opus honestum: pro quorum solutione videantur ibi latè dicta. Objc. 1. Nequit homo sine speciali gratia vincere inimicum illo longè potentiorem; sed diabolus est huiusmodi comparativè ad hominem, & maximè post lapsum, ut dicitur Iob 41. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret*: ergò homo sine gratia speciali nequit vincere levem tentationem ex suggestione diaboli provenientem. Resp. Quod licet tanta sit potentia diaboli ad procurandam hominis perditionem; & extrinsecè suadendo, & interiùs incitando ad malum, ut faciat fervescere quasi ollam profundum maris, & ponat illud, quasi cum unguenta ebulliunt; nequit tamen trahere efficaciter hominem ad peccandum, nisi ipse sponte velit se illi subdere. Huiusmodi enim tractio est propria Dei, qui ut Supremus Dominus, & primus motor, determinat efficaciter voluntatem ad bonum, & ad eius permissionem infallibiliter sequitur culpa. Hinc August. serm. 3. de Nativit. *Non erit nobis excusatio qualiscumque: diabolus potest ad malum incitare, non trahere.*

Arg. 1.

Solutio.

20 Hæc dicta sunt, ut in agone diabolum non timeamus, sed spem in Deo ponentes fortiter dimicemus. Non enim adeò terribilis est hostis (ut frequenter existimatur) qui solo Crucis signo, aut *IESU* nomine invocato, invalidus, & inermis, quasi fumus abscedit. Ad argument. Respond. distinguend. maior. Potentiorem, & exercentem actu suam potentiam, conced. maior. Illam actu non exercentem, neg. maior. Sic se gerit Diabolus, quando hominem leviter tentat. Præterquamquod; esto homo sit Dæmone inferior; adiutus tamen à Deo est fortior illo; ad quod parùm refert tale adiutorium dispensari ex providentia speciali, aut generali; quæ dicitur talis, quia se conformat cum activitate expedita, & inclinatione prævalenti, qua natura rationalis gaudet ad victoriam levis tentationis.

21 Objc. 2. Plura testimonia Scripturæ, & Patrum !, asserentia victoriam omnis tentationis debere attribui gratiæ Dei. Constat 1. ex illo Matth. 6 ubi præcipitur nobis orare, nè intremus in tentationem: *Oratio autem iuxta P. Aug. epist. 107. est gratiæ clarissima testificatio.* Et Psalm. 17. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Et Psalm. 117. *Impulsus eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me.* Et item: *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.* Et tandem: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Quæ omnia magna energia continent omnem victoriam Dei gratiæ tribuendam esse; nec sine voluntarietate restringi valere ad victoriam solius gravis tentationis.

Arg. 2. ex Sac. Scrip.

Psalm. 93

Psalm. 49

22 Adstipulantur etiam Concilia. Arausican. canon. 9. *Divini muneris est; eum pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus* Et canon. 14. *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi, qui Dei misericordia prævenitur.* Levis autem tentatio absdubiò aliqualis miseria est. Idem tradunt Summi Pontifices. Innocentius I. in refeript. ad Concil. Carthaginens. *Quotidiana ille præstat remedia, sine quibus nullatenus humanos poterimus vincere errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus; eo iterum non ad-*

Ex Concilijs.

Ex Summis Pontificibus.

adiuvante vincamur. Zozimus Papa: *Quod tempus intervenit, quo eius non indigeamus auxilio? in omnibus enim actibus, causis, motibus, & cogitationibus, adiutor, & protector orandus est Deus.* Cœlestinus 1. epist. ad Episcop. Galliæ c. 6. *Nemo est idoneus ad superandas diaboli insidias, & concupiscentias carnis superandas, nisi per quotidianum Dei adiutorium perseverantiam bonæ conservationis acceperit.*

23 Ex SS.PP

Consonant SS. PP. Ambros. in Psalm. 41. *Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi ei Dominus adiutor existat.* Chrisostom. Homil. 34. super 1. epist. ad Corinth. *Sunt ergò tentationes, quæ ferri non possunt: & quæ sunt? Omnes, ut semèl dicam. Posse autem ferre, situm est in Dei nutu.* S. Gregor. in expositione Psalm. 3. pœnitent. *Si homo sibi dimittatur, cuiuslibet tentationis aura raptatur.* Et item: *Necessariò sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicumque fuerit ab eo derelictus.* Idem docet S. Fulgent. epist. 4. c. 4. S. Basilius in regulis moralibus, regula 62. c. 3. & 4. Theophilact. c. 18. 1. ad Corinth. *Quævis tentatio vires superat, nisi ille auxilietur nobis.* Euchumenius: *Quævis tentatio nos vinceret, nisi Christus auxiliaretur.* S. Aug. sæpissimè. Sufficiat illud serm. 13. de verbis Apost. *Sine gratia Dei non dico vincere, sed nec pugnare possumus, quia nisi ille regat, cadis, nisi ille regat, iaces.* S. Prosp. cap. 35. contra Collatorem, & carm. de ingratis dicens:

In quo uno semper superat, qui non superatur,
Quo dignante manum subdere, nemo cadit.

24 Prima solutio.

Omissa solutione asserentium, in testimonijs adductis fieri sermonem de gravi tentatione, quæ sola absolutè tentatio dicitur: vel de continuata victoria levium tentationum: Cùm illa indiscriminatim de omni tentatione loquantur, & indigentia orationis ex præcepto Jesu-Christi ad omnem tentationem levem, etiam divisive superandam, oppositum convincat. Resp. 1. Script. Concilia, & PP. loqui de victoria salutari, & conducenti ad vitam æternam, ad quam certum est requiri gratiam specialem, & quidèm supernaturalem, donantem, non solùm victoriam, verùm etiam sufficientiam ad illam. Conclusio autem procedit de victoria ex motivo purè naturali, quæ nequit dici salutaris; cùm positivè ad finem gratiæ non conducat. Ratio huius est 1. Nàm PP. in testimonijs adductis, sicuti & Concilia, loquebantur contra Pelagium asserentem: *Liberum arbitrium sine præveniente gratia Dei per Jesum posse bonis operibus iustificari coram Deo; iustè vivere, & vitam æternam promereri,* proindeque omnibus tentationibus salutariter, & meritoriè resistere. Qui error constat ex Tridentino session. 6. canon. 1. & 2. Secundo, quia apud phrasim SS. PP. sicuti solum reputatur bonum absolutè tale, & in sensu Christiano, & Theologico, illud bonum, quod ad vitam perducit æternam (id testante S. Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. in hoc se conformanti cum loquutione Div. Pauli 1. ad Corinth. 13. Apud quem omne donum, quantumvis excellens, sine charitate pro nihilo reputatur.) Ita apud ipsos SS. PP. solum victoria salutaris, & fructificans in ordine ad vitam æternam reputatur ab ipsis ut talis. Hac ratione dixit Magn. Par. 12. de Civitat. Dei cap. 16. *Tunc vitia victa deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* Ubi solam victoriam ex amore Dei imperatam, dignam tali nomine appellat. Consonat D. Thomas in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. *Ad 6. dicendum, quòd aliud est resistere peccato, & aliud victoriam de peccato habere. Quicumque vitat peccatum, peccato resistit, & hoc potest haberi sine gratia; ille autem propriè vincit peccatum, qui potest pertingere ad id, contra quod est pugna peccati, quod fit per opus meritorium; & talis victoria sine gratia non fit.*

25 Non placet ex toto. 1.

Sed hæc solutio, etsi satis probabilis, & authoritate Doctissimorum Virorum munita, habet contra se 1. Nàm in pluribus testimonijs SS. PP. adstruitur necessitas gratiæ ad victoriam tentationis ob infirmitatem, &

debilitatem virium lib. arb. post peccatum Adæ. Atqui conducentia victoriæ ad vitam æternam de se præscindit à tali debilitate virium; sicuti se sola est motivum sufficiens ad indigentiam gratiæ supernaturalis: ergo in prædictis testimonijs nequit adstrui indigentia gratiæ specialis titulo victoriæ fructuosæ, & salutaris. 2. & principalius. Nàm ex pluribus testimonijs adductis probant communitèr Theologi (quorum est solutio) requiri gratiam specialem ad victoriam gravis tentationis ex motivo purè naturali. At qui talis probatio esset inefficax, si interpretentur de victoria salutari; ergò inconsequentèr &c. 3. Ideò PP. adstruunt necessitatem gratiæ, quia vincere quamcumque tentationem est donum Dei, quod postulare debemus, nè vincamur, & pro illo gratias Deo agere. Sed hæc ratio militat etiam in victoria tentationis ex motivo honesto purè naturali: ergò talis solutio nequit adaptari omnibus testimonijs SS. PP.

Secundo.

Tertio.

26 Vera igitur solutio, quam illustrat Mag. Bolivar, clarè constabit, si notentur duo, in quibus errabat Pelagius. Asserebat 1. liberum arbitrium sine gratia Dei interiori auxilianti posse per vires naturæ efficere opera salutaria. Constat hoc ex pluribus testimonijs S. Hieronym. & Magn. Par. Sufficiat Tridentin. sess. 6. canon. 1. ubi damnat illius errorem: *Si quis dixerit hominem bonis operibus, quæ ab eo per vires naturæ, aut legis doctrinam fiunt, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Et canon. 2. *Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Iesum Christum dari, ut facilius homo iustè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium, utrumque; sed ægrè tamen, & difficultèr possit, anathema sit.* Errabat 2. in eo, quod posita sufficientia, & libertate ad benè operandum, asserebat hominem non indigere ulteriori ope, auxilio, & adiutorio Dei, ut benè operaretur; nè destrueretur libertas arbitrij. Ita S. Hieron. epist. ad Ctesiphont. & S. Aug. lib. de Gratia Christi ferè per totum, probans *ultra adiutorium possibilitatis requiri adiutorium voluntatis, & actionis*, per quod fit, ut benè velimus, & benè agamus.

Pro vera solutione nota 1.

Secundo.

PP. ergò, & Concilia agentia contra illum utramque gratiam requirunt, & gratiam dantem posse ad opera salutaria, quæ est supernaturalis intrinsecè, & intrinsecè gratia per Christum; & simùl ultra auxilium dans sufficientiam ad benè operādum, requirunt ulteriùs auxilium ad actu operari, quod dicitur adiutorium *quo*, sive adiutorium *voluntatis*, & *actionis*. Quod si detur ad actus meritorios, erit gratia supernaturalis; si verò ad actus naturales honestos, sed arduos; juti est victoria gravis tentationis, dilectio naturalis Dei super omnia, dicitur gratia specialis de ordine naturæ. Si tamen detur ad actus honestos faciles, ut est victoria levis tentationis, dicitur propriè *auxilium*, & *adiutorium Dei*; & etiam (licet non cum tanto rigore) *gratia Dei*. Ratio huius est: quia est auxilium à Deo liberè collatum, distinctum à sufficientia, & quod Deus potest sine iniuria negare; & insuper, quia respectu cuiuslibet individui determinatè, & in hac occasione, est beneficium speciale. His ergò titulis meritò tale adiutorium appellatur gratia Dei, in cuius potestate est unicè collatio talis auxilij; quapropter, & illud orare debemus, & gratias Deo agere: dùm nobis liberè, & unicè pro sua bona voluntate confertur. Attamen, quia voluntati indifferenti, & cum sufficientia moraliter expedit, & inclinata in bonum, connaturale est, ut aliquando determinetur ad bonum iuxta suavitatem divinæ providentiæ; ideò tale auxilium numeratur inter dona creationis, & gubernationis creaturæ intellectualis, estò sit gratia generaliter accepta.

27 Resp.

28 Ex hac doctrina constat, qualiter verificentur loquutiones SS. PP. attribuentium Deo; *nè in quamcumque tentationem inducamur*. Siquidem gratia efficax, vi cuius non inducimur in tentationem, est unicè à Deo pro suo libito eam dispensanti. Ve-

Verificantur locutiones in test. adductis.

ri-

rificatur etiam ; *quod vincere quamlibet tentationem sit divini muneris*; quia nimirum talis victoria fit per gratuitam Dei motionem, quam Deus confert ubi, quando, & cui vult, potens illam negare sine aliqua iniuria irrogata, tùm naturæ humanæ; tùm, & præcipuè huic individuo. Verificatur etiam *necessitas orationis*, & *quod solum in Deo spem victoriæ ponere debemus*; quia prædeterminatio ad victoriam non est in nostra potestate. Cuius oppositum contingit si sola sufficientia requiritur. Verificatur similiter *liberum arbitrium, si sibi relinquatur, cuiuslibet tentationis aura raptari*; quia videlicet denegatio gratiæ predeterminantis instante præcepto, est infallibilis permissio peccati.* Verificatur tandem: *Nos debere gratias agere Deo pro tali victoria*; 1. quia est beneficium speciale huic individuo vincenti. Tùm quia, etsi sit debitum naturæ, solum debetur debito contingentiæ, non necessitatis, iuxta Sanct. Doct. hic art. 1. in corp. Tùm quia est donum Dei realiter superadditum ad sufficientiam.

*) Et de suo non habere nisi mendacium, & peccatum, quia ly de suo auxilium Dei excludit.

Testimonia autem afferentia, quod omnis victoria est per Christum tenent verum; estò gratia pro illa non sit specialis: Christus enim meruit nobis auxilium ad omne bonum morale, & iuxta plures; substantiam prædestinatorum ad donum creationis strictè pertinentem. Hoc enim solum probat, quod sit extrinsecè gratia specialis propter imperium; & quia Deus nihil operatur in hoc mundo, nisi *per Christum Dominum nostrum, qui est initium omnium viarum Dei*. Hinc constat ad tollendam vanâ gloriâ non requiri tueri indigentiam gratiæ specialis, sed sufficere fateri nos indigere novo adiutorio Dei. Quis enim superbit, nisi amens, de suæ mentis ingenio, de robore corporis, eius pulchritudine &c? Et tamen huiusmodi bona ad providentiam Dei generalem spectant. 29

Obijc. 3. ex D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 9. dicenti: *Hominem, etsi iustificatum indigere auxilio speciali Dei, ut non peccet, & rectè vivat; quia videlicèt estò per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen corruptio, & infectio, secundùm carnem; & ideò necesse est nobis ad non peccandum, quod dirigamur, & protegamur à Deo.* Sed per victoriam tentationis, etsi levis, homo rectè vivit, & non peccat: ergò ad illam &c. Resp. D. Thom. expressè loqui de vitatione simpliciter peccati, hoc est, ad non peccandum de cæterò post iustificationem, & de rectè vivere, per observationem divinæ legis per multum tempus; secùs autem de vitatione unius, vel alterius peccati per actum facilem, qualis est victoria levis tentationis. Nec infectio appetitus sensitivi oppositum probat; vel quia non semper resistit actu rationi, vel quia etsi resistat, talis resistentia est parva, & de facili propulsabilis. 30 Arg. 3. Solutio.

Diximus in conclusione non requiri gratiam specialem ad victoriam unius, vel alterius levis tentationis. Cum quo verum iudicamus *pro victoria plurium requiri gratiam specialem*; qu'a videlicèt naturæ indifferenti, inconstanti, & debili ad benè operandum; qualis remansit natura humana post lapsum; non debetur semper, aut sæpè, determinari ad bonum. Est suppositio communis inter Theologos: contra quam minimè obstat, quod voluntas ex victoria unius tentationis fit habilior ad victoriam alterius. Nàm hoc admisso, per talem victoriam non amittitur debilitas, & inconstantia ad rectè operandum, propter quam non debetur auxilium in perseverantia electionis boni. 31 Alia concluſ. & probat.

Sed specialitèr obijcies contra hanc suppositionem argument. quod multis abhinc annis valdè torquet parvitatem mei ingenij. Non est gratia specialis hominem pluriès levitèr tentatum non succumbere tentationi, estò sit gratia specialis, quod non sæpè gravitèr tentetur. Probatur assumptum. Non est gratia specialis hominē non succumbere tentationi, etsi repetitæ, quando ei succumbere est impossibile; sed sic contingit in præsenti: ergò. Prob. min. Levis tentatio est talis, quando obiectum honestum vivaciùs, & ut magis conveniens proponitur; obiectum vero delectabile tantùm remissè, & ut minùs conveniens; sed his suppositis 32 Arg. cont. illam.

impossibile est hominem sic tentatum succumbere tentationi: ergò. Min pr. ex frequenti doctrina apud Thomist. tuentes cum Mag. à S. Thoma illam specialitèr illustranti, voluntatem creatam ex duobus bonis inæqualitèr propositis non posse in sensu composito eligere minùs bonum. Ex qua doctrina, quilibet pro suo ingenio potest urgenter probare minorem, & quamlibet evasionem reijcere.

33 Pro solutione notandum, levem tentationem contra præceptum affirmativum v. g. honorandi Parentem, consistere in cognitione retrahente voluntatem, etsi remissè, ab elicientia talis actus; & huiusmodi tentatio non vincitur, nisi eliciendo actum positivum. Si vero tentatio sit contra præceptum negativum, v. g. non furandi; quia in furto proponitur aliqua convenientia; sed longè maior est, quæ proponitur in non furando; tùnc vincitur talis tentatio per positivam nolitionem furti. Nàm etsi possit omittere volitionem furandi; & hoc modo aliqualiter vincat; attamen, nè crescat tentatio, & fiat gravis, tenetur positivè efficacitèr nolle, nè se exponat periculo consentiendi: præsertim quando adest in appetitu aliquis motus inordinatus de facili potens trahere ad se voluntatem negativè se habentem. 2. Nota aliud esse voluntatem non prosequi obiectum propositum, ut minùs bonum; aliud vero sequi obiectum propositum, ut maius. Primum affirmatur in illa sententia, iuxta quam in sensu composito iudicij proponentis obiectum ut minùs bonum, nequit voluntas illud amplecti; non tamen per hoc voluntas est necessitata ad sequendum maius bonum; sed potest in sensu composito talis iudicii illud omittere, ut satis efficaciter probant prædicti AA. ex D. Thom. q. 22. de Verit. a. 15.

Nota pro solut.

Secundo.

34 Ex his apparet clarè solutio; cum enim victoria tentationis non tantum dicat non sequi minùs bonum delectabile, ut tale propositum, sed etiam positivè prosequi bonum honestum propositum ut maius: ad sæpè vincendum levem tentationem requiritur, quod Deus pluriès dispenset auxilium efficax ad talem victoriam in amplexu boni honesti consistentem; & talis repetita collatio auxilij efficacis est gratia specialis, propter indifferentiam, infirmitatem, & inconstantiam voluntatis. Unde illa propositio: *Succumbere levi tentationi est impossibile*, est vera per amplexum minoris boni, non vero est necessaria illius victoria, amplectendo positivè maius bonum honestum, quia potest illud omittere.

Resp. ad illud.

35 Si inquiras, An possit concedi hominem *per vires naturæ* posse vincere levem tentationem: & similitèr actum honestum formaliter operari? Resp. Quod si ly *per vires naturæ* excludat auxilium efficax Dei moventis, & facientis nos facere; est falsum, & Pelagianum; secùs autem si eis addatur re, aut munere, auxilium, quo Deus donet, & faciat nos benè agere. Hinc constat, quid dicendum de victoria tentationis *mediocris*; hæc enim dicitur talis, quando bonum apparens proponitur, ut æquè conveniens; aut parum minùs, ac bonum honestum. Quapropter inter tentationes leves computatur; nec illius victoria bonum arduum æstimatur.

Quæres.

Resp.

Et hæc de hoc dub. applicanda litter. Magist. ubi præcedens.

DU-

DUBIUM VI.

AN AD VICTORIAM CVIVSVIS gravis tentationis sit necessaria gratia specialis?

§. I.

ALIQUA PRÆNOTANTUR, ET SENTENTIÆ REFERUNTUR.

N. 1 Primo. FErè omnia dub. immediatè antecedenti prænotata, revocanda sunt in memoriam pro præsenti; nè eadem repetamus. Dub. non procedit de victoria plurium tentationum, nec de victoria, quæ sit salutaris, aut de illa, quę fit ex pravo fine; sed de qualibet gravi tentatione singulatim, & divisivè accepta ex motivo honesto purè naturali. Hinc supponendum ad talem victoriam non requiri gratiam sanctificantem. 1. Quia experientia constat plures existentes in peccato vincere quandoque graves tentationes. 2. Quia talis victoria, ut præmittimus, est entitativè naturalis. Quinimo, etsi esset entitativè supernaturalis; posset elici sine gratia sanctificante; sicuti sine illa eliciuntur actus fidei, & spei, & alij remotè disponentes ad iustificationem.

2 Secundo. 2. Supponendum non requiri ad illam gratiam supernaturalem auxiliantem. Oppositum huius (teste Illust. Godoy) tuetur Illust. Alvarez lib. 1. de Necessit. gratiæ cap. 25. Prob. 1. quia talis victoria est entitativè naturalis; cum fiat ex motivo purè naturali: ergò nequit pro sui principio exigere auxilium supernaturalem. Nec obstat, quod dilectio Dei A. naturæ iuxta Illust. Godoy, & alios, requirit ad sui elicientiam, tùm gratiam sanctificantem; tum auxilium supernaturale in homine existente in peccato læthali: & tamen huiusmodi dilectio est entitativè naturalis. Non inquam obstat: Nàm iuxta prędic. AA. gratia sanctificans non requiritur ad dilectionem Dei A. naturæ per modum principij elicientis; sed per modum removentis prohibens. Cum enim talis dilectio sit inconiungibilis cum peccato læthali, & aliunde nequeat illud expellere; necesse est, ut homo perprius se disponat ad gratiam sanctificantem unicè expulsivam peccati per actus supernaturales; ut postmodum in talem dilectionem prorumpat. Nec iterùm obstat: quod etiam homo iustificatus indiget auxilio supernaturali ad talem dilectionem iuxta sententiam Mag. Gonet, & aliorum. Non inquam obstat. Nàm hoc contingit iuxta præd. Mag. opinionem: quia supposita elevatione hominis ad ordinem gratiæ, nequit diligi efficacitèr Deus ut A. naturæ super omnia, nisi simul diligatur super omnia ut A. gratiæ. Unde tale auxilium solum requiritur per accidens, & propter coniunctionem utriusque dilectionis in hoc statu. Neutrum horum militat pro victoria gravis tentationis. Non primum; quia illa est coniungibilis cum peccato læthali: quare, nec per modum removentis prohibens, potest exigere auxilium supernaturale. Non secundum; quia adhùc stante elevatione hominis ad ordinem gratiæ, potest vincere tentationem contra legem naturæ ex motivo purè naturali, quin simùl se exerceat per actum vincentem ipsam ex motivo supernaturali.

Alteri occurritur.

Non requiritur grat. supernat.

Fit satis cuidam instanc.

Prob. 2. idem assumpt. Si tale auxilium requireretur, se haberet per modum principij elicientis actum victo- 3 Secunda.

riæ : Nàm per modum removentis prohibens constat non requiri. Sed hoc ipso talis victoria non esset ex motivo honesto purè naturali; cum iuxta communem Thom. doctrinam principia supernaturalia operativa differant à naturalibus penes motivũ formale actuum, quorum sunt principia : ergò aut talis victoria non esset ex motivo pure naturali, aut non exigit auxilium supernaturale. Quod si velit præd. Illust. auxilium supernaturale requiri ad talem victoriam, prout frequenter à fidelibus elicitur,& ad illãeliciendam faciliter,& suaviter; libenter fatemur,illam supponere auxilium supernaturale elevans voluntatem ad actus supernos sanctæ cogitationis, & affectionis, ut medijs illis prorumpat, quasi imperativè in victoriam quòad substantiam naturalem. Supponimus etiam ut certum ad talem victoriam requiri auxilium efficax, & adiutorium Dei donantis nobis victoriam; quod adiutorium iuxta Ang. Scholam est gratia prædeterminans super addita libertati; & sufficientiæ ad vincendum; ob cuius collationem à Deo liberrimè provenientem salvatur necessitas orationis, & gratiarum actio pro tali victoria. Quare difficultas procedit de adiutorio, quod sit gratia specialis; hoc est, de adiutorio nullatenùs debito naturæ humanæ post lapsum, etiam attenta suavi providentia Dei, qua creaturam rationalem suaviter gubernat in ordine ad actus honestos ab ipsa eliciendos.

Tertia supposit.

1. Sententia est negativa pro illa referuntur Durandus, & Scotus in 2. dist. 29. q. 2. Richardus in 2. dist. 28. Palacios dist.29. disp.4. eamque probabilem existimat Molina in concordia q.14.ar.13. disp.19. 2. est affirmativa, quàm tuentur Eminent. Caiet. Soto de natura, & gratia c. 25. Conrad. Medina, Alvarez de auxilijs disp. 54. Gregor. Martinez, M. Ferre, Bolivar, & alij, quos refert Illust. Godoy, P. Suarez lib.1. de necessit. gratiæ c. 24. estque frequens apud AA. Societ. Adest tamen maximum, & principium dissidium inter AA. huius sententiæ circa qualitatem gratiæ; an scil. sit requisita ad posse; an solùm ad actualem victoriam? An sit requisita solùm moraliter; An etiam simpliciter, & metaphysicè? de quibus in sequenti agemus.

4 Sententiç

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Ad victoriam cuiusvis gravis tentationis requiritur gratia specialis.

§

PRobant frequenter AA. conclusionem ex testimonijs Sacræ Scripturæ, Concilior. & SS. PP. quæ dub. antecedenti retulimus; illa tamen adeò acuratè, & solidè examinantur à M. Bolivar in præs. ut proferat non satis efficaciter favere nostræ cõclusioni: præsertim in sententia Thomistarum tuentium ad victoriam, cuiusvis tentationis requiri efficaciter gratiam ab intrinseco efficacem sufficientiæ super additã, & unicè cõferibilem à Deo pro sua voluntate; hanc enim gratiam asserit præd. Mag. probant efficacissimè testimonia adducta, secus autem, quod sit gratia specialis, & omnino in debita naturæ.

6

Prob 1. ex Trid. & D. Tho. hic ar.2. asserente, *liberum hominis arbitrium mansisse post lapsum infirmum, & viribus attenuatum, licet non extinctum.* Ex qua doctrina efficacissimè colligitur hominem solùm posse efficere sine speciali gratia bona opera facilia, secùs autem difficilia; qualis est victoria gravis tentationis. Consequ. prob. ab eodem S. D. exemplo hominis corporaliter infirmi; qui etsi sine auxilio alterius possit aliquem motum imperfectum elicere, non tamen perfectum, & quasi proprium hominis sani; nisi auxilio medicinæ adiuvetur : ergò cum victoria gravis tentationis sit motus honestus perfectus,fortis,&connaturalis homini forti, & viribus robusto, nequit homo moraliter infirmus viribus post lapsum, nisi speciali gratia Dei eius vires roborentur, & confortentur.

Prima ratio.

7

Nec valet, quod infirmitas corporalis causat diminutionem physicam virium; & ideò nihil mirum, non posse elicere motum perfectum sine ex-

Prima solutio.

exterioti auxilio medicinæ; at vero infirmitas contracta per peccatum nihil entitatis potentiarū minuit, neque harum inclinationem ad bonum; cum naturalia, tàm in homine, quàm in Angelo, integra post peccatum permanserint: quapropter ex tali infirmitate virium non rectè probatur indigentia gratię specialis. Non inquam

Impugn. 1. valet 1. Nàm solutio probat hominem post lapsum non egere ulla gratia speciali intra ordinem naturæ ad quæcumque actum naturalem, etsi heroicum, & difficillimum; qualis est dilectio Dei A. naturæ super omnia, observatio totius legis naturæ per longum tempus, & his similia. Assumpt. prob. Nàm gratia specialis ad huiusmodi opera frequenter suadetur contra Pelagium ex infirmitate, & debilitate libero arbitrio post peccatum; undè cum ipse Pelagius negando peccatum originale, statueret nostrum libero arbitrio sanum, forte, & robustum; ex hoc principio inferebat solis viribus naturę gratia legis adiutis hominem omnia illa posse adimplere: ergò si iuxta solutionem infirmitas, & debilitas virium, quia nihil entitatis potentiarum minuit, non probat indigentiam gratiæ specialis ad elicientiam operis ardui, qualis est victoria gravis tentationis; nec pariter probabit &c. 2. Hæc infirmitas moralis consistit in eo, quod virtus hominis ad rectè operandum sit debilis, inconstans, & *instabilis*, iuxta illud: *Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est*: Nunc sic: virtus debilis, & infirma, nequit resistere hosti ipsam fortitèr impugnanti, nisi specialiter adiuvetur; si enim resistit, fortior illo se ostendit; si autem est fortior forti, non remanet debilis, & infirma. Sed quod virtus debilis, & infirma redda ut fortior, & robustior, necessariò dicit gratiam specialem: ergò.

Thren. 1:

8

Nec valet dicere 2. Frequentèr inexplicatam manere huiusmodi infirmitatem virium, quam contraxit natura humana per peccatum: unde nisi sit petitio principij, nequit ex illa probari indigentia gratiæ specialis ad opera ardua, & difficilia. Non inquam valet: Nàm rectè, & abundè

Secunda.

Reijcitur

explicatur à Mag. à Sanct. Thom.* in præf. disp. 19. a. 1. cuius doctrina in compendium redacta sic se habet: Aliud enim est potentia voluntatis ad rectè operandum; aliud vires illius: non enim vires sunt potentia nuda voluntatis; hæc enim integra manet, & intacta post peccatum. Nec similitèr vires sunt habitus virtutum acquisiti: nàm licet per illos crescant, & perficiantur vires voluntatis in ordine ad bonum; possunt tamen manere prædicti habitus, & tamen voluntas manere cū debilitate, & indigens sanatione virium; cum per unum peccatum non destruantur habitus, & per unum voluntas maneat infirma.

* Ex S. D. hic q. 85. art. 1. & q. 83. a. 3. & 4.

In quo consistat infirmitas virium

Præd. igitur vires in ordine ad bonum honestum naturale (de quo loquimur) non consistunt in aliquo indivisibili, sed constant ex multis. 1. ex conversione naturali ad Deum ut finem ultimum; vel saltim ad bonum honestum in communi efficaciter dilectum; ut dùm quis elicit hunc actum: *Volo honestè vivere.* Nàm cum voluntas se moveat de fine ad media; vires, & efficacia, ut rectè tendat in media, proveniunt ex efficaci conversione in finem honestum. Sicut enim intellectus adhærens firmiter principijs, accipit vires ad inferendam conclusionem; ita determinatio efficax voluntatis ex efficaci conversione in finem, præbet ipsi vires, & robur, ut rectè tendat in media; quia finis in practicis est, sicut principium in speculabilibus. 2. accipit vires voluntas ad rectè agendum ex recta propositione intellectus circa agibilia: Nàm cum voluntas sequatur ductum illius; si ratio practica non sit recta, & constans in recta propositione boni honesti; voluntas nequit esse vigorosa, & fortis ad adhærendum bono. 3. Voluntas etiam accipit vires ex affectibus subitis circa bonum honestum, ut liberè, & efficaciter ipsum prosequatur; cum enim sit agens procedens de imperfecto ad perfectum; dum accipit aliquam affectionem, & actualitatem, vi cuius piè afficitur circa bonum honestum, accipit sine dubio vires, & robur ad actus absolutos, & efficaces. Constat hoc à simili in apprehensione intellectus, quæ si recta

9

sit,

sit, complet, & expedit vires ad rectum iudicium. 4. Accipit vires ex subiectione appetitus ad rationem; & simul ex affectionibus ordinatis in illo residentibus. Nàm licet voluntas directè nequeat moveri ab appetitu sensitivo, benè tamen indirectè, * quatenùs est causa, ut obiectum honestum appareat magis conveniens; iuxta illud Philos. *Qualis unusquisque affectus est, sic omnia videntur ei.* Hac ratione multotiès Deus his, quos ad se convertit, immittit affectus pios, estò sensibiles, scilicèt, devotionis; & lachrimarum; ut sic confortati, opera ardua virtutum efficaciter eliciant.

* Sic S. D. supr. q. 9. ar. 2.

Hinc constat à contrario debilitatem virium ex multis causari; 1. scilicèt, ex aversione à Deo, ut fine ultimo naturali, & à bono rationis; 2. ex debilitate intellectus ad rectè dirigendum voluntatem cum constantia, & firmitate; ad hoc enim requiritur, quod expendat rationes superiores suadentes prosecutionem honesti. Huiusmodi autem consideratio est ei difficilis; quia in ea debet elevari supra sensibilia, & omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus. Provenit etiam huiusmodi difficultas ex phantasmatibus rerum sensibilium intellectũ obnubilãtibus; & insuper, & ex rebellione appetitus, & affectionibus inordinatis, iuxta illud Psal. 57. *Supercecidit ignis* (scilicèt concupiscentiæ) *& non viderunt solem.* Provenit 3. & ult. huiusmodi debilitas ex ipsa rebellione appetitus adversus rationem; Nàm ratione inclinationis vehementis ad bona sensibilia impedit, & retardat vires voluntatis ad rectè operandum; cum enim voluntas sit appetitus totius suppositi, non solùm vult id, quod ipsi proponitur, ut conveniens secundùm rationem, sed etiam conveniens toti supposito secundùm partem intellectivam, vel sensitivam.

10 Prosequitur idem assumpt.

Et quamvis per gratiam sanctificantem tollatur debilitas virium ex 1. cap. proveniens; quia per illam convertitur homo ad Deum ut finem ultimum simpliciter; remanent tamẽ alia cap. prędictę debilitatis: cum gratia sanctificans solùm sanet hominem quantum ad mentem, non verò quantum ad carnem, & quantum ad vulnera ex peccato relicta, quæ remanent ad agonem, ut legitimè certantes coronam vitæ accipiamus. Et quamvis debilitas ex cõversione proveniens auferatur à voluntate per gratiam sanctificantem, * remanet tamen adhuc in ipsa debilitas inconstantiæ, & mutabilitatis, vi cuius nunquam in eodem statu permanet. Hinc etiam apparet, in quo consistere valeat gratia sanans debilitatem virium voluntatis: sanat enim per illustrationẽ intellectus constantem in practicis, & per subiectionem appetitus ad rationem medijs affectionibus circa bona honesta; sunt enim affectus illius, sicuti, & affectus voluntatis, quasi quidam humores, ex quorum temperamento consurgit, sanitas. Et licet sanitas horum vulnerum solùm perfectè habeatur in patria, imperfectè tamen, & quasi transeunter, habetur in via per gratiam Dei miris modis roborantem liberũ arbitriũ, nè infirmitate cadat. Sed de his satis.

11

* Si peccat habituale consistat in positivo.

Prob. 2. Gravis tentatio est illa, in qua obiectum malum vehementèr allicit voluntatem, honestum autem tepidè, & remissè, iuxta illud Ps. 9. *Auferuntur iudicia tua à facie eius*; id est, beneficia Dei à mente, & memoria hominis gravitèr tentati; sed Deum adiuvare efficaciter volũtatem ad prosequtionẽ boni sic propositi, & per repulsam obiecti pravi, est concursus rerecõcursu in debito: ergò est concursus, qui est gratia specialis. Prob. min. Talis concursus non est connaturalis voluntati sic se habenti; Tùm quia unicuique est connaturale operari iuxta inclinationem in ipso actu prædominantem. Tùm quia obiectum efficacius propositum voluntati, est forma ipsi magis proportionata; & unicuique connaturale est tendere in perfectionem, sive formam magis sibi proportionatam: ergò quòd Deus adiuvet voluntatem non solùm, ut non prosequatur bonum delectabile efficacius propositum, sed etiam positivè illud repellat, sequendo bonum honestum tepide, & remisse propositum, est concursus Dei extraordinarius, & naturæ indebitus. Denique. Prob. ex dictis in anteced. Auxilium ad actũ

12 Secunda ratio probat.

mo-

moralitèr improportionatum voluntati, superansque illius vires morales, & expeditas, est concursus Dei specialis; Tùm qui à talis concursus est requisitus titulo speciali, scilicèt, impotentiæ moralis, seu infirmitatis viriũ volũtatis. Tùm quia suavitas providentię generalis consistit in providere unicuique iuxta modum suum, hoc est, iuxta proportionem, & expeditionem virium: sed talis non est concursus pro victoria gravis tentationis: ergò.

§. III.

Solvuntur argumenta.

13 OBije. 1. Homo ex pravo motivo v. g. inanis gloriæ potest vincere gravem tentationem circa furtum absque gratia speciali: ergò etiam poterit ex honesto motivo.

Primum argum.

Confirm. Confirm. Homines multoties sustinent mala terribilia ex pravo motivo cum solo concursu generali Dei circa entitatem amoris pravi finis: ergò eodem concursu poterunt sustinere eadem mala ex honesto motivo.

Commu-nit. Resp. Communiter Resp. concess. antec. neg. conseq. quia talis victoria est mala moralitèr ob circunstantiam pravi finis; ideòque ad illam, nec gratia specialis requiritur, nec gratia generalitèr dicta. Hanc solutionem impugnat M. Boliv. qui videri potest. Aliter eam reijcio, probando Deum, tùnc se gerere, ut specialem provisorem permittendo minùs peccatum; & hoc debere reputari, ut inconveniens.

Specialiter impugnatur solutio data. 1, Assumpt. prob. Providentia Dei, in qua segerit Deus contra prędominantem inclinationem in actu, est specialis, iuxta superius dicta, & ferè ab omnibus concessa. Sed Deum permittere peccatum inanis gloriæ homini graviter tentato circa furtum, est in tali permissione se gerere contra prædominantem inclinationem, ut patet: ergò.

Secundò. Urget. Iuxta dicta voluntatem determinari ad sequelam obiecti remissè propositi in conspectu obiecti propositi cum maiori efficacia, & vehementia, estò non repugnet, est tamen inconnaturale, & extraordinarium: ergò quod voluntas vehementer allecta circa furtum, & remissè circa inanem gloriam, determinetur Deo permittente ex amore inanis gloriæ ad omissionem furti, erit permissio specialis, & extraordinaria; non tantum extrinsecè (ut tacitę responsioni occurratur) qualis est permissio peccati in electis ex fine humilitatis, aut pœnitentiæ; sed etiam intrinsecè, & solum inspectis his, quæ occurrunt in casu gravis tentationis. Concedere autem hanc specialem providentiam in permissione peccati, opponitur communi sensui Theologor. nè Deus aliquem influxum positivum per se præbeat circa malitiam, si titulo intrinsece speciali ipsam permittit.

Nec valet, si dicas huiusmodi specialitatem consistere in eo, quod talis permissio sit associata cum gratia externæ protectionis, quatenùs Deus potens tali homini permittere grave peccatum, permittit tantum leve, in quo fine dub. aliqua gratia externa ex parte Dei relucet. Non inquam valet 1. Nàm præd. gratia solùm se habet antecedenter, & præsuppositivè, non verò formalitèr: ergò permissio ipsa minoris peccati erit intrinsecè, & ratione sui, specialis. Prob. ańs. In dicto casu duo inveniuntur: & quod Deus non permittat maius malum consentiendo gravi tentationi; & quod in sensu composito huius permittatur minùs malum contra inclin: dominantem voluntati; sed non solùm in 1. sed etiam in 2. intervenit specialitas concursus Dei, si vera sunt ea, quæ adduximus in probatione conclusionis: ergò. 2. Nàm contingere valet, ut homo graviter tentatus circa peccatum læthale, v. g. furti vitet illud ex amore gravioris peccati; v.g. ex fine adulterij. In quo casu nulla gratia externæ protectionis apparet; & tamen Deum sic permittere, videtur spectare ad specialem providentiam, estò permissivam; cum in dicta permissione non annuat prædominanti inclinationi; nec sinat voluntatem tendere in obiectum efficacius, & vehementius ipsam alliciens, sed potius in id, quod tepide, & remissè proponitur: ergò.

14 Si dicas.

Contra est 1.

Secundò.

Resp. Addendo communi solutioni talem victoriam, nec esse ex gratia

15

Aliter explicatur, & fulcitur solutio commun.

tia specialis Dei; nec superare concursum generalem ipsius, tùm prædeterminativum ad entitatem peccati; tùm permissivum malitiæ in eo repertæ. 1. Patet quia talis victoria est actus pravus moralitèr, cuius existentia subterfugit gratiam Dei, tàm generalem, quàm specialem. 1. sic suadetur: Nàm estò in dicto casu inclinatio prædominans actu sit circa peccatum grave; attamen voluntas in sui potestate habet auferre, & etiam vincere talem prædominationem; habet enim in sua potestate; imò secum habet facilitèr, si vult, amorē inordinatū sui, à quo provenit, tamquam à principio, & radice omne peccatum iuxta illud M. P. *amor sui usque ad contemptum Dei, ædificat Civitatem Babilonis.* Ex hoc sequitur permissionem minoris peccati, aut maioris in præsentia gravis tentationis proponentis peccatum grave, aut minùs grave, spectare ad providentiam generalem Dei. Hæc enim non solùm attendit inclinationem actu prædominantem, sed etiam vires, si forte adsunt, ad auferendam, & superandam inclinationem sic prædominantem; cumque voluntas ratione suæ defectibilitatis, & amoris inordinati sui, possit cum facilitate committere quodcumque peccatum, dummodo ipsi proponatur, ut conveniens; ideo quæcumque permissio, sive contingat sequendo gravem tentationem, sive illam prave repellendo; spectat intrinsece ad providentiam generalem Dei. Oppositum contingit in victoria honesta gravis tentationis; tùnc enim talis prosecutio, & est contra inclinationem actu prædominantem, & insuper; in voluntate non adsunt vires ad auferendam talem inclinationem; in qua subiectivè residet debilitas, & infirmitas virtū. Nec adest in intellectu: ratione difficultatis ad expendendum, & firmiter proponendum voluntati rationes superiores, ut amplectatur bonum honestum; multoque minùs: in appetitu sensitivo de se resistenti rationi, & inclinanti in bona sensibilia. Quapropter providentia Dei generalis hæc omnia clarissimè circunspiciens, nequit determinare per auxilium commune voluntatem ad sequelam boni honesti.

Confirm. hoc exemplo gravis infirmitatis. Quādoque enim liberatio ab illa indiget speciali auxilio medicinæ; quandoque vero non. 1. contingit, dùm in natura non sunt vires, aut sunt nimium debilitatæ ad eam expellendam. 2. vero accidit, quando ex parte naturæ sunt vires sufficientes ad eam expellendam, estò cum difficultate, & tractu temporis. Ex quo constat providentiam generalem Dei in dispensatione sui concursus utrumque debere attendere, & inclinationem actu prædominantem, & etiam vires, si fortè sint, ad auferendam, vel enervandam prævalentiam talis inclinationis. Ad conf. Resp. ex D. Thom. 2.2.q.136. art. 3. ubi sibi objicit 3. argum. *Sanitas, vel salus spiritualis appetibilior est salute corporali; sed homines plura mala sustinent propter assequutionem sanitatis corporalis, etiam sine auxilio gratiæ: ergò sine illo poterit &c.* Ad quod respondet, *quod homines sustinent plura mala propter corporis sanitatem ex amore, quo unusquisque naturaliter suam carnem diligit; amor autem sanitatis spiritualis non est naturalis homini.* Ex qua doctrina illustrantur dicta in solutione antecedenti. Sicut enim homo naturaliter vehementer se ipsum diligit secundùm carnem, ita voluntas se ipsam, quando vult, vehementer diligit post lapsum Adæ in ordine ad bonum sibi proprium. Undè sicut amor, quo quis se ipsum secundùm carnem diligit, præstat ipsi vires, & efficaciam ad sustinenda mala, etsi terribilia; ita amor inordinatus voluntatis, per quem sequitur bonum privatum, præstat ipsi vires ad sustinenda plura mala, estò terribilia. Quia tamen in ordine ad prosecutionem boni in conspectu gravis tentationis, non habet aliquod principium fixum, & stabile moraliter expeditum, ut prævaleat gravi tentationi; cum ipsa inclinatio innata ad bonum rationis sit debilitata extrinsecè propter vehementiam passionis; indiget gratia speciali, ut bonum honestum remissè propositum amplectatur.

16

Roboratur solutio exemplo.

Ad conf. argum.

Sic: Apost. ad Ephes. 5.

Obiic. 2. Stat voluntatem esse vehementer propensam, & expeditam moraliter ad prosecutionem boni ho-

17

Secundò argum.

honesti, & auxilium requisitum ad illam esse gratiam specialem. Constat hoc in Adamo sano, & integro in ordine ad perseverandum in bono, quæ quidem perseverantia esset gratia specialis: ergò falsum est, quod concursus Dei exhibitus contra prædominantem inclinationem, & propensionem, sit concursus specialis: ergò &c. Conseq. patet. Eo enim talis victoria esset ex gratia speciali; quia connaturale est voluntati determinari iuxta inclinationem prædominantem; proindeque non determinari ad consensum gravis tentationis, est gratia specialis; sed hoc totum ruit, si non obstante inclinatione prædominanti, & expedita in Adamo ad perseverandum in bono, determinari ad sic perseverandum non est gratia connaturaliter debita, sed specialis: ergò.

18 Resp. Communiter indigentiam gratiæ specialis ex duplici cap. provenire; vel ex indifferentia, & vertibilitate naturæ ad bonum, & malum; vel ex debilitate virium ipsius ad opera ardua, & difficilia. 1. contingit in ordine ad continuationem in bono; Nàm licèt naturę sic indifferēti debeatur aliquando determinari ad bonum; non tamen semper, & indefectibiliter. Hac igitur ratione Adamus, etsi integer, & sanus; indigebat gratia speciali ad actu perseverandum in bono; non quidem dante expeditionem, sed actualem perseverantiam. Ob eandem rationem supra diximus: *hominē lapsum indigere gratia speciali ad victoriam plurium levium tentationum. Præter hoc caput sufficiens ad gratiam specialem datur aliud; secundùm debilitas virium ad opus arduū: Nàm hoc, utpotè proprium hominis fortis, & sani, nequit elici ab homine infirmo, & vulnerato, nisi speciali auxilio virtus eius roboretur. Talis est victoria gravis tentationis, in qua ratione propensionis naturæ humanæ in bona sensibilia vehementer ipsam attrahentia, & ratione debilitatis ex parte intellectus remissè proponentis bonum honestum, & difficultatis ad proponendum rationes superiores retrahentes voluntatem à peccando; superat vires ipsius, nisi gratia speciali adiuvetur. Ex his in forma dist. 1. consequens: ergò falsum est concursum &c. si talis inclinatio prædominans sit bona, & ad unum, vel alterum actum, conc. cons. Si sit ad continuationem plurium, nego conseq. vel subdist. ly contra inclinationem dicente causam adæquatam gratiæ specialis, conced. conseq. causam sufficientem, neg. conseq.

Solutio.

* Dub. ant. propefinē

Obiec. 3. Ad providentiam generalem Dei spectat præstare aliquando suum adiutorium causæ infirmæ, & minus forti ad operandum: ergò quamvis voluntas manserit infirma ad victoriam &c. prob. añs. 1. Ad talem providentiam Dei circa causas naturales spectat, ut aliquando eius adiutorio causa inferior, & minoris activitatis prævaleat in actu 2. causæ fortiori in actu 1. ergò similiter &c. 2. Ad providentiam generalem spectat, ut natura aliquando prævaleat infirmitatibus gravibus, estò non semper, ita ut Deus, tanquam supremus Medicus nonsemper stet àpartè infirmitatis, sed naturæ: ergò idem dicendum de voluntate actu laborante gravi tentatione ipsam infirmante saltim moraliter. 3. & à priori: Nàm ad providentiam generalem Dei spectat, ut misericorditer, magnifice, & liberalitèr se gerat cum homine graviter tentato; *cuius oculi* iuxta prophetam *in pauperem respiciunt*; quod ab exemplo in humanis satis efficaciter roborari potest: ergò auxilium ad victoriam gravis tentationis una, vel altera vice, non erit gratia specialis.

19 Tertium argum.

Psalm. 10

20 Solutio.

Resp. dist. añs. Naturæ infirmæ &c. ad opera ardua, & difficilia, neg. añs. ad opera facilia, conced. añs. & neg. conseq. Providentia enim generalis Dei debet omnia circumspicere, & attendere, proindeque vulnerationem, & debilitatem virium, quā natura humana contraxit per peccatum ad opera ardua, & difficilia. Cumque huiusmodi debilitate attenta, victoria gravis tentationis superet vires morales voluntatis; necesse est, ut si Deus velit donare victoriam, conferat ipsi gratiam excedentem modum connaturalem operandi convenientem voluntati post lapsum. Ad 1. Resp. Quod si causa fortior exerceat in actu 1. suam

Ad 1. pro bat. antec.

suam fortitudinem contra causam infirmam naturalem ; Deum præbere suum concursum, ut hæc superet causam fortiorem, erit concursus specialis. Verum tamen est, quod etiam spectat ad providentiam generalem Dei, ut causa de se fortior non semper explicet, sive exerceat in actu 2. suam fortitudinem contra causam naturalem minoris virtutis. Undè hæc instantia solum probat spectare ad providentiam generalem Dei, ut aliquando homo non graviter tentetur; secus tamen, ut iam urgente gravi tentatione in actu 2. fortiter impugnanti voluntatem, illam superet, & vincat,

Ad 2. Ad 2. Resp. in natura graviter ægrotanti multoties dari vires sufficientes ad expulsionem infirmitatis, ideoque concursum exhibitum à Deo pro tali liberatione esse concursum generalem. Voluntas autem graviter tentata, & laborat vehementi infirmitate de linea morali ; & insuper desunt ei vires plenè sufficientes ad auferendā, & superādam talem infirmitatem. Has enim vires nequit resumere ex se ipsa ; quia debilis, & infirma est. Non ex intellectu practico ipsam dirigenti ; cum sit obnubilatus gravi tentatione. Non ex appetitu sensitivo ; cum hic potius inclinet vehementer ad consentiendum tentationi. Quapropter quod Deus adiuvet ipsam præbendo victoriam, excedit vires moralis libe-

Ad 3. ri arbitrij, & modum connaturalem ipsius Ad 3. Resp. Ad salvandam liberalitatē, & misericordiā providentiæ generalis Dei ; sufficere voluntatem ex vi concursus illius aliquando operari honestè, & adimplere aliqua præcepta facilia ; non tamen requiri, ut huiusmodi præcepta adimplere possit, in casu gravis tentationis. In hoc enim nulla indecentia apparet ex parte talis providentiæ ; cum tantum sit acceptio providentiæ sub aliqua denominatione restrictiva ipsius. Imò potius exaltat misericordiam, & liberalitatem Dei, conferre homini gratiam specialem ad victoriam gravis tentationis. 1. quia ubi occurrit specialis providentia, ibi etiam intervenit ex parte Dei specialis amor, à quo imperatur. 2. Nàm sicuti hominem indigere ad consecutionem gloriæ providentia specialissima prædestinationis, exaltat misericordiam Dei, & specialem eius dilectionem ; quamvis cum sola providentia generali supernaturali homines deficiant à consecutione gloriæ : ita similiter discurrendum in præsenti.

Obijc. 4. Supponendo hominem post lapsum habere eadem vires, ac haberet ipse homo in puris naturalibus constitutus. Si Deus condidisset hominem in pura natura, aliquando donaret ei victoriā gravis tentationis, ortę ob rebellionem appetitus in illo statu frequenter occurrentem ; sed talis victoria non esset ex gratia specialis ; cum status puræ naturæ solum ea, quæ ipsi debentur, includat : ergò etiā homo lapsus potest. &c. Confirm. alio exemplo. Adamus in statu integritatis poterat sine gratia speciali vincere gravem tentationem ex motivo honesto naturali, tentationem, inquam, provenientem ex suggestione dæmonis, licet non ex rebellione appetitus. Constat hoc ex doctrina D. Tho. asserentis hic ar. 2. *Adamum in statu integritatis posse per virtutem suæ naturæ in omne bonum proportionatum virtutis acquisitæ* Constat etiam, quia liberum arbitrium in illo statu erat sanum, & robustum viribus ; proindeque cum sufficientia moraliter expedita ad opera quantumvis ardua. Nunc sic ; sed Adam in casu gravis tentationis esset vehementer inclinatus, & inclinatione prædominanti ad succumbendum tentationi : ergò illa propositio, cui tota machina nostra innititur, scilicèt, *operari contra inclinationem prædominantem, est modus operandi inconnaturalis, & extraordinarius, est falsa.*

21 Quartum argum. Confirm.

Ad 1. Resp. communi solutione, concess. mai. neg. min. Status enim puræ naturę solum excludit ultra gratiam supernaturalem, gratiam entitative naturalem permanenter communicatam, scilicèt, donum integritatis perfectè subijcientis appetitum rationi ; & donum immortalitatis, & impassibilitatis, vi cuius corpus perfectè subditur animæ. Huiusmodi enim dona sunt propria status integritatis, & innocentiæ, in quo conditus fuit Adamus. Minimè autem exclu-

22 Solutio.

cludit status puritatis naturæ gratiam aliquam specialem de ordine naturæ, & transeunter communicatam; status enim ex sua motione *dicit immobilem, & permanentem dispositionem rei*; de quo D. Tho. 2.2. q.183. ar. 1. PP. Salm. disp. 2. dub. 8. §. 2. concedunt mm. sed (ni fallor) rationes supra adductæ in prob.ruunt. *Ad confirm. Resp. cum M. à S. Thom. in præsenti in natura integra nonpotuisse hominē graviter tentari etiam ex suggestione dæmonis contra bonum pure naturale; sed solùm contra bonum supernaturale; & hoc genere tentationis fuisse tentatum 1. parentem. Nàm licet prohibitio comedendi de ligno vetito sit de se tantum naturalis, fuit imposita Adamo ex motivo supernaturali, scilicet, obediendi Deo ut A. gratiæ. Ratio huius doctrinæ est; Nàm talis gravis tentatio non poterat oriri ex rebellione appetitus, ut est certum: deinde non ex dæmonis suggestione, quia Adamus in illo statu respectu finis purè naturalis non poterat errare, nec decipi speculative, aut practicè ob perfectionem status innocentiæ:* Nec similiter poterat pati aliquam inconsiderationem legis retrahentis illum à consensu in peccatum; quia ratio naturalis in eo erat plenè instructa circa agibilia ad legem naturæ spectantia.

* PP. Salm. non satis conseq.

Ad confirm.

* S.D. 1. p. q.94.ar.4

Ex dictis inferes, quod si aliqui gentiles plura, & terribilia mala, sustinuerunt ob non deserendam rectitudinem alicuius virtutis naturalis; hoc ortum duxit ex gratia speciali infra ordinem naturæ, ut docet D. Thom. 2.2.q.136. d.3. ad 1. appellans *auxilium gratiæ, adiutorium, quo Deus* eis largitus fuit victoriam. Idem dicendum de patientia hæreticorum, & schismaticorum, quia plura, & terribilia mala, usque ad mortem, passi sunt, nè Christum negarent. Ita S. P. August. tom.4. lib. de patientia c. 27. asserens illam fuisse donum Dei, licèt non conducentem ad vitam æternam, quia sine fide: Undè concludit: *proinde sicut negandum nō est esse donum Dei; ita intelligendum est alia esse dona filiorū cœlestis hyerusalem, quæ sursum libera est, Mater nostra.* Quæ diversitas in eo stat, quod huiusmodi dona, utpotè conducentia ad vitam æternam, fiunt ex directione fidei; & ut sint fructuosa, debent imperari à charitate: ideòque sunt entitativè supernaturalia, vel saltim fiunt media aliqua gratia entitativè supernaturali. Colliges etiam, quod si præceptum aliquod sit de se facilè, attamen contra eius adimpletionem occurrit gravis tentatio; tunc casus necessaria est gratia specialis ad illius adimpletionem. Ratio est; Nàm in dicto casu adimpletio ut practicè possibilis, requirit necessariò victoriam gravis tentationis.

23 Prima illatio.

Secundò,

Notandum; quod si quis velit probare Deum non physicè prædeterminare; aut esse causam per se entitatis alicuius peccati; poterit formare argument. pro casu, quo quis vincat gravem tentationem circa furtum ex motivo inanis gloriæ. Talis enim prædeterminatio ad entitatem inanis gloriæ, esset à Deo specialitèr positivè operanti: proindeque non potest ab illo provenire; qui solum titulo causæ universalis (iuxtà Thomistas) prædeterminat, & causat per se entitatem peccati. Assumpt. sic probatur. Talis prædeterminatio ad entitatem peccati vanitatis, v.g. daretur agenti contra eius inclinationem prædominantem, scilicet, gravem tentationem ad entitatem furti: ergò esset à Deo specialiter positivè operanti. Urgeo. Cuilibet agenti est connaturale operari iuxta formam in ipso prævalentem; sicuti voluntati est connaturale amplecti maius bonum hic, & nunc, ut tale propositum: ergò in dicto casu esset connaturalis prædeterminatio ad entitatem furti: proindeque prædeterminatio, & causalitas per se ad entitatem inanis gloriæ, non esset ex generali, sed ex speciali providentia Dei. Sed hoc facilè solvitur ex doctrina solutionis ad 1. argum. ubi diximus permissionem malitiæ in tali intitate ad generalem provid. pertinere.

24 Nota argumentū speciale contra prædeterm. ad materiale peccati.

Solutio.

(o)

***

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO, ET principalis.

Ad victoriam gravis tentationis, ita requiritur gratia specialis, ut physicè, & metaphysicè, repugnet dari actu talem victoriam, non existente gratia speciali.

25 ITA communiter Thomistæ, quos sequitur, & illustrat M. Boliv. contra aliquos RR. existimantes, quod licèt sit moraliter impossibile; vel quia nunquam continget; vel rarò, & cum maxima difficultate; quod detur victoria gravis tentationis sine gratia speciali: non tamen est physicè, aut metaphysicè impossibilis coniunctio talis victoriæ cum carentia gratiæ specialis. Sed, ut omnis vitetur confusio, valdè Notanda est diversitas inter has propositiones: *Homo sine gratia speciali est physicè potens vincere gravem tentationem*: *homo est physicè potens vincere gravem tentationem sine gratia speciali*: 1. asserit potentiam physicam ad victoriam non provenire ex gratia speciali; 2. verò affirmat ipsam victoriam necessariò ab illa provenire; ita ut repugnet ex terminis, aut saltim physicè, hoc coniunctum: *existit victoria gravis tentationis, & non existit gratia specialis.*

Explicat. sensus cõclus.

26 Exempla ad idem.

Exemplum manifestum adest in his: *homo sine motu est potens currere*: *homo est potens currere sine motu*; & in illo trito Thomistico: *homo sine prædeterminatione est potens ad consensum*: *homo est physicè, aut metaphysic. potens ad consensũ sine prædeterminatione.* Et iuxta omnes, uno excepto Durando: *homo sine cõcursu simultaneo est potens operari*: *homo est potens operari sine concursu actuali simultaneo Dei.* Et tandem: *homo sine prædeterminatione est faciliter potens operari aliquem actum honestum*: *homo est potens faciliter operari talem actum sine prædeterminatione.* Hæc omnia etiam Tyronibus manifesta sunt. Sed quia communiter dicitur (etiam à Thomistis) hominem graviter tentatum esse impotentem moraliter; hoc est graviter impeditum, & magna difficultate implicatum ad victoriam gravis tentationis; ex hoc quidam RR. inferunt; gratiam specialem solùm esse *moraliter* requisitam, non vero *physicè*, aut *metaphysicè*, ut detur victoria gravis tentationis. Quapropter; licèt hoc coniunctum: *Datur victoria sine gratia speciali*, non sit possibile moraliter, secùs tamen *physicè*, aut *metaphysicè*. 27

Quotupl. sit impossibilitas moralis.

Deinde advertendum est tripliciter posse aliquid esse moraliter impossibile. 1. quia nunquam continget; sicut non evenire scandala; aut omnes homines, & Reges terræ convenire simul in electione unius supremi imperatoris. 2. quia aliquando accidit, sed rarissimè, v. g. in hyeme non esse pluviam. Ratio huius est; quia impossibilitas moralis admittit magnam latitudinem. Præter has communes acceptiones dicitur etiam 3. aliquid moraliter impossibile; quia estò frequenter accidere valeat, datur tamen gravis difficultas ad illius eventum. Deinde dicitur aliquid physicè impossibile: quando per vires naturæ nequit in re poni, sed solum Deo miraculosè operanti; v. g. *ignem debitè applicatum materiæ proximè combustibili non comburere.* Ultimo dicitur aliquid impossibile metaphys. aut ex terminis; quod quidem, nec de potentia Dei absoluta potest in re poni; v.g. *hominem esse equum*; *aut non prædeterminatum ad consensum consentire.*

Impossibile physicè.

Impos. Metaphysicè.

28 Advertẽt. dignum.

Ulterius advertendum cum M. à S. Thom. hic disp. 19. ar. 4. & tract. de Ang. disp. 24. ar. 2. n. 7. ttare quàm optimè, aliquid esse requisitum ad existentiam actus per modum influentis moraliter in ipsum; & tamen esse requisitum non solùm *moraliter*, sed etiam esse *physicè*, aut *metaphysicè* necessarium ad existentiam illius. Exemplum adest in illuminatione supernaturali regulanti actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ, quæ quidem iuxta frequentem Theolog. sententiam solùm moraliter influit in præd. actus; & tamen non solùm moraliter requiritur; verum etiam physicè (& iuxta Thomistas metaphysicè) ad elicientiam actus supernaturalis; ut communiter dicitur contra Pelagium

gium ponentem talem illuminationem requisitam ad melius, non tamen simpliciter. Idem in cognitione præcepti solum moraliter influenti in actum obedientię formalis; cum tamen repugnet ex terminis coniunctio obedientię formalis cũ carentia cognitionis præcepti. Hinc liquidò constat, quod estò gratia specialis requisita pro victoria gravis tentationis solum moraliter influat in ipsam, & non physicè; ut volunt prædeterminantes; possit verificari esse necessariò requisitam physicè, & metaphysicè pro tali victoria, ita ut coniunctio illius cum carentia gratiæ specialis sit physicè, & metaphysicè repugnans. Quod discrimen optimè agnovit P. Aranda tom. 1. disp. 57. n. 314. dicens *esse communem loquutionem Theologorum.* Oppositum nostræ concl. tenent Bellarm. Vega, Suar. hic n. 33. Oviedo, Molina, & Alij, quib. adhæret M. Manso (estò obiter) to. 3. fol. 502. & 518. addens: *Esse communem sententiã Theolog. quòd si homo graviter tentatus sit destitutus gratia speciali, succumbet tentationi: est propositio de conditione solùm moraliter connexa.* *

Ita refert P. Oviedo hic n. 33.

* Oppositũ tenet examini sentent. tom. 3. fo. 563

§. V.

Probatur authoritate, & ratione.

29 CONcluſ. pr. 1. aliquibus testim. ex quib. prob. Adv. requiri gratiam specialem ad victoriam gravis tentationis. 1. desumitur ex Innoc. I. in epist. ad Conc. Cart. apud Aug. ep. 91. *Quotidiana Deus nobis præstat remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenùs possumus humanos vincere errores; necesse est enim, ut quo auxilio nte vincimus, eo non adiuvante, vincamur.* Quod testim. sic retorqueo, insistendo *Nullatenùs possumus.* Quæ non solum impotentiam moralem ad coniungendam victoriam cum carentia quotidiani remedij, & adiutorij Dei, significant; verum impotentiam tàm physic. quàm metaph. ad talem coniunctionem designant. Id enim, quod est possibile physic. aut metaph. non dicitur nullatenùs possibile. Idem confir. ex verbis sequentib. *Necesse est, ut ipso non adiuvante vincamur*; siquidem ly *necesse* denotat omnimodam necessitatem consequentem ad subcumbendum tentationi, & ãntem. ad non coniungendam victoriam cum carentia specialis adiutorij Dei. 2. Testim. desumitur ex illo Arauſ. *Divini muneris est, cũ rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & vinitatis tenemus.* Ex quo probãt nobis adversantes necessitatẽ gratiæ specialis. Sic enim arguo: Aut est possibilis physic. & metaph. casus victoriæ sine gratia speciali, vel non? Si 2. habemus intentum; si 1. iterùm rogo: aut in dicto casu talis victoria esset divini muneris; aut non? 2. non nisi temerè, & blasphemè affirmari potest. Restat ergò ut dicatur 1. Et tamen victoria in dicto casu esset divini muneris: ergò, aut hoc testim. inefficaciter probat indigentiam gratiæ specialis pro victoria gravis tẽrationis, aut probat illam esse requisitam necessariò, nedùm moraliter, sed physicè, & metaphysicè.

Prob. 1. arguendo ad hominẽ varia testim.

Secundò.

Eadem ponderatio fit ex c. 9. Conc. Palest. apud Diosp. ubi à PP. intimatur Pelagio, ut fateatur: *Quòd quando contra tentationes, concupiscentiasque dimicamus; quamvis illic propriam habeamus voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram provenire victoriam; non enim aliter verum est: non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: Ergò cùm omninò repugnet casus, in quo victoria gravis tentationis non sit opus Dei miserentis, pariter repugnat &c. Idem confir. pluta test. relata dub. ãnti. in 1. arg. in quibus affirmatur: *Sine Dei adiutorio, sine Christi auxilio, aut Deo non donanti pro suo nutu victoriam tentationum, eam in nobis nunquàm dari.* Quæ verba de victoria gravis tentationis exponuntur ab Adv. ergò cùm repugnet methaphysicè casus, in quo homo vincat gravẽ tentationem sine Dei adiutorio, sine illius auxilio, aut eo non donante victoriã, ut est certum; pariter repugnat metaphysicè casus existentiæ talis victoriæ sine gratia speciali, aut illa testimonia sunt inefficacia.

30

Tertiò.

Ultimò.

Prob. 2. Ideo existimant Adv. esse possibile metaphysicè, & physicè, dari in sensu composito victoriam gravis tentationis sine gratia speciali; quia cum homo ei succumbens non habeat in sua potestate talẽ gratiam, & aliunde illa careat; obligaretur ad aliquod ei physicè impossibile, quod repugnat;

31

2. Prob. impugnãdo motivũ Adv.

sed hoc motivum etiam probat, talem gratiam non esse simpliciter moraliter requisitā: ergò sine causa &c. Pr.min. Gratia specialis pro victoria gravis tentationis adeò ponitur ab Adv. requisita moraliter, ut sine illa sit impossibilis moraliter impossibilitate summa in dicta linea; quam impossibilitatem comparant impossibilitati, ut non eveniant scandala: aut impossibilitati formandi penicillo, aut calamo, circulum mathematicè perfectum. Sed hæc impossibilitas probat etiam hominem gravitèr tentatum, & carentem gratia speciali, non posse obligari ad victoriam tentationis: cùm nullus possit obligari ad formationem circuli perfecti: ergò si impotentia moralis ad vincendum sine gratia speciali est similis impotentijs relatis &c. Confirm. Si victoria gravis tentationis ita est impossibilis moraliter sine gratia speciali, ut oppositum plus admirationis causaret, quàm si Sol retro gradu perageret Zodiacum (ut explicat P. Oviedo) qua ratione asserit, illam ferè pertingere ad impossibilitatem physicam; huiusmodi impossibilitas iuxta doctrinam Adv. probat hominem carentem gratia speciali non peccare succumbendo tentationi. Prob. assumpt. iuxta illorum doctrinam: *Qui non habet in sua potestate acquirere id, quod necessariò requiritur ad actum, non habet in sua potestate elicientiam actus.* Sed hoc motivum æquè probat de requisito moraliter tali, ut sine illo positio actus sit ferè miraculosa. Tùm quia libertas est facultas expedita, & cum reali indifferentia ad utrumque. Tùm quia, ut Adv. arguunt ex M. P. *illud est in nostra potestate, quod cum volumus, facimus; & cum volumus, non facimus*: ergò.

Confirm.

Urgeo. Gratia specialis ita necessariò requisita moraliter, ut sine illa nunquam existet victoria; aut est gratia præcisè donans actualem victoriam, aut præstans etiam vires morales ad illam? Si 1. hoc probat, quod sine illa nec physicè, nec metaphysicè est possibilis consequentèr; cum sit impossibile physicè, & metaphysicè hoc coniunctum: *Homo vincit gravem tentationem Deo non donante actu victoriam.* Si 2. ergò per talem gratiam Deus aufert ab homine gravitèr tentato vehementem difficultatem, & impossibilitatem moralem ad victoriam gravis tentationis; cum præbere vires morales sit auferre ab illo impotentiam moralem. Sed hoc probat sine illa pluries dari victoriam gravis tentationis; cum de facto homines pluries vincant gravem tentationem pugnantes contra impetum illius, & cum experientia magnæ difficultatis: ergò, aut talis gratia specialis nequit explicari, in quo consistat; aut est omninò necessatio requisita pro tali victoria. Deniquè: Si homo succumbens peccat, gaudet vera libertate ad resistendum tentationi: ergò in casu defectus gratiæ specialis utrumque extremum est contingens: aliàs non esset vera libertas. Unde igitur sciunt homines, quòd pro tali casu nunquam, estò difficultèr, eveniret victoria? Sic optimè P. Suarez num. 26.

32

Urgetur cont. aliquos.

Ultimò.

2. Prob. concluſ. à priori. Homo lapsus nec de potentia absoluta potest coniungere victoriam gravis tentationis cum carentia auxilij, sive adiutorij Dei ad illam, ut est certum. Sed huiusmodi auxilium nequit non esse gratia specialis: ergò nec de potentia Dei absoluta &c. Prob.min. Auxilium collatum homini supra connaturalem, & ordinarium modum operandi, est gratia specialis; cum tale auxilium non dispensetur ex providentia generali attendenti connaturalem, & solitum cursum rerum in operando; sed sic se haberet auxilium donans victoriam homini gravitèr tentato: ergò. Prob. min. ex dictis in prima concl. Cuilibet agenti est connaturale operari iuxta inclinationem, & formam actù in ipso prędominantem; atqui respectu hominis gravitèr tentati prædominatur inclinatio ad succumbendū tentationi; & in illo bonū sensibile per gravem tentationem propositum se habet ut forma prædominans, & vehementèr alliciens voluntatem ad sui prosequtionem: ergò. Confirm. Licet non repugnet voluntatem prosequi obiectum sibi propositum tepidè, & remissè, ut conveniens, in conspectu alterius propositi, ut hic, & nùnc magis convenientis; attamen negari nequit per se, & regulariter loquendo, volùn-

33

Ratio à priori.

Confir.1.

luntatem sequi propositionem practicam intellectus vehementiùs, & efficaciùs eam allicientem; ita constat. Tùm experientia. Tùm etiam authoritate M. P. 2. de pecc. mer. cap. 17. *Nolunt homines facere quod bonum est; sive quia latet, sive quia non delectat; ut autem appareat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominũ adiuvat voluntates. Tantò enim vehementiùs diligimus, quãtò certiùs illud esse bonũ novimus, eoque delectamur ardentiùs.* Et rursùs: *Quod magis delectat, necesse est illud operari:* Ergò cùm in gravi tentatione bonum sensibile sic appareat voluntati &c. licèt absolutè voluntas possit prosequi bonum honestum; in huius tamen prosecutione non servaretur modus connaturalis, & per se regularis operandi in voluntate hìc, & nùnc. Sed hoc ipso est gratia specialis: ergò.

Confirm. 2. Auxilium conferens homini infirmo, & debilitato viribus, opus proprium hominis sani, & fortis robore, nequit non esse auxilium speciale; atqui vincere gravem tentationem est opus proprium liberi arbitrij fortis, & sani, utpotè opus arduum, & de se difficile: ergò cum homo gravitèr tentatus sit infirmus, & debilis tàm habitu, quàm actu, ad opera honesta &c. Nec dicas proprium opus hominis sani esse vincere facilitèr gravem tentationem; secùs verò illam vincere cum difficultate. Non inquam dicas: Nàm homo vincens gravem tentationem non solum vincit cum difficultate, sed etiam vincit, & superat ipsam difficultatem, reportando victoriam ab illa; atqui hominem infirmum, & debilem viribus vincere, non solùm cum difficultate, sed etiam vincere, & superare ipsam difficultatem retardando, & impetum illius cassum reddendo, est opus specialissimum, & proprium hominis sani, & fortis, exarmando, scilicèt, adversarium sibi prævalentem: ergò. Deniquè: Nullus est possibilis casus physicè, aut methaphysicè loquendo, in quo homo gravitèr tentatus non teneatur speciales gratias Deo agere pro victoria gravis tentationis; cùm teneatur agere gratias specialis conditionis, ad quas tenetur pro victoria levis tentationis, & pro elicientia cuiusvis actus honesti facilis: ergò cùm specialis gratiarum actio sit probatio efficax gratiæ specialis &c.

34 Secundo. Si dicas. Contr. est Ultimo.

Obijcies 1. Ut sit absolutè verum hominem indigere gratia speciali ad victoriam gravis tentationis, sufficit, quod nunquam eveniet talis victoria sine prævenienti gratia speciali: ergo ex testimonijs adductis non probatur &c. Prob. añs. Ut sit absolutè verum, imò, ut sit necesse evenire scandala, sufficit, quod nunquam oppositum contingat, etsi sit possibile tàm physicè, quàm metaphysicè: ergò pariter, ut sit absolutè verum, & ore pleno proferatur, necessariam esse gratiam specialem ad victoriam gravis tentationis, sufficit &c. Urget Ovied: Cum sola impossibilitate morali in summo gradu de eo, quod creatura rationalis prævideatur per scientiam mediam, dissentiens omnibus auxilijs, salvatur omnipotentia Dei ad convertendum liberè creaturam rationalem: ergò, & cum simili impossibilitate ad victoriam sine gratia speciali, salvatur &c.

35 Primum argum. Urgetur.

Simili argumento probabis sequentes propositiones Trident. *Homo sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione, & illuminatione, nequit Deum diligere &c. Homo sine speciali auxilio nequit perseverare in bono: Homo sine prævenienti gratia Dei nequit elicere opera Deo grata, & meritoria vitæ æternæ*, & his similia; sufficienter verificati, si *illuminatio Spiritus Sancti &c.* solùm requirantur moralitèr, ita, ut nunquam oppositum eveniet; licèt sit possibile consequenter physicè: quod asserere, absurdum videtur. Ulteriùs, si Theologus solùm communem usum loquendi attendat; poterit etiam asserere, quod ut verificentur testimonia PP. sufficit gratiam specialem esse requisitam, ita ut sine illa, egrè tamẽ, & difficulter detur victoria gravis tentationis, quod sapit Pelagianismum. Assumptum prob. ex D. Anselm. dialog. de lib. arb. c. 6. dicenti: *Frequenti usu dicimus, nos non posse aliquid, non quia nobis est impossibile, sed quia sine difficultate non possumus.* Vera ergò solutio est. Quod licèt talis

36 Resp. ri Prima so lut.

impossibilitas sufficeret attento solo usu loquendi alijs in rebus; non tamen, si sensus Conciliorum, & PP. attendatur. Nàm in testimonijs adductis agebant contra Pelag. negantem necessitatem simplic: adiutorij, & gratiæ Dei ad dimicandum contra concupiscentias carnis: quapropter ille solũ admittebat necessitatem gratiæ Dei ad melius, & facilius vincendum. Undè; ut PP. è diametro se illi opponant, fatendũ est necessitatem gratiæ ad victoriam gravis tentationis esse simpliciter, & strictè talem. Hinc M. P. arguit contra Pelagium probans ex illo Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere* expositionẽ ab illo datam esse extortam; cum Evang. non dicat, *sine me facilius, aut facile, non potestis, sed absolutè non potestis.*

37 2. Resp. Quod quando ly *necesse* positum à Concilijs, & PP. significat necessitatem, reducendo illam ad inconveniens ex terminis; denotat necessitatem simpliciter talem, & saltim physicam, & ex natura rei; Nàm cum in bona conseq. añs. necessarium non inferat consequens contingens; quando PP. inferunt necessitatem alicuius ex prædicato necessariò convenienti Deo; consequens etiam gaudet eadem necessitate. Sic contingit in præsenti; Nàm PP. inferunt necessitatem gratiæ ad victoriam; quia aliter illa *non esset Dei miserentis*; & quia aliter *non esset Divini muneris*; & quia aliter *non indigeremus oratione &c.* Cumque casus oppositus his notis, existenti victoria gravis tentationis, sit simpliciter, & ex terminis impossibilis, rectè deducitur similem necessitatem gratiæ specialis ad victoriam esse de mente SS. PP. Adest simile exemplum, tùm in *adiutorio Dei* ad victoriam, quod est necessariũ omnino ad illã, eò quod est Dei donum: si ergò hæc necessitas est de mente SS. PP. idem de necessitate gratiæ *specialis*. Tùm etiam in hypothesi, in qua PP. & Concilia assererent: *Omnem actum honestum esse à Deo efficaciter prædefinitum; quia aliter nec caderet sub Dei providentia: nec Deus esset, qui operaretur in nobis velle, & perficere pro sua voluntate.* Nàm cum hæc sint omnino impossibilia, necessitas prædefinitionis ad actum honestum, esset nedum moralis; verum etiam physica, & metaphysica. Per quæ constat ad argumentum. Ad urg. neg. añs. cum omnibus Discipulis D. Tho. de quo alibi.

Sec: solutio, & universalior.

38 Argues 2. Homini graviter tentato potest ex concursu causarum naturalium occurrere motivum, vi cuius avertatur à vehementi propositione boni apparentis; & bonum honestum proponatur, ut magis conveniens; v. g. si graviter tentatus circa libidinem videat repentinam mortem amici; aut immineat proximum periculum mortis ex aeris, aut maris tempestate. Sed quòd ex simili occursu causarum naturalium provenit, non est gratia specialis: ergò bonum honestum, sic apparere nõ est semper gratia specialis, pro indeque, nec resistere gravi tentationi. Resp. quòd nisi Deus interius sua gratia adiuvet illustrando intellectum ad vehementiorem propositionem honesti; frustra sunt motiva extrinseca tantum obiectivè moventia; ut sæpè asserit P. Aug. contra Pelag. solùm ponentem necessariã gratiam externam prædicationis, exempla SS. & similia. Quod roboratur ex eo quod plures graviter tentati sæpè contẽnunt pericula mortis propter libidinem, vel vindictam.

Secundũ argum.

Solvitur.

Et hæc de hoc dub. applic. litt. Mag. ubi præced.

(o)

DU-

DUBIUM VII.

IN QVO CONSISTAT GRATIA specialis requisita ad victoriam gravis tentationis?

N. 1 CUm circa gratiam requisitam ad victoriam gravis tentationis duplex possit exagitari quæstio; prima de gratia requisita ad victoriam absolutè, & simpliciter; secunda de gratia requisita ad victoriam facilem, & specialiter elicitam: Sap. Doct. Rios prima omissa, vires sui ingenij circa secundam exercet. Sed non satis fœliciter, cum difficultas, quæ valdè torquet ingenia Theologorum, & in varios modos dicēdi abire coegerit; præcipuè sistat in decisione 1. quęstion. ut ex hoc salvent hominem succumbentem, & non positivè resistentem gravi tentationi, peccare: non obstante quòd ei deficiat gratia requisita pro victoria. Quid enim prodest scire; quænam sit gratia specialis, per quam Deus facit, ut homo suaviter, & facilitèr; vincat gravem tentationem; si penitùs nescitur, qua gratia speciali Deus donat homini victoriam, estò cum difficultate ponatur? Rursùs: quia Deus non arguet hominē gravitèr tentatum, & succumbentem de eo, quod non vicerit facilè, & expeditè; sed quòd absolutè non vicerit; unde parum utilitatis circa præcipuam difficultatem in tanto labore invenio. Sed quod magis notatu dignum invenio est: prædictum Doct. ponere gratiam requisitam ad victoriam facilem gravis tentionis in iudicio efficaciùs, & vivaciùs proponenti bonum victoriæ. Hoc autem, nedùm ad facilitèr, sed ad vincere simpliciter requiritur, iuxta expressam eiusdem doctr. dub. de iudicio determinato ad actu benè agere; & expresè tuetur in prædicto dub. de iudicio requisito ad victoriam gravis tentationis à num. 38. ubi oppositum à se latè impugnatum esse refert. Quapropter, ut sit vera sententia, quam defendit de gratia specali ad facilem victoriam, cogitur desere illam, quàm priùs propugnaverat; & simul recurrere ad opinionem eorum, qui dicunt non requiri talem iudiciū ad simpliciter vincendum, sed solum gratiam prædeterminantem, de quorum numero est M. Boliv. ut infra dicemus.

Duplex victoria.

§. I.

STATUITUR CONCLUSIO.

Gratia specialis consistit in complexo ex iudicio prælativo boni honesti, & gratia prædeterminanti voluntatem.

EST communis sententia Thomist. (paucis in oppositum reclamantibus) voluntatem non posse ex duobus bonis inæqualiter sibi propositis, ut hic, & nùnc convenientibus, eligere in sensu composito talis propositionis id, quod sibi proponitur, ut minùs bonum; de quo videatur Mag. à S. Thom. tom. 1. in 1. 2. q. 13. disp. 6. a. 2. & Doct. Rios tom. de Iud. indif. disp. 1. dub. 4. Gonet disp. 9. de Act. hum. Zumel in opusc. de Volunt. hom. fol. 140. Ex hac sententia legitimè infertur voluntatem creatam in sensu composito gravis tentationis; per quam bonum sensibile proponitur ipsi, ut magis cōveniens; non posse efficacitèr prosequi bonum honestum tepidè, & remissè propositum. Quapropter necesse habet movere intellectum, ut bonum honestum proponat hic, & nùnc, ut magis conveniens; quo iudicio posito voluntas est potens prosequi bonum honestum, & repellere bonū sensibile, quod pro priori ad tale iudicium apparebat ei, ut magis conveniens. Hinc iam apparet gratiam specialem requisitam ad victoriam completam gravis tentationis acta iudicare; & iudicium prælativum boni honesti, & simul gratiam

2 Explic & prob.

prædeterminantem intrinsecè moventem voluntatem ad amorem boni honesti. Ita colligitur ex doctrina M. à S. Thoma in præsenti, & Doct. Rios ubi supra disp. 1. dub. 2.

3 Quod enim iudicium proponens efficaciùs, vivaciùsque bonum honestum, sit necessariò requisitum ad victoriam tentationis per actum virtutis solidè fundatur à prædict. AA. & à M. Gonet tract. de act. hum. disp. 9. & à M. Zumel ubi sup. Quod vero sit propriè auxilium speciale, constat: Nàm tale iudicium nequit haberi ab intellectu ex proprijs, & ex communi occursu rerum naturalium; tùm ratione obscuritatis, & obnubilationis, in qua reperitur propter gravem tentationem. Tùm quia tale iudicium attendit, & considerat rationes superiores omnibus sensibilibus, utpotè obiectivè moventes ad honestè operandum. Quòd autem ultra hoc iudicium requiratur gratia ab intrinseco efficax, ut voluntas prorumpat in actum virtutis superantem gravem tentationem, constat: Tùm ex ratione generali; qua Thomistæ probant necessitatem huius gratiæ ad omnem actum honestum. Tùm quia cum iudicium relatum sit ab intrinseco inconnexum cum actu virtutis, ut docetur ab eisdem Thomistis (traditurque expressè à D. Thom. q. 22. de verit. a. 15. his verbis: *Quantumcumque ratio præferat unum alteri, non intelligitur præacceptum à voluntate, usque dum ipsa acceptet unum præ altero; non enim voluntas de necessitate sequitur rationem.*) Necesse est, ut voluntas determinetur ad victoriam gravis tentationis, superaddi gtatiam ab intrinseco efficacem donantem actualem victoriã. Tùm quia gratia requisita à SS. PP. & præsertim ab Innocentio I. est talis, ut ad ipsam infallibiliter consequatur victoria, ipsaque deficiente, necessariò deficit, iuxta illud: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo non adiuvante vincamur*; & illud: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, & caro*; & id genus alia plura; quæ omnia apprimè conveniunt gratiæ ab intrinseco efficaci. Huiusmodi autem gratiam in homine gravitèr tentato esse specialem, cõstat: Nàm talis gratia datur, ut homo operetur cont. formã, & inclinationẽ dominantem. Tùm quia talis gratia habet munus confortãdi debilitatẽ volunt. firmando ipsam ad affectum honestum, quæ priùs erat debilis, & cum renitentia ad prosequutionẽ boni honesti. His autem positis, nihil aliud requiritur, ut homo superet gravem tentationem: ergò gratia specialis requisita (quidquid sit de alijs auxilijs, quibus Deus ex abundantia suæ bonitatis potest favere homini gravitèr tentato) ad victoriam gravis tentationis conflatur ex iudicio relato, & gratia ab intrinseco efficaci.

Psal. 117.

§. II.

Solvuntur aliqua argumenta.

4 SEd, ut veritas huiusmodi dicendi magis eluceſcat; militant contra ipsum aliquæ difficultates, quas solvere oportet; interim, àc ab alio maiori dexteritate solvũtur. 1. est. Gratia requisita ad victoriam gravis tentationis debet esse talis, ut homo ratione illius vincat, sed cum difficultate, ut ipsa experientia constat. Atqui posito tali iudicio efficaciùs proponenti bonum honestum, non restat locus victoriæ cum difficultate; siquidèm voluntas facilitèr, & promptè tendit in bonum, ut propositum sibi cum mai. efficacia, & intensione: ergò gratia requisita nequit &c. Urg. Gratia requisita ad victoriam gravis tentationis, nequit esse gratia auferens gravitatem tentationis pro priori ad actualem victoriam; sed iudicium prælativũ se habet huiusmodi; siquidem gravitas tentationis; utpotè consistens in proponendo bonum sensibile cum maiori efficacia; directè auffertur per iudiciũ proponens bonũ honestum intẽsiùs, & efficaciùs: ergò. Rursùs: Vincere gravẽ tentationem, est ei resistere; sed resistere dicit sensum cõpositum cum eo, cui resistitur: ergò gratia vincens gravem tentationem est gratia composita cum illa; quod non verificatur stante tali iudicio: ergò. Vel alitèr: Iuxta hanc doctrinam duo confert Deus, scilicèt, iudicium prælativum, & gratiam ab intrinseco efficacem. Per primum non vincitur tentatio, sed tollitur de medio. Per secundum (cùm supponatur ablata) non relinquitur locus victoriæ, hoste iam fugato: ergò.

Primo arguitur.

Urgetur.

Ulteriùs.

2.

5 2. Difficultas est. Nàm homo graviter tentatus; vel est potens acquirere hoc iudicium prælativum, vel non? Si 2. non habet potestatem adhùc mediatam ad vincendum; cum non possit acquirere aliquid necessariò requisitum, & se tenens ex parte agentis creati ad actum victoriæ. Unde homini graviter tentato non imputabitur succumbere tentationi. Si primum: ergò tale iudicium non est gratia specialis Dei; cum hoc dicatur talis; quia unicè, & pro libito ipsius, confertur creaturæ: ergò tale iudicium, vel non est requisitum ad victoriam gravis tentationis, vel non est gratia specialis Dei. Urg. Nullum exercitium est assignabile in voluntate gravitèr tentata, quo possit homo acquirere tale iudicium; siquidem huiusmodi exercitium solum posset esse actus voluntatis, per quem movet intellectum, ut intensiùs, & efficaciùs proponat sibi bonum honestum. Hic autem actus est voluntas bona, & orta ex desiderio vincendi; quod quidem etiam est actus difficilis in sensu composito gravis tentationis; proindèque, ad illum indigebit alio iudicio prælativo, & alia gratia speciali, & sic in infinitum. Deniquè: Gratia specialis requisita ad victoriam; iuxta superiùs adducta ex SS. PP. est gratia, ad quam infallibilitèr consequitur victoria; sed tale iudicium non est huiusmodi; utpotè ab intrinseco inconnexum cum illa: ergò immeritò tale iudicium annumeratur inter gratiam specialem requisitam &c.

Secundo arguitur.

Urgetur.

Ultimo.

6 Resp. neg. assumpt. Stat enim voluntatem in sensu composito iudicij proponentis honestum, ut magis conveniens, experiri difficultatem in eius prosequtione. Hoc patet à simili in proijciente merces in mare; in quo non obstante iudicio efficacitèr dictanti, & voluntate efficaci illas proijciendi; adest gravis difficultas ratione affectus inefficacis de oppositio. Idem contingit in Iudice proferenti sententiam capitis contra amicum; & hoc propter affectus inefficaces in oppositum. Cum ergò iudicium prælativum non auferat à voluntate necessariò omnem affectum inefficacem, & subitum circa bonum sensibile propositum perpriùs cum maiori convenientia: potest voluntas in sensu composito illius experiri magnam difficultatem in victoria gravis tentationis. Ratio est. Nàm licet apprehensio suassiva boni nequeat regulare actum liberum; benè tamen subitum. Iudicium autem prælativum coexistere potest cum apprehensione suassiva boni delectabilis de se moventis efficacius; ac proindè cum affectu inefficaci, & subitò retardante voluntatem àvictoria.

Solvitur 1. arg.

De hoc Rios disp. 1. dub. 3.

7 Nec huic obstat inefficacia talis affectus, ut patet à simili (quo dicta roborātur) in affectu inefficaci, quo Christus Dominus refugiebat mortem, tàm secundùm appetitum sensitivum, quā secundùm voluntatem sumptam per modum naturæ, & secundùm inclinationem naturalem in vitæ conservationem; & tamen ratione horum affectuum fuit ipsi maximè ardua, & difficilis acceptatio mortis; etsi præcesserit iudiciū practicum efficacissimè dictans illam, & proponens inæstimabilem conveniențiam, & utilitatem in moriendo pro salute generis humani.

Cuidam instantiæ occurrit. 1.

2. Quia stat optimè affectum aliquem esse inefficacem, & esse intensum; imò & intensiorem affectu efficaci; ut est certum. Quantò autem intensior est affectus in aliquod bonum, eò magis retardat affectum in obiectum ei opsitum; quapropter nihil obstat inefficacia affectus circa bonum sensibile, ut voluntas experiatur difficultatē in eius repulsa, & prosequtione boni honesti. Ad hoc maximè conducit, quod bona sensibilia, quia præsentia, & proportionata pro hoc statu, fortius, & efficaciùs movent voluntatem, quā bona spiritualia, ut docet experient. Et S.D. 2.2.q.136.a. 3. Unde quilibet affectus inordin. ex vehemēti apprehensione proveniens in voluntate circa bonum delectabile, gravitèr eam retardat ab efficaci prosequtione honesti, necesse habens adversus seipsam pugnare. Nec iterùm obstat, quòd talis affectus non sit liber: Quin potiùs hoc quodammodo auget difficultatem; siquidem movet illam impetuosè per modum naturæ; & ideò indiget maiori auxilio, ut ab efficaci amore se cohibeat.

Secundo

Adest insuper aliud caput, 8

Alia motiva ut victoria sit difficilis. 1. Ut etiam in sensu composito talis iudicij homo gravitèr tentatus experiatur gravè; imò multotiès gravissi mam difficultatem in victoria tentationis; scilicèt, affectus, sive passiones inordinatæ appetitus sensitivi, provenientes ex imaginatione, & suggestione Dæmonis, quia vehementèr retardant vires voluntatis eam ducendo captivam in legem peccati, Secundò. ut ait D. Paulus ad Rom. 7. 2. Quia cum voluntas sit appetitus totius suppositi, hoc est, volens non solum, quod est bonum sibi, sed quod proponitur, ut bonum hominis secundùm aliquam sui partem; cum ratione passionis inordinatæ appareat bonum sensibile, ut convenientiùs secundùm naturam sensitivam; ipsa voluntas magna cum difficultate potest se cohibere ab amore efficaci boni sensibilis, & ei Tertiò. positivè resistere per amorem efficacem boni honesti. 3. Quia frequentèr graves tentationes vincendæ sunt peractum virtutis moralis residentis in appetitu sensitivo; licet victoria inchoetur ab actu voluntatis efficacitèr imperanti; huic autem imperio efficacitèr vehementèr resistunt passiones appetitus; non despoticè, Quartò. sed tantùm politicè obedientes. 4. Quia passiones appetitus necessariò movent imaginationem; & imaginatio obiecti conveniētis necessariò movet intellectum. Unde quod homo ita detineat motum suæ imaginationis, ut non sinat ipsam proponere bonum sensibile, cui est affectus per passionem, ut hic, & nùnc magis conveniens, est opus nimis arduum, & difficile; cum iuxta Philosophum 3. Ethicor. lect. 5. *Qualis unusquisque affectus est, sic omnia videtur ei.* De quo Quintò. Sanct. Doct. 1. 2. q. 9. a. 2. 5. Quia affectus efficax voluntatis, est circa obiectum, ut affectum omnibus circunstantijs; unde si hic, & nùnc adsunt plura impedimenta, & non superata, nec ablata per iudicium intellectus, essò perfectum; restat in voluntate gravis difficultas ad victoriam; cum restet ei pugnare adversus plura.

8 Ad urgentiam Resp. Doct. Ad argu. Resp. 1. Rios disp. 2. dub. 2. à num. 34. quòd in gravi tentatione oportet duo distinguere: scilicèt, eius gravitatem, & difficultatem ad eam superandam. Hæc difficultas est modus separabilis à gravitate; unde estò per iudicium specialitèr illustrans intellectum non auferatur; gravitas tentationis; aufertur tamen difficultas ad illius victoriā. Displicet hęc doctrina 1. propter immediatè dicta, quibus probatum n. 6. relinquimus; etiam ablata gravitate tentationis, quantum est ex parte intellectus ratione novæ propositionis boni honesti cum maiori efficacia, & convenientia: posse voluntatem experiri gravem difficultatem Secundo. in actuali victoria. 2. Quia præfatus Doctor non procedit consequenter ad alibi dicta. Ipse num. 3. asserit: *Gravitatem tentationis consistere in eo quod ratio sit obnubilata vivacissima propositione boni delectabilis non sinenti bonum honestum efficacius apparere.* Atqui dùm adest talis illustratio in intellectu, cessat vivacissima propositio boni delectabilis; ut est certum, & ipse fatetur num. 43. ergò per illā cessat etiā gravitas tentationis, quantùm est ex parte intellectus.

Reijcit. 1.

9 Aliter Resp. ex D. Thom. 3. part. quæst. 15. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod fortitudo spiritus aliqualitèr ostenditur, ex hoc quòd resistit concupiscentiæ carnis sibi contrariantis; sed maior fortitudo ostenditur, si per eius virtutem totalitèr caro comprimatur, nè contra spiritum concupiscere possit.* Hinc clarè const. quod vincere gravè tentationē, & fortitèr, stat duplicitèr; aut præcisè eliciendo actum virtuosum, quem impugnat; aut etiam eius vires destruendo. Huic accedit, quod duplicitèr potest quis vincere inimicum; scil. eius viribus purè resistendo, aut etiam illum exarmando, & totam fortitudinem, & virtutem ipsius destruendo. Patet hoc in Christo Domino, de quo dicitur vicisse Diabolum, non solum adversus eum pugnando, & genus humanum ab eius tyranno imperio extrahendo; verum, & eius vires totalitèr destruendo; virtute pas- * sionis suæ confringens poten. *arcuū, Ex Psal. scutum, gladium, & bellum. Hoc genus 75. victoriæ est proprie, & perfecte tale, & ad quòd tenetur homo gravitèr tētatus iuxta illud Psal. 17. *Persequar inimi-*

Respond Secundo.

micos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant. Tenetur, in quam, quantum potsit ex se, & ad illud totis viribus efficaciter connari, ut docet expresse S. D. hic 1.2.q.74. ar. 3. & 6. ubi ait: *In ratione potest esse peccatum; quando inordinatos actus inferiorum virium, vel imperat, vel etiam post deliberationem non coercet.*

10 Fundamentum huius doctrinæ est. Quia ratio in homine est directiva non solùm actuum exteriorum, sed etiam interiorum passionum. Undè, dùm deficit in earum directione, peccat. Quæ ratio à fortiori militat in coercendo, & expeliendo iudicium pravum suadens consensum in tentationem; cum magis influat in peccatum, quàm passio interior. De quo videatur Emin. Cayet. ibi; M. Medina, & alij. Si enim homo ad huiusmodi victoriam non conetur exponit se periculo consentiendi. Hac de causa omnes viri timorati de negligentia circa efficacem compressionem, & repulsam gravis tentationis, se accusant. Ex hac doctrina constat illam propositionem: *gratia requisita ad victoriam gravis tentationis nequit illius gravitatem auferre*, esse falsam; cum iuxta adducta ex D. Th. homo teneatur post advertentiam rationis expellere, & reprimere omnem motum inordinatum incitantem ad malum; multoque magis cogitationes internas suadentes proximè, & immediatè consensum in malum. Undè claritatis gratia illam distinguo: ad victoriam consistentem in pura resistentia obiectiva per positionē actus contra gravē tentationē, concedo. Ad victoriam consistentem in resistentia obiectiva, & destructiva virium gravis tentatio-

11 nis, nego.

Ad id quod additur Resp. ex dictis; vincere ex terminis non dicere

Ad ultim. sensum compositū cum hoste iàm devicto; ut patet in eo, qui interficit hostem, & de illo perfectè triumphat. Undè Christus Dominus vita sempiterna duellum mirandū exercuit cum morte; eiusque vitæ mors fuit mors mortis; non ita, ut illi coexisteret, sed, ut eam penitus destrueret. Quòd si velis distinguere inter pugnam, & victoriam; facilè compones, in principio pugnæ adversus gravem tentationem dari pugnam in sensu composito illius: Nam oratio, à qua incipit prælium ad vincendam gravem tentationem, coniungitur cum illa; & quia homo se sentit graviter propensum ad pravum consensum, petit à Deo auxilium pro victoria. Idem dicendum de resistentia gravis tentationis; ad illam enim sufficit pro aliquo tempore ei coexistere; estò dùm resistentia est perfecta destruendo vires tentationis, non componatur cum ipsa. Præterquamquod; licèt iudicium prælativum, & etiam actus virtutis elicitus media gratia prædeterminanti, non coexistant cum gravitate tentationis ex parte intellectus, ut actu formaliter existenti; benè tamen cum illa, ut virtualiter contenta; Tùm in apprehensionibus pravis; Tùm in aliquo affectu inefficaci ex parte voluntatis; Tùm in passionibus inordinatis appetitus sensitivi; quæ omnia non statim, sed paulatim deficiunt; si homo perseveret in amore virtutis, quem impugnabat tentatio.

Adstruitur sensus compositus moralis.

Ex his constat; qualiter posito illo iudicio restet locus victoriæ gravis tentationis; etiam si hæc sit pure contra præceptum negativum. (Nàm si instet præceptum affirmativum alicuius actus honesti, etiam si deficiat gravitas tentationis, peccabit illum omittendo.) Siquidem estò deficiat obscuritas, & obnubilatio ex parte intellectus; adhùc remanent in illo pravæ apprehensiones antecedenter excitatæ, & insuper; affectus inordinati, tùm in voluntate, tùm in appetitu sensitivo; de se inclinantes voluntatem, & intellectum, ut iterū obiectum delectabile, ut magis conveniens proponat. Quapropter tenetur voluntas per actum efficacem se firmare in bono, & affecta efficaci imperare prosecutionem boni honesti movendo omnes potentias, ut firmiter suo modo stabiliantur in bono, & non sit ulla actualis rebellio adversus spiritum.

12 Illatio ex dictis.

Hinc liquet hominem in dicto casu teneri, non solùm ad non consentiendum; verum etiam ad positivè resistendum; etiam si tentatio solùm sit contra præceptum negativum; tùm

13 Alia.

Tùm propter periculumconsentiendi; Tùm, ut roboretur, & accipiat vires ad persistẽdũ in bono. Nàm si tenetur homo roborare vires corporis, ut alia exercitia adimpleat, multò magis vires animæ; quæ semper manent cùm aliqua affectione ex insultu gravis tentationis..... Hinc non auderem pronunciarè reum peccati hominem, à quo abscessit gravis tentatio per iudicium prælativum; & in eo nullus affectus inordinatus, nec incitatio aliqua ad malum permansit; sed potius serenitas, & tranquilitas; etiam si tùnc omitteret actum efficacem circa bonum honestum. Hoc tamen ratò contingit.

14 Sed dices. Voluntas in sensu composito talis iudicij non est potens consentire gravi tentationi, ut videtur certum; quia iam non existit eius gravitas: ergò non tenetur eam vincere, nec ad actum positivum virtutis.. Resp. Voluntatem in dicto casu posse etiam potentia consequenti cõsentire cõsensu virtuali, sive interpretativo; si se habeat negativè; nõ consentiens positivè, neque dissentiẽs positivè, si materia sit gravis, & perseveret rebellio appetitus, in quo eventu iuxta doctrinam D. Tho. q. 15. de verit. ar. 4. ad 10. voluntas peccat mortaliter. quàm doctr. illustrant Medina, & Cayet. *in summa verbo delectatio: *Loquendo tamen de consensu formali positivo dicimus; in sensu composito talis iudicij posse potentia antecedenti consentire; quia potest repellere tale iudicium, & formare oppositum, cui immediatè consentiat. Undè, ut hæc omnia mala imminentia vitentur, tenetur homo, ad elicientiam actus quo efficaciter amplectatur bonum honestum, & efficaciter nolit obiectum delectabile.

Ocurritur cuidam instant.

§. III.

Occurritur secundæ difficult. & qualiter formatio iudicij sit in potestate voluntatis.

15 AD 2. difficultatem Resp. omnes Auth. propugnantes necessitatem talis iudicij, ut voluntas eligat unum præ alio (idem de iudicio determinato) esse in potestate nostra acquirere prædictum iudicium; quatenùs voluntas titulo primi moventis quoad exercitium alias potentias, potest applicare intellectum, ut obiectum per prius propositum cum minori convenientia, proponat cum maiori; considerando in ipso novas rationes, sive motiva extrinseca, vi quorum hic, & nunc appareat magis appetibile. Plura opponunt Recent. contra hanc facultatem voluntati concessam, sequentes P. Suarez tom. de Ang. lib. 7. cap. 7. & lib. 1. de necess. gratiæ cap. 12. & lib. 5. cap. 52. Aranda in 1. 2. lib. 4. disp. 14. Sed quia huius difficultatis discussio alibi spectat: brevissimè indicabo, quonam pacto possit voluntas applicare intellectum ad hoc, ut obiectum per prius propositum, ut minus bonum, denuò proponat cum maiori convenientia, saltim ratione circunstantiarum.

16 Primò dicendo cum aliquibus, quos sequitur D. Rios in præl. n. 41. non requiri ex parte voluntatis actum formalẽ, sed sufficere actum interpretativum consistentem in eo, quod voluntas non amplectatur obiectum magis efficaciter propositum. Cum enim voluntas naturaliter refugiat ociositatem, & quærat sui facietatem per prosecutionem boni; semel quod non velit obiectum propositum cum mai. efficacia; statim intellectus applicabitur ad propositionem alterius obiecti cum mai. efficacia, & convenientia hic, & nunc, ad sui prosecutionem. Sed quia hæc applicatio ex parte voluntatis est valdè diminuta, utpotè ex parte obiecti nihil: & aliunde; cum tale iudicium sit actus positivus, & in sui formatione multoties actus difficilis; necesse est addere in voluntate aliam determinationem formalem positivam. Undè in favorem huiusmodi dicendi potest superaddi, asserendo talem determinationem esse amorem beatitudinis saltim in communi, ex quo provenit in voluntate omnis affectus positivus, & similiter omnis propositio practica ex parte intellectus. Licèt autem talis amor secundùm se nequeat movere intellectum, ut hoc obiectum efficacius proponat præ alio; benè tamen

Primus modus.

Nisi ad dnturaliquid non placet.

men, ut coniunctus cum omissione amoris circa obiectum propositum cum mai. efficacia; siquidem posita tali omissione, & perseverante amore naturali fœliciter se habendi, * non restat ei aliud medium, nisi determinare intellectum, ut aliud obiectum ut magis conveniens efficaciter sibi proponat. Quod autem voluntas etiam in sensu composito gravis tentationis possit omittere amorem boni delectabilis, est omnino certum; cum gravis tentatio non sit ab intrinseco connexa cum sui prosecutione. Insuperque expressè docetur à D.Thom. hac 1. 2. q. 10. ar. 3. per hæc verba: *Licet ratio obnubiletur à passione, semper tamen remanet aliquid rationis libertũ, vi cuius potest aliquis, vel totaliter passionem repellere, vel se detinere, ne passionem sequatur.*

* Voluntas fugit naturaliter suspensionem.

17 Secundus

Secundo dicendo cum alijs, quod estò voluntas non possit prosequi obiectum propositum cum min. efficacia, potest tamen positive nolle obiectum magis efficaciter propositum; quæ quidẽ nolitio est simul determinatio voluntatis, qua applicat intellectum ad formationem alterius iudicij. Quod autem talis nolitio, sive recessus positivus à propositione vivaciori sit possibilis, suadetur 1. ex doctrina D. Tho. hac 1.2. q.10. ar.2. dicentis: *Quod si aliquod obiectum proponatur voluntati, ut bonum, sed non secundum omnem rationem, sed cum defectu bonitatis, potest ex hac parte refutari, vel repudiari à voluntate.* Cum igitur optimè componatur obiectum proponi, ut convenientius præ alio, & simul in ipso apparere plures defectus bonitatis, & perfectionis, tùm ratione finitudinis, tùm ex alijs capitibus; potest voluntas, etsi impotens prosequi minus bonum, nolle maius bonum, quia insufficiens, & pluribus alijs defectibus implicatum. 2. Quia cum iuxta omnes voluntas in sensu composito inæqualis propositionis sit libera, & huiusmodi libertas saltim exercite reluceat in ipsa propositione, ideòque ab ipsa voluntate naturaliter ametur: huiusmodi amor est odium virtuale huius, quod est * necessitari à bono proposito cum mai. efficacia. * Undè ex tali amore potest imperare actum sequentis tendentiæ: *Nolo sequi efficaciorẽ, propositionem boni, ne libertas, qua gaudeo, minuatur, aut impediatur ab aliquo bono particulari, & finito:* Hæc insinuasse sufficiat.

18 Tertiò.

Tertius, & qui magis mihi arridet, supponit 1. voluntatem, estò nequeat amore efficaci prosequi obiectum, ut minus bonum propositum; benè tamen amore inefficaci; cum sent. Thomistarũ relata solũ loquatur de amore electivo unius præ alio. Constat hoc in Christo Domino; in quo cum voluntate efficaci moriendi fuit affectus inefficax liber non moriendi: idem constat in proijciente merces in mare. 2. Deinde supponit amorẽ inefficacẽ finis non posse determinare potentiam operativam ad positionem mediorum efficaciter conducentium ad eius assequtionem; benè tamen ad positionem mediorum sufficientium ad eam; ut videre est in voluntate inefficaci salutis omnium hominum, efficaciter determinanti omnipotentiã ad conferenda media sufficientia pro eorum salute. His suppositis iam facilè percipitur ex tali amore inefficaci minoris boni coniuncto cũ omissione amoris maioris boni posse applicari intellectum, ut formet iudicium oppositum; cum hoc non sit medium efficaciter connexum cum amore efficaci boni propositi per ipsum, sed tantum mediũ sufficiens, utpote inconnexum ab intrinseco cum illo. Undè si cuti amor inefficax salutis est amor efficax, & efficaciter determinans ad collationem auxiliorum sufficientium; ita in amore relato salvatur inefficacia circa bonum minus efficaciter propositum; & efficacia, ut voluntas determinet intellectum pro formatione iudicij prælativi.

19 S. D. ad Rom. 8. lect. 1. ponit hanc volitionẽ ineffic. in tentato per concup.

Ex his constat 1. generaliter loquendo, qua ratione sit in potestate voluntatis movere intellectum, ut excogitet maiorem convenientiam in bono per prius minus efficaciter proposito. Constat 2. id ipsum in homine graviter tentato, qui aliquo modis ex relatis potest non consentiendo tentationi, voluntate sua movere intellectum, ut prævaleat propositio gratuita boni honesti, per quam possit seexercere immediatè per amorẽ efficacem eius-

eiusdem boni. Semper tamen dicendum est iuxta Thomistarum sententiam, prærequiri etiam physicam prædeterminationem ad actum; quo voluntas applicat intellectum, ultrà illam: quæ datur ad formationem iudicij prevalentis gravi tentationi, & utrãque esse specialem. Ratio est; quia talis formatio est opus arduum propter difficultates occurrentes. Et rursus; quia perseverare in tali iudicio formato ex rationibus superioribus, & transcendentibus omnia sensibilia, superat connaturalem modum operandi in homine pronò ad malum, & actu sibi adversantibus carne, & dæmone avertentibus à recta cõsideratione.

20 Nec obstat tale iudicium male dici gratiam specialem, si aliundè formatur ab intellectu ex determinatione voluntatis. Nã licèt gratia prima, & quæ datur per modum motionis transeuntis, unicè sit à Deo; gratia tamen secunda, & in actu vitali consistens, potest etiam causari à nobis, præcedenti tamẽ Dei motione.* Quapropter amor efficax intentivus boni dicitur etiam auxilium voluntatis ad electionem mediorum; & similiter dicitur gratia; sumpta gratia pro dono nobis à Deo gratuito communicato: licèt rigorosè loquendo, magis debeat dici effectus gratiæ *Lis est parvi momenti. Nec te moveat; quòd iuxta dicta in homine graviter tentato, gratia specialis Dei incipit à prædeterminatione, quà voluntas elicit actum efficaciter moventem intellectum ad formationem iudicij: Nàm dùm diximus gratiam requisitam consistere in conflato ex iudicio, & gratia prædeterminanti, loquti sumus de gratia immediatè influenti in actualem victoriam. Imò potius, si radicem, undè victoria sumit exordium, attendamus; illa inchoatur in gratia externæ protectionis, per quàm gratis detinet Deus voluntatem, nè positive consentiat tentationi; quæ absdubiò est specialis iuxta illud Psal. 117. *Impulsus, eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me.* Non aliter, ac qui detinet puerum vehementer inclinatum, ut cadat in ignem, eique præbet auxiliũ, ut firmiter illæsus servetur. Nec inconnexio iudicij prælativi cum actuali victoria tollit ab eo rationem gratiæ requisitæ; Nàm PP. loquuti sunt de gratia adæquatè sumpta: hæc enim utpotè includens gratiã prædeterminantẽ, necessario connectitur cum illa. Undè est gratia requisita, sed inadæquata.

Cum hoc stat illud dici gratiam specialem.

* Ripald. d. 103. sect. 4.

* D. Bern. de liber. arbitr.

§. IV.

Aliæ difficultates solvuntur.

TErtia difficultas est. Gratia requisita ad victoriam gravis tentationis est gratia præbens voluntati vires ad illam; cum sit gratia requisita titulo infirmitatis, & corruptionis, in qua marsit post peccatum. Sed nec iudicium prælativum, nec gratia prædeterminans, est huiusmodi: ergò. Prima pars min. constat; cum tale iudicium solùm extrinsece, & moraliter moveat voluntatem, & non per submin istrationem spiritus; ut de cognitione legis, & doctrinæ suadenti, & allicienti ad bonum docet M. P. lib. de gratia Christi cap. 34. contra Pelagium. Quòad 2. vero prob. Gratia unicè se tenens ex parte actus 2. & ut mera applicatio virtutis ad agendum, nullas vires præstat voluntati; signum enim virium, aut virtutis, est signum spectans ad actum 1. Atqui omnis gratia prædeterminans est huiusmodi iuxta Thomistas: ergò. Hanc impugnationem poterit unusquisque pro suo ingenio satis urgenter promovere. 21 Arg. 34

Quarta difficultas. Gratia requisita ad victoriam gravis tentationis est illa, quàm à Deo poscimus, & tenemur exorare; ut est dogma Catholicum depromptum ex illo: *orate, ne intretis in tentationem*, & alijs innumeris. Sed complexum ex iudicio, & prædeterminatione, non est huiusmodi: ergò. 1. pars min. prob. 1. Nemo orat pro illlo, quod habet in sua potestate iuxta M. P. atqui iuxta AA. necessitatem illius propugnantes voluntas habet plenè in sua potestate movere, & applicare intellectum, ut obiectum tepidè propositum, illud proponat intencius, & efficacius cum mai. convenientia hic, & nunc: ergò. 2. Nàm, ut oratio sit efficax quoad 22 Quartò.

con-

consecutionem apud Deum, requirit *perseverantiam, fervorem, pietatem, & humilitatem, & quod fiat pro se.* Iuxta D. Tho 2.2.q.83.ar.16.& SS.PP. atqui hu iusmodi oratio necessario prærequirit gratiam specialem in iudicio ipsam regulante; cum sit opus arduum respectu hominis graviter tentati experientis in se difficultatem ad omnem actum virtutis repulsivum tentationis: ergò. Quòad 2. vero prob. Nequit gratia prædeterminans exorati ab homine graviter tentato; nec ut conferenda antecedenter ad iudicium prælativum, ut est certum: nec ut conferenda post tale iudicium; siquidem illo præexistenti, iàm remanet facilis elicientia actus virtutis, quem tentatio impugnabat. Undè estò oratio pro illa sit utilis, non tamen est necessaria, ut de gratia ad alios actus de se faciles, constat: ergò tale complexum nequit esse materia orationis, ad quam homo graviter tentatus tenetur ex præcepto.

23

Quinta est, & præcipua. Si gratia requisita ad victoriam esset conflatum ex iudicio specialiter illustranti intell: & ex gratia prædeterminanti, sequitur hominem graviter tentatum non solùm esse impotentem moraliter ad victoriam; hoc est, gravi difficultate implicatum, quæ tantum est impotentia secundùm quid; verum etiam non habere veram libertatem, & sufficientiam immediatam ad vincendum; sed hoc nequit dici iuxta doctrinam AA. illam propugnantium: ergò. Min. est certa, quia præd. AA. solum asserunt talem gratiam requiri, ut homo sit potens consequentèr vincere, non autem antecedenter; ideòque; etsi talis gratia denegetur à Deo, imputatur homini consensus in tentationem. Mai. prob. Id, quod caret aliquo requisito ex parte actus 1. ad victoriam, non gaudet libertate immediata ad illam; ut est certum: sed sic se habet tale iudicium; 1. Nàm quod necessariò requiritur ad actum, & relinquit voluntatem indifferenter coniungibilem cum illo, & eius carentia, se tenet ex parte actus 1. Nàm signum actus 1. est signum indifferentiæ; Atqui sic se habet tale iudiciũ prælativum; cum sit ab intrinseco inconnexum cum actu: ergò. 2. Id, quod se tenet ex parte obiecti electionis, ut obiectum est, pertinet ad actum 1. eligendi; cum obiectum in genere causæ formalis, & per modum actus 1. influat in suum actum; sed sic se habet indicium prælativum; cum electio definiatur *appetitus præconsiliati*; ubi ly præ iuxta sensum horum AA. non tantum præcedentiam in duratione significat; sed prælationem inter media consiliata, quatenus apparet, ut magis conveniens: ergò. 3. Ex illa celebri distinctione illustrata ab Illust. Cattell. inter applicationem causæ ad causam, & causæ ad effectum, ex quibus 1. se tenet ex parte actus 1. Atqui iudicium prælativum se habet, ut applicatio causæ ad causam, scilicèt, boni ad voluntatem, cum qua producit, & influit in actum: ergò.

24

4. Id, quod reddit obiectum proportionatum, ut attingatur à potentia, se tenet ex parte actus 1. ad attingentiam sui; ut patet in luce respectu coloris; & insuper, quia actus 2. non egreditur à potentia, nisi proportionata pro priori. Atqui obiectum non redditur proportionatum ad sui prosequtionem præ alio, nisi appareat hic, & nunc, ut magis conveniens: ergò. 5. Quod movet voluntatem quòad specificationem, non vero quòad exercitium; se tenet ex parte actus 1. ad actũ ex illius motione provenientem; undè imperium, vel iudicium determinatum; si sit ab intrinseco connexum; se tenent ex parte actus 2. utpotè moventia quòad exercitium. Sed iudicium prælativum, utpotè ab intrinseco inconnexum, nequit movere quòad exercitium voluntatem ad victoriam gravis tentationis: ergò cum solùm moveat quòad specificationem &c.

25

Ad 3. argum. Resp. Iudicium prælativum hucusque propugnatum, estò non præbeat voluntati vires physicas, eique intrinsecas ad victoriam; præbere tamen ipsi vires morales. 1. quia removet iudicium proponens bonum delectabile cum maiori efficacia, per quod voluntas erat valdè inclinata, & propensa in malum. 2. quia ratione talis iudicij elicientia actus hos

Secundò.

Et hic: 3. c.2.

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

Quinto probãdo tale iudicium se tenere ex parte actus 1.

Prima probatio.

Occurritur 3. difficult. positæ n. 21.

honesti erat opus nimis arduum: Tùm propter obnubilationē rectæ rationis; Tùm propter connaturalem modum operandi in voluntate sequendo vivaciorem propositionem boni. Cumque remotio impedimentorum graviter retardantium voluntatem ad benè agendum, sit saltim negative præbere vires, & robur; videtur omnino, certum præfatum iudicium modo dicto præbere vires voluntati. Præbet etiam voluntati vires morales positive; quia ratione illius redditur prompta, & positivè inclinata in bonum inclinatione actu prædominanti. Gratia antē prædeterminans, licèt non præbeat vires voluntati; eas tamen roborat, redditque efficaces, illam indeclinabiliter, & insuperabiliter determinando ad bonum. Ex quibus liquet complexum ex utroque præbere vires efficacissimas voluntati; iudicium quidem, vires morales tàm positive, quàm negative; gratiam verò prædeterminantem, efficaciam, robur, sive constantiā voluntati, ut exeat in actum, nec adversitate vincatur.*

* S.P.de correp. & gratia cp 12. subvē tū est &c.

26 Ad 4. Resp. concess. maior. neg. min. Nec prima probatur get. Nàm propositio M. P. intelligitur de illo quod ita est in nostra potestate, ut ad illius positionem non sit necessarium adiutorium Dei facientis, ut velimus, & agamus; secus autem, si tale adiutorium Dei sit necessarium. Unde evidenter convincit contra Pelagium negantem adiutorium voluntatis, & actionis, & solùm adiutorium possibilitatis concedentem; ipsum destruere necessitatem, & utilitatem orationis. Iudicium autem, & alij affectus præcedentes actualem victoriam, ita ponuntur à nobis in nostra potestate; ut pro eorum elicientia sit necessaria gratia Dei. Unde non præcluditur locus orationi. Vide Cassell. tom. de lib. arbitr. disp. 2. q. 3. à n. 438.

Ad 1. probat. 4. argum. positi n. 22.

27 Circa 2. probar. Mag. Boliv. hic à n. 9. sentit gratiam ad orationem, per quam graviter tentatus impetret à Deo gratiam ad victoriam esse gratiam specialem. 1. quia, ut oratio sit impetratoria, requirit plures conditiones, quæ in homine graviter tentato reddunt illam satis difficilem; scilicèt, *pie, perseveranter prosè, & de conducentibus ad salutem*, proindeque, requirit auxilium speciale. 2. In dicta oratione exercētur plures actus diversarum virtutum, scilicet, *humilitatis, religionis, pietatis, & perseverantiæ*, de quo S. D. 2. 2. q. 83. ar. 16. 3. Quia si gratia ad orandum non esset specialis: ergò nec oratio, per quā acquiritur gratia requisita ad victoriam, est gratia specialis: ergò nec terminus acquisitus erit specialis gratia. Sed gratia, quæ adquiritur, est gratia requisita ad victoriam: ergò de primo ad ultimum non erit necessaria gratia specialis ad victoriam.

An gratia adorandū sit specialis? Aliqui affirmant. 1. Secundò. Tertiò.

28 Oppositum huius tuebatur SS. Mag. Perez Academiæ Complut. præclarissimum iubar; cuius doctrina suffultus Theses publicas in præfata Universitate defendi. 1. Non repugnat Deum offerre collationem doni specialis sub conditione exercitij honesti spectantis tantum ad providentiem generalem; quin potius; in hoc relucet maior gratia, & favor ex parte Dei: ergò habit hominem graviter tentarum solo concursu generali præventum, orare pro gratia requisita ad victoriā gravis tentationis, & hanc esse gratiam specialem. 2. Ex vi providentię generalis supernaturalis dantur auxilia efficacia, ut plures homines orent pro dono perseverantiæ; talis enim oratio, & omnibus fidelibus, præcipitur, dùm præcipitur recitare orationem dominicam; & non est opus ita excellens, ut gratiam specialem intra ordinem gratiæ requirat. Et tamen ipsa perseverantia est donum specialissimū, & unicè ad providentiā prædestinativam spectans. Id ipsum videre licèt in oratione, qua Patres Antiqui continuè desiderabant Incarnationem Verbi Divini, quorum oratio fuit impetratoria, & meritoria illius de congruo. Quin ex hoc inferre liceat existentiā Incarnationis nō spectare ad providentiam longè specialissimam, & excedentem providentiam eis conferentem auxilia efficacia ad orandum.

Alij negant. quibus assensio.

29 Nec fundamenta supra adduct. convincunt. Non 1. Nā cum oratio ex desiderio frequenter oriatur; non apparet gravis difficultas in eo, quod homo graviter tentatus seriò desideret, ut Deus ipsi

Ad 1. ex M. Boliv. Resp.

ipsi conferat gratiam ad victoriam 1. quia tentatio directè huic desiderio non adversatur, sed castitati, iustitiæ &c. 2. quia motivum ad orationem, per quam poscimus auxilium à Deo, fundatur in cognitione indigentiæ talis auxilij, & in oblatione illius ex parte Dei, si ipsum humiliter deprecemur. Gravis autem tentatio non tollit, quo minùs hæc motiva efficaciter proponantur, ut convenientia homini graviter tentato; imò potius ipsa iuvat, ut clarius appareat indigentia adiutorij Dei. Undè hic sunt duæ libertates, & duo iudicia actus earum regulantia; scilicèt, libertas ad orandum gratiam pro victoria, vel ad non orandum: & libertas ad amorem boni delectabilis, vel boni honesti, etsi remisse propositi. Iudicium regulans orationem est huiusmodi: *bonum est petere à Deo auxilium, nè succumbam tentationi*; gravis autem tentatio solum proponit, ut magis conveniens sequi obiectum delectabile; nihil in contra dictans de oratione. Quare nullam gravem difficultatem contra orationem inducit.

Occurritur evidẽtiam instantiæ.

Nec obstat; quod tale desiderium, ex quo proficiscitur oratio, debet esse efficax circa victoriam; quòd videtur opus arduum; Nàm desiderare efficaciter non consentire gravi tentationi, sed potius ei positivè resistere, est eiusdem rationis cum actu, quo formaliter tentatio vincitur. Non, inquã,

Omissio requiri de fide efficax aliquate:

obstat. Nàm licèt desiderium efficax per modum imperantis ipsam victoriam sit opus, ita arduum, sicuti & victoria; secus tamen desiderium affectionis auxilij, ut postea imperet victoriam. Hic enim duo desideria oportet distinguere; scilicèt, desiderium consequendi à Deo auxilium pro victoria; & rursus: desiderium immediatè terminatum ad victoriam, & illam imperans. Primum ad esse potest in homine graviter tentato; & pro illo non indiget gratia speciali; secundùm vero elicitur post collationem auxilij, & consequitur immediatè ad iudicium prælativum proponens maioriefficacia motiva honesta ad resistendam. Constat hoc in desiderio efficaci consequendi auxilia ad diligendum Deum, & ad augmentum dilectionis; quòd non est desiderium efficax; quia imperet dilectionem, aut eius augmentum; sed desiderium efficax affectivè se inveniendi in statu ad efficaciter effectivè imperandum.

Ad 2. Resp. Conditiones descriptas à D. Tho. pro orationis efficacia ad impetrandum intelligenda esse pro qualitate occasionis, temporis, & similium. Si enim donum, sive auxilium, quod à Deo petimus, sit conferendum transacto aliquo spacio temporis, pro quo prævidetur extiturum præceptum arduum; tunc oportet fundere orationem illis conditionibus ornatam, ut sit impetratoria. Si vero statim urget præceptum; nec adsit tempus ad excogitandam motiva pro honestate *pietatis*, *perseverantiæ*, *humilitatis*, ad orationem, sufficit facere, quòd est in se, levando mentem in Deum cum cognitione propriæ infirmitatis, & cum vero desiderio auxilij, nè succumbat tentationi iuxta illud Psalm. 1. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus &c.* Hæc autem elevatio mentis in Deum non est opus adeò difficile, ut indigeat gratia speciali. Verumtamen; si tentatio duret per aliquod tempus, tùnc oratio, utpotè diù perseverans, erit etiam gratia specialis; sicuti, & continuatio in operando honestè, estò sit materia de se facilis. 30 Ad 2.

Ad 3. Resp. Actionem aliquam posse dici dupliciter acquisitivam alicuius termini; uno modo physicè per similem connexionem cum ipso; alio modo moraliter per modum dispositionis, aut impetrationis. Si contingat 1. modo; rectè prob. terminũ acquisitũ non esse favorem specialem, si actio acquisitiva gratia specialis non est; secus autem, si contingat 2. modo: quia nec dispositio moralis, nec impetratio de se connectuntur cum termino acquisito; sed restat locus liberalitati, & misericordiæ ex parte Dei in collatione talis boni. Hoc videre est in oratione peccatoris, quàm Deus multoties exaudit: & in alijs operibus, quibus disponitur, & impetrat remissionem peccatorum: in quibus relucet specialis gratia, etiam eis præsuppositis. Hoc tenet verum, dùm 31 Ad 3.

ef-

efficacia acquisitionis alicuius termini provenit ex gratuita oblatione Dei iuxta illud: *Petite, & accipietis*, & illud: *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum: cùm ipso sum in tribulatione eripiam eum*: & illud: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te.* Et id genus plura. Unde constat optimè componi orationem pro auxilio ad victoriam gravis tentationis posse fieri cum auxilio generali Dei, esto gratuito: & auxilium impetratū ad victoriam esse gratiam specialem.

Luc. 11. Psal. 90. Psal. 49.

32 Ex his satis constat probabilitas secundi modi dicendi. Sed sive unum, sive alterum dicatur; nihil refert ad præsens pro solutione argumenti. Si enim oratio facta pro gratia ad victoriam gravis tentationis sit ex gratia speciali; tunc casus duplex gratia specialis conceditur homini graviter tentato oranti, & vincenti; scilicèt, gratia ad orandum, & gratia determinans efficaciter voluntatem ad actum vincentem gravem tentationem. Si vero non requiratur gratia specialis ad orandum; tunc tota specialitas stabit in gratia ad formandum iudicium prælativum; & in gratia prædeterminanti ad actum victoriæ illo regulatum. Sed tamen est valdè notandum: quòd cum Deus possit, & multoties conferat sua dona absque oratione; qui misericordia sua merita supplicum excedit, & vota, & à non quærentibus illum inveniatur, & palàm appareat his, qui ipsi contradicunt (de quo S.D. 2.2.q.83. ar. 3. ad 3.) Non debet concedi ultrà gratiam specialem ad iudiciū, & ad actū victoriæ requiri omnino necessario aliam specialem; cum esto sit huiusmodi gratia ad orationem; hæc tamen non requiritur ita necessariò, ut sine illa nequeat existere, licèt si non orat, peccet etsi vincat.

Diversitas relata parum refert pro nunc.

33 Sed dices: Multum refert, quòd auxilium ad orandum gratiam efficacem pro victoria gravis tentationis sit ex providentia generali Dei; ut homini imputetur omissio victoriæ. Nàm graviter tentatus, tunc habebit in sua potestate acquirere gratiam requisitam ad victoriam; undè non poterit se excusare dicendo: *Consensi in tentationem, quia defuit mihi gratia ad victoriam*; quandoquidem potest ei respondeti; *si orasses* (ut potuisti per auxilia generalia) *illam habuisses.* Undè tibi merito etiam carentia gratiæ imputatur ad culpam. Si autem ad orandum sit necessaria gratia specialis; certè poterit homo se excusare dicendo: *Non vici tentationem, quia non habui gratiam pro eius victoria*; *nec insuper potui illam acquirere; cum hoc debebat fieri media oratione, ad quam non habui posse: cum etiam requiratur pro ipsa oratione gratia specialis à Deo mihi non concessa.*

Instabis.

34 Hæc instantia falso nititur principio, & quo fere unice impugnant AA. Societatis concordiam nostræ libertatis cum gratia prædeterminanti. *Qui enim* (inquiunt) *non habet in sua potestate actu, aut virtute, omnia requisita ad existentiam actus, non habet in sua potestate actum.* Falsitatem huius dicti alibi ex professo demonstrant nostri Thomistæ; tùm argumento orationis; tùm argumento dominij Dei pro suo libito discernentis consentientem à disentienti; tùm denique quia hoc esset destruere libertatem creaturæ, quæ titulo dependentiæ, & subordinatæ Deo in operando, nequit habere in suo dominio omnia requisita ad operandum. Rursus instantia alteri motivo falso inititur; dùm indicat prædeterminationem dispensatam ex providentia generali esse in nostra potestate; secus autem illam, quæ à Deo per specialem providentiam dispensatur. Deus enim, sive ut generalis, sive ut specialis provisor operetur, operatur, ut supremus, & Primus dominus prout vult, quando vult, & in quibus vult; ut nostrum velle, & operari, non sit volentis, & currentis, sed Dei miserentis. Dicitur ergò gratia prædeterminans gratia specialis, quia ad actum arduum, & superantem vires morales confertur; generalis vero, dùm ad actum non sic superantem confertur. Undè quamvis homini graviter tentato Deus deneget iusto iudicio gratiam efficacem ad orandum, non excusatur à peccato; tùm omissionis orationis; tùm consensus in gravem tentationem; quia videlicet habet sufficientiam ad orandum; & pariter ad actum, quò vin-

Respond.

vinceret gravem tentationem. An autem non orans, & succumbens gravi tentationi, committat duplex peccatum? est quæstio moralis scitu digna pro recta administratione in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ; & pro integritate, & extensione doloris in pœnitente, necessaria. De quo Mag. Prado tom. 2. Theologiæ Moralis cap. 30. q. 1. §. 6. Notandum pro antea dictis; quòd si tentatio circa libidinis v. g. se extendit etiam gravitèr retardando orationem pro auxilio ad actum castitatis; tùnc gratia ad hanc orationem erit specialis; attamen auxilium ut oret, & desideret Deum conferre dictam orationem erit generale. Cum enim oratio sit donum Dei, si cognoscitur ut conveniens; potest etiam desiderari, ac proinde esse materia orationis.

§. V.

Occurritur 5. arg. sustinendo tale iudicium non se habere ex parte actus primi.

35 AD 5. arg. (cuius plena resolutio alibi spectat) Resp.cum.M.Bolivar hic,Ill. Godoy disp.45.§. 4.negando requiri ex parte actus 1.ad amorem huius boni præ alio; unde illo deficiente datur libertas immed. in voluntate,nedùm contradictionis,quia potest omittere obiectum propositum ut magis conveniens, sed etiam contrarietatis; quia est potens antecedentèr prosequi bonum remissè propositum; licet ut illud actu amet, debeat proponi,ut magis conveniens.Hæc intelligenda sunt de prædicto iudicio ut actu existente: Nàm loquendo de illo ut possibili haberi, sic se tenet ex parte actus primi, iuxta illud commune principium: *Quòd ut actù existens necessariò requiritur ad existentiam actus; ut possibilitèr existens, requiritur necessariò ad illius possibilitatem.* His fiebat satis prædictæ difficultati; cùm pronùnc deberet supponi, & non disputari iuxta doctrin. AA. alibi ab ipsis propugnatam.Cum enim iudicium indifferens seipso sit radix libertatis; illo posito voluntas intelligitur potens antecedentèr amare quodlibet bonum ex vi talis iudicij propositum.

Solutio.

Attamen pro aliquali profectu audientium prędictas probationes solvere conabimur;licet a nullo (quem viderim) ex professò sint obiectæ, aut solutæ. 1. Prob. solum convincit inconnexionem ab intrinseco ex parte talis iudicij cum amore boni propositi cum maiori convenientia;quam libentèr admittimus; & ob id fatemur esse indifferentèr coniungibile cum amore,& eius omissione. Ut autem se teneat ex parte actus 1.non sufficit talis inconnexio,aut coniungibilitas,sed requiritur,aut præbere virtutē, aut illam complere;&ex sua tendentia proponere cum indifferētia alliciendo ad amorem,& carentiam amoris.Hęc autem propositio non alitèr fit, nisi proponendo obiectum ut amabile sub una ratione, & sub alia ut non amabile, quia bonum finitum, vel insufficiens &c. Quæ propositio non fit per prælativum iudicium, quod unicè suadet amorem unius. Quapropter estò sit indifferens indiffer. coniungib. cum amore,& carentia amoris,non est indifferens positivè in proponendo extrema opposita.Adest exempl. in cognitione præcepti actus Religionis v.g. ad quem non se tenet ex parte actus 1 quòad sui substantiam, licet possit cōiungi cum actu,& omissione actus. 36

Ad 1.probationem in contra Resp.

Ad 2.Resp.prænot.adesse latum discrimen inter proponere obiectum, ut *amabile hic,& nùnc*,& inter proponere illud,*ut hic, & nùnc amandum.* 1. nec dicit præferentiam unius præ alio, nec dictat efficacitèr exercitium amoris; oppositum vero convenit secundo iudicio. Hac de causa tendētia huius explicatur per modum intimationis, v.g. *Conveniens est,ut hoc fiat*, licèt quia inconnexa, non sit strictè imperium. 1. propositio spectat ad iudicium indifferens, cui proprium est proponere obiectum ut amabile, sive ut potens terminare amorem. 2.verò propos. spectat ad ad iudicium prælativum sive determinatum, de quo in præsenti. 37

Ad 2.

Hoc not. dist. mai. Id, quod se tenet ex parte obiecti &c. quatenùs apparet,ut amabile, conc.mai. Quatenùs apparet, ut hic, & nùnc determinatè amandum, neg. mai. Sicut enim in voluntate distinguitur, & posse anteced. amare hoc, & illud bonum, & 38

Solut. in forma.

mare determinatè hoc bonum præ alio: qua ratione primum spectat ad eius libertatem, secundum vero ad illius exercitium: ita ex parte obiecti distingui debet, & illud proponi ut amabile, & ipsum proponi, ut amandū hic, & nùnc determinatè præ alio. 1. propositio spectat ad signum libertatis: 2. vero ad signum exercitij, sive actus secundi. Hinc etiam clarè constat, quod sicuti voluntatem eligere determinatè *A* præ *B* connotat essentialitèr etiam *A* esse eligibile à voluntate; proindèque connotat essentialitèr libertatem: ita iudicium prælativū dictans efficacitèr hoc bonum esse hic & nùnc amandum præ alio, connotat essentialitèr illud etiam esse amabile à voluntate; proindèque sub eius libertate pro priori contentum.

39 Si dicas: Amor unius boni determinatè præ alio dicit essentialitèr propositionem boni cum maiori convenientia; sed id, quod exigitur essentialitèr ab aliquo exercitio, se tenet ex parte actus primi ad ipsum: ergò.

Instabis.

Resp. Respond. instando: *Omnis actus causæ secundæ dicit essentialitèr causari à Deo, ut primo motore; egredique à causa secunda subordinata Deo, ut primo determinanti; sed dependentia à Deo ut primo motore &c. habetur ratione physicæ prædeterminationis: ergò hæc se tenet ex parte actus primi &c.* Unde sicuti physica præmotio, quia se habet ut determinatio actù effectiva existentiæ operationis causæ secundæ, non se tenet ex parte actus primi; ita dicendum de iudicio prævalenti dictanti hic, & nùnc amorem huius boni præ alio; cum sit determinatio, quasi effectiva; per quam voluntas de statu indifferentiæ suspensionis reducitur ad actum secundum.

40 Ad 3. neg. min. Duplex enim modus movendi voluntatem inveniri valet in cognitione practica intellectus; scilicèt, vel purè proponendo, sive ostendendo; in tali obiecto adesse rationem potentem allicere ad amorem; vel inclinando, suadendo, & alliciendo determinatè ad amorem eiusdem; ut patet in propositione practica sequentis tendentiæ: *Hoc bonum dignum est, ut hic, & nùnc actù ametur.* Iudicium indifferens movet obiectivè voluntatem, primo modo, scilicèt, ostendendo in obiecto apparere motivum, ut possit terminare amorem. Iudicium vero prælativum, sive determinatum, movet secundo modo. Unde licet utrumque iudicium applicet intentionalitèr bonum voluntati; diverso tamen modo; primum enim applicat illud, ut amabile; sub qua consideratione est causa amoris; secundum vero applicat illud, ut hic, & nùnc ametur à voluntate, priùs completa in esse causæ per ostensionem bonitatis eiusdem. Quapropter si res benè inspiciātur, hu iusmodi iudicium est applicatio intentionalis, non causæ; hoc est virtutis ad virtutem; sed applicatio virtutis adæquatæ tàm voluntatis, quàm boni ad hoc, ut hic, & nùnc in actu secundo ametur: quiquidem amor est effectus utriusque.

Ad 3.

Ad 4. Resp. neg. univers. mai. Potest enim aliquid reddere obiectum proportionatum, ut percipiatur à potentia, quin se teneat ex parte actus primi ad talem perceptionem; quemadmodùm etiam physica prædeterminatio constituit voluntatem v.g. in actu ultimo virtuali proportionato ad amorem, auferendo ab illa indifferentiam suspensionis, & potentialitatis; quin propter hoc se teneat ex parte actus primi. Nec obstat exemplum de luce respectu visionis corporalis: Nàm lux reddit colorem proportionatum essentialitèr cum potentia visiva; ideòque non mirùm, quòd se teneat ex parte actus primi. Obiectum autem redditur essentialitèr proportionatum cum voluntate, quatenùs in illo apparet ratio boni potens allicere ad sui amorem; cùmque huiusmodi bonitas repræsentetur per iudicium indifferens: ex vi illius obiectum est essentialitèr proportionatum cum voluntate. Undè proportio, quæ superadditur ex vi propositionis per iudicium prælativum, sive determinatum (hoc est, dictans determinatè convenientiam obiecti in sui prosecutione, & negativè se habens, ut ex vi alterius cognitionis disconvenientia eiusdem proponatur) est proportio ultima eiusdem; non, ut possit

41 Ad 4.

ama-

amari, sed ut hic, & nùnc in actu secundo determinatè ametur.

42 Ad 5. Resp. 1. non omnem motionem quoad specificationem spectare ad actum primum, ut videre est in pia affectione determinanti intellectum ad assensum fidei, quæ iuxta D. Thom. movet etiam quòad specificationem ad assensum præ dissensu, quin se teneat ex parte actus primi ad fidem. Rursùs insistendo eidem exemplo. Talis enim pia affectio movet motione se tenenti ex parte obiecti, iuxta communem sensum Theolog. & tamen non propter hoc se tenet ex parte actus primi ad fidem; cum iuxta S.D.* imperet, & efficacitèr determinet intellectum prœventum omnibus principijs ad actu credendum. Idem constat in affectionibus ordinatis appetitus sensitivi iuvantibus, & moventibus ex parte obiecti voluntatem, ut efficaciùs, & absolutè prosequatur bonum honestum, iuxta doctrinam D. Thomæ 1.2.q.9.a.2.& & q.77.a.1.tamen huiusmodi affectiones non se tenent ex parte actus primi, etiam redundantèr se habentis. Per quæ habetur, non omnem motionem se tenentē ex parte obiecti voluntatis spectare ad actum primum. Resp. 2. Prædictum iudicium propriùs movere quòad exercitium voluntatem, quam ipsam moveat quòad specificationem; siquidèm ut supra diximus, non movet putè proponendo, & ostendendo, sed per modum cuiusdam intimationis; licèt quia ab intrinseco non connectitur cum amore, non sit imperium perfectum: ut rectè advertit Mag. Lemos tom. 2. tract. 1. de Providentia cap. 3. Etenim suadere hic, & nunc; sicuti & tentare ad peccandum, maiori cum proprietate dicitur motio affectiva quòad exercitium, quàm quòad specificationem; qua de causa priùs est aliquem posse proximè peccare, quàm tentari tentatione completè tali ad peccandū. * Nec inconnexio illius cum amore obstat huiusmodi motioni quòad exercitium; siquidèm cognitio præcepti est inconnexa cum actu virtutis præcepto, & tamen est motio, estò moralis, quòad exercitium, & non quoad specificationem.*

* 1.2. q. 2. & q.4. ad 1.

Ad 5. Resp.

* Licet nó in principio.

* De hoc tract. de Grat. excitante.

§. VI.

In quo describuntur varia iudicia pro actibus voluntatis, & hucusquè dicta roborantur.

SED, ut dicta meliùs percipiantur, opportunum duxi describere 43 varia iudicia ex parte intellectus, quæ influere valent in actum voluntatis. Omisso actu imperij strictè sumpti subsecuti ad electionem, & præcedentis usum activum.* Cuius tendentia exprimitur per *fac hoc* (de quo est certum movere quòad exercitium voluntatem propter efficaciam, quam participat ex electione præcedenti) communitèr admittitur iudicium ostensivum, quod dicitur tale, quia proponit ex parte obiecti aliquam rationem, vel bonitatis, ut possit amari, vel malitiæ, ut possit odio haberi. Attamen hæc omnia proponit absque intimatione, & sine efficacia ulla impellenti, ut ametur, vel odio habeatur; & ideò appellatur purè ostensivum; cuius tendentia est huiusmodi: *Bonum est prosequi virtutem, & odio habere peccatum.* Aliud iudicium datur, quòd ex sua tendentia habet intimare voluntati prosecutionem obiecti, ad illam de se impellendo; per quòd, altero iudicio præsupposito de bonitate obiecti, proponitur ut conveniens amor illius. Etenim iuxta expressam doctrinam S. D. q. 3. de Mal. a. 6. *in omni peccante* datur huiusmodi discursus practicus, vel formalis, vel interpretativus: *Omne bonum est prosequendum; sed furari hic, & nunc est mihi bonum: ergò furtum hic, & nunc est à me committendum* Iudicium enim quod se habet, ut conclusio præfati syllogismi, est iudicium determinatū de commissione furti; impellens, & applicans voluntatem ad illud committendum: non quidē proponens directè bonitatem; sed illa iam priùs proposita per iudicium minoris, dictat exercitium furandi. Idem contingit, dùm voluntas elicit actum virtutis: in quo casu recta ratio assumit hanc maior. *Bonum honestum est prosequendum*, & subsumit hanc min. *Sed dare eleemosynam est bonum honestum: ergò &c.*

* De hoc D.1. 2. q. 17.

Psalm. 4. Quis ostē dit nobis bona? signatum est &c.

44 Tertium.

Datur etiam alterum iudicium, quòd spectat ad conscientiam: quòd quidem non est iudicium de bonitate, aut malitia obiecti; sed iudicium de eo quod debet fieri propter conformitatem cum lege illud præcipienti. Nàm sicut intellectus speculativus ex proprijs principijs deducit cõclus. speculativam; ita intellectus practicus ex principijs synderesis, & ex iudicio honestatis obiecti propter conformitatem cum lege, deducit conclusionem dictantem, illud deberi prosequi, & eius oppositum deberi repelli. Exemplum ponitur à D.Th. in 2. d. 24. q.2.a.4. hoc discursu: *Omne malum est vitandum; sed iurare hic, & nùnc est malum, quia prohibitum: ergò est vitandum.* Hoc autem dictamen conscientiæ differt ab illo, quod immediatè descripsimus, licet videatur simili tendentia gaudere; quia hoc proponit vitationem mali v. g. ut debitam in re poni: alterum autem proponit, nedùm ut debitam, sed ut hic, & nùnc exequendam. Qua ratione potest, quis in sensu compositio cognitionis de vitatione mali, quam conscientia dictat; illam non ponere, quia superatur à passione. Non enim opponuntur hæc iudicia: *Debeo non furari. Sive, non est furandum. Hic, & nùnc ob conuenientiam, & utilitatem, est à me furandum.* Nàm ly *furandum* in prima propositione significat *debitum, dignitatem, & obligationem non furandi*; in secunda vero dicit *futuritionem executionis furti.* Hoc autem dictamen de se induxit, impellit, & determinat voluntatem ad actum; licet non sit de se connexum cum illo.

Simile gerundium quandoq. debitum: quandoq. futuritionem designat.

45 Quartum

Vltra hæc iudicia datur aliud quòd practicè præfert unum bonum alteri; de quo D. Thom. quæst. 22. de Verit. a. 15. & hoc quidem quandoque est verum, quandoque falsum, sive practicè erroneum, ut contingit quando homo amplectitur bonum temporale æterno, & incommutabili bono relicto. Hæc præferentia potest diversimodè contingere; vel quia proponit maiorem bonitatem in uno obiecto præ alio, vel quia illud proponit, ut acquisibile cum maiori facilitate, & celeritate, & alijs circunstantijs extrinsecis; vel tandem, quia essò ex parte obiecti nihil bonitatis specialis proponat; eam tamen maiori vivacitate, intentione, & certitudine proponit. Experientia enim constat eandem summam bonitatem Dei quandoque remissè, & tepidè nobis proponi ut amandam; aliquando vero intensè, vivaciter, & vehementer. Idemque videre licet in bono sensibili iuxta diversitatem dispositionis, in qua reperitur homo, non parùm iuvanti sugestione Dæmonis imaginationem moventis; cum tamen multoties idem bonum appareat adeò remissè, ut quasi nullam vim habeat ad excitandum voluntatem. Unde Mag. Par. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. dixit: *Tanto enim vehementiùs aliquid diligimus, quantò certiùs illud esse bonum noverimus, eoque delectamur ardentiùs.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Eadem res sæpè unò modo dicta movet; alio modo dicta non movet.* Ex hac enim diversitate in proponendo, sivé provocando voluntatem, oritur diversitas tentationis penès gravem, & levem; quæ quidem semper erit levis, etsi plures rationes allicientes proponat, quam gravis; si tamen remissè, & tepidè eas repræsentet. Ratio etiam suader. Nàm bonum applicatur voluntati ut forma media propositione practica; forma autem, quò intensiùs, & efficaciùs applicatur subiecto, vehementiorem operationem producit.

Diversita negan da in iud. prælativ.

Ex his habes plura iudicia dari posse in intellectu pro regulatione actus voluntatis. 1. iudicium purè ostensivum; quod si in obiecto ostendat convenientiam ex una parte, & ex alia disconvenientiã, erit iudicium indifferens. 2. iudicium determinatum de elicientia amoris, circa obiectum propositum, ut bonum, & conveniens; quòd se habet, ut conclusio intellectus practici; habetque tendentiam per modum intimationis; scil. *hoc est prosequendum.* 3. iudicium spectans ad cõscientiam; *quod dictat bonum honestum esse hic, & nùnc amandum attento debito, & obligatione iuxta legem.* 4. iudicium prælativum; & hoc dupliciter; vel quia præfert unum alteri ob aliquã specialem conveniẽtiã; vel quia maiori vivacitate, certitudine, & intẽsione eandem bonitatẽ repræsentat. Sed tamen

45 Dicta rediguntur in compendium.

men inter iudicia relata ob *diversitatē in proponēdo*, apparet diversit.in modo movendi voluntatem. Iudicium enim ostensivum movet proponendo bonitatem in obiecto, ut possit amari, & malitiam, ut possit odio haberi. Iudicium vero determinatum se habens per modum conclusionis,& etiā iudicium conscientiæ,nō proponunt 1.bonitatē obiecti,sed illa pro priori repræsentata voluntati, eam alliciunt, & applicāt ad actum, dictando eius elicientiam. De iudicio prælativo constat, quod si tale sit ob vivaciorem, & intensiorem propositionem, nullam bonitatem denuò proponit; secùs tamen, si alio modo recensito sit prælativum.

47 Hæc autem diversitas in movendo (ni fallor) facit, quod iudicia relata propriùs accedant ad motionem *quòad exercitium*, sive *quòad usum*; ita ut motio quoad specificationem propriè contineatur in iudicio ostensivo. Ratio est. Nàm D. Thom. 1. 2. q. 9. a. 1. explicans qualiter intellectus moveat quòad specificationem voluntatem, ait: *Hoc contingere, quatenùs præsentat ei suum obiectum, à quo actus sumit suam speciem.* Unde actus, qui ex sua tendentia non ostendit, vel voluntati reddit præsentem intentionalitèr bonitatem in obiecto; sed eam per alium actum præsentatam supponens; urget ipsam, & instigat intimando elicientiam actus circa bonum propositum; non dicitur propriè movere quòad specificationem, sed potiùs quoad exercitium, sive usum amoris. Sic contingit in iudicijs recensitis: unde ad tale genus movendi reducuntur, & consequenter non se tenent ex parte actus primi, sed spectant ad signum applicationis voluntatis, ut actū velit, & amet.

§. VII.

Placet doctrina tradita; quia salvat sufficientiam immediatam ad victoriam, & hoc est conforme Aug. Prac. Aug. & Div. Anselmo.

48 COnsequentèr ad doctrinam hucusque traditam; dicendum est in sensu composito gravis tentationis dari veram sufficientiam,& libertatem ad illius victoriam; ita ut nihil se tenens ex parte actus primi, nec dans proximā virtutem ad illam, sit necessariò requisitum. Quapropter gratia specialis requisita solum dat potentiā consequent. & victoriam, non verò, antecedentem immediatam, & proximè elicitivam victoriæ actualis. Unde meritò imputatur ad culpam consensus in gravem tentationem, etiamsi iusto Dei iudicio gratia specialis denegetur; cum ad talem imputabilitatem sufficiat habere dictam potestatem,& sufficientiā ad vincere (ut ex principijs alibi à Tho. propugnatis modò supponi debet) etiā si gratia prędeterminanti inculpabilitèr careat. Restat probare hanc doctrinam esse conformem menti D. Th. quod optimè probant M. Bolivar, M. Ferre, Illust. Godoy, & Alij.

1. Ex hac 1. 2. q. 10. a. 3. ad 2. 49
his verbis: *Aliquando, etsi ratio obnubiletur à passione, remanet tamen aliquid rationis liberum; & secundum hoc* Prob. ex
potest aliquis, vel totalitèr passionem S.D.
repellere, vel saltim se tenere, nè passionem sequatur. Similia habet 1. 2. q. 77. a. 7. & 8. ubi de homine gravitèr tentato affirmat,* vi libertatis, quàm retinet in sensu composito tentationis, posse indifferentèr omittere consensum; vel illam totalitèr repellere, quod est eā vincere.* Unde ly *saltem* non facit sensum absolutè restricti vū quòad potestatem anteced. sed quòad excessum certitudinis, qua affirmatur gravitèr tentatum posse non consentire; qua certitudine non constat posse totalitèr passionem repellere. Nàm & si D. Th. sentiat dari posse ad utrumque; attamen primum directè conducebat ad convincendum suum assumptum, scil. *Voluntatem non necessitari ab appetitu sensitivo; dummodo adsit usus, & advertentia rationis.* Si igitur in ordine ad non consentiendum tentationi, habet sufficientiam immediatam; idem dicendum in ordine ad resistendum. Urg. Eò non adesset sufficientia immediata ad victoriam; quia hoc de- Urgetur.
rogat specialitati gratiæ necessariò requisitæ; sed hæc ratio non probat; cum etiam ad non consentiendum sit necessaria gratia specialis Dei non sinentis voluntatem consentire: ergo.

Idem colligitur ex quæst. 24.
49 de Verit. a. 12. ubi ait: *Ad 12. dicendum, quod cupiditas nunquam potest esse cogens liberum arbitrium; quia semper est liberum à coactione; sed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis; cui tamen potest resisti, licet cum difficultate.* Ubi in sensu compositio tentationis vehementis solum agnoscit difficultatem ad resistendum; quæ quidem non dicit defectum potestatis, & sufficientiæ immediatæ ad victoriam: plura enim sunt difficilia, essò ad illa sit potestas antecedens, & in actu primo completè sufficiens. Confirm. ex M.P. sup. Psal. 91. dicenti: *Non cessat Satanas suadere malum; sed nec cessat Deus admonere bonum. In tua potestate est consentire, aut non consentire.* Quæ verba perfectam libertatem, & dominium ad resistendum significant, & non solum mediatum per potestatem acquirendi posse immediatum.

Secundo ex eodem

Ex M. P.

50 Sed clariùs hoc idem traditur à D. Anscl. Dial. de lib. ar. c. 6. ubi agit *de libert. & simul de impot. quã habet voluntas ad superandas tentationes.* Et postquã dixit *tentationem non cogere voluntatem; nec de voluntate posse dici; nullatenùs habere potestatem ad victoriam:* subdit: *Impotentia in voluntate ad servandam rectitudinem, cum tentationibus consentimus, non est ex impossibilitate, sed ex difficultate: frequenti enim usu dicimus nos non posse aliquid; non quia nobis est impossibile, sed quia sine difficultate non possumus.* * De hoc Illust. Castell de lib. arb. disp. 2. q. 6. §. 10. Et paulò post: *Sicut enim difficultas nequaquam voluntatis interimit libertatem; ita illa impotentia (in difficultate consistens) non aufert eidem voluntati perseverandi in rectitudine potestatem.* Si autem gravitèr tentato deficeret sufficientia, & potestas immediata ad victoriam, impropriè diceretur solum laborare difficult. ad vincendum.

Ex S. Anselm.

* D. Th. 3. p. q. 86 a. 1. opusc. 1 cap. 28.

51 Scio hanc doctrinam Div. Anselmi non ex toto placere Patri Suarez quòad præsens num. 30. & 36. quia (inquit) ex illa inferri videtur; posse dari aliquando sine speciali gratia victoriam gravis tentationis, licet cum difficultate. Sed immeritò ita infert: Nàm semèl, quod sit valdè difficilis victoria; repugnat etiam metaphysicè, quod detur sine gratia speciali, ut iam supra probavimus. Unde discursus illationis hæc duo confundit: *Victoria gravis tentationis solum est impossibilis moralitèr ob gravem difficultatem ad ipsam: ergò solum requiritur moralitèr auxilium speciale; hoc est frequentèr, non tamen in omni casu.* Hinc dicere S. Anselmum in dicto testimonio loqui de homine adiuto gratia Dei, videtur importunum. Nàm ibi Sanct. Doct. intendit exponere; qualis sit impotentia hominis ad victoriam tentationis; & qualiter cum illa cohæreat liberè ei consentire. Auxilium autem gratiæ, per quod homo accipit actù à Deo victoriam; nec conducit, ut homo liberè tentationi consentiat; nec penès illud censetur ad esse impotentiam ullam ad victoriam.

Hinc iam clarescit, qualis sit im- 52
potentia in homine lapso ad victoriam gravis tentationis; illa enim est iuxta P. Anselm. & S. D. gravis difficultas, Tùm ob rebellionem appetitus vehementèr trahentis ad illicita voluntatem; Tùm propter obscuritatem ex parte intellectus tepidè, & remissè proponentis bonum honestum: ad modum quò de homine corporalitèr infirmo dici potest; esse impotentem ad plures gressus perficiendos, quia eos sine gravi molestia, & sine superatione difficultatum, perficere nequit. Hoc enim expressè docet Anscl. illis verbis: *Frequenti enim usu dicimus nos non posse aliquid, non quia illud sit nobis impossibile, sed quia sine difficultate non possumus* Hac ratione communitèr dicitur illam esse impotentiam moralem; id est potentiam gravibus difficultatibus implicatam. Quia tamen difficultates gravitèr retardantes potentiam, ut exeat in actum, sunt diversi generis, admittentes diversam latitudinem; talis impotentia moralis, nec est tanta, quanta est, ut non sint aliqua scandala, nec tanta, quanta est, ut in Vere non sint Tonitrua: sed minor, qualis est impotentia moralis ut homo, gravissima infirmitate laborans recuperet sanitatem; & dux pluriès iniens prælium semper vincat, & nunquam victus, nec gravitèr percussus evadat.

Sed

53 Occurritur cuidã instantiæ.

Sed Dices. quando dicitur homini gravitèr tentato esse moralitèr impossibilem, hoc est valdè difficilem, tentationis victoriam; vel sermo est de homine non adiuto gratia speciali, vel illa adiuto? Non enim datur medium: Si primum, iuxta dicta est simplicitèr impossibilis; cum hoc complexum? *Victoria sine gratia speciali* sit chymericum. Si secundum; tùnc est facilis, imò est necessaria victoria: ergò talis impotentia non rectè explicatur. Insto manifestè, dùm dicitur: *Hominem gravitèr ægrotantem esse impotentem moralitèr, ut sanetur; vel sermo est de illo, etiamsi Deus decreverit illum sanare; vel Deo nolente illum sanare; non enim datur medium*? Primum facit, *ut homo necessariò consequatur sanitatem*; secundum facit, ut *sanitatis restitutio sit simplicitèr impossibilis*: ergò. Rursùs: Iuxta omnes: *Victoria levis tentationis est opus facile.* Nùnc rogo: *vel dicitur opus facile, si adsit prædeterminatio*; & hoc modo: *Nedùm homo est facilis, sed etiam necessitatus, saltim consequentèr, ad illam*; *vel dicitur opus facile, etiam si non adsit prædeterminatio*; & hoc modo: *Potiùs dicendum est, esse opus impossibile.* Quapropter in his omnibus dicẽdum est: Sermonem fieri de homine facta comparatione virium illius ad gravem tentationem; & præscindendo negativè à gratia speciali, & eius carentia. Licet enim in re non detur medium inter hæc duo: datur tamen sub aliqua cõsideratione spectanti ad signum potestatis. Hac ratione signum potestatis antecedentis in omnium sententia præscindit à gratia ut efficaci, & eius carentia positiva, ut ita clariùs loquar.

54 Cuidam quæstio fit satis.

Hinc si à me quæratur *de homine gravitèr tentato, an consentiet, an vincet*? Neutrum proferam iudicio absoluto; quia nescio, an Deus ei conferet, vel non, auxilium ad victoriam: benè vero iudicio restrictivo: scil. moralitèr loquendo est ei impossibilis victoria. Et etiam iudicio conditionato; *consentiet*, si Deus specialiter ipsum non adiuvet. Exemplum adest in perseverantia usque ad mortem, quæ est impossibilis moralitèr ob varias, & gravissimas difficultates; & similitèr in diuturna observatione omnium præceptorum. Cùm tamen nemo possit prudentèr iudicio absoluto alterũ determinatè proferre, sed solummodo iudicio supra descripto. Nec obstat, quod de alijs rebus impossibilibus moralitèr; etiam aliquando absolute iudicamus, earum eventum, vel carentiam. Non inquam obstat; quia de rebus spectantibus ad salutem hominis, quæ à Deo pendent pro suo libito; & quæ ab alio haberi nequeunt, temerarium est iudicare, iuxta illud Pauli ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem; potens enim est Deus &c.* Verumtamen est, quod si sermo sit de homine voluntariè se intromittenti in periculum, & occasionem proximam peccandi, aut de homine vitijs dedito, & oblito Dei Creatoris sui; tùnc casus, non erit temerarium tale iudicium. Sed dicta intelligenda sunt de tentatione gravi se sola inspecta, & libertate, qua gaudet homo ad ei non consentiendum.

55 Argues.

Contra 1. partem concl. argues. Sufficientia immediata in voluntate ad victoriam tentationis est libertas immediata ad illam; sed talis libertas non datur in voluntate gravitèr tentata: ergò. Prob. min. Non datur in voluntate libertas immediata ad illum actum, quem voluntas nequit immediatè elicere; sed huiusmodi est victoria tentationis: cum iuxta dicta voluntas debeat priùs se exercere applicando intellectum ad formandum iudicium præferens bonum honestum bono delectabili: ergò.

56 Tuetur libertas immediata ad victoriam.

Pro solut. notandum dupliciter posse dici aliquam libertatem mediatam; uno modo ex parte potestatis; quatenùs est potens ad acquirendam potestatem immediatam; alio modo ex parte exercitij; quatenùs eadem indivisibili potestate potest se exercere per duplex exercitium, sed cum ordine prioris, & posterioris. Exemplum 1. habetur in eo, qui caret Breviario, quod potest habere ad recitandum; & in eo, qui caret auxilio sufficienti ad dilectionem Dei; quod tamen ei promittitur, si orer, iuxtã illud Magn. Par. *Oret homo gemitu voluntatis, ut impetret donum fac-*

cultatis. Et ſimilitèr evenit in eo, qui caret gratia habituali neceſſaria ad meritum vitæ æternæ, & perſeverandum in bono, quàm tamen poteſt acquirere ſe diſponendo ad illam intra, vel extra Sacramentum. Exemplum 2. habetur in ſententia requirente ad liberã omiſsionẽ aliquem actum illam occaſionantem; priùs enim ſe exercet voluntas per actum, quàm per omiſsionem; quin actus ſe teneat propriè ex parte actus primi ad ipſam, ſed ut faciens omiſsionem egredi à voluntate. Idem in libertate, quam Deus habet, ut faciat hominem, qui caret auxilio ſufficienti ad credendum, actu credere; quæ quidem eſt immediata ex parte poteſtatis; nihil enim virtutis ei deficit. Cæterùm priùs debet exerceri conferendo auxilium ſufficiens, & poſtmodum prædeterminando ad credendum.

57 Reſpond

Hoc notato dicendum, iuxta modum hucuſque propugnatum, in caſu gravis tentationis dari in homine libertatẽ immediatam ex parte poteſtatis ad victoriam gravis tentationis. Ratio eſt: Nàm ultra cognitionem honeſtatis victoriæ, per quam apparet ut amabilis, & potens allicere volũtatem, quæ cognitio coniungitur cum gravitate tentationis, non requiruntur aliæ cognitiones ſe tenentes ex parte actus primi; iudicium enim, aut determinatum, aut maiori efficacia, & vivacitate, circa, honeſtatẽ victoriæ, ut hic, & nùnc proſequendam, tantùm ſe tenet ex parte actus 2. ut ſatis ex dictis conſtat; ſicuti de prædeterminatione, tùm ad formandum prædictum iudicium, tùm ad actum virtutis, quo perficitur victoria, eſt communis ſenſus Thomiſtarum. Non tamen datur libertas immediata ex parte exercitij. Siquidem antequam voluntas prorumpat in actualem, completamque victoriam, priùs debet movere intellectum ut cum maiori efficacia, intenſione, & vivacitate, proponat honeſtatem victoriæ; quod quidem iudicium eſt liberè formatum. Deindè, ut dictum relinquimus, debet prorumpere in affectum quaſi intentivum honeſtatis, & tandem in actum electivum virtutis, quo cõpletur victoria. Ex quò evidenter colligitur talem libertatem eſſe mediatam ex parte exercitij, immediatam vero ex parte poteſtatis, ſive eius, quòd requiritur ſimpliciter ex parte actus primi. In opinione autem Mag. Bolivar tuentis hic à num. 82. cum Illuſt. Godoy, voluntatem poſſe immediatè prorumpere in victoriam abſque novo iudicio efficaciùs proponenti bonum honeſtum; datur libertas immediata utroque modo; cum ſolum requiratur ſimpliciter gratia prædeterminationis ad elicientiam actus virtutis; quæ quidem dicitur ſpecialis propter circunſtantiam gravis difficultatis, ob quam gratioſè à Deo confertur.

Diferimẽ in alio modo dicend.

Dices. Voluntas gravitèr tentata eſt libera immediatè omnimodo ad conſentiendum gravi tentationi: ergò etiam eſt hoc modo libera immediatè ad illius victoriam. Prob. conſeq. Nàm implicat dari aliquod exercitium immediatè liberum, quin eius oppoſitum ſit etiam liberum immediatè; cum defectus immediatus unius ſit immediata poſitio alterius. Reſp. Hoc ſolum probare voluntatem urgenti gravi tentatione poſſe immediatè ſe exercere per carentiam conſenſus in tentationem: vel putè illum ommittendo, ſi hoc admittatur poſsibile; vel nolendo conſentire. Ratio eſt, quia tentatio quantumvis intenſa, ſi non abſorbeat uſum rationis, non neceſsitat quòad exercitium. Cæterùm ad victoriam propriè ſumptam ratione actus virtutis, ſolum habet libertatem mediatam ex parte exercitij, ut probatum relinquimus. Unde alijs terminis poteſt hoc explicari dicendo: illam eſſe libertatem immediatam contradictionis; non vero contrarietatis.

58

Inſtabis cont. ſol.

Solutio.

Hæc doctrina poteſt efficaciter roborari ſequenti exemplo. Plus enim eſt dari libertatem ad unum extremum contrarie oppoſitum alteri, abſque poteſtate immediata ad ſuum contrarium; quàm abſque aliquo requiſito ex parte actus ſecundi ad illud. Conſtat autem multoties nõ poſſe coexiſtere poteſtates immediatas ad extrema contraria; ut videre eſt in actu ſpei, & deſperationis; in aſſenſu Fidei Catholicæ, & eius poſitivo diſſenſus. Siquidem iudicium regulans actum

59

Roboratur exemplis.

ſpei,

ſpei, & ſe tenens ex parte actus primi ad illum, nequit coexiſtere cum iudicio regulante deſperationem ; ſunt enim huiuſmodi. *Salus æterna eſt mihi prudenter futura. Nō eſt mihi prudenter futura ſalus.* Similiter iudicium regulans, & requiſitum ad actum fidei eſt huiuſmodi. *Hæc doctrina apparet mihi ita credibilis, ut oppoſita non ſit credibilis.* Ex quo communiter inferunt plures Theologi cum libertate immediata ad actū ſpei non coniungi poteſtatem immediatam ad deſperationem; & idem de libertate ad fidē. Igitur, ut homini imputetur ſuccumbere tentationi, & hoc ſit ei liberum libertate contrarietatis; ſufficit & poteſtas ad ſe exercendum mediatè per actum victoriæ ; & immediatè per alia exercitia diſponentia ad illam.

§. VIII.

In quo probabiliter propugnatur vera libertas ad victoriam : eſtò iudicium ſe teneat ex parte actus 1. *iuxta aliquos ex Thomiſtis.*

60 ILluſtr. Godoy tract. de beatitud. diſp. 7. §. 4. n. 24. (quē ſequitur Illuſtr. Catell. diſp. de impeccabilit. Angel. in 1. inſtanti) tenet iudiciū proponens cum maiori vivacitate, & intenſione aliquod bonum, & illud ex modo tendendi præferens alteri bono, requiri ex parte actus primi, ut voluntas eligat determinate unum præ alio. Hac ratione conſequenter affirmat ad poſſe proximè peccare requiri iudicium modo ſæpè dicto præferens bonum delectabile bono honeſto ; ſi tale peccatum ſit commiſſionis; vel ſaltim defectus intenſionis, & vivacitatis, in proponendo motiva ad actum virtutis, ſi ſit peccatum omiſſionis. Hac etiam doctrina Illuſt. Catell. tenet, & probat, non dari in Angelis potentiam proximam ad peccandum pro primo inſtanti, ob repugnantiam utriuſque defectus in iudicando. Nè autē modus tuendi neceſsitatē gratiæ ſpecialis ad victoriam gravis tentationis coactetur ad unam, vel alteram opinionem inter Thom. magis probabilem ; oportet admittō tali modo dicendi ſolvere rationem dubitandi ſupra propoſitam ; & illum ab aliquibus impugnationibus liberare.

Dicitur ex parte actus 1. non quia ſit virtus eliciens ; ſed complens illā.

Idem pro inflexibilitate.

61 Eſt communis ſenſus Theologorum ſufficere ad imputabilitatem omiſſionis actus, tàm in ordine naturali, quàm ſupernaturali ; quod homo habeat poteſtatem ; vel proximam, & immediatam ad illius elicientiam ; vel ſaltim poteſtatem mediatam, per quam poſsit illā acquirere, dummodo carentia talis poteſt. immediatę proveniat ob defectum ipſius. Ratio eſt: Nàm in dicto caſu homo eſt abſolutę potens ad elicientiam actus præcepti; cum in ſua poteſtate habeat acquirere ea, quæ neceſſariò proximè requirūtur pro illa. Conſtat etiā exemplis ſupra adductis ; traditurque expreſsè à M. P. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. per hæc verba : *Iubet Deus aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus, ipſa enim eſt fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et cap. 14. *Spiritus gratia facit, ut habeamus fidem : ut per fidem impetremus orando : ut poſsimus facere, quæ iubemur.* *Idem colligitur ex illo Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſsis ; & petere, quod non poſsis, & adiuvat, ut poſsis.* Videantur Theologi agentes, & tractantes, An Deus omnibus hominibus conferat auxilia ſufficientia ad ſalutem? Inter quos Mag. Manſo tom. 2. q. 5.

Explic. & prob.

* Idem: cap. 16. & 17.

62 In homine gravitèr tentato duplex libertas conſiderari poteſt ; una ad conſentiendum, & non conſentiendum tentationi; altera ad conſentiendum, & ad poſitivè reſiſtendum, eam virtuosè vincendo. 1. eſt libertas puræ contradictionis, 2. vero contrarietatis. Licèt enim iuxta hunc dicendi modum, quando urget gravis tentatio proponens cum maiori vivacitate, & intenſione bonum ſenſibile, non detur poteſtas proxima, & completa ex parte actus primi ad formalem victoriam; cum ei deficiat aliquid requiſitum ex parte actus primi, ſcilicèt, iudicium prælativum boni honeſti ; datur tamen poteſtas acquirendi tale iudicium : proindeque poteſtas mediata, & abſoluta ad victoriam; & aliunde datur poteſtas immediata

Duplex libertas.

ad

ad non consentiendum tentationi; cũ hæc non sit connexa, quantumvis vehemens, cum acceptatione voluntatis. Ex quibus patet; cur succumbens tentationi peccet. Nam etsi homo non habeat, quidquid requiritur ad victoriam tentationis, peccat 1. *quia est potens immediatè non consentire tentationi: undè ei succumbere consentiendo imputatur ad culpam. Peccat 2. non vincendo tentationem; quia in sua potestate habet acquirere iudicium requisitum ex parte actus primi ad victoriam; per quod redditur potens proximè ad illam; licèt, ut reducatur in actum, indigeat etiã gratia prædeterminanti voluntatem ad actum victoriæ.

* Ex S. D. hic q. 77. ar. 7. & q. 10. ar. 3.

63

Primum argum.

Arg. 1. Tale iudicium, etsi requisitũ ex parte actus primi, non influit physicè, sed moraliter in actum voluntatis; ut frequenter tuentur Thomistæ: ergò defectus illius tantum faciet, ut voluntas sit impotens moraliter, non tamen impotens physicè immediatè ad victoriam; proindeque iuxta hunc modum dicendi, nihil dicitur speciale, circa impotentiã voluntatis ad victoriam tentationis.

Respond.

Resp. Conc. antì. neg. conseq. Iam enim suprà notabimus cum M. à S. Thom. stare quamoptimè, aliquod principium ad rectè operandum tantum influere moraliter in illum; & tamen sine illo, vel ut existenti, vel acquisibili, non dari veram sufficientiam, & libertatem ad rectè agendum; ut videre est, Tùm in cognitione præcepti ad actum obedientiæ formalis, Tùm in cognitione proponenti voluntati obiectum ut bonum; Tùm in cognitione proponenti beatitudinem, ut prudenter assequibilem. Quibus actu deficientibus, nec possibilibus haberi ab homine; nec esset liber ad obediendum, ad amandum, nec ad sperandum; sed simpliciter impotens. Undè claritatis gratia potest dici quid *morale* quòad influxum; sed *physicum* quòad necessitatem; quia ex natura rei requisitum. Oppositum contingit, si tale requisitum non se teneat ex parte actus primi; cum sine illo detur vera, & completa sufficientia, licèt coniuncta cum difficultate, ut exeat in actum; propter quod dicitur impotentia moralis. Undè patet ad ea se maximum discrimen in modo ponendi tale iudicium, ut comprincipium requisitum ex parte actus primi, & sufficientiæ immediatæ ad victoriam.

64

Secund. argum.

Argues 2. Si tale iudicium esset gratia specialis, & aliundè requisitũ ex parte actus primi; sequitur gratiam ad victoriam dare sufficientiam ad illam: sed hoc nequit dici: ergò. Probat. min. 1. Si talis gratia daret sufficientiam ad non succumbendum tentationi; illa deficienti daretur necessitas ad succumbendum; quia defectus sufficientiæ ad actum est necessitas ad carentiã actus. Sed semel quod iudiciũ sit gratia specialis, potest non conferri homini graviter tentato: ergò sequitur hominem peccare sine libertate, & sufficientia ad non peccandum. 2. Nàm sequitur, quod Deus donans talem gratiam non ei faveret; siquidem illa deficienti non peccaret succumbendo, ob defectũ sufficientiæ; illa autẽ præsenti, fortè peccabit, quia titulo sufficientiæ non connectitur cum victoria. 3. Gratia requisita à PP. pro victoria est gratia, quam postulamus à Deo, nè peccemus: ergò quia supponunt sine illa posse nos non peccare: ergò non est gratia donans sufficientiam. 4. Iuxta M. P. de natur. & grat. cap. 66. *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest*: ergò si graviter tentatus peccat, potest vitare tale peccatum: ergò non deficit graviter tentato ulla sufficientia ad resistendum tentationi.

Prob. 1. min.

Secundò.

Tertiò.

Ultimò.

65

Ad 1. prob. min.

His movetur P. Aranda tom. 1. disp. 57. à n. 253. ut probet gratiam requisitam ad victoriam gravis tentationis solùm donare actum, non verò sufficientiam ad illum. Sed parùm efficaciter. Ad 1. min. prob. dist. mai. Si talis gratia daret omnem sufficientiam, tam mediatam, quàm immediatam, conc. mai. Si talis gratia daret solùm sufficientiam mediatam; & acquisitio huius sufficientiæ non esset in potestate arbitrij, conc. mai. Si sit in potestate eam acquirere, neg. mai. Quando enim dicitur: *defectum sufficientiæ ad actum esse necessitatem antecedentem ad carentiam actus; *intelligitur de defectu omnis sufficientiæ; vel saltim de defectu sufficientiæ

De hoc S. D. hic ar. 4. ad 2. & ar. 8. ad 1.

tiæ immediatæ, quando talis defectus est involuntarius, & non datur potestas ad eam acquirendam. Undè inculpabiliter carens Breviario, nec illud acquirere valens, est necessitatus ad non recitandum; similitèrque carens inculpabiliter Fidei Theologicæ cognitione, nec eam potens habere; necessariò non diligit Deum, ut Authorem gratiæ; nec potens est beatitudinem supernam sperare. Attamen si Breviario carens possit illud habere; & carens auxilio immediato ad credendum, & sperandum, possit illud acquirere, vel orando, vel alio modo; non dicitur necessitatus ad non credendum, nec ad carentiam dilectionis Dei, ut Authoris gratiæ &c. Quis enim negare valet hominem, etiam dùm cognoscit se teneri ad dilectionem Dei, non semper esse proximè sufficientem ad illam; cum ad hoc sit necesse elicere cognitionem fidei proponentem Deum, ut summe bonum, & ut hic, & nùnc diligendum; & tamen si homo non eliciat talem cognitionem, peccat omittendo actum dilectionis; eo quod pro sua libertate poterat sic actu credere, undè fieret proximè, & expedite potens ad dilectionem.

66 Ad 2. neg. sequelam. Probat enim sufficientiam, quàm ipse ponit debitam iure creationis ad victoriam, non esse Dei beneficium; Nàm ea deficienti non peccaret; & illa posita, fortè peccabit. Si enim stante gratia illa, quàm nos dicimus esse specialem; eventus peccati proveniret ex ipsa gratia, verum esset, quòd non esset favor specialis Dei; quia tamen hominem liberè succùbere tentationi, provenit ex sua defectibilitate; & per talem gratiam accipit vires completas ad non peccandum, simulque per ipsam retrahitur à peccato, non percipio: qua ratione negari valeat esse favorem specialem, aut dici esse occasionem peccandi. Ad 3. neg. conseq. Qui enim orat, ut non peccet, orat pro omni eo, quod requiritur ad non peccandum, si illud non habeat. Cum igitur in casu gravis tentationis non detur iudicium proponens honestatem victoriæ cum maiori vivacitate, & intensione, aut cum maiori convenientia hic, & nunc; qui orat, ut vincat, orat Deum ut prædictam illustrationem ei conferat. Admodum, quo dùm Deum enixè oramus, ut conferat nobis perseverantiã in gratia usque ad mortem, oramus etiam pro auxilijs dantibus sufficientiam saltim moralem ad perseverandum. Quare instantia solùm probat obiectum talis orationis, nec esse solùm sufficientiam immediatam, nec solùm gratiam dantem victoriam, sed conflatum ex utroque, per quod victoria consequitur. Undè ly *ne peccemus* denotat finem orationis, non vero materiam adæquatam. Sicuti, quando cœcus interrogatus à Christo Domino rogan ti quid vellet, ut ipsi faceret, respondit dicens: *Domine, ut videam.* Profectò etiam desiderabat, ut ei restitueretur potentia visiva, per quàm, finem sui desiderij, scilicèt, *actu videre*, consequeretur. Ad ultimum constat ex dictis: Nàm qui potest acquirere requisitum etiã ex parte actus 1. ad non peccandum, sine dubiò est potens cavere peccatum.

Luc. 18.

Ad ult.

67 Si autem quæras: quo pacto possit homo acquirere tale iudicium requisitum ex parte actus primi ad victoriam? Ad hoc dictum est suprà in solutione ad 2. difficultatem. Quibus adde: quod cum intellectus naturaliter cognoscat principia syndereſis, & rursus existente tentatione advertat malitiam obiecti; potest ex illis deducere, licèt cum difficultate, iudicium requisitum ad victoriam. Imò etiam considerando rationes universales honestatis in operatione, potest mitigare, & repellere passionem obnubilantem rationem. Aliter enim non salvatur appetitum irascibilem, & concupiscibilem, subdi imperio rationis. Sic S. D. 1. p. q. 81. art. 3. ad 3. *Vires interiores, tàm appetitivæ, quàm apprehensivæ, subduntur imperio rationis; quæ potest non solum instigare, vel mitigare affectus appetitivæ virtutis; sed etiam formare imaginativæ virtutis phantasmata.* Et in corp. *Hoc etiam quilibet experitur in se ipso. Applicando enim aliquas considerationes universales mitigatur ira, aut timor, aut aliquid huiusmodi.*

Cuidam interrogat. fit satis.

68 Quod si velis tueri tale iudicium, &

& illustrationem specialem posse acquiri ab homine graviter tentato; quia est potens illud orare, & à Deo est promissum sub conditione orationis; iuxta illud Psalmi 19. *Invoca me in die tribulationis; eruam te, & glorificabis me*; & illud Psalm. 90. *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Satis, inquā, solidè procedes; & rectè percipietur, Deum non donare talem illustrationē homini, ei imputari ad culpam, eo quod Deum non oravit, ut ex præcepto dominico tenetur. Quod autem homo graviter tentatus habeat auxilia sufficientia ad orandum, nè tentationi succumbat; est certum; Tùm quia talis oratio, ut vidimus, cadit sub præcepto, proindeque datur auxilium sufficiens ad orandum: Tùm quia aliàs Deus pateretur nos tentari suprà id, quod possumus; si negaret sufficientiam ad orandum pro gratia danti posse expeditum ad victoriam: Tùm quia iuxta M. P. in Psalm. 61. *Qui dat tentatori licentiam, dat tentato misericordiam* (utique ut oret, si non potest, & oranti, ulteriorem misericordiam, ut vincat.) Undè S. D. 1. ad Corinth. 10. ad illa verb. *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis*: Ait: *In his significari paratum esse adiutorium à Deo ad victoriam.*

69 Nec obstat si dicas. Necessitas gratiæ ad victoriam debet esse talis, ut non minuat difficultatem, sed relinquendo tentationem in esse gravis, & urgentis, victoriam pariat; aliter enim minueret laudabilitatem, & meritum. Sed gratia donans prædictum iudicium prælativum, vi cuius remisse apparet bonum delectabile, minuit difficultatem, & gravitatem tentationis: ergò talis gratia non potest requiri &c. Resp. neg. mai. attenta gravitate tetenēte ex parte intellectus. Utenim suprà diximus, perfectior victoria est illa, qua homo destruit (adiuvante gratia Dei) vires tentationis, de quo aliqua dedimus exempla. * Nec probatio urget. Tùm quia laudabilitas, & meritum, incipit etiam ab alijs actibus in voluntate moventibus intellectū ad formationem iudicij; & ab actu desiderij vincendi, ex quo procedit oratio ad Deum. Tùm quia difficultas orta ex tentatione tantum occasionaliter auget meritum: quātenùs illa præsente voluntas prorumpit in actum intensiorem. Quare si hæc intensio sit æqualis, aut maior per gratiam Dei, à qua provenit omne bonum, nihil minuitur de ratione meriti.

Iterum instat. Aranda.

Respond.

* Num. 9.

De quo S. D. 2. 2. q. 27. ar. 8 ad 3.

Inquires. An in opinione, quam, ut probabilem tuetur hic Mag. Bolivar dub. 8. à n. 27. & alij; scilicet, voluntatem propositis duobus bonis posse eligere minus bonum; salvetur victoriam gravis tentationis necessariò requirere gratiam specialem? Resp. Quod licèt in dicto casu, gratia intrinsece efficax esset gratia specialis; non tamen illa, quæ requiritur ad victoriam gravis tentationis iuxta doctrinam D. Thom. & SS. PP. Ratio 1. est. Gratia dicitur specialis, quia suprà modum connaturalem operandi in voluntate cōfertur à Deo; cumque voluntatem eligere minùs bonum propositum, ut tale, non sit modus connaturalis voluntati; eo quod obiectum convenientius, & efficacius propositum, est forma magis proportionata ad movendum voluntatem: concursus Dei in dicto casu esset gratia specialis, quia contra formam, & principium prædominans in subiecto ob gravitatem tentationis. Ratio secūdi est. Quia gratia specialis necessaria pro victoria gravis tētationis, requiritur à SS. PP. & D. Tho. titulo debilitatis ex parte intellectus practicè moventis voluntatem ad bonum: eo quod propter motus inordinatos appetitus obnubilatur ratio, ex cuius directione provenit rectitudo affectuum voluntatis. Quapropter gratia requisita ad victoriam incipere debet ab illustratione in intellectu, etsi perfectè non sanante eius debilitatem, & ignorantiam practicam; aliquo modo tamen illum sanante, & roborante, ut firmiter proponat, & suadeat voluntati amorem boni honesti. Propter huiusmodi subordinationem, & dependentiam actuum voluntatis ab actibus intellectus quòad sui rectitudinem, & honestatem: in orationibus, quibus deprecamur auxilium ad rectè operandum, petimus etiam illuminationem in intellectu, ut practicè ea, quæ rec-

70 Cuidam quæsito sit satis.

recta sunt, cognoscamus cognitione, inquam, eiusdem ordinis cum ipso actu voluntatis. Constat hoc ex praxi Ecclesiæ sic orantis: *Largire nobis spiritum cogitandi, quæ recta sunt propitius, & agendi* Item: *ut cogitemus te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.* Hinc Regius Vates orabat: *Intellectum da mihi, & vivam*: & id genus alia innumera. Propter hæc, idem Regius Vates: dùm petit, ut Deus eripiat illum de manu inimicorum suorum, & de persequentibus ipsum, addit: *Illustra faciem tuam super servum tuum*, quia talis illustratio est, per quam homo incipit promoveri ad bonum, & abstrahitur à malis.

Psal. 118.

Psalm. 30 & 42. Dum fligit me inimicus, emitte lucem tuã &c.

§. IX.

Corollaria ex dictis.

71

Primum.

COlliges 1. Hominem, etsi iustificatum, indigere etiam gratia speciali ad victoriam gravis tentationis adhùc ex motivo purè naturali. Ratio est; Nam estò per gratiam sanetur quantum ad mentem à macula peccati; remanet tamen rebellio appetitus, vi cuius patitur aliquam debilitatem virium; & pro casu gravis tentationis obnubilatur intellectus, & voluntas illius vehementer inclinatur in bonum delectabile. Quare ut contra hæc omnia operetur, indiget gratia speciali: quæ licèt relatè ad ipsum, ut iustificatum, nequeat dici propriè specialis: Secus tamen relatè ad tribulationem, & debilitatem, quam patitur. Hinc Apost. in persona hominis iustificati clamabat: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum.* Undè etiam iustis præceptum est orare, nè inducantur in tentationem, etiam ut vincendam ex

Secundũ.

motivo honesto purè naturali. 2. Ad victoriam contra præceptum supernaturale requiri gratiam specialem intra eumdem ordinem, etiam si illa deficiente pro elicientia actus fidei, spei &c. sufficeret gratia supernaturalis generalis. Ratio desumitur ex speciali arduitate, & vehementi inclinatione ad oppositum ratione gravis tentationis; cuius qualitas explicanda est servata proportione cum gratia requisita ad victoriam per actum virtutis naturalis.

72

Quæres.

Si inquiras. Cur agentes de gratia ad victoriam non fecimus mentionem de gratia excitanti consistenti in subita illustratione intellectus, & simili delectatione voluntatis; quibus Deus adiuvat, & confortat voluntatem, ut velit bonum, & superet difficultates provenientes ex ignorantia, & infirmitate, quæ sunt vulnera ex peccato originali relicta; & quorum necessitatem sæpissimè præfert S. P. Aug.? Resp. 1. Parum referre omittere necessitatem gratiæ illustrat. & affectionis, si per hanc præcisè intelligantur, motus subiti, & auxilia affectus inefficaces producentia; dummodo ponamus illustrationem perfectam regulantem actum liberum; & simul voluntatem efficacem operandi bonum honestum, ex qua imperetur actualis victoria. Siquidem illa verba M. P. lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. *Ubi requirit, quod appareat ei, quod latebat; & suavè fiat, quod antea non delectabat*; optimè explicantur de cognitione perfecta novæ bonitatis in adimpletione præcepti, *& de amore efficaci, quo voluntas vehementer inclinatur in bonum.* Cum omnis difficultas in operãdo circa finem per talẽ cognitionem, & amorem efficacem superetur; etiam si cognitio sit perfecta, & libere formata, & ipse amor sit libere elicitus. Resp. 2. Quòd (sic tuetur novissimè Mag. Manso tom. 3. disp. 3. à n. 34. præclarus defensor necessitatis gratiæ excitantis referens ferè omnia testimonia M. P. quæ ad hoc assumptum conducere valent) talis necessitas solùm est simpliciter talis ad actus liberos supernaturales, sive salutares, non tamen ad actus honestos purè naturales, sed solùm ad illos suaviter & delectabiliter eliciẽdos, ut antea dixit M. Boliv. dub. 8. §. 3. n. 27. *Et hæc de hoc dub. applic. litter. Mag. in 2. d. 28. §. 2.* ad illa verba: *Sed si ipsa, non gratia Dei liberetur, & ut vitia superet, adiuvetur &c.*

Respond. 1.

Secundò.

De hoc tract. sequenti.

(o)

*** *** ***

SUB-

SUBDUB. UNICUM.

IN QVO ALIQVÆ DIFFICVLtates solvuntur; & varij modi pro imputabilitate in consentiente tentationi, examinantur?

N.1 NIHIL frequentiùs in hac quæstione profertur à Theologis, quam hominem graviter tentatum habere impotentiam moralem ad victoriam. Et quamvis variæ acceptiones *impotentiæ moralis* in dub. antec. descriptæ maneant; & illa, quæ adaptatur victoriæ tentationis, per vehementem difficultatem sit explicata; adhùc non quiescit animus; cum restent aliquæ difficultates, circa ipsam; & quarum decisio non parum conducit ad plenam, & solidam intelligentiam doctrinæ antea traditæ.

2 Inquires 1. *An hæc impotentia dicat aliquem defectum intrinsecum virtutis in voluntate ad victoriam?* Resp. negativè. Pro quo notandum; quòd defectus ex parte virium, sive virtutis operativæ, in aliqua potentia relatè ad operationem; potest esse duplex; uno modo simpliciter talis, sive quòad substantiam; alio modo solum secundum quid, & quòad intensionem. Ratio est. Nàm dupliciter potest aliqua operatio excedere vim intrinsecam potentiæ; 1. quòad substantiam, sive ex specie sua; 2. quòad modum intensionis tantum. Constat hoc in actu supernaturali relatè ad potentiam secundùm sibi intrinseca acceptam; & in motu calefactionis, ut octo relatè ad calorem ut 4. Uterque defectus virium intrinsecus est principijs activis recensitis. Primus est simpliciter talis; secundus verò cum limitatione, ideòque vocatur defectus intensivus virtutis. Pro quo videatur Ang. Doct. 3. contra gent. cap. 53. ex hac doctrina probans indigentiam luminis gloriæ ad visionem claram Dei, utpotè operationem altioris ordinis suprà virtutem intellectus; estò ut calor remissus possit vehementiorem calefactionem elicere, sufficiat intensio eiusdem caloris. Quòd exemplum adaptatur etiam charitati ut 4. ut possit in actum charitatis, ut 8. prorumpere: & similiter cõvenit potentiæ visivæ debilis virtutis (quæ suscipit magis, & minus) ut possit visionem perfectam, & claram elicere. Uterque iste defectus propriè est defectus physicus virtutis, & ab illo causa denominatur physicè impotens ex parte actus primi ad actum excedentẽ illam; servata tamen proportione iàm descripta.

Prima difficultas.

Notand. pro resp.

Hoc notato dicimus, quòd defectus virium in voluntate ad resistendum tentationi per actum honestum naturalem, non est intrinsecus, nec simpliciter, nec intensivus, sive gradualis. Cum enim sit potentia spiritualis non suscipiens magis, & minus; & sincategorematicè infinita ad actus honestos naturales quantumvis intensos; nullus eorum virtutem intrinsecam præcontentivam illius excedit, adhùc in latitudine graduali. Hinc provenit; impotentiam, quæ communiter ei attribuitur ex vi gravis tentationis, nullatenus esse physicam, nec quòad substantiam, nec quòad aliquam intensionem gradualem virtutis. Sed tamen cum multoties talis virtus

3 Respond. directè.

tus coniungatur in eodem ſuppoſito cum inclinatione actuali inoppoſitum; Tùm ratione appetitus ei rebellantis; Tùm ratione intellectus eam obiective moventis: eius virtus, & inclinatio præcontentiva actus honeſti retardatur, impeditur; ligatur, eſtò extrinſece, ut illum eliciat. Audi S.D.

Impotentia moralis eſt ab extrinſeco voluntatis.

4

Cum enim omnes potentiæ in anima radicentur, neceſſe eſt quod quando una intenditur in ſuo actu, altera remittatur: quia omnis virtus ad plura diſperſa fit minor. Et ideò quando motus appetitus ſenſitivi fortificatur ſecundum quamcunque paſſionem; neceſſe eſt enim quòd remittatur, vel totaliter impediatur, motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas. Ita S. D. hic q.77. ar.1. Accipe alium diſcurſum ex eodem ubi ſupr. paulò aliter: *Ex paſſione appetitus inordinata inſurgit vehemẽs inord: apprehenſio imaginationis, & iudicium æſtimativæ; per vehementem, & inordinatam apprehenſionem imaginationis &c. impeditur iudicium rectæ rationis; proindeque rectus motus voluntatis, quæ ſequitur ductum intellectus.*

Roboratur ex S. D.

5

Huic accedit: quòd cum voluntas ſit appetitus totius ſuppoſiti (qua ratione non ſolùm inclinat ad bonum proprium, ſed etiam ſuppoſiti, ſecundùm aliquam partem ſui) dùm ei ab intellectu huiuſmodi bonum proponitur, niſi recta ratio cohibeat, prædicta inclinatio excitatur ad eius amorem. Ex hoc etiam provenit hominis incõſtantia, mutabilitas, & debilitas; trahitur enim à pravis cogitationibus in malum, à bonis in bonum; ideòque, quaſi regnum in ſe diviſum,* laborat difficultate gravi ad actus virtutis urgente gravi tentatione: propter quòd dicitur infirmus. Audiamus S. D. ubi ſupra ar.3. *Poteſt autem dici infirmitas in anima ad ſimilitudinem infirmitatis corporis. Dicitur corpus eſſe infirmum, quando debilitatur, vel impeditur in executione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partium corporis; ita quod humores, & membra non ſubdantur virtuti regitivæ, & motivæ corporis. Unde, & membrum dicitur eſſe infirmum, quando non poteſt perficere operationem membri ſani. Ratio enim eſt regitiva partium animæ. Sic ergo; quando ob aliquam paſſionem extra ordinem rationis, vis concupiſcibilis afficitur, & per hoc præſtatur impedimentum debitæ actioni; dicitur peccatum eſſe ex infirmitate.*

Explicatur ex doctrina eiuſdem

* Sic S. D. q.10.ar.3 ad 2.

Quid ſit infirmitas in anima?

6

Advertendum tamen adeſſe diſcrimen inter infirmitatem potentiæ loco motivæ, & infirmitatem liberi arbitrij ad bene operandum. Cum enim talis potentia ſit materialis affixa organo corporali, cuius temperamentum deperditur per infirmitatem, ob defectum ſpirituum minuitur etiam intenſio virtutis. Undè talis defectus virium ad motum localem eſt phyſicus, & intenſivus. Infirmitas vero voluntatis ad victoriam gravis tentationis, eſt extrinſecus, & moralis, propter vehementiam paſſionis retardantis rectum iudicium rationis: quare non eſt aliquis defectus adhùc intenſivus virtutis, ſecundùm quàm voluntas præcontinet honeſtatem victoriæ. Hinc infirmus impotens ire ad Eccleſiam, & ſine culpa carens adiutorio alterius, non peccat, omittens auditionem ſacri; ſecùs vero voluntas non vincens tentationem: quia nimirum primus defectus eſt phyſicus, & intenſivus; ſecundus vero moralis, ob coniunctionem cum gravi tentatione actu intentionaliter prævalente. Undè exemplum adductam à S.D. non tenet quòad omnia.

Occurritur tacitæ obiectioni.

Per hæc excluditur doctrina PP. Salm. tuentium hic n. 301. hominem graviter tentatum habere impotentiam phyſicam ad reſiſtendum gravi tentationi. Qua non obſtante ei imputatur ad peccatum illius carentia; quia talis impotentia eſt conſequens liberam determinationem peccati, per quòd voluntariè fuit averſus à Deo: ex qua averſione ortum ducit talis impotentia. Manet, inquam, excluſa 1. Impotentia phyſica eſt defectus phyſicus virtutis ad victoriam; ſed voluntati graviter tentatæ non deficit phyſicè aliqua virtus pro tali victoria: ergò. Prob. min. Voluntati graviter tentatæ ſolùm deficit pro victoria, id quo poſito eſt potens vincere: ſed ad hoc non requiritur aliqua poteſtas, aut virtus phyſica; Nàm ſi bonum honeſtum proponatur cum maiori efficacia ex gratia Dei, tùnc eſt potens vin-

7

Excludit Aliquorum doctrina.

vincere; & aliundè tale iudicium nullam vim physicè præcontentivam præbeat voluntati; utpotè solùm obiective, & moraliter influens cũ illa: ergò. 2. Voluntas graviter tentata est prœventa iudicio indifferenti ad consensum, & simul ad resistendum tentationi: Aliàs non esset libera. Sed repugnat voluntatem prœventã iudicio indifferenti esse vere liberã cum impotentia physica ad resistendum: *ergò. 3. Quia, ut vidimus dub. antec. ex D. Thom. ex Anselm. victoria gravis tentationis solùm est difficilis, non autem impossibilis; multoque minùs *physice*. Undè nisi sit locutio impropria, neutiquam debet admitti. Alia, quæ ibi dicuntur, infra reijcientur.

* Constat ex definit: libertatis ex S.D. 1. p. q. 83. a. 2.

8 Secunda difficult. deciditur.

2. Inquires: *An hæc impotentia moralis dicenda sit antecedens, aut consequens?* Resp. Quod cum talis impotentia iuxta antea dicta non sit defectus intrinsecus alicuius virtutis adhùc intensivus in voluntate; sed moralis propter vehementem difficultatem ad victoriam, neutrum est absolutè proferendum. Non 1. Nàm impotentia antecedens est defectus potestatis ad actum, vel propter defectum præcontinentiæ activitati illius; vel alicuius requisiti ex parte actus primi inacquiribilis à voluntate. Sed neutrum horum verificatur de impotentia morali ad victoriam gravis tentationis iuxta superius stabilita ratione, & authoritate: ergò. Non 2. Nàm impotentia consequens ad actum est potentia coniuncta cum carentia actus, sicuti potentia consequens est potentia coniuncta cum actu. Sed impotentia conveniens voluntati ad victoriam gravis tentationis non est huiusmodi; cum possit coexistere cum illa: ergò. Idem suadetur, si impotentiã moralem explicemus per vehementem difficultatem; ut explicat D. Ansel. & Ang. Doct. siquidem, nec de aliquo, etsi vehementer difficili, contento intra libertatem voluntatis, verificatur esse impossibile antecedenter; nec illud actu non poni à voluntate; aliàs nunquam verificaretur: *hic actus existit à voluntate, sed cum magna difficultate.* Si tamen sermo sit cum restrictione diminuente, scilic. *secundùm quid*; dicendum: talem impotentiam esse antecedentem; quia hoc nihil aliud significat ex parte obiecti, quam potestatem antecedentem, qua gaudet voluntas ad victoriam, esse gravi difficultate implicatam. Undè sicuti facilitas ad actum reducitur ad potestatem antecedentem, & non ad consequentem; cum sæpè coniungatur carentia actus cum facilitate ad illum: ita dicendum de gravi difficultate. Res est parvi momenti. De hoc forsan alibi agemus.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & varie solut. pro culpa non victoriæ tentationis, reijciuntur. 9

Ratio dubit.

NOn *resistentia gravis tentationis imputatur homini ad culpam; sed nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ergò in potestate hominis est resistere. Sed succumbens tentationi caret gratia speciali*: ergò hæc non requiritur necessariò &c. Hæc est ratio dubit. 1. solutio adhiberi potest ex dictis dub. 6. dicendo: gratiam specialem *solum requiri ut dantem potentiam moralem* ad victoriam gravis tentationis; non vero potentiam physicam. Ut autem homini imputetur ad culpam non resistentia, sufficit habere potentiam physicam, estò non habeat potentiam moralem. Hæc tamen solutio reiecta manet dub. 6. nisi ad bonum sensum reducatur. Gratiam specialem esse moraliter necessariam, vel est requiri; ita ut raro, aut nunquam detur sine illa victoria gravis tentationis, attamen physicè, & metaphysicè potest coniungi victoria cum carentia gratiæ specialis; vel est talem gratiam influere moraliter in victoriam, influxu tamen omninò necessariò requisito ad posse vincere? Si 1. ut est de mente AA. quos dub. citato impugnavimus, falsum dicitur; cum coniunctio victoriæ cum carentia talis gratiæ sit metaphysicè impossibilis. Si 2. solutio est penitus insufficiens; siquidem stat aliquid tantum influere moraliter in existentiam alicuius actus; & tamen, si necessariò requiratur ex parte actus 1. ad ipsum, quod omissio talis actus non sit in poten-

Primus modus solvendi impugn.

tentia liberi arbitrij. Patet hoc, in defectu cognitionis practicæ ad actum amoris; in defectu illustrationis supernaturalis ad amorem supernaturalem; in defectu cognitionis præcepti ad actum obedientiæ formalis; quæ quidem cognitiones solum moraliter influunt per modum principij in actū, & tamen inculpabiliter carens, impotensque acquirere tales cognitiones, inculpabiliter, & involūtariè, voluntas non se exercet liberè per omissionem actus.

10 2 Mod.distling.duplic.victor.gravis tentationis: unam ex motivo honesto, alteram ex motivo inhonesto; ad quam nō requiritur gratia specialis. Hac dist. suppositā, asserit hominem succumbē-

Secundus ex Contenion. tem gravi tentationi peccare; quia etsi non possit illā vincere ex motivo honesto, ob defectum gratiæ specialis requisitæ ex parte actus 1. potest tamen

Illu. Godoy, & M Ferre illum defendunt ut probabilem. illam vincere ex motivo inhonesto. Nàm præceptum solum præcipit resistere tentationi absolutè, & nō 1. modo. Constat hoc in audiente Sacrum ob vanitatem, de quo verificatur adimpleviſſe præceptum. Ex quo sic arguit Ferre. Homo non tenetur alio modo debiti ad auditionē Sacri urgenti gravi tentatione; ac dùm non urget talis tentatio. Sed quando non urget, nō tenetur ad adimpletionē ex motivo honesto: ergò nec quando urget. Ergò etiam si careat gratia speciali, dū non adimplet succumbendo, peccat.

11 Hic modus impugn. ob insufficientiam pro omni casu gravis tentationis; siquidem instanti præcepto dilectionis naturalis Dei super omnia, & urgente

Reijcitur 1. ex Boliv. à n. 23. gravi tentatione contra illam; tùnc casus homo nequit adimplere tale præceptum; cum repugnet dilectionē naturalem Dei super omnia imperari ex inhonesto motivo, iuxta Thom. In hoc enim casu urget ratio dubit. sup. posita: nec potest fieri recursus ad posse vincere tentationem ex pravo motivo. Hac instantia convictus Ill. Godoy (& à M. Ferre omissa) Resp. tùnc casus quærendam esse aliam solut. Quod no-

Secundo. bis sufficit. 2. Nàm præceptum ponendi modū virtutis in actu præcepto, obligat multotiès iuxta expressam doctr. D. Th. Tum 1. 2. q. 100. a. 9. Tùm 2. 2. q. 104. a. 2. ad 1. ubi ait: *Quod actus omnium virtutum cadunt sub præcepto, licet non omnes actus virtutum*; quod intelligitur de præcepto legis divinæ; lex enim humana non præcipit rectitudinem formalem actus, ut advertit D. Th. loco cit. ex 1. 2. Ex quo infertur non solum pro casu præcepti dilectionis naturalis Dei, modum relatum esse insufficientem, verumetiam pro alijs casibus frequenter occurrentibus, & in quibus etiam frequenter occurrit gravis tentatio cont. adimpletionem præcepti.

3. Nàm hæc solut. admittit, ut possibilem in hac providentia, necessitatē antec. ad peccandum vagè; siquidem gravitèr tentatus ad furtum, est necessitatus, vel ad furandum, vel ad actum pravum alterius generis, per quē possit vitare furtum. Atqui concedere huiusmodi necessitatem etiam vagam in homine non obstinato, & ipsi involuntariam, videtur absurdum; cum sit ponere libertatem Manicheam: ergò. Nec obstat exemplum adductum de Angelis inflexibilibus in malo; qui tamen peccant in quolibet actu; quia ex alio pravo motivo poterant illum vitare. Idem in damnatis, quibus Deus denegat omnem gratiam; & tamen peccant succumbentes tentationi eos vehementèr inclinanti ad peccandum; quia, scilicèt, illud vitare poterāt ex alio motivo inhonesto. Non inquam obstat: Nàm hæc necessitas, si admittitur, est ex suppositione libera Angelis, & damnatis, qui pro sua libertate potentes vitare statum damnationis, & obstinationis in malum, liberè inciderunt in talem statum, cui annexa est privatio libertatis ad bonum. Hoc autem minimè contingit in nostro casu; vel quia homo succumbens erat antecedentèr iustificatus; vel quia talis privatio non est annexa homini existenti in peccato. Dixi *necessitatem ad peccandum vagè, necessitatem*, inquam, *simplicitèr antecedentem, & non tantum moralem*, propter vehementissimam difficultatem; uti est necessitas ad aliquod peccatum veniale. Rursùsque intelligi debet de necessitate urgenti in instanti determinato, ita, ut vaguitas versetur solum inter peccata; nàm instans urgentis tentationis est determinatum, non sic necessitas ad aliquod peccatum venia le; nàm in quolibet instanti determi-

12 Tertio. Quædam Resp. reijcitur.

nato homo potest illud vitare.

13 4.Nàm sequitur hominem multotiès teneri hic,&nùnc ad peccandum; nàm tenetur ad vincendam gravẽ tentationem,victoria hic,&nùnc sibi possibili; sed solum est possibilis victoria hic,& nùnc,ex fine inhonesto:ergò tenetur &c.Resp. M. Ferre in fine dubij hominem teneri ad peccandum, non per se,sed per accidens;quia scil. deficiente gratia speciali non potest alio modo vitare tentationem; in quo nullum apparet inconveniens. Sed hoc concedere, videtur satis durum; cum enim ly *per accidens* consistat in carentia gratiæ specialis unicè à Deo provenienti: videtur concedere præd. M.seq.prop. *Homo ex suppositione unicè provenienti à Deo potest teneri ad vincendam gravem tentationem per actum pravum, proindeque tenetur ad peccandum*. Deniq. Nàm ut rectè arguit M. Boliv. si tentatio sit circa levissimum peccatum,non peccabit homo,illi succumbendo; quia solum potest vincere committendo maius peccatum; unde melius esset ei cõsentire;vel si tenetur resistere præd.tentationi, tenebitur ad maius peccatum.Alia plura omittimus ex D.Th.infra dicenda.

Quarto.

Quædam Resp. impugnat.

Ultimo.

14 3.Modus relatus ab Ill.Godoy,&M. Ferre,ab eisdemque impugnatus,asserit:ideò hominem peccare;quia potest per puram omissionem non consentire gravi tentationi;ad quod nõ requiritur gratia specialis; sicuti requiritur ad victoriam ex honesto motivo. Sed cont.obst.1. Nàm si tentatio gravis sit contra præceptum affirmativum, v. g. circa auditionẽ Sacri;in dicto casu nequit vinci,nisi eliciendo actum præceptum: ergò pro dicto casu talis modus dicendi est penitùs insufficiens. Nàm si purè omittat, peccabit; ut est de se manifestum. 2. Pura omissio, estò sit possibilis physicè,aut metahysicè, est tamẽ impossibilis moralitèr,ut ab omnibus conceditur:ergò modus vincendi gravem tentationem per purã omissionem involvit secum impossibilitatẽ moralem,& qui de facto nunquã continget.3.Nàm instantegravi tentatione homo tenetur positivè ei resistere, nè se exponat periculo consentiẽdi iuxta freq.sens.Theol. iuxta illud Psal. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos,& nõ convertar,donec deficiant*:ergò recursus ad puram omissionem est recursus ad novum peccatum.4. Quia pura omissio,vel est mala ob defectum ordinationis ad finem debitum iuxta plures;vel indifferens? Si 1. homo erit necessitatus ad peccandum saltim vagè.Si 2.non sumus in casu quæst. (ait M. Ferre) Nàm loquimur de victoria ex honesto motivo. Hęc tamẽ impugnatio,estò de se efficax,retorquetur ad vers. præd.M.cum iuxta modum dicẽdi ipsius,ut homo peccet succumbendo gravi tentationi, sufficit, quod ei possit resistere ex pravo fine. Deniq. Ut rectè advertit M. Boliv. non solum est gratia specialis hominem gravitèr tentatum vincere ex honesto motivo gravem tẽtationem,verumetiam ei nõ consentire.Assumpt.sic prob.Quod est supra modum connaturalem operandi in voluntate,& contra inclinationẽ in ipsa actùprædominantem,requirit gratiam specialem ex parte Dei, si sit, aut positivè bonum, aut vitatio mali. Sed hominem non consentire gravi tentationi,est huiusmodi; cũ inclinatio actù prędominans positivè alliciat ad consẽsum in gravem tentationem: ergò erit gratia specialis,saltim extrinsecæ protectionis ex parte Dei Et ut suaviùs omittat:immittet Deus intellectui,& voluntati specialem illustrat. & sanctam affectionem, quibus homo retrahatur à consensu.Unde, vel non admittitur casus carentiæ omnis gratiæ specialis, vel præd.solutio est insufficiens.

Tertius modus impug.1.

Secundo.

Tertio.

Psalm.17

Quarto.

Retorq. contr.M. Ferre.

15 Alij cum Ill.Alvarez,admisso requiri gratiam specialem dantem, nedùm actualem victoriam,verum & sufficiẽtiam ad ipsam, asserunt: ideò homini imputari non vincere gravem tentationem ex honesto motivo; quia sua culpa caret tali gratia.Hùic doctr. favet D.Th.3.cont.G.159.& 160.dicẽs: *Plura imputari homini ad culpam; eò quod quamvis ad illa vitanda requiratur gratia,homo voluntariè præstat impedimentum receptioni illius.*

Quartus modus.

16 Sed hic modus,quamvis satis probabilitèr propugnetur à M. Ferre à n. 346. & à pluribus instant. vindicetur, habet contra se 1. Quod homo careat tali gratia dante sufficientiam ob culpam antec.in cuius pœnam Deus illàm denegat ad victoriam gravis tentationis subseq. est insufficiens, ut homo peccet succumbendo tentationi. Nàm ad

Reijcit.1.

ad imputabilitatem carentiæ gratię requiritur illius prævisio ; aliter enim non esset voluntaria ; atqui iuxta præsentem Dei providentiã, estò sit possibile de te Deum in pœnam peccati præcedentis auferre gratiam sufficientem ad vitandum peccatum subseq. nequit tamen, ut sic futurum prævideri; cum experientia constet Deũ multotiès post commission. 1. peccati vocare peccatorem, & dare ei auxilium sufficiens pro pœnitentia talis peccati: ergò quod careat tali gratia speciali ob culpam præcedentem &c. Confirm. sequenti consideratione. Nàm ex tali doctrina sequitur, quod si Deus in pœnam peccati (ut multotiès accidit) auferret à peccatore usum rationis, ipsi imputarẽtur ad culpam omissiones omnium actuum, quibus posset adimplere præcepta. Videatur Illustr. Cast. tom. de lib. arb. disp. 2. q. 5. n. 680.

De hoc Theol: tract. de Voluntar

Secundo.

17 3. Nàm supponamus, ut multotiès contingit, hominem recentèr iustificatum gravitèr tentari, & iusto Dei iudicio labi in peccatum; tùnc enim deficit ipsi gratia specialis; quin pro tali defectu sit recursus ad culpam præcedentem: ergò nequit ipsi imputari cõsensus in gravem tentationem ob voluntariam carentiam gratiæ requisitæ ad illius victoriam. Nec author. D. Th. urget contra dicta: Nàm loquitur de privatione gratiæ habitualis voluntariè inducta per peccatum, ex qua provenit hominem non posse diù permanere absque novo peccato. Unde sicuti ebrio imputatur homicidium commissum in ebrietate, quia ei voluntarium in causa, ita similiter (ait D. Th.) homini imputatur ad culpam lapsus in novum peccatum: quia voluntariè privavit se gratia habituali necessariò requisita, ut homo possit diù vitare peccatũ. Hinc patet duplex disparitas pro utroque casu; 1. quia privatio gratiæ habitualis est pœna promulgata, & omnibus nota: pro peccato actuali. 2. & principaliùs: Quia talis privatio inducitur ob culpam præcedentem. At verò multotiès contingit hominem sine peccato læthali præcedenti gravitèr tentari, & occulto Dei iudicio succumbere tentationi.

Respond. ad testim. D.

18 5. modus est P. Suarez c. 24. pro quo supponit 1. Tentationem non esse gravem, nisi ratione durationis pro aliqua mora temporis. Suppon. 2. Quòd homo gravitèr tentatus potest, tàm physice, quàm moraliter, sine gratia speciali vincere gravem tentationem in quolibet instanti determinato; estò huiusmodi potentiam non habeat ad victoriam illius pro tota sua duratione. Ratio huius discriminis est: Nàm impotentia ad victoriam, proindèque indigentia gratiæ specialis ad illam; provenit ex debilitate, & inconstantia voluntatis. Atqui huiusmodi debilitas &c. solum est talis respectivè ad gravem tentationem, ut durantem pro aliquo tempore; secùs tamen pro quolibet instanti determinato: ergò gratia specialis solum requiritur, ut homo vincat gravem tentationem pro aliquo tempore durantem, non vero pro quolibet instanti determinato. Ex hac doctrina Resp. ideo homini, etsi carenti gratia speciali, imputari ad culpam consensum in gravem tentationem; quia etsi sine tali gratia non possit vincere illam, ut pro aliquo tempore durantem; benè tamen pro quolibet instanti determinato durationis illius. Eundem modum sequitur, & illustrat P. Oviedo in præs.

Quintus.

Explicat.

19 Plura satis solidè, & ingeniosè in contra adducit M. Bolivar, quapropter ex illo aliqua & ex Nobis proponemus. Inprimis falsum est gravem tentationẽ non dici talem, nisi duret per aliquod tempus. Ratio est: Nàm substantia gravis tentationis, iuxta frequentem Theol. sensum, consistit in eo, quod bonum sensibile proponatur intensè, & efficacitèr, ut conveniens voluntati; bonum vero honestum tepidè, & remissè. Siquidem stante vehementi propositione practica ex parte intellectus, voluntas manet vehementèr inclinata ad bonum sensibile. Atqui in unico instanti potest bonum sensibile intensè, & efficacitèr proponi ab intellectu ut conveniens voluntati; bonum vero honestum tepidè, & remissè: ergò gravis tentatio salvari potest in unico instanti. Confir. Stante huiusmodi propositione practica boni sensibilis (quidquid sit, an possit dici gravis tentatio) sine dub. requiritur gratia specialis, ut homo amplectatur bonũ honestum, & resistat vehementi propositioni boni sensibilis. Ratio est: quia causæ vehementèr propensę ad prose-

Impug. 1.

Confirm.

qutionem mali connaturale est ferri in illud: ergò quòd contra prædeterminantem inclinationem à Deo adiuvetur ad prosequtionem bonihonesti, est gratia specialis. Nunc rogo: talis homo aut habet potentiam physicam, & moralem sine gratia speciali ad talem resistentiam, vel non? Si 1: ergò ad talem resistentiam non indiget gratia speciali; hæc enim non habet locum, nisi adsit impotentia saltim moralis. Si 2. infero 1: ergò impotentia moralis in volũtate non requirit diuturnitatem, vel aliquam moram temporis in cogitatione suadenti malum. Infero 2. Talis homo sine dub. peccat consentiendo vehementi propositioni boni sensibilis pro illo instanti determinato; & tamen caret gratia speciali: ergò aut talis carentia nõ obstat, quominùs imputetur ad culpam non resistere vehementi propositioni; aut assererehominem pro quolibet instanti determinato posse sine gratia speciali vincere gravem tentationem, est recursus inutilis pro imputabilitate in non resistendo gravi tentationi,

Urg. Etsi tentatio esset gravis, ut
20 existens pro unico instanti, & ad victoriam illius esset necessaria gratia specialis; succumbere illi imputaretur homini ad culpam: ergò inutilis est recur
Urgetur. sus ad durationem tentationis pro stabilienda eius gravitate. Añs. pr. Stat aliquos actus honestos, ut elicitos pro instanti determinato, requirere gratiã specialem, & tamen imputari homini ad culpam omissionem illorum pro instanti determinato; uti innegabile est in dilectione naturali Dei sup. omnia; in dilectione inimicorum; in sustinentia mortis, aut gravissimę tribulationis pro conservatione iustitiæ; ad quos actus requiritur iuxta ipsum Suarium, & alios, gratia specialis; & tamen certum est, existente præcepto de elicientia horũ actuum pro instanti determinato hominem graviter peccare in illorum omissione: ergò etsi tentatio &c. Vel aliter: existenti tali præcepto, & omissione horum actuum pro instanti determinato, vel datur à Deo gratia specialis, vel non? Si primum: ergò impotentia moralis non oritur præcisè ex inconstantia voluntatis, ut pro aliquo tempore perseveret in resistentia pravæ inclinationis. Si secundum: restat solvere argumentum, quod sic confirmari potest. Qui inculpabiliter caret gratia requisita ad elicientiam actus, non peccat in omissione illius; sed sic contingit in homine, qui tenetur ad elicientiam actuum, quos supra notavimus; & aliunde cùm peccet in eorum omissione, non habet gratiam specialem requisitam pro eorum elicientia: ergò nequit imputari ipsi ad culpam omissio talium actuum. Quod si aliam solutionem excogitet P. Suarez absque recursu ad durationem temporis, uti est necesse, eadem accomodari potest pro imputabilitate non resistendi gravi tentationi.

Si fortè dicatur has impugnationes efficacitèr probare recursum ad durationem tentationis pro illius gravitate, & potentiam moralem ad victoriam illius pro quolibet instanti determinato; non esse recursum necessarium pro similibus casibus adductis in impugnatione: minimè verò probare; illum esse inutilem, aut non sufficientèr per ipsum occurri rationi dubit. Ideò aliter impugno prędictum modum dicendi. 1. probando falsum esse hominem gravitèr tentatum pro quolibet instanti determinato habere potentiam moralem ad victoriam: subindèque non indigere gratia speciali ad victoriam hoc modo acceptam. 2. Falsum esse requiri gratiam specialem ad constantèr, & strenuè dimicandum contra tentationem, iuxta principia huius A. 1. Sic. In quolibet instanti determinato datur vehemens propositio ex parte intellectus, vehementèrque impellens voluntatem ad prosequtionem boni sensibilis; simulque adesse potest gravis rebellio ex parte appetitus. Atqui voluntas omnibus his inclinationibus implicata est impotens moralitèr ad repulsam tentationis, & amorem efficacem boni honesti: ergo pro qnolibet instanti determinato &c. M.n. constat: Nàm impotentia moralis ex terminis consistit in gravi difficultate vehementèr retardante voluntatem ab elicientia alicuius actus: ergo &c. Aliud namque est, voluntatem his impedimentis implicatam, non laborare maxima impotentia morali; aliud vero dicere non esse absolutè impotentem moraliter; ut apertè convincitur exemplo

21

Ponitur quędam responsio

Aliæ impugn. 1.

Gravisim potentia moralis admittit magis, & minùs.

plo dilectionis naturalis Dei; dilectionis inimicorum, & similium; ad quorum elicientiam necessaria est gratia specialis iuxta Suarez; proindeque adest in voluntate impotentia moralis propriè talis.

22 Confirm. In quolibet instanti determinato gravis tentationis, si homo eliciat actum honestum efficacitèr ei resistentem, absdubiò eliciet opus arduum, & heroicum; sed hoc ipso, & requiritur gratia specialis, & insuper debet poni in voluntate impotentia moralis ad talem actum: ergo. Prob. min. Natura infirma, & viribus vulnerata, nequit sine gratia speciali eligere opus honestum, arduum, & heroicum, etiam pro uno instanti; ut patet à simili in homine infirmo corporalitèr, qui non solum ad continuationem motus per aliquod tempus, sed etiam ad aliquem motum progressivum, dummodò sit motum effectus ratione elevationis, vel alterius circunstantiæ, indiget exteriori auxilio. Sed sic manfit voluntas post lapsum Adæ, cui in casu præsenti superadditur, & vehemens impulsus ad malum, & rebellio appetitus eam, quasi captivam, ducens in legē peccati: ergò. Unde iuxta doctrinam huius A. aut solum debet concedi impossibilitas moralis in intellectu, & voluntate, respectu actus, qui nunquam, aut ratò eveniet; aut debet fateri in voluntate gravitèr tentata pro quolibet instanti determinato, adesse veram impotentiam moralem, estò non maximam. 1. est aperte falsum, & ex illo destruitur necessitas gratiæ specialis pro pluribus actibus arduis in instanti determinato; quapropter debet concedi secundum.

Confirm.

2. assump. sic prob. Si homo gravitèr tentatus teneretur ad constantèr, & strenuè dimicandum toto tentationis tempore, ut loquitur Suar. ergò cùm nemo teneatur ad impossibile, Deus omnib. gravitèr tentatis dabit gratiam specialē. Sed hoc est falsum iuxta ipsū Suar. ut fatetur in succumbētib. tentationi: ergò, vel homo non peccat, dùm constanter non dimicat contra tentationem; vel ad hoc non requiritur gratia specialis. Urgeo. Si vera est doctrina huius A. nunquam verificatur hominem consentire gravi tentationi: Nàm iuxta ipsum num. 37. impotentia moralis non est respectu alicuius momenti determinati, sed absolutè respectu totius tentationis sumptę consulsè quòad aliqua instantia. Attamen libertas ad victoriam exerceri debet in puncto determinato. Ex quo sic infero: ergò consensus in illam non potest poni, nisi in instanti determinato. Sed designato quolibet instanti determinato non datur iuxta ipsum gravis tentatio actu talis; cum hæc requirat diuturnitatem temporis: ergò nunquam verificatur, quod homo consentiat gravi tentationi: nec similiter quòd illam vincat.

23 Homo non vinceret grauè tentat.

Urgetur.

24 Eisdem motivis adductis pro 4. modo, impugnatur solutio PP. Salmant. hic n. 301. asserentium 1. in homine iustificato, etsi gravitèr tentato, non requiri gratiam specialem; ut sic evadant instantiam supra factā. Ita dub. 10. n. 231. Sed hoc est falsū, ut patet urgendo rationem probativam pro gratia speciali, scilicèt, obscuritas in intellectu; oratio pro victoria; gratiarum actio specialis, illa obtenta; vehemens difficultas; & prædominatio intentionalis passionis. De quo S. D. hic art. 9. Neque enim potest negari illa verba: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram*, verificari etiam de iustificatis; neque: eos adiuvari, dùm vincunt tentationem contra præceptum naturale; neque: gratiam adiuvantem infirmitatem, & hoc titulo exactam, esse specialem; dùm infirmitas urget. Asserunt 2. in homine lapso non dari potentiam physicam ad victoriam propter aversionem à Deo fine ultimo, & conversionem ad bonum creatum. Quod assertum impugnatum manet à num. 7. Rursùs: cum expressè teneant voluntatem gravitèr tentatam manere præventam iudicio indifferenti; proindèque cum vera libertate iuxta doctrinam Div. Thom. qualiter componitur vera impotentia physica ad victoriam?

Solut. PP. Salm.

Impug. 1.

Ad Rom. 8.

Secundo.

Tertio.

25 Additum de necess. convers. est nullum. Tùm quia ponere conversionem naturalem in Deum, ut finem ultimum, vel in bonum honestum, requiri ad victoriam gravis tentationis circa ludum v. g. est mihi incredibile, nec à D. Thom. per umbram insinuatum. Tùm, quia cum ipsi fentiant talem conversionem necessariò con-

iungi cum gratia habituali, ut removente peccatum (ita dub. 4.) sequitur requiri etiam ad illam consequent. gratiam sanctificant. estò non, ut dantem vires, sed ut removentem prohibens; qualiter ipsi loquuntur. Quòd quis credet? sicuti, quòd si peccator vincat gravem tentationem ex motivo naturali honesto, iam est consequentèr iustificatus. Dices: Si finis se habet in operabilibus, sicut principia in speculabilibus; qualiter aversus à Deo, & bono honesto, ut fine ultimo, potest elicere actum virtutis, quo superet gravem tentationem? Sicuti errans circa principia nequit conclusionem scientificam deducere. Sed hoc probat de omni actu honesto, ut de se patet. Rursùs: Probat Gentiles nullam tentationem gravem honestè superasse. Item: Si nõ obstante aversione per peccatum conceditur vera potentia antecedens ad dilectionem naturalem; cùr hæc negatur pro victoria unius tentationis? Quare Resp. Aversum à Deo ut fine non posse universaliter in omni materia virtutis rectè operari; secùs in aliqua. Tùm quia aliàs liberum arbitrium esset extinctum. Tùm quia remanet inclinatio in bonum honestum, & simul amor eiusdem boni estò imperfectus proveniens ex cognitione synderesis, potens simul cum speciali illustratione ex Dei gratia excitare affectum superantem tentationem. Hinc aliud est amorem Dei adiuvare ad omnem actum honestum, aliud illum necessario requiri ad quemcumque actum difficilem, si homo sit peccator.

Instab. ex Salm.

Respond.

26

Restat ergò pro vera solutione rationis dubitandi dicere: hominem peccare; quia est potens antecedentèr potentia physica elicere actum virtuosum superantem tentationem; licet cum difficultate, ut loquuntur S. Anselm. & D. Thom. relati dub. anteced. Dùm enim voluntas potest, tenetur, & non facit, peccatum est illi. Et quamvis ei, dùm succumbit, deficiat gratia specialis constans ex iudicio illustranti, & proponenti cum maiori vivacitate victoriam: Et ex gratia intrinsecè efficaci, qua Deus operatur in nobis, ut velimus, & agamus; illa non dat posse simpliciter, sed posse secundùm quid, sive vires morales, auferendo difficultatem ortã ex prava propositione, & donando ipsam victoriam. Quòd si etiam admittatur iudicium prælativum se tenere ex parte actus primi, de quo dub. anted. illud etiam est in nostra potestate: undè meritò imputatur illius carentia homini succumbenti. Pro his omnibus stabiliendis maximè conducit necessitas orationis, qua consequimur à Deo, quidquid necesse est ad victoriam; totiès ponderata à Mag. Par. & firmissimè probata ex varijs testimonijs Sacræ Script. præsertim; dùm vrget periculum, & tentatio. Ex illius enim omissione culpatur Adamus à Div. Thom. 1. p. quæst. 94. art. 4. ad 5. ut fuerit deceptus, dum ita ait: *Nèc est instantia, quam quidam afferunt, quòd in tentatione non fuit ei subventum, nè deciperetur; licèt tùnc maximè indigeret. Quia iàm præcesserat peccatum in animo; & (nota) ad divinum auxilium recursum non habuit.*

Vera solutio.

27

Si dicas: Gratia prædeterminans requiritur etiam ad victoriam levis tentationis, & ad omne opus honestum: ergo malè ponitur ut gratia specialis pro victoria &c. Resp. 1. Sæpè contingere idem donum quoad sibi intrinseca, crescere in ratione gratiæ, & beneficij propter diversitatem occasionum, & indigentiam subiecti; & etiam propter liberationem à maiori miseria. Sic contingit in præsenti, ut probatum manet. 2. Quidquid sit de æqualitate quòad substantiam in tali gratia; illa tamen, quæ datur ad victoriam gravis tentationis, est quoad modũ efficacior, utpotè donans volitionem efficacem, invictã, robustam, & victricẽ tentationis.* Quare crescit in ratione gratiæ, & auxilij. Obitèr notandum Doct. Marin tom. de lib. arbitr. disp. 7. num. 65. asserere Div. Thom. hic quæst. 109. sentire, ad victoriam gravis tentationis requiri gratiam sanctificantem. Sed quàm falsò; constat; cùm loco citato hoc nomen *tentatio* non inveniatur, nisi relate ad *hominem iam renatum, & iustificatum*, sic ar. 9. & 10. Quòd si in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 2. illud affirmat; loquitur expressè de victoria meritoria vitæ æternæ. *Dicta sufficiant applicanda Litteræ Magistri ubi præcedens.*

Occurritur cuidã instant. 1.

Secundo.

* De quo tract de grat. præ determ.

Adverten dum.

DU-

DUBIUM VIII.

AN HOMO POSSIT SINE GRATIA speciali diligere efficacitèr Deum ut Authorem naturæ super omnia?

§. I.

NOTABILIA QUÆDAM, ET SENTENTIÆ.

N. 1 DE hac difficultate agit expresè Sanct. Doct. hic art. 3. quam duplici conclusione resolvit. 1.

Nota 1. *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum naturalitèr super omnia: licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis.* Ratio

Prima concl. S. D. est: Homo in statu naturæ integræ poterat virtute suæ naturæ, & absque superadditione gratuiti doni in id, quod est ei connaturale; sed huiusmodi est dilectio naturalis Dei super omnia; cùm quælibet res particularis amet bonum proprium propter bonum commune totius universi, quod est Deus: ergò homo in tali statu &c.

Secunda. 2. *In statu naturæ corruptæ indiget homo ad hoc etiam auxilio gratiæ naturam sanantis.* Ratio est: Homo in tali statu etiam secundùm appetitum voluntatis propendit, & inclinatur in bonum privativum, quod opponitur dilectioni Dei super omnia: ergò nisi priùs sanetur per Dei gratiam prævalentem tali inclinationi, nequit Deum diligere naturalitèr super omnia. Circa efficaciam harum rationum, & veram intelligentiam auxilij gratię naturam sanantis; plura se occurrunt dicenda; undè eius vestigijs inhærendo, connabimur mentem Sanct. Doct. exponere.

2 Notandum 2. Quòd licèt S. D. hic tantùm agat de duplici statu naturæ humanæ, scilicèt, integritatis, quem habuit ante peccatum Adæ; & corruptionis, in quo mansit post peccatum ipsius cum privatione, tùm gratiæ sanctificantis, tùm doni integritatis: ex qua privatione appetitus sensitivus mansit rebellis rationi; est tamen alius status, scilicèt, naturæ purè, in quo potuit creari à Deo, etiam de potentia ordinaria, quæ solùm attendit connaturalem exigentiam rerum, & earum inclinationem. Ita communitèr Theologi contra Jansenium, Bayum, & alios; de quo videri possunt M. Gonet, & M. Ferre. Prędictus status naturæ purè duo dicit; unum positivum, scilicèr, productionem naturæ humanæ cum potentijs, facultatibus, & habilitatibus sibi debitis: alterum negativum, scilicèt, carentiam peccati, & omnis doni gratuiti ipsam perficientis, tàm in ordine ad finem supernaturalem, quàm naturalem. Hinc inferunt communitèr Theologi, prædictum statum dicere, tùm carentiam gratiæ sanctificantis, tùm etiàm carentiam doni integritatis subijcientis perfectè appetitum rationi; & etiam carentiam doni immortalitatis, per quod corpus perfectè subditur animæ.

Nota 2. Possibilitas status purę naturæ.

3 Ratio horum est: Status purę naturę dicit necessariò carentiam omnis doni gratuiti, & omninò indebiti naturæ humanæ; atqui appetitum sensitivum esse perfectè subditum rationi, & corpus perfectè subjici animæ, sunt dona gratuita, & indebita naturæ humanæ: ergò in prædicto statu

Prob. Author.

turahumana esset obnoxia mortalitati, & rebellioni ex parte appetitus contra rationem. Min. quòad donum immortalitatis constat ex propositione damnata à Pio V. & Gregor. XIII. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis.* Convincit etiã ratio: Nàm homo ex natura sua, ùtpotè compositus ex contrarijs qualitatibus, est de se corruptibilis, & mortalis; proindèque donum immortalitatis, vi cuius posset non mori, est ipsi omninò indebitum. Quòad donum integritatis prob. etiam ex Mag. Par. lib. 4. contra Iulian. cap. ult. dicente: *Gratia quippè Dei magna erat, ubi terrenum, & animale corpus, bestialem libidinem non habebat.* Deindè prob. ratione: Homo ex natura sua constat ex duplici inclinatione sibi invicem adversanti; scilicèt ex appetitu sensitivo inclinanti in bonum sensibile, quod multotiès adversatur rationi; & ex appetitu intellectivo de se inclinanti in bonum honestum: propter quod homo meritò appellatur Regnum in se, & adversus se ipsum divisum: ergò quòd appetitus sensitivus, ita perfectè subdatur rationi, ut non possit adversus eam rebellare, est donum omninò indebitum naturæ humanæ. Quapropterin prædicto statu, aliàs possibili, esset homo cũ rebellione appetitus, & simùl cum necessitate ad corruptionem, & mortalitatem; sicuti modò existit cum his defectibus post peccatum Adæ. Cum hac tamen diversitate, quod prædictus defectus modo sunt privativi, & per modum pœnæ inflicti propter peccatum originale; tùnc autem solum essent defectus negativi, & connaturalitèr consequuti ad naturam humanam. Hæc brevitèr dicta sunt, quia in sequentibus agendum est de gratia requisita in tali statu ad dilectionem naturalem Dei super omnia.

Prop. 78.

Ratione.

4 Notandum 2. Quod amor naturalis Dei alius est efficax, alius inefficax. Inefficax est simplex complacentia in bonitate divina secundùm se, seu amor conditionatus per modum velleitatis. Huiusmodi amor, utpotè insufficiens ad imperandam observationem legis naturæ, & de se compatibilis cum peccato mortali, nequit dici amor Dei super omnia. Amor autem efficax, alius est efficax efficacia completa; alius vero, efficacia incompleta. Ille dicitur talis, quia per ipsum ita diligitur Deus, ut homo se ipsum, & sua omnia factibilia referat in Deum, ut finem ultimum simpliciter cum proposito efficaci non amandi aliquid avertens ab ipso. Ille vero dicitur talis; quia ctlo aliqua opera ordinentur in Deum, ut finem ultimum, non tamen omnia: quapropter solum primus amor dicitur dilectio Dei super omnia; hoc est, ita appreciativè diligens Deum, ut sit paratus omnia relinquere, etiam cum detrimento vitæ, priùs quam deserat Deum. Rursùs. Amor efficax efficacia completa est duplex; alius durans tantùm parvo tempore; attamen includens propositum efficax observandi legem Dei per totum tempus vitæ; propter quod dicitur communiter amor etiam de se effectivè efficax. Alter vero, scilicèt, amor diù per severans in effectu, diùque imperãs, & exequens adimpletionem totius legis naturæ, dicitur efficax effectivè.

Nota 2.

Duplex amor Dei ut Auth. naturæ.

Alia divisio.

Altera.

5 Not. 3. ad amorem inefficacem naturalem Dei, sive per modum simplicis complacentiæ, sive per modum cuiusdam velleitatis, non requiri auxilium gratiæ specialis. Tùm quia huiusmodi amor est de se facilis, valdèque proportionatus naturæ rationali. Tùm quia ex parte appetitus sensitivi nulla urget gravis difficultas pro illius elicientia; cum ipsum non retrahat efficacitèr à prosequtione boni delectabilis. Idem, & eadem ratione, dicendum de amore efficaci incompleto referenti in Deum, aliquas operationes, nõ tamen omnes: ita communitèr Theologi. Sed meo videri cum hac restrictione intelligendum, scilicèt: si aliunde talia opera honesta non sint ardua, & difficilia ex specie sua, vel ratione gravis tentationis; in hoc enim casu talis dilectio, ex cuius imperio fiunt talia opera, v. g. *Continuatio in persolvend. Officium Divinum; in abstinentia à carnibus; in victoria gravium tentationum contra castitatem*, & his similia; requirunt gratiam specialẽ iuxta dicta dub. 6. antec. Not. 4. Dub. nõn procedere de dilectione efficaci effectivè tali, hoc est, diù

Nota 3.

Not 4.

diù duranti, diùque imperanti obſervationem totius legis naturæ; de illa enim eadem prorſus militat ratio pro indigentia gratiæ ſpecialis, ac de ipſa diuturna obſervatione; de qua in ſequentibus. Undè difficultas procedit de dilectione efficaci affectiva, & appreciativa Dei A. naturæ ſuper omnia, etiam pro parvo tempore durantis quia citò perditur per peccatũ.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Poſsibilis eſt dilectio naturalis Dei, quæ ſit amor ſtrictè benevolentiæ, & ſimul dilectio appreciativa ipſius ut A. naturæ ſuper omnia.

6 EST communis inter Theologos contra P. Vazquez 1. 2. diſp. 195. quem unus, vel alter ſequitur. Ita expreſsè D. Thom. hic ar. 3. ubi talem dilectionem concedit poſsibilem homini in ſtatu naturæ integræ, & 1. p. q. 60. ar. 5. ubi ſimilem dilectionem naturalem appreciativam Dei concedit Angelis; ideòque fuiſſe creatos à Deo cũ beatitudine naturali in perfecta contemplatione, & amore Dei, ut A. naturæ, conſiſtenti. Idem docet quodlibeto 1. ar. 8. alijſque innumeris locis, quem omnes ferè Theologi ſequuntur. Prob. deinde ex quadam propoſitione Michaelis Baij dam nata à Pio V. & Greg. XIII. quæ eſt huiuſmodi: *Diſtinctio duplicis amoris Dei, ſcilicet naturalis, quo Deus amatur, ut A. naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana, & commentitia eſt.* Quæ propoſ. continet in ſubſtantia doctrin: P. Vazq. non admittentis poſsibilem dilectionem naturalem, quæ ſit amor Dei A. naturæ ſuper omnia, ſed omnem huiuſmodi dilectionem eſſe entitativè ſupernaturalem. Hæc doctrina Baij decerpta eſt ex ipſo lib. de charit. cap. 4. dicenti: *Eſt enim certum iuxta Aug. amorem Dei creatoris non minus diffundi per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris, quam amorem Dei, ut beatificatoris.* Ex quo conſtat prædictam propoſitionem fuiſſe damnatam, non ſolum propter cenſuram adverſus Theologos, ſed etiam propter falſitatem doctrinæ; de quo expreſsè P. Ripalda tom. contra Bayanos diſp. 8. per totam præſertim ſect. 13.

Sic refert & erudite impugnat P. Suar. c. 30.

Prob. authoritate.

Propoſ. 34.

Prima pars. Scilicèt, *poſsibilem eſſe amorem benevolentiæ naturalem circa Deum*, prob. efficaciſsimè. Amor benevolentiæ circa Deum eſt complacentia in bonitate divina, & gaudium de eo, quod Deus ſit in ſe ſummè bonus; ſed viribus naturæ poſsibilis eſt talis complacentia, & gaudium de bonitate divina: ergò poſsibilis eſt naturalis amor benevolentiæ circa Deum. Prob. min. Viribus naturæ poſsibilis eſt cognitio practica proponens Deum, ut ſummè bonum, proindeque ut diligibilem à nobis amore honeſto; ſed talis eſt complacentia de eo, quod Deus ſit ſumme bonus: ergò ſolis viribus naturę poſsibilis eſt &c. Confirm. Unumquodque eatenus eſt amabile amore benevolentiæ, quatenus eſt in ſe bonum, & propter ſe amabile: ergò id, quod ratione naturali cognoſcitur, ut in ſe ſummè bonum, & propter ſe amabile, eſt diligibile amore benevolentiæ. Sed ſic cognoſcitur Deus ratione naturali, ut eſt certum: ergò etiam eſt diligibilis amore benevolentiæ ortum ducenti ex cognitione naturali. Denique. Amor, quo quis ita diligit Deũ, ut eius gloriam, & honorem quærat, ſitque paratus pro illius honore fundere vitam, eſt amor benevolentiæ circa ipſum; cum in tali amore non quærat propriam convenientiam, & utilitatem; ſed ratio naturalis dictat à nobis procurandum eſſe honorem, & gloriam Dei; ſimulque in defenſionem illius vitam profundendam eſſe: ergò poſsibilis eſt &c.

7

Prob. ratione.

De amore amicit. & cõcup. S. D. 1. 2. q. 26. a. 4. 2. 2. q. 27. ar. 2.

Confirm.

Ultimo.

8

2. vero pars ſic prob. Id, quod ratio naturalis evidenter dictat fieri, eſt poſsibile viribus naturalibus, & ſecluſo omni auxilio ſupernaturali; ſed ratio naturalis evidenter dictat Deum ut A. naturæ eſſe diligendum appreciative ſuper omnia: ergò talis amor &c. Prob. min. 1. Ratio naturalis evidenter dictat id, quod eſt 1. & maximum mandatum de lege naturæ; ſed huiuſmodi eſt mandatum de dilectione Dei, ut A. naturæ appreciativè ſu-

Secunda pras prob 1.

super omnia; ut constat ex 1. præcepto decalogi, sive (ut proprius loquar) de fine totius decalogi, scilicèt, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota anima tua.* In quibus verbis energia amoris Dei appreciativi super omnia mirificè explicatur: ergò. 2. Ratio naturalis evidenter dictat Deum, ut A. naturæ, ita esse summũ bonum, ut nihil sit ei affectivè præferendum, sed potius ipsum esse præferendum omni non Deo; hæc enim omnia necessariò includuntur in notione summi boni: sed Deus viribus naturæ, & dilectione naturali est amabilis eo gradu amoris, quem dictat ratio naturalis; Nàm omnis cognitio practica similem affectum congenerat: ergò possibilis est dilectio entitative naturalis, quæ sit appreciativa Dei A. naturæ super omnia. 3. Ratio naturalis evidenter dictat Deum ut A. naturæ esse ultimum finem simpliciter omnium bonorum naturalium: ergò talis ratio dictat evidenter Deum esse diligendum, ut finem ultimum simpliciter omnis boni, & perfectionis naturalis; sed dilectio Dei A. naturæ, ut est finis ultimus simpliciter omnis boni, & perfectionis naturalis est appreciativus Dei A. naturæ super omnia; cum omnia naturalia amentur propter ipsum, ut finem ultimum; & finis sit id, quod maximè, & appreciative diligitur: ergò intra ordinem naturæ possibilis est amor Dei ita efficax, ut ipsum appreciativè super omnia bona naturalia diligat; nihilque de bonis naturalibus affectivè præferat Deo.

Secundò. Tertiò.

9 Sed in re tàm clara dicta sufficiant. Sed instat Vazquez 1. Scriptura, & PP. quoties loquuntur de amore Dei super omnia, illum appellant,* amorem charitatis infusum cordibus nostris per Spiritum Sanctum, * non distinguentes inter Deum dilectum, ut A. naturæ, & A. gratiæ. 2. Amor appreciativus Dei super omnia, est amor ipsius, sicut oportet ipsum amare; sed amare Deum, sicuti oportet, est amor ex specie sua supernaturalis, ut est certum: ergò omnis amor Dei super omnia ex specie sua &c. 3. Diligere Deum modo dicto, est ipsum diligere amore amicabili; sed amor amicabilis ad Deum, est supernaturalis; cum sola charitas sit amicitia hominis cum Deo, testante, & docente D. Tho. 2. 2. q. 23. ar. 1. ergò.

Fundam. P. Vazq. 1 & 2.

Tertium.

4. Dilectio Dei super omnia includit saltim virtualiter affectum efficacem observandi omnia præcepta, tàm naturalia, quàm supernaturalia; cum transgressio cuiuslibet præcepti opponatur saltim indirectè prædictæ dilectioni: ergò est supernaturalis; utpotè potens imperare observationem supernaturalem. Quartum

5. Talis dilectio appreciativa Dei est ex specie sua dispositio ad gratiam; cum sit conversio ad Deum ex toto corde: ergò est ex se supernaturalis. 6. Videre Deum ex specie sua est actio supernaturalis: ergò pariter diligere Deum super omnia. Consequatur. 1. Nàm sicuti visio in genere cognoscendi est nobilior cognitio possibilis creaturæ intellectuali, ita in genere amandi Deum, diligere ipsum super omnia est amor nobilior. 2. quia si visio ex munere perfectè uniendi hominem cum Deo, est supernaturalis; hoc idem habet amor Dei super omnia; cum amor sit virtus unitiva. 7. Utriusque amoris à nobis descripti est idem formale motivum; scilicèt, summa Dei bonitas, cum sola diversitate cognitionis penes naturalem, & supernaturalem; quæ diversitas non variat speciem amoris, iuxta expressam doctrinam D. Th. probantis hoc de amore viæ, & patriæ, & si diversis cognitionibus regulentur. 8. Inclinatio innata hominis solum est ad dilectionem Dei, quatenus est bonum commodum, & conveniens homini; iuxta illud Philosophi: *Amabile bonum, unicuique vere proprium.* Sed talis amor Dei, est amor concupiscentiæ; utpotè dilectio Dei propter proprium commodum, & utilitatem amantis: ergò inclinatio innata hominis non respicit pro termino dilectionem Dei, quæ sit verus amor benevolentiæ, & quæ sit appreciativa ipsius super omnia. Ex his colliges, quod licèt amor Dei ex terminis præscindat a naturali, & supernaturali: attamen amor Dei appreciativus super omnia non sic præscindit, sed est positivè supernatu- 10 Quintum Sextum. Septimũ. Octavum

turalis, proindeque impotens dividi in naturalem, & supernaturalem.

11 Respond. ad 1.

Ad 1. Resp. neg. mai. in tota sua latitudine. Nàm dilectio Dei A. naturæ super omnia est 1. & maximum mandatum in lege, & fundamentum totius decalogi. Tùm quia est basis, & fundamentum totius humanæ vitæ moralis intra ordinem naturæ, *sic enim se habet finis in operabilibus, sicut principia in speculabilibus.* Unde sicuti necesse est hominem habere rectam æstimationem de principijs, ut possit rectè discurrere circa conclusiones; ita necesse est voluntatem hominis esse rectificatam circa finem naturalem ipsius; qui finis est Deus, ut A. naturæ; ut possit rectè se habere universaliter circa electionem bonorum particularium. Tùm quia quemadmodum præcepta 2. tabulæ fundatur in amore proximi, ita præcepta 1. tabulæ pertinentia ad honorem Dei, fundatur in ipsius amore. Cum igitur huiusmodi præcepta sint de lege naturæ, pariter, & dilectio Dei super omnia, proùt à nobis ratione naturali cognoscitur. Verum quidē est PP. frequenter loqui de amore Dei, ut A. gratiæ; quia videlicèt mens, & intentum ipsorum est nos instruere, qualiter possumus mereri, & consequi vitam æternam; quod sine dilectione supernaturali contingere nequit. Sed tamen pluries faciunt mentionem dilectionis Dei, ut A. naturæ super omnia. Sufficiat illud D. Bern. lib de diligendo Deum, ubi hæc habet: *Clamat innata, & nota rationi iustitia, quia ex toto illud homo debet diligere, cui se totum debere non ignorat.* Amor ex toto, est amor Dei super omnia. Amor, pro quo clamat innata, & nota rationi iustitia, est amor naturalis: supernaturalia enim excedunt omnem inclinationem innatam hominis.

12 Ad 2.

Ad 2. Resp. dist. mai. Est amor Dei, sicut oportet, intra terminos naturalis cognitionis, & possibilitatis virium naturæ, conced. mai. Sicut oportet, intra terminos cognitionis supernaturalis, & possibilitatis per vires gratiæ, neg. mai. & cum eadem minoris disting. neg. conseq. Quando autem Concilia, & PP. asserunt dilectionem Dei sicut oportet esse ex specie sua supernaturalem, ly *sicut oportet*, denotat 1. sicut oportet ut iustificationis gratiam, & vitam æternam, homo consequatur. Denotat 2. sicut oportet homini elevato ad ordinem gratiæ, & fide supernaturali Dei instructo; qualiter se habet in præsenti providentia. Ad 3.

Ad 3. neg. mai. Intellectam de vera amicitia; hæc enim est mutuus amor benevolentiæ inter Deum, & homines fundatus in communicatione æternæ beatitudinis; hæc enim est vita propria Dei. Cum igitur talis communicatio sit de se supernaturalis, vera amicitia hominis cum Deo est ex specie sua supernaturalis. Undè constat; quod licèt sit possibilis intra ordinem naturæ dilectio Dei appreciativa super omnia; non tamen vera amicitia hominis cum Deo; licèt talis dilectio sit secundum quid amicitia propter appreciationem Dei, & communicationem cum illo in beatitudine naturali; ita expressè D. Thom. epist. 1. ad Corinth. cap. 13. lect. 4. Litigium non est de vera amicitia sed vera benevol.

13 Ad 4.

Ad 4. neg. mai. Dilectio enim naturalis Dei super omnia solum includit voluntatem efficacem servandi omnia præcepta legis naturæ, & non admittendi aliquid avertens à Deo, ut A. naturæ. Ratio est: Nàm sola præcepta legis naturæ possunt cognosci ratione naturali, ut contraria dilectioni Dei; amor autem naturalis Dei nequit quòad sui efficaciam se extendere ultra cognitionem naturalem ipsum regulantem. Ulteriùs. Nàm talis dilectio, & si efficax, & super omnia, est tamen in determinato ordine, id est, in ordine naturæ, & dictamini rationis naturalis; quapropter nequit eius efficacia in proposito se extendere ad ea, quæ indirectè avertunt à Deo A. naturæ; qualis est transgressio præcepti supernaturalis. Quēadmodum estò unus Angelus alterum Angelum comprehendat; eius comprehensio non se extendit ultrà prædicata naturaliter ei convenientia, ideòque non se extendit ad cognitionem potent. obedientialis, & similium; quia videlicet est comprehensio in determinato ordine; scilicèt naturali. E contra dicendum de dilectione super-

pernaturali, quæ quidem, utpotè excellentior ſpecie, & ordine, includit, virtualiter voluntatē efficacē adimplē di omnia præcepta, & vitandi quidquid ullo modo avertit à Deo. Nec obſtat prædictam dilectionem eſſe inconiungibilem cum transgreſsione præcepti ſupernaturalis. Non inquam obſtat; Nàm hæc inconiungibilitas non ſufficit, ut illa poſsit efficaciter imperare adimpletionem legis ſupernaturalis; ut videre eſt in voluntate efficaci, etſi naturali, audiendi ſacrum in die feſto; quæ quidem nequit imperare adimpletionem ſupernaturalem; etſi in coniungibilis ſit cum tranſgreſsione præcepti.

14 Ad 5. neg. mai. Converſio enim diſponens ad gratiam habendam, eſt converſio in Deum, ut A. gratiæ; cum huiuſmodi converſio ſit ſupernaturalis; & diſpoſitio ad aliquam formam ſit in eodem ordine cum illa. Undè cū dicitur converſionem ex toto corde in Deum diſponere animam ad gratiam habitualem, ly *ex toto corde* denotat omnem affectum voluntatis, tàm ut dirigitur naturali ratione, quàm lumine fidei. Ad 6. neg. conſeq. diſparitas eſt 1. Quia viſio Dei ex ſpecie ſua petit procedere à principio formali ſupernaturali, ſcilicèt ab eſſentia Divina unita per modum ſpeciei impreſſę intellectui videnti Deū. 2. Nàm terminus formalis prędictę viſionis eſt ipſe Deus, ut eſt in ſe Trinus, & Unus. 3. Quia omnis cognitio poſsibilis haberi naturaliter de Deo, ſolum acquiritur ex cognitione creaturarum; quæ quidem nequeunt perducere ratione infinitæ diſtantiæ in cognitionem, quæ ſit intuitivè, & quidditativè Deum attingens. Dilectio autem naturalis Dei, ſive Dei, ut A. naturæ ſuper omnia, nec petit procere à principio formali ſupernaturali, nec terminus formalis ipſius eſt ſumma Dei bonitas ſumpta ſimpliciter proùt eſt in ſe, ſed proùt relucet in creaturis ipſam participantibus. Quapropter, cum cognitio divinæ bonitatis proùt ſic non excedat vires rationis naturalis, pariter dicendum de amore eiuſdem. Ad probationes ibi inſertas Reſp. viſionem Dei eſſe optimam cognitionem eiuſdem ſimpliciter, & in omni ordine, & eodem modo unientem intellectū beati cum ipſo Deo; At vero dilectio naturalis ſolum eſt optimus amor Dei, & perfecta unio affectiva voluntatis cum ipſo, in ordine determinato, ſcilicèt naturæ, ut factæ ad imaginationem, & ſimilitudinem Dei.

Ad 5. & 6.

Diſp. inter viſionem, & amorem.

Ad 7. neg. mai. in ſenſu formale. Motivum enim dilectionis naturalis, eſt ſumma Dei bonitas, proùt reſplendet in creaturis, & quatenùs eſt principium, & finis omnis perfectionis naturalis ipſarum: motivum vero formale charitatis eſt ſumma Dei bonitas proùt eſt in ſe, ſine tali connotat: & quatenùs ratione illius Deus eſt obiectum beatificum. Quæ conſiderationes ſufficiunt diſtinguere ipſam divinam bonitatem, eſto non in eſſe rei, bene vero in ratione motivi reſpectu actus dilectionis. Exemplum habetur manifeſte in excellentia Dei, ut ſupremi domini: quæ quidem, ut cognita ratione naturali, quatenùs ſcilicèt eſt excellentia Dei creatoris, & gubernatoris univerſi, ſpecificat actum Religionis naturalis: at vero quatenùs per fidem cognoſcitur talis excellentia per modum principij donorum ſupernaturalium, ſpecificat actum Religionis ſupernaturalis. Similiter eminentia Divinæ Maieſtatis, quatenùs cognoſcitur, ut potens infligere malum naturale, ſpecificat actum timoris naturalis; at vero quatenus eadem eminentia cognoſcitur per fidem, ut potens infligere malum, ſive privationem alicuius doni ſupernaturalis, ſpecificat actum timoris ſupernaturalis. Undè diverſitas ſpecifica inter has dilectiones non provenit unicè ex diverſitate cognitionis; ſed quia cum diverſitate cognitionis apparet motivum formaliter diverſum. Quod non contingit in cognitione fidei, & ſcientiæ beatæ: ubi ſolùm apparet diverſitas penes claritatem, & obſcuritatem, ſed cum unitate formali ex parte obiecti motivi ad amorem. Ad 8 Reſp. D. Tho. 2.2. q.26. ar.3. ad 1. & 2. illud Axioma Phyloſ. ſicut, & alterum; *amicabilia ad alterum ex amicabilibus ad ſe proficiſcuntur*, intelligi facta cōparatione inter bona duorum particulariū: quia unuſquiſque magis di-

15 Ad 7.

Ad 8.

diligir bonum sui, quam alterius; non vero facta comparatione inter bonum particulare, & bonum commune totius communitatis, qualis est Deus, ut A. naturæ. Nàm quælibet pars magis amat, tàm amore intellectuali, quàm naturali, bonum commune totius; sic videmus manum se exponere percussioni propter defensionem capitis, à qua vita hominis pendet, & civē vitiosum se exponere periculo mortis propter defensionem reipublicæ.

16 Ex his colliges Deum, ut A. naturæ posse amari amore concupiscentiæ, qui sit efficax, & etiam suo modo, super omnia. Ita deducitur ex D. Thom. 1.p.q. 60. ar.5. & quodlib. 1. ar. 8. Ratio 1. partis est. Ea ratione potest Deus amari à nobis amore concupiscentiæ, quatenùs est bonum nostrum; sed Deus etiam ut A. naturæ est bonum nostrum, à quo existentia, & conservatio naturæ pendet, & à quo provenit nobis beatitudo naturalis in contemplatione, & amore naturali ipsius consistens: ergò &c. Ratio 2. est. Deus ut beatificans nos naturaliter, nobisque alia bona naturalia communicans, est maius bonum nostrum, quam alia bona: ergò proùt sic est magis amabilis amore concupiscentiæ. Sed amor concupiscentiæ tendens in Deum, quatenùs est finis ultimus noster naturalis, potest esse efficax; cum ex amore finis super omnia concupiscibilia possint imperari omnia illa, quæ per modum medij conducunt ad illius assequutionem: ergò amor Dei, ut est obiectum nostræ beatitudinis naturalis, potest efficaciter amari. Ratio 3. est. Amor apprecians Deum super omnia concupiscibilia est etiam amor Dei super omnia; cum talis amor sit voluntas efficax non admittendi aliquod repugnans consequtioni boni concupiti. Undè sicuti ex affectu efficaci spei Theologicæ possunt imperari omnes actus virtutum, quibus adimplentur præcepta, iuxta illud: *inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Qua ratione etiam suo modo est affectus circa Deum super omnia concupiscibilia; ita dicendum de amore naturali, quo quis efficaciter concupiscit Deum, ut obiectum beatitudinis naturalis. His notatis, restat decidere difficultatem propositam facta comparatione ad diversos status naturæ humanæ. Circa quod plurimæ versantur sententiæ, quas in diversis conclusionibus referemus.

Illatio ex dictis.

Prob. quo ad omnes Partes.

Pfal. 118.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo in pura natura posset diligere Deum efficaciter super omnia, non tamen sine gratia speciali.

17 PRima pars conclusionis est communis contra Vazquez, & alios; de quo in antecedentibus. Prob. 1. Homo conditus à Deo in pura natura posset consequi beatitudinem naturalem; cum hæc sit finis ultimus ei proportionatus, & quælibet natura consequi valeat finem, ad quem per se ordinatur. Sed beatit. naturalis consistit, vel saltim includit, dilectionem Dei A. naturæ super omnia: ergò. 2. Homo sic conditus à Deo posset adimplere præcepta legis naturæ; sed huiusmodi est præceptum diligendi Deum A. naturæ super omnia: ergò in prædicto statu &c. Min. est D. Thom. 1.p.q. 60.ar.5. in argument: sed contra per hæc verba: *Omnia præcepta moralia legis sunt de lege naturæ; sed præceptum diligendi Deum supra se ipsum, est præceptum morale legis: ergò est de lege naturæ.* Deinde id ipsum probatur sequenti ratione. Ad legem naturæ spectat id, ad quod homo naturaliter inclinatur; sed homo habet inclinationem naturalem ad diligendū Deū amore benevolentiæ supra se ipsum: ergò. Prob. min. Inclinatio naturalis in rebus, quæ sunt sine ratione, demonstrat inclinationem naturalem in voluntate intellectualis naturæ. Sed in naturalibus, unumquodque magis inclinat in bonum, cuius est pars; quam in bonum sui; qua ratione manus naturaliter se exponit percussioni propter defensionem capitis; & civis virtuosus periculo mortis, propter conservationem reipublicæ: ergò cum Deus sit bonum in-

Prob. 1. pars.

Secunda probatio.

universale, sub quo continetur Ang. & homo, & ad quem ordinantur tanquam ad finem ultimum modo proprio creaturę intellect. naturaliter inclinant, ut diligant naturali amore amicitiæ Deum plusquam se.

18

Præcludi tur quædam responsio.

Nec potest dici D. Tho. loqui de dilectione naturali Dei super omnia obiective, quatenùs homo naturaliter vult Deo maius bonum, scilicèt esse Deum, quod non vult sibi; secus de dilectione Dei super omnia appreciative. Non inquam potest dici. Nàm hanc solutionem expressis terminis reijcit in corp. art. dùm ita profert: *Aliqui dicunt hominem naturaliter amore concupiscentiæ diligere Deum plusquam se ipsum; quia magis vult sibi bonum Divinum, quam bonum suum. Dicunt etiam hominem naturaliter diligere Deum super omnia; quia maius bonum vult Deo, quam sibi: cum Deo velit esse Deum, sibi velit esse creaturam.* Post quę S.D. subdit: *Sed hoc stare non potest &c.* Cumque expresse adstruat in homine, & Ang. dilectionem Dei super omnia, quæ sit dilectio amicabilis, expresse loquitur de dilectione, quæ sit appreciativa eius super omnia.

Tertio prob.

Probatur idem assumpt. Voluntas hominis, ut appetitus rationalis est, dicit inclinationem innatam ad amorem alicuius se habentis per modum finis ultimi sui in se, & propter se diligibilis; sed huiusmodi finis nequit esse aliud præter Deum, ut A. naturæ; cum solus ipse sit primum principium, & finis ultimus in omni ordine: ergò homo habet inclinationem innatam ad dilectionem Dei A. naturæ, ut in se, & propter se diligibilis. Mai. prob. Omnis inclinatio innata, sive in linea cognoscitiva, sive affectiva, sive purè naturali, debet respicere pro sui termino per sè 1. aliquid se habens per modū finis ultimi specificātis talem inclinationem; sed de ratione talis finis est, attingi in se, & propter se à potentia inclinanti in ipsum: ergò voluntas hominis, ut appetitus rationalis est &c. Undè sicut amor electivus efficax mediorum conducentium ad aliquem finem supponit amorem efficacem intentivum eiusdem finis; ita inclinatio innata quasi electiva circa media efficaciter conducentia, & ordinata ad Deum, ut A. naturæ per modum finis ultimi, supponit inclinationem innatam intentivam circa ipsum Deum, ut A. naturæ. Cum ergò omnes actus virtutum moralium, quibus homo disponitur ad assequutionem beatit: naturalis, in amore, & contemplatione efficaci Dei, ut A. naturæ consistentis; terminent inclinationem innatam electivam voluntatis, ut expresse docet D. Thom. 1. 2. q. 94. ar. 3. fatendum est in voluntate dari inclinationem innatam intentivam, & per se 1. terminatam ad dilectionem Dei A. naturæ super omnia, à qua, tanquam à basi, & fundamento, derivetur omnis rectitudo moralis in actionibus humanis.

Si dicas talem dilectionem Dei appreciativam, sicuti & assequutionem beatitudinis naturalis, extrahere hominem à statu puræ naturæ; cum hic solum dicat communicationem bonorum, quæ ipsi debentur ex vi creationis, proindeque exclusionem omnis gratuiti doni. Sed homo in pura natura conditus non est potens ad id, quod destruit statum puræ naturæ: ergò. Resp. Pronunc hanc instantiam solum probare hominem in pura natura non habere potestatem ad dilectionem naturalem Dei super omnia, ut coniunctam cum statu puritatis naturæ; secus vero, ut divisam à tali statu, quod sufficit ad veritatem conclusionis. Constat hoc evidenter in homine viatore, qui est liber ad consequtionem beatitudinis supernaturalis, non quidem coniungendam cum statu viæ, sed cum statu Patriæ. Idem dicendum de homine lapso, qui est potens, & tenetur, ad dilectionem supernaturalem Dei, & acquisitionem gratiæ iustificantis; non quidem coniungendam cum statu lapsus, sed ab ipso dividendam: ergò quamvis beatitudo naturalis, & dilectio Dei A. naturæ super omnia extrahant ipsum à statu puræ naturæ (de quo pronunc non disputo) subsistit veritas conclusionis, scilicèt, *homo conditus in pura natura posset diligere Deum A. naturæ super omnia.*

19

Argues.

Respond

20

2. vero pars communis est inter Theologos, quam expresse tuetur M. Soto lib. 2. de natur. & grat. c. 4. &

22.

22. Medina in præſ. art. Zumel, Curiel, M. à S. Th. Illuſt. Godoy, Gonet, Serna, Boliv. & alij, quos refert M. Ferre q. præm. §. 3. P. Suarez lib. 1. c. 36. quem alij ſequuntur. Dubitant vero Scotus, Gabriel, Durandus. Oppoſitum tenet cũ Illuſtr. Alvarez lib. 5. reſponſ. c. 5. & 6. Greg. Martinez ſupra hunc art. dub. 1. & 2. Monteſin. diſp. 27. q. 6. Contenſ. diſert. 1. ſpecul. 3. Ven. Lemos tom. 3. p. 2. tract. 2. c. 20. PP. Salm. diſp. 2. dub. 3. §. 3. n. 100. Ratio probativa eſt. Iuxta D. Tho. in præſ. art. Quamvis homo in ſtatu naturæ integræ poſſet ſine gratia ſpeciali diligere Deum, ut A. naturæ ſuper omnia, non tamen in ſtatu naturæ corruptæ, eo quod in hoc ſtatu homo ſequitur bonum privatum; ſed etiam in ſtatu puræ naturæ ſequeretur bonum privatum: ergò etiam indigeret gratia ſpeciali &c. Prob. min. Eo homo in ſtatu naturæ corruptæ ſequitur bonum privatum, quia ſecundùm appetitum ſenſitivum inclinat in bonum ſenſibile abſque perfecta ſubiectione ad rationem; ſed hæc inclinatio etiam conveniret homini in pura natura; cũ in tali ſtatu appetitus ſenſitivus carens dono integritatis, eſſet rebellis rationi, ut eſt certum: ergò.

Prob. ex S.D.

21 Nec valet, ſi dicas 1. indigentiam gratiæ ſpecialis in ſtatu naturæ corruptæ ad dilectionem Dei provenire, nedum ex rebellione appetitus, ſed etiam ex averſione per peccatum originale introducta. Cum autem hæc non daretur in pura natura, non eſſet neceſſaria gratia ſpecialis in dicto ſtatu pro dilectione Dei. Non inquam valet 1. Quia D. Tho. ſolùm aſſignat pro motivo gratiæ ſpecialis rebellionem appetitus ad rationem, quæ eſt idem, ac inclinatio in bonum privatum contrarium dilectioni Dei. 2. Nàm etiam ablata averſione per gratiam iuſtificantem, indiget homo gratia ſpeciali pro tali dilectione; cum maneat rebellio appetitus ad rationem, vehemẽter inclinantis in bona ſenſibilia, & obſcuritas in intellectu. Undè ſicuti homo iuſtus indiget gratia ſpeciali, tùm ad victoriam gravis tentationis; tùm ad diuturnam obſervationem legis naturæ, & ad alia opera honeſta difficilia propter dicta; ita indigetgratia ſpeciali pro dilectione naturali Dei ſuper omnia ob eandẽ difficultatem, & inſuper; quia talis dilectio eſt actus perfectiſſimus de ordine naturæ.

Prima ſolutio.

Reijcitur 1.

Secundò.

Sic S. D. hic ar. 9.

Si dicas 2. D. Tho. loqui de dilectione naturali Dei ſuper omnia diù duranti, diùque imperanti obſervationem legis naturæ, non autem de dilectione efficaci pro brevi morula duranti; qualis eſſet dilectio, de qua in præſ. diſputamus. Contra eſt 1. Nàm dilectio ſic perſeverans coincidit re ipſa cum obſervatione legis naturæ per longũ tempus. Undè ſi de illo loqueretur D. Tho. in præſ. art. cum in ſequenti loquatur de tali obſervatione legis naturæ; ſine cauſa multiplicaret art. pro deciſione eiuſdem difficultatis. 2. Illam dilectionem naturalem nequit homo in ſtatu naturæ corruptæ elicere ſine gratia ſpeciali iuxta doctrinam D. Tho. quam homo in ſtatu naturæ integræ poterat elicere ſine tali gratia ſpeciali: conſtat hoc ex ipſo textu, & contextu S. D. ſtatuentis diſcrimen inter utrumque ſtatum in ordine ad dilectionem naturalem Dei. Atqui dilectio Dei, ad quam homo in ſtatu naturæ integræ poterat ſine gratia ſpeciali, eſt dilectio efficax affective, & pro brevi morula durans, ut apud omnes Theologos eſt certum: Nàm loquendo de dilectione Dei permanenti, ſicuti, & de perſeverantia uſque in finem, plures Theologi requirunt gratiam ſpecialem propter inconſtantiam, & mutabilitatem voluntatis de bono in malum: ergò dilectio, de qua aſſerit D. Tho. requirere gratiam ſpecialem in ſtatu naturæ corruptæ pro ſui elicientia, eſt dilectio efficax tantum affectivè. Idem docet S. D. quodlib. 1. ar. 8. dicens: *Quia poſsibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus; utile eſt conſiderare ad quantum dilectio naturalis ſe extendere poſsit. Dixi erunt ergo quidam, quod homo in puris naturalibus diligit Deum pluſquam ſe ipſum amore concupiſcentiæ, non vero amicitiæ.* Et poſtquam hanc opinionem reijcit; ſubdit: *Dicendum ergo eſt, quod diligere Deum ſuper omnia eſt naturale non ſolum Angelo, & homini, ſed etiam cuilibet creaturæ ſecundum*

22 Dices ſecundo.

Impugnatur 1.

Secundò.

* Amicitia Dei cum sit specialis amor causat donum speciale.

dùm quod potest amare. * Quod testim. rectè urgent PP. Salm. quoad statum.

§. IV.

Examinatur prima ratio.

23 Prob. ex S. D.

Dilectio efficax Dei A. naturæ super omnia includit propositum efficax observandi totam legem naturæ, non solum pro hoc, vel illo tempore, sed pro semper; sed ad huiusmodi propositum homo conditus in pura natura indigeret gratia speciali: ergò ad elicientiam talis dilectionis. Prob. min. Homo indiget gratia speciali ad actum honestum sibi moraliter impossibilem; sed huiusmodi esset prædictum propositum: ergò. Prob. min. Observatio totius legis naturæ, etiam pro diuturno tempore, esset moraliter impossibilis homini condito in pura natura; Tùm propter eius inconstantiam. Tùm propter plura præcepta ardua in sui adimpletione; & occursum gravium tentationum: ergò etiam intentio efficax &c. Prob. conseq. Ea ratione, qua executio alicuius intentionis est homini impossibilis, est etiam ipsi impossibilis intentio efficax: impossibilis quidem physicè, si electio, vel executio est physicè impossibilis; moraliter verò, si executio sit moraliter impossibilis. Hac enim ratione, quia videre Deum est impossibile homini viribus naturæ, nequit homo appetitu naturali innato, aut elicito, velle efficaciter videre Deum, ut communiter tuentur Thomistæ. Signum ergò est eadem impossibilitate gaudere intentionem efficacem exequendi media conducentia ad finem, ac gaudet ipsa executio. Igitur, si observatio legis naturæ se habens per modum electionis, & executionis respectu dilectionis Dei super omnia, ut diù durans, est moraliter impossibilis homini in pura natura; idem dicendum de tali dilectione se habenti per modum intentionis efficacis, & efficaciter imperantis observationem totius legis naturæ.

24 Hæc ratio nititur doctrinæ D. Thom. 3.p.q.87. ar.1. ubi ait: *Dicendum, quod homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia, & singula; potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia; & ideò pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus, & singulis mortalibus; sed ad pœnitentiam venialium requiritur, quod proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus.* Ex qua doctrina clare colligitur, quod quia homo in gratia constitutus cum communibus auxilijs potest vitare omnia mortalia, potest efficaciter proponere huiusmodi vitationem; non tamen potest proponere efficaciter vitationem omnium venialium, quia omnia illa non potest in re vitare: ergò sentit D. Th. non posse hominem efficaciter velle, aut proponere executionem rei sibi impossibilis: ergò si observatio legis naturę est homini in pura natura impossibilis saltim moraliter sine gratia speciali, nequit etiam sine illa velle, aut intendere efficaciter talem observationem. Ratio à priori est. Si pro tali observatione esset necessaria gratia specialis, non vero pro dilectione proponenti efficaciter talem observationem, eo sic accideret, quia in observatione esset nova difficultas, quam talis dilectio non potest superare; sed hoc repugnat, si aliundè talis intentio est efficax; cum de ratione huius sit determinate efficaciter voluntatem ad electionem mediorum, superando omnem resistentiam, & difficultatem possibilem in ipsa inveniri (qua de causa dum, quis propter aliquam difficultatem non procedit ad electionem, & executionem mediorum ad aliquem finem, prudenter iudicatur intentionem præhabitam non fuisse efficacem ex toto) ergò si observatio totius legis naturæ requirit gratiam specialem in pura natura propter eius arduitatem, & impossibilitatem moralem, nequit sine eadem gratia homo efficaciter velle per dilectionem Dei prædictam observationem.

Roboratur ex doctrina S.D

25 Huic rationi inter Thom. cõmuni. Resp. 1. PP. Salm. præcepta legis naturæ duplicem considerationem admittere; uno modo collective sumpta; alio modo divisive. Obligatio ad eorum observationem diuturnam, aut pro

Prima solutio.

prosemper, non terminatur ad illa collectivè; quia solum est ad illa proùt occurrunt, & non occurrunt collectivè; sed divisivè; modo hoc; modo illud. Unde nulla est specialis obligatio servandi omnia collectivè: sed ad summum ex consequenti tenemur illa modo dicto servare; sed eadem obligatione, qua tenemur ad illa divisivè. Quando autem dicitur à Theolog. observationem totius legis naturæ requirere gratiam specialem, loquuntur de illa collectivè; secùs vero divisivè. Hoc supposito dicunt ad efficaciam amoris, de quo in præsenti, sufficere propositum efficax servandi diù præcepta legis naturæ, proùt ad illa tenetur; cumque solum teneatur ad illa, proùt occurrunt; & hoc quidem divisivè; sufficit hoc ipsum efficacitèr proponere. Quare sicut obiectum talis propositi non est moralitèr impossibile; ita nec ipsum propositum superat vires naturæ.

26 Reijcitur

Falsum est 1. solùm dari obligationem ad servanda mandata, divisivè sumpta; quia hoc est tantum teneri ad quodlibet seorsim ab alio; sive teneri ad singula, non ad omnia. Admittimus non dari præceptum speciale servandi omnia præcepta collectivè; attamen verum est hominem saltim ex consequenti teneri ad talem observationem, ut ipsi PP. fatentur. Ratio est; quia homo tenetur nunquam peccare, ad quod necessarium est, quod observet omnia collectivè sumpta, estò collectione non ponenda in uno instanti, sed in diversis. Nàm deficiente in quolibet; deficit nunquam peccare. Unde sic instauro rationem. Implicat per vires naturæ propositum efficax terminatum, etsi non primario; per se tamen ad obiectum excedens vires illius. Sed talis est observatio legis naturæ; ita ut nunquam illa violetur: ergò si hæc superat vires naturæ pœnæ; idem dicendum de proposito verè efficaci affectivè. Urgetur. Prædictus amor, aut haberet in se incluſſam hanc tendentiam: *Volo nunquam peccare transgrediendo aliquod præceptum naturæ*; aut non? Si 1. ergò cum hoc

Urgetur.

obiectum excedat vires naturæ, idem de proposito verè efficaci terminato ad talem observationem. Si 2. cur dicitur amor verè obedientialis; si non excludit affectum peccandi etiam vagè transgrediendi aliquod præceptum? Rursùs: tale propositum debet esse de observatione legis naturæ, prò ut occurrit longo etiam tempore includente simultatem physicā actuum virtutis; sed observatio proùt occurrit, non tantum in hoc, vel illo instanti, sed longo tempore, excedit vires naturæ, ut ipsi fatentur: ergò.

Resp. 2. Propositum efficax de executione valdè difficili, & excedenti vires, si prævideatur cum tota difficultate in re convenienti; non posse haberi per vires eiusdem naturæ; si autem non ita appareat, vehemens difficultas superans vires voluntatis in executione, potest non superare easdem quòad propositum efficax. Fieri enim potest, ut res difficillima in sui exercitione non apprehendatur, ut talis; & è converso. Sicque contingeret in statu puræ naturæ: Nàm cum à longè homo respiceret difficultatem diuturnæ observationis; non ita gravidam illam proponeret (præsertim dùm pacato, & tranquillo animo de illa cogitaret) ut non posset concipere propositum efficax de illius positione, estò imperfectum. Sed contra est 1. Aliud est rem aliquam plùs difficultatis involvere in sui executione; quàm in proposito efficaci terminato ad illam in futurum; ut videre est in Martirio. Aliud verò, quòd si appareat cum gravissima difficultate, etsi non cum tota, quam affert; non propter hoc tale propositum non sit arduum, & difficile in sui conceptione. 1. concedimus; 2. negamus; & sufficit, ut ad illius elicientiam sit necessaria gratia specialis. Primum solum probat requiri maiorem gratiam, darique maiorem excessum supra vires quòad executionem, quam quoad intentionem; quòd non excludit ad hanc requiri auxilium speciale. 2. Ergò si homini in pura natura proponeretur observatio diuturna legis naturæ iuxta difficultatem, quæ ex suis meritis habet, & attenta fragilitate, quam experiretur ex rebel-

27

Secunda ab eidem tradita.

Impugnatur 1.

Secundo.

lione appetitus ; & continuatione plurium actuum difficilium ; non posset viribus proprijs concipere tale propositum efficax : ergò ut sic amaret Deum , necesse erat ignorare difficultatem obiectivam legis naturæ ; quod dicere, est voluntarium. Sufficiant hæc , nàm ipsi PP. in fine §. non ex toto acquiescunt huic solutioni.

28 2. Displicet Magist. Serna, propter communem instantiam hominis iusti, qui cum communibus auxilijs gratiæ potest per charitatem amare Deum super omnia , & habere propositum efficax nunquam peccandi mort. sed perseverandi in bono usque in finem ; & tamen hoc exequi non potest ex communibus auxilijs gratiæ ; sed ulterius requiritur magnum illud perseverantiæ donum , quod non cadit sub merito. Ex quo infert Div. Thomas 2. 2. qnæst. 137. art. 4. *Quod plerumque cadit in nostra potestate electio , sed non exequutio* : ergò ex eo quod homo in pura natura , sine gratia speciali non possit in exequtione servare totam legem naturalem , non sequitur , quod sine speciali gratia non possit habere propositum efficax servandi totam legem usque ad finem vitæ. Rationem huius reddit : quia propositum efficax aliquando innititur proprijs viribus , & independentèr ab auxilio alterius, iuxta illam pœticam sententiam : *Spes sibi quisque* , quam refert Div. Augustin. de prædestinat. SS. cap. 1. & ad hanc efficaciam requiritur potestas completa exequendi finem intentum. Aliquando vero efficacia propositi fundatur in spe subsidij alterius. Sic pauper Scholasticus efficacitèr intendit dare operam litteris in aliqua Universitate, in spe subsidij habendi ab aliquo cognato, vel amico : & huiusmodi propositum efficax potest haberi, & concipi absque subsidio alterius , non tamen eius exequtio. Hac ratione homo iustus in spe divini auxilij efficacitèr intendit perseverare usque in finem ; eo quod Deus paratus est tribuere perseverantiam omnibus iustis , si per ipsos non steterit , & illam à Deo postulaverint. E contra vero, homo non potest habere propositum efficax vitandi omnia venialia collect: quia non habet spem consequendi speciale privilegium ad hoc requisitum; cum Deus non sit paratus ad illud conferendum , nisi soli Beat. Virgini. Cum igitur Deus ut Auth. naturę esset paratus tribuere auxilium requisitum ad observationem totius legis naturæ omnibus petentibus ipsum (cum hoc pertineat ad suavitatem divinæ providentiæ , qua ordinatlet homines ad naturalem beatitudinem) consequentèr ad hoc homines in pura natura possent habere propositum efficax servandi omnem legem naturæ in spe divini auxilij.

Ratio posita non placet SS. M. Serna.

Probat assumptum authorit. & exemplo.

Si dicas ex Illustrissim. Godoy; hominem iustum ex communibus 29
auxilijs gratiæ habere saltim potestatem antecedentem ad perseverandum , licet non consequentem (eò quod huiusmodi potestas habetur per donum perseverantiæ) proindèque hominem iustum posse habere intentionem efficacem perseverandi : Hominem vero per vires naturæ non habere potestatem antecedentem ad servandam totam legem naturalem; ideòque per virtutem naturæ non posse habere propositum efficax servandi illam. Contra est ; quia si sermo est de potestate physica antecedenti ; sicuti homo iustus est potens perseverare hoc modo usque in finem ; ita homo per vires naturæ habet similem potestatem ad observationem totius legis naturæ , & dilectionis Dei ; cum huiusmodi actus sint entitativè naturales. Si autem sermo sit de potestate antecedenti morali : sicut homo per vires naturæ eam non habet ad servandam totam legem ; ita nec homo iustus per auxilia communia gratiæ habet similem potestatem ad perseverandum usque in finem. Tum quia potentia moralis antecedens solum est ad actus faciles ; cuiusmodi non est perseverantia usque in finem in natura corrupta ; licet fuerit facilis in statu innocentiæ. Tùm quia ignorantia agendorum , & rebellio appetitus , quæ permanent in homine iusto ; sunt gravia impedimenta vehemen-

Responsi quædam impugnatur ab eodem Serna.

mentèr retardantia perseverantiam usque in finem ; proindèque reddunt illam moraliter impossibilem, nisi adsint uberiora auxilia gratiæ. De quo D. Thom. infr. art. 10. & 22. q. 137. a. 4. Ex his const. discrimen nullum esse.

30 Secundo. Præterquamquòd, ad propositum efficax in spe auxilij ab alio conferendi, impertinens est, quòd supponatur, vel non, potentia antecedens, & quòd tale auxilium sit efficax, vel sufficiens: Nàm si homines habeant spē recipiēdi ab alio sufficient. ad operandū, possunt efficaciter proponere illius executionem; sicut Sacerdos carens Breviario, sine quo est antecedenter impotens recitare, si habet spem recipiendi illud ab alio, potest habere propositum efficax recitandi ; quia tùnc recitatio est absolutè possibilis. Unde D. Th. hic a. 4. ad 2. air, illud, quod possumus cum auxilio divino, non esse nobis omninò impossibile iuxta illud Philos. 3. Ethic. *Quòd per amicos possumus, aliqualitèr per nos possumus.* Hac ratione carens auxilijs sufficientibus ad servanda omnia præcepta supernaturalia, potest in spe auxilij divini proponere efficaciter ipsorum observantiam; homo enim in peccato lęthali existens non habet omnia auxilia sufficientia ad observantiā omnium præceptorum supernaturaliū v. g. dilectionem Dei A. supernaturalis; & tamen potest habere actum spei Theologicæ, qui est affectus efficax procurativus, & efficax intentio consecutionis gloriæ; eò quòd potest à Deo sperare sufficientiam ad eius consecutionem, si illam à Deo exoret, iuxta illud Trid. sess. 6. c. 11. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, ut facere quod possis, & petere quod non possis, & adiubat, ut possis.*

31 Resp. ad rationem propositā Ex hac doctrina tanto Mag. robora rata facilis est responsio ad rationem propositam, & eius prob. Illa enim propositio : *Quando executio est moraliter impossibilis, etiam intentio efficax est huiusmodi* ; sic debet distingui : Intentio efficax, cuius efficacia nititur viribus proprijs, aut actù existentibus, conc. Cuius efficacia innititur viribus oblatis ab alio, ad superandum talem impossibilitatem, neg. & huiusmodi esset propositum efficax contentum in dilectione Dei A. naturæ ; quia scilicèt, Deus esset paratus conferre sufficientiam homini in pura natura ad observantiam totius legis si eā à Deo postula ret. Ad paritatem adductam. Constat etiam, cur homo appetitu naturali innato, aut elicito, nequeat efficaciter velle consequtionem gloriæ; quia videlicèt, nèc habet vires naturales sufficientes pro eius assequtione; nèc huiusmodi vires sunt oblatæ, aut possunt offerri ipsi à Deo A. naturæ; cùm gloria sit entitative supernaturalis ; proindeque sufficientia ad illius assequtionem. Sed instat Illust. Godoy: Intentio efficax prębet sufficientes vires ad electionem, & exequtionem mediorum ; sed omninò repugnat, ut natura impotens ad electionem mediorum sit potens moraliter causare in se formam dantem sufficientes vires ad electionem: ergò non stat impossibilitas moralis ad electionem, & exequtionem mediorum, cum impossibilitate morali ad exequtionem finis. Replicat Illust. Godoy.

32 Respond. Resp. dist. mai. Intentio efficax innitens viribus proprijs, aut actù habitis, conc. mai. Innitens viribus oblatis, subdist. Præstat sufficientiam completam, neg. mai. Incompletam, & complendam per collationem virium, conced. mai. & dist. min. eodem modo. Sic Pauper Scholasticus impotens physicè studere in aliqua Universitate sine subsidio alterius, non poterit efficaciter intendere studere, si tale subsidium ei non offeratur : benè tamen si offeratur ei, in quo casu intentio efficax studendi elicita pro priori ad subsidium ; etsi præbeat aliquam sufficientiam, & expeditionem ad studendum ; non tamen omnem, ut de se constat. Idem dicendum de accedenti ad Sacramentum Pœnitentiæ cū attritione supernaturali, & spe veniæ; in quibus affectibus clauditur necessariò propositū efficax de cętero non peccandi, & positivè observandi præceptum charitatis, & alia ; cum tamen sic accedens non habeat auxilia proximè sufficientia ad dilectionem charitatis, & alia præcepta adimplenda ; licet illa habeat oblata, & præparata à Deo media receptione Sacramenti, & oratione, pro consequtione sufficientiæ proximæ, & expeditæ : ergò etsi homo

Aliqua exempla.

mo indigeat sufficientia viribus naturæ superaddita ad observationem totius legis naturalis; si tamen hæc offeratur à Deo, & talis oblatio innotescat ei; poterit viribus naturæ, & ex providentia generali, illam efficacitèr proponere.

§. V.

Alijs rationibus probatur conclusio.

33 HAc igitur ratione in sua probabilitate relicta, prob. nostra conc. Auxilium datum homini supra exigẽtiam moralem suæ naturæ, est auxilium speciale; sed huiusmodi esset auxilium datum homini in pura natura ad dilectionem Dei A. naturæ super omnia: ergò. Mai. const. & min. prob. Auxilium datum homini in pura natura ad actum contra inclinationem ipsius sæpè prævalentem, est auxilium datum supra exigentiam moralem naturæ; cum quælibet natura exigat operari iuxta inclinationem in ipsa prędominantem; sed dilectio Dei A. naturæ super omnia elicita ab homine in pura natura, esset actus elicitus contra inclinationem in ipso prædominantẽ: ergò. Min. prob. ex D. Th. 2. 2. q. 136. a. 3. ad 1. dicente: *In natura humana, si esset integra, prævaleret inclinatio rationis: sed in natura corrupta prævalet inclinatio concupiscentiæ, quæ in homine dominatur.* Quæ doctrina, supposito quod homo in pura natura haberet rebellionem appetitus, estò non per modum pœnæ, sed per modum defectus naturalis; supposito etiam, quod homo in natura corrupta habet easdem vires, quas haberet in puris naturalibus, ut commuitèr tuentur Theol. probat hominem in pura natura habiturum eandem inclinationem concupiscentię cum simili dominio. Quo supposito sic prob. min. Amor efficax Dei A. naturę super omnia est amor operandi contra inclinationem concupiscentiæ, abstrahendo omnem affectum à rebus sensi-

34 bilibus, & referendo omnia in Deum ut finem ultimum: ergò si huiusmodi inclinatio prævaleret &c.

Propter dict. probalitèr cõclusio.

Confirm. ex impedimẽt ad dilection.

Conf. hæc rat. Actus valdè superans proportionem moralem naturæ, exigit pro sui elicientia gratiam specialem; sed huiusmodi esset dilectio Dei A. naturæ sup. omnia: ergò. Mai. const. ex sæpè dictis, & min. pr. Actus, ad cuius elicientiã concurrunt plura impedimenta gravitèr retrahentia voluntatem, est actus valdè superans vires morales, & proportionem ipsius; sed ad dilectionem Dei A. naturæ super omnia concurrerent etiã in pura natura plura impedimenta gravitèr retrahentia volũtatem ab illa: ergò. Pr. min. Inclinatio appetitus vehementèr propendentis in bona sensibilia, debilitas intellectus ad proponendum efficacitèr ut bonum magis conveniens hic, & nùnc, dilectionem Dei, & totalem abstractionem à fruitione rerum sensibilium; sunt impedimenta moralia vehementèr retrahentia voluntatem à dilectione Dei super omnia; ut patet à simili in natura corrupta; sed huiusmodi impedimenta urgerent etiam in pura natura: ergò.

Urg. ex ardnitate iudicij.

Urget. Actus, ad cuius elicientiam requiritur iudicium practicum excedens modum connaturalem intellectus in directione voluntatis, est actus superans vires morales voluntatis; sed iudicium practicum dictans hic, & nùnc, dilectionem Dei A. naturæ super omnia, est iudicium formatum ab intellectu, etiam in pura natura, supra modum connaturalem ipsius: ergò. Prob. min. Iudicium practicum dictans hic, & nùnc dilectionem Dei A. naturæ super omnia est iudicium proponens hic, & nùnc, ut magis convenientem abstractionem affectus ab omni bono sensibili contrario dilectioni Dei; sed huiusmodi iudicium excedit modũ connaturalem intellectus in proponendo: ergò. Prob. min. Bona sensibilia de se fortiùs, & efficaciùs movent voluntatem ad sui prosecutionem, quàm bona spiritualia, etiãsi inter illa numeretur Deus; tùm quia sunt magis propinqua, & proportionata naturę humanæ; tùm quia sunt magis nota; tùm quia secum afferunt de præsenti delectationem; & bonum præsens fortiùs movet, quam futurum: ergò quod intellectus hic, & nùnc practicè iudicet, ut magis convenientem abstractionem affectus à bonis sensibilibus de se fortiùs, & efficaciùs moventibus voluntatem, est supra modum connaturalem iudicandi in intellectu.

3.

35 3.Prob.concl.Actus perfectissimus in linea morali inter possibiles haberi ab homine in pura natura, est actus requirens gratiam specialem; sed huiusmodi est dilectio Dei A.naturæ super omnia: ergò.Min constat,& mai. prob.1.à simili: Actus non ita perfectus in linea morali possibilis haberi ab homine in pura natura,aliquando exigeret gratiam specialem, v. g.victoria gravis tentationis (licet oppositum teneant PP.Salm.de tali victoria) adimpletio præcepti de se ardua, & difficilis;ut est dilectio inimicorum,&condonatio offensæ ab ingrato irrogatæ: ergò potiori ratione actus supremus in linea morali possibilis haberi ab homine in pura natura, exigeret pro sui elicientia gratiam specialem. Qui enim sine ipsa potest actum perfectissimum elicere, potiori ratione poterit actum minùs perfectum; præcipuè quando talis actus continet in virtute elicientiam aliorum; & aliunde pro eius elicientia adsunt impedimenta gravitèr retardantia; qualia sunt rebellio appetitus ad rationem, & debilitas intellectus practici in adinveniẽdo motiva excedentia omnẽ conditionem bonorum sensibilium.Pr.2.Actus perfectissimus in linea morali, est actus firmans voluntatem hominis efficacitèr ad adimplenda omnia mandata legis naturæ; sed actus sic firmans voluntatem hominis requirit gratiam specialem: ergò.Prob. min. Actus sic firmans valuntatem hominis in bono, excedit modum connaturalẽ voluntatis; cum hæc de se sit facilis,mutabilis, & vertibilis de bono in malum: ergò requirit gratiam specialem:utpotè ad actũ excedentẽ modum connaturalem voluntatis.Deniq. Actus ille, quo homo elevatur supra seipsum,& sup. omnia sensibilia,est actus de se valdè arduus,&difficilis.Rursùs.actus,quo homo sit efficacitèr præparatus perdere omnia,&etiam vitam propriam,nè offendat Deum,aut, ob aliquodmalũ pœnę retrahatur ab eius elicientia,est actus superans vires morales naturæ humanæ, quæ valdè inclinat in bona sensibilia,& in sui conservationem.

Tertia ratio.

Hos impug. dub. 6.à n.22.

Sed talis esset dilectio appreciativa Dei A.naturæ: ergò.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

36 OBijcies 1. Homo in pura natura posset viribus proprijs, & sine gratia speciali, diligere illud bonum, quod sine gratia speciali iudicaret esse amandum; sed intellectus hominis in pura natura viribus proprijs, & sine gratia speciali, iudicaret Deum esse diligendum super omnia: cum talis cognitio ad lumen naturale spectet; & insuper tali cognitioni sit annexum præceptum dilectionis, quod necessariò obligaret hominem: ergò sine gratia speciali posset Deum naturaliter diligere. Maior constat: Nàm amor cum sit inclinatio elicita,connaturalitèr sequitur ad formam apprehensam ut convenientem. Nec valet si dicas. Maiorem esse veram de iudicio practico, non vero de iudicio speculativo. Licet autem homo sine gratia speciali possit speculativè iudicare Deum esse amandum super omnia; non tamen iudicio practico dictante hic,& nùnc,talem dilectionem. Non inquam valet 1. Nàm cognitio præcepti, ut hic, & nùnc obligantis ad dilectionem, est cognitio practica proponens Deum, ut diligendũ: Tùm quia omnis cognitio præcepti allicit,movet,& urget ad actum præceptum;in quo consistit ratio practicæ cognitionis. Tùm quia ipsa cognitio practica præcepti necessariò excitat cognitionem obiecti, ut hic, & nùnc ex debito prosequibilis; proindèque cognitionẽ illius ut hic,& nùnc amore digni. Sed quod hic, & nùnc non proponitur ut conveniens, nequit hic, & nùnc proponi,ut amore dignum, sive ut amandum: ergò cum cognitio præcepti dilectionis(iuxta à nobis superiùs dicta) haberetur sine speciali gratia, & ex vi conditionis naturæ, cognitio practicè iudicans &c. 2. Voluntas hominis in pura natura esset sine speciali gratia potens in actu primo diligere Deum, esto cum vehementi difficultate,sive impotentia morali: sed voluntas sine iudicio practico boni est impotens in actu primo

Primum arg.

Si dicas.

Contr.est 1.

Secundo.

proximè diligere bonum ; cum solum cognitio practica sit requisita ex parte actus primi ad amorem ; & solum obiectum practice cognitum ut bonum, sit obiectum voluntatis: ergò inconsequenter conceditur sufficientia virium sine gratia speciali ad dilectionem, si alàs cognitio practica Dei ut summè boni, solum conceditur possibilis haberi per gratiam specialem.

37 Resp. solutione tradita, quæ optima est, cuius rationem assigno. Nàm iuxta expressam doctrinam D. Thom. hic q. 9. a. 2. & 1. 2. q. 58. a. 5. & q. 85. a. 1. desumptam ex Philoso. 3. Ethic. *Qualis unusquisque affectus est, sic omnia videntur ei.* Quare attento modo connaturali, & ordinario, quem observat intellectus in proponendo practicè aliquod bonum voluntati, semper iudicat hic, & nùnc ut conveniens in sui amore, illud bonum, circa quòd homo est magis, aut vehementer affectus; & oppositum iudicare excedit modum connaturalem illius. Hinc provenit, & experientia compertum est, hominē affectū aliqua passione facilè apprehendere ut a se prosequenda ea, quæ congruunt passioni, & difficultèr iudicare, ut convenientia illa, quæ ei repugnant. Qua ratione probat D. Thom. loco citato prudentiam, quæ est recta ratio agibilium, necessario supponere virtutes morales, quibus homo rectè sit affectus circa fines honestos, ut possit rectè iudicare, circa ea, quæ ordinātur ad prædictos fines. Rursùs. Nàm hominem formare dictamen practicum se totalitèr abstrahendi quantum ad affectum à bonis ipsum fortiùs, & efficaciùs attrahentibus, superat modū connaturalē in iudicando. Sed tale est dictamen practicum se totalitèr abstrahendi à bonis sensibilibus ; quæ ob sui proportionem, & propinquitatem fortiùs, & efficaciùs trahunt ad sui amorem ; quàm bonum honestum, testante, tùm D. Thom. 2. 2. q. 136. a. 3. tùm ipsa experientia : ergò ex prævalenti inclinatione in bona sensibilia, & ex maiori, fortiorique efficacia, qua gaudent bona sensibilia ad movendum, rectè probatur intellectum hominis, tàm in natura pura, quàm corrupta, non posse sine gratia speciali dictare practicè, sive hic, & nùnc Deum esse efficaciter diligendum appreciativè super omnia.

Defenditur solutio data.

Roborat.

Sed quia difficile est discernere inter cognitionem speculativam, & practicam eiusdem boni. Advertendum ex doctrina Div. Thomæ 1. 2. quæst. 57. art. 1. omnem cognitionem de se allicientem, & dirigentem ad amorem obiecti, quod proponitur ut conveniens, esto inconnexam, dici cognitionem practicam. Quapropter cognitio proponens cum indifferentia aliquod bonum etiam est practica ; cum cognitio speculativa purè alicuius boni ut illa, quæ nec in actu secundo, nec in actu primo, allicit ad amorem, sed solum considerat bonitatem ei convenientem illam diffiniendo, aut iudicando secundùm se esse amore dignam. Ultra cognitionem practicam boni indifferentèr moventis voluntatē, datur etiam iudicium determinatum, sive prælativum, quò intellectus hic, & nùnc, ex duplici bono indifferentèr proposito, iudicat hoc determinatè esse eligendum præ alio, vel ratione maioris bonitatis, vel quia faciliùs consequi valet. Huiusmodi cognitio magis accedit ad praxim, cum efficaciùs moveat voluntatem. Tandèm inter cognitiones practicas proprijssimè obtinet locum imperium supponens electionem, & movens ad usum activum mediorum; propter eius connexionem cum actu imperato, & efficaciam, quam participat ab electione præcedenti. Qui excessus in causa est, ut ab aliquibus solum istud iudicium imperativum practicum dicatur. Sed ut benè advertit Doct. Riostom. de iud. indif. disp. 1. subdub. unic. à num. 43. ex Mag. Lemos : hoc solum facit, ut tale imperium dicatur practicè practicum ; alia vero supra explicata, dicātur iudicia speculativè practica.* Et in hoc sensu intelligendus est Div. Thom. dùm ait : principia synderesis ad rationem speculativam pertinere : idemque tradit de actu consilij, & iudicio regulante electionem circa agibilia ; ita 1. 2. quæst. 57. art. 6.

38 Quando cognitio sit practica.

* Has voces inven. in S. D. in 3. d. 14. q. 1. a. 5. ad 2.

Ex

39 Ex hac doctrina constat, quale iudicium practicum possit haberi de dilectione Dei super omnia sine gratia speciali, & quale non. Concedimus enim iudicium practicum indifferenter illam proponens non requirere gratiam specialem: hoc enim & pertinet ad libertatem, sive sufficientiam, quam infra dicemus sine auxilio speciali haberi posse: & nullam repugnantiam concernit ex parte appetitus; cum nullam connexionem cum dilectione importet. At vero iudicium practicum; vel, quòd determinatè dictet hic, & nùnc Deum diligendum esse super omnia; vel, quòd practicè profemper præferat dilectionem Dei omnibus rebus sensibilibus, & nullo tempore esse illis fruendum; hoc, inquam, iudicium requirit, ut probavimus, gratiam specialem ob eius maximam arduitatem, & oppositionem ex parte appetitus. Unde dùm solutio data negat iudicio practico posse sic cognosci Deum ut diligendum super omnia; & solum concedit de cognitione speculativa; sumit practicam cognitionem cum rigore; & accipit speculativam contrapositivè ad illam, quæ immediatè, & in actu secundo movet voluntatem ad diligendum.

Duplex iudicium practicũ circa amorem Dei.

40 Ad 1. inst. neg. ant. Nàm cognitio practica legis solum proponit Dei dilectionẽ ut debitã; non, ut hic, & nunc magis convenientem; cum eò intellectus defectuosè iudicet, quia ea ad quæ tenetur, licet sint secundũ se magis amabilia; proponit practicè ut minùs bona, & non appreciando Deum supremum legislatorem, cui obedire tenetur. Ad 2. Resp. aliud esse *cognoscere Deum esse dignum amore*; *aliud cognoscere hanc dignitatem hic, & nunc esse à me prosequendam*; prima cognitio habetur ex vi præcepti, & sola speculativa cognitione summæ bonitatis; secunda vero est practica, & quæ movet ad amorem. Deindè. Licet cognitio practica legis afferat secum cognitionem indifferenter proponentem elicientiam actus præcepti, quia præceptum est de actu possibili: non vero practicam determinatam, aut prælativam; istæ enim se tenent ex parte actus secundi, de quo alibi. *

Occurritur primæ impug.

Secundæ.

* Sup. dub. 7. §. 5.

Obijcies 2. Actus, in cuius elicientia nulla occurrit gravis difficultas, non requirit gratiam specialem. Sed posset contingere, ut homo in pura natura aliquando non experiretur gravem difficultatem ad dilectionem Dei super omnia: ergò. Prob. min. Huiusmodi gravis difficultas consurgit ex passionibus appetitus sensitivi inclinantis in bona sensibilia. Sed aliquando contingeret, ut homo has passiones non sentiret; sed haberet animum pacatum, & intellectum expeditum ad considerandam Dei bonitatem; & eius maximam convenientiam in dilectione: ergò. Confirm. Licet actus honorandi parentes in præsentia gravis tentationis requirat gratiam specialem; secùs tamen illa deficiente: ergò idem dicendum de actu dilectionis super omnia. Prob. conseq. 1. Nàm magis inclinat voluntas in dilectionem, quàm in actum honorandi Parentes; illa enim se habet, ut finis; iste vero ut medium, & propter quod unumquodque tale, & illud magis. 2. Nàm attenta inclinatione habituali prava concupiscentiæ, sicuti pugnat cum actu dilectionis, ita cum quolibet actu honesto in particulari; ergò si, quia nulla urget actualis tentatio contra prædictum actum, non requiritur gratia specialis ad illius elicientiam; idem dicendum de actu dilectionis, non obstante inclinatione habituali ad bona sensibilia.

41 Secundũ argum.

Confirm.

Resp. distinguendo inter passiones inordinatas, ut urgentes subiectivè hic, & nùnc; & urgentes obiectivè in apprehensione operantis. Licet enim multotiès gravis tentatio, aut repugnantia ex parte appetitus primo modo non urgeret; benè tamen secundo modo; quòd sufficiens est, ut talis dilectio appareret, ut ardua, & valdè difficilis in sui elicientia. Duplex est enim amor Dei; unus per modum simplicis complacentiæ in divina bonitate; alter efficax, & appreciativus super omnia. Per primum amatur divina bonitas secundùm se inspecta, & sine habitudine ad creaturas; & præcipuè, quantum ad earum amorem, vel nolitionem. Per secundum vero amatur divina bonitas cum habitudine ad creaturas; Tùm quia est amor

42 Solutio.

appreciativus super omnes creaturas; Tùm quia est amor intentivus Dei ut finis ultimi; qui nequit proùt talis amari, nisi cum habitudine ad media ipsi subordinata. Hinc provenit, ut quando debeat elici hic actus, statim obiectivè occurrant, saltim in communi omnia bona creata ut referenda in Deum, & omnia bona sensibilia adversantia rationi, ut relinquenda prò semper propter Deum, non obstanti illorum convenientia, & delectabilitate. Cumque hæc efficaciter intendere, sit intendere obiectum nimis arduum; ideò semper obiective urgent graves tentationes; quæ dùm vehementèr retrahunt obiectivè voluntatem ad prorumpendam in actum dilectionis, nequeunt sine gratia speciali ex parte intellectus, & voluntatis superari. Quod sic explicari potest. Huiusmodi enim dilectio hanc, vel similem tendentiam haberet: *Nolo efficaciter ullo tempore consentire tentationi, quantumvis vehementèr inclinanti in suum consensum. Volo efficaciter pro omni tempore abstrahere affectum ab omnibus sensibilibus adversantibus rationi. Volo efficaciter, ut omnia in posterum à me diligibilia diligantur propter Deum. Volo me ipsum negare.* In quibus tendentijs maxima arduitas ex parte obiecti clarè relucet.

43 Ad confirm.

Ad confirm. neg. conseq. Nàm talis actus deficienti gravi tentatione est facilis; è contra vero dilectio super omnia; cum sit affectus relinquendi omnia sensibilia adversantia rationi; affectus vero particularis virtutis non est huiusmodi, sed, relinquendi bonum sensibile, cui opponitur obiectum actus honesti. Hoc difficile non est hominibus, qui ex conditione etiam individuali habent inclinationem naturalem in opera alicuius virtutis, ut docet S. D. 1. 2. q. 63. ar. 1. subindeque difficultatem sequendi bonum sensibile oppositum; ut cõtingit in homine mansueto, adinferendum nocumentum aliquod proximo. Ad 1. prob. Resp. Dilectionem Dei super omnia terminare magis inclinationem innatã; sed tamen est certum; illam esse coniunctam cum alia opposita prævalenti, quæ magis adversatur ei, quàm alteri actu honesto particulari; cum dilectioni adversetur adæquatè; actui vero in particulari solum inadæquatè; & multoties est coniuncta cum inclinatione ad relinquendum obiectum ei oppositum, ut supra diximus. Per quæ constat ad 2.

44 Prosequitur solut.

Sed demus posse accidere, ut pro brevi morula, nec adhùc obiectivè occurrant homini tentationes retrahentes ipsum à dilectione; ut contingeret, si ita proponatur Deus, ut summè bonus præferendus omni non Deo nihil de creaturis sensibilibus cogitando. Adhùc tamẽ indigeret gratia speciali ad ipsum appreciativè diligendum. Ratio est: quia ut actus sit difficilis alicui potentiæ, sufficit, quod sit coniuncta cum habituali inclinatione in oppositum; Nàm hoc ipso est impotens moraliter ad illius elicientiam; sicuti è converso, dùm potentia est habitualiter facilis: & tàm intrinsecè, quàm extrinsecè expedita; actus est ipsi facilis, estò obiectivè non appareat huiusmodi facilitas, sed potius apprehendat operans, licèt falsò, se facilitate carere. Nàm in dicto casu cognitio practica, ut vincat indifferentiam, & difficultatem habitualem in actum oppositum, debet esse fortis, & efficax plus solito. Rursus. Nàm etsi nulla tentatio subiectivè, aut obiectivè, occurrat retrahẽs à dilectione; hæc tamen ex parte obiecti semper est ardua, & de obiecto elevato supra omne amabile naturæ humanæ proportionatum. Undè semper requirit gratiam specialem: tùm propter cognitionem practicam intellectus affuefacti ad proponendum bona sensibilia cum maiori convenientia, & vivacitate; tùm propter ipsam dilectionem efficaciter convertentem, & firmantem voluntatem imbecillẽ in summo bono honesto. Hinc, estò quis iudicaret facilem esse perseverantiam in bono per longum tempus; adhùc tamen, affectus efficax perseverandi esset arduus, & difficilis, indigensque gratia speciali.

45 Arg. 3.

Objicies 3. Implicat hominem conditum in pura natura indigere ad diligendum Deum super omnia gratia illa, quæ est incompossibilis cum statu puræ naturæ; sed talis est gratia

tia specialis; cum status puræ naturæ totum dicat, ea quæ homini debentur ex vi suæ conditionis: ergò. Confirm. Confirm. Dilectio Dei super omnia esset compossibilis cum statu puræ naturæ; cum sit terminus inclinationis naturæ in tali statu; & quælibet res perficitur per formam, in quam innatè inclinat: ergò etiam auxilium requisitum ad ipsam: ergò cum puritas naturæ excludat gratiam specialem; hęc non requiritur ad dilectionem. Rursus. Per talem dilectionem non transiret ad statum naturæ integræ; cum hæc dicat donum permanenter subijciens appetitum rationi: ergò maneret in pura natura. Sed puritas naturæ nequit componi cum specialitate Urg. 1. gratiæ: ergò. Urget. Homo conditus in pura natura posset diligere Deum ex vi providentiæ, qua à Deo esset conditus: ergò cum talis providentia esset generalis; non esset necessaria gratia specialis ad diligendum Deum. Añs. prob. 1. Homo conditus in pura natura non esset deterioris conditionis, ac aliæ creaturæ; sed istæ possent ex vi providentiæ generalis consequi terminum, in quem naturaliter inclinant: ergò cum dilectio Dei sit terSecundo. minus inclinationis innatæ naturæ rationalis &c. 2. Si homo sic cõditus non posset ex vi talis providentiæ Deum diligere, sequitur illam fore imperfectam; cum non posset se sola ad finẽ perducere, ad quem ordinavit, & indidit innatam inclinationem, sed altera speciali indigeret: ergò.

46 Resp. com[illegible]ni solut. negando min. Status enim puræ naturæ excluderet gratiam supernaturalem, & Quid dicat status puræ naturæ. etiam gratiam specialem naturalem permanentèr subijcientem appetitum rationi, in qua donum integritatis consistit; secùs tamen omnem gratiam specialem per modum auxilij, & transeuntèr communicatam. Ratio est. Nàm per puritatem includentẽ; tùm carentiam peccati; tùm carentiam gratiæ supernaturalis; tùm deniq; carentiam doni integritatis permanentèr subijcientis appetitum rationi, constitueretur in statu distincto à statu corruptionis, elevationis, & integritatis: qui status non alio nomine appellari valet, quam status naturæ puræ. Per quæ constat ad alias probationes. Nam si talis status omne auxilium speciale excluderet, deberet concedi hominem sic conditũ à Deo propter victoriam unius gravis tentationis, aut observantiam legis naturæ extrahendum fore à prædicto statu; & transferendum ad alium, qui nomine proprio hucusque à Theologis non est insignitus.

47 Ad 1. urg. nego añs. intellectum de potentia consequenti. Ad 1. Ad urg. prob. Resp. instando in observatione totius legis naturæ per longum tempus, & in assequtione beatitudinis naturalis se habenti, ut præmio actionũ virtutis, quas eliceret homo in prędicto statu; ad quæ est certum requiri auxilium speciale; cum tamen alię creaturæ sine illo finem proprium consequerentur. Ut igitur una natura apprehendatur tanquã deterioris conditionis præ alia, est necesse, ut finis, in quem una innatè inclinat, & à divina providentia in illum ordinatur, non superet longè in perfectione finem, quem altera natura sine speciali auxilio consequi valet. Cum igitur dilectio Dei longè superet fines aliarum naturarum; non redditur natura humana deterioris conditionis ob indigentiam specialis auxilij ad diligendum Deum, ita D. Thom. 1. 2. q. 5. a. 5. ad 1. Rursùs. Natura humana esset deterioris conditionis; si indigentia providentiæ specialis proveniret ob defectum continentiæ activæ dilectionis; quòd non ita contingeret sed propter rebellionem appetitus adversus spiritum se habentem per modum defectus naturalis hominis in pura natura constituti.

48 Ad 2. neg. mai. Quemadmodum non esset imperfecta talis providentia, quamvis ad assequtionem beatitudinis, & observationem totius legis naturæ se sola non sufficeret. Licet enim providentia non præbens media sufficientia ad assequtionem finis in quem ordinat aliquam naturam; aut etiam non præbens auxilia efficacia ad actus ei, tàm physicè, quàm moraliter proportionatos, foret imperfecta: secùs tamen si sufficientiam præstet, & non præbere auxilium efficax proveniat ob gravem difficul-

ta-

tatem, & excellentiam actus superantem modum connaturalem; & ordinarium operandi in tali natura; uti contingit in casu quæst.

49 Dices: ex hoc sequi naturam humanam sibi relictam, & sine speciali gratia, fore infallibiliter miseram; cum infallibiliter foret peccans omittendo dilectionem Dei, & ex consequenti se privaret beatitudine naturali. Ex quo videtur sequi esse imperfectiorem alijs creaturis irrationalibus consequentibus suos fines faciliter, & sine speciali auxilio, aut motione Dei.

Instabis.

Respond. Resp. cum M. Boliv. hic dub. 11. num. 20. concedendo sequelam cum illa determinat. *si non adiuvaretur speciali gratia Dei.* Nec inferas fore necessariò miseram; cum talis infallibilitas proveniret ex suppositione ipsi contingenti, & libera respectu Dei; rursusq; in natura pura tali gratia nō adiuta, esset sufficientia ad vitationem, tùm omissionis dilectionis Dei, tùm carentiæ beatitudinis naturalis. Nec rursus propter hoc dicendum esset naturam humanā secundùm sua naturalia esse miseram; sed solū, illā indigere speciali misericordia Dei, ut non sit misera. Quemadmodum licèt natura elevata ad ordinem gratiæ, & cum libertate ad consequutionem beatitudinis supernaturalis, indigeat speciali auxilio tùm ad perseverandū; tùm etiam, ut sit beata; non ex hoc sequitur naturam, ut præditam tali elevatione, esse miseram; sed indigere speciali Dei misericordia, & providentia, ut actu non sit misera. Quod si sermo fiat de natura elevata, & cum exclusione gratiæ specialissimæ ad perseverandum, & consequendam vitam æternam; nec adhùc potest dici esse miseram; cum gaudeat libertate ad dona recensita, quæ libertas est magnum beneficium. Potest tamen dici, quod infallibiliter, sed sua culpa, incidet in miseriam; in quo nullum apparet inconveniens, sed iustissimum motivum ad reprimendam humanam superbiam; ut discat homo in solo Domino gloriari, & simul verū esse, quòd dixit Apost. *ergò cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

Insto in diutur. ob serv. legis, quæ peteret grat. special.

Ad Rom. 9.

50 Obijcies 5. Licèt bonum privatum proponeretur homini in pura natura per se, & connaturaliter loquendo, cum maiori convenientia, quàm bonum divinum; posset viribus naturæ relicto bono sensibili converti ad Deum super omnia dilectum; est enim probabilis sententia Aliquorum Thom. asserentiū voluntatem ex duobus bonis inæqualiter propositis posse eligere minus bonum relicto proposito cum maiori convenientia: ergò

Quintum argum.

Solutio. Resp. Prædictam opinionem loqui de posse physico, non verò de posse morali; præcipuè, quando bonum proponitur practicè cum notabili excessu in ratione convenientis hic, & nunc. Cum igitur bona sensibilia proponerētur homini, ut magis convenientia, quàm bonum Divinum ob inclinationem prævalētem appetitus; ideò etiam in dicta opinione homo esset impotens moraliter ad relinquenda bona sensibilia, & se convertendum in Deum super omnia dilectum. Posita autem hac impotentia morali, esset gratia specialis actu diligere Deum; utpotè actus improportionatus moraliter, & elicitus præter regularem, & ordinarium modum operandi in voluntate; scilicèt, amplectendi bonum sibi practicè propositum cum maiori convenientia, & iuxta inclinationem dominantē.

51 Sed dices: ergò suppositā cognitione practicè proponenti cum maiori convenientia hic, & nunc, dilectionem Dei, voluntas erit etiam moraliter potens ad dilectionem, & impotens moraliter ad amplectendum bona sensibilia. Consequentia constat ex dictis. Ex quo infero 1. Ergò suppositā tali cognitione non erit gratia specialis, gratia determinans voluntatem ad diligendum Deum. Infero 2. Ergò tota gratia specialis requisita se habebit ex parte intellectus, ut dicto modo consideret, & non ex parte voluntatis: ergò cum gratia se tenens ex parte intellectus tātum moralitèr influat, nec sit gratia faciens nos facere iuxta Thomistas; tota gratia specialis erit moraliter influens; quæ iuxta eosdem non differt in munere à gratia legis, & doctrinæ, quam admittebat Pelagius.

Instabis.

52 Resp. Quod licet suppositā cognitione modo dicto proponenti dilectionem Dei gratia prædeterminans non esset nova specialis gratia; absolu-

Resp.

lutè esset gratia specialis; quia solùm debetur ex cognitione gratuita, quà moveret intellectum, aut immediatè, aut per pias cogitationes ad formationem talis iudicij practici: non verò absolutè, & facta comparatione ad voluntatem infirmam. Quemadmodum dicitur degratia ad supernaturaliter operandum, quæ semper est gratia specialis absolutè loquendo respectu naturæ; estò sit debita ex suppositione elevationis. Ex qua doctrina apparet falsitas primæ consequentiæ: cum gratia illa determinans esset debita unicè ex suppositione, quæ esset etiam gratia specialis. Ad 2. nego illation: Nam etsi gratia specialis incipiat à tali cognitione, non est tota gratia specialis, sed hęc perficitur in gratia prædeterminanti, per quam faceret, ut voluntas diligeret Deum super omnia. Pelagius vero, etsi admisserit gratiam in cogitatione honesta consistentem, negavit gratiam ulteriorem moventem ad bene agere, sive debitam, sive indebitam naturæ. Undè qui defenderet gratiam specialem ad dilectionem Dei consistere unicè in cognitione proponenti cum maiori convenientia dilectionem Dei; attamen necessariò requiri ulteriùs auxilium movens voluntatem, & per quàm Deus donaret ipsũ actum dilectionis; esiò assereret illud non esse gratiam specialem, longè distaret ab errore Pelagij; ut constat expressè ex M. P. lib. de gratia Christi ferè per totum.

Ad 2. illationem.

53 Advertendum tamen, quòd in sententia veriori Thom. requirentium ad electionem unius boni præ alio, quòd illud hic, & nùnc proponatur. Cum maiori convenientia; licèt iudicium practicum de dilectione Dei semper esset gratia specialis, propter vehementem difficultatem in eius formatione iuxta superius dicta ad 1. attamen hoc iudicium dupliciter haberi potest; vel independenter à libera motione voluntatis, Deo solùm movente intellectum ad sic iudicandum; vel dependenter ab illa applicanti intellectũ, ut novas rationes utilitatis, & convenientiæ in tali dilectione efficaciter consideret. Si 1. modo contingat, gratia specialis incipit à iudicio, si 2. modo; incipit à gratia moventi voluntatem ad applicandum intellectum; quia in tali motione resilit appetitus inclinans intellectum, ut bona sensibilia proponat cum maiori convenientia. Intellectus enim ad iudicandum trahitur à duobus; scilicèt, à voluntate, & ab appetitu vehementer propenso in bona sensibilia. Unde quod voluntas imbecillis prævaleat contra appetitum movendo intellectum, provenit ex gratia speciali. In sent. verò asserente voluntatem cum solo iudicio indifferenti posse operari; aut etiam posse eligere bonum propositum, ut minus conveniens; gratia specialis necessariò requisita solùm esset gratia prædeterminans voluntatem ob vehementem difficultatem in illius elicientia propter repugnantiam ex parte appetitus, & ob excellentiam actus virtualiter continẽtis omnes actus honestos ordinis naturalis, quantumvis arduos. Immò tũc esset specialior, quia data supra modum connaturalem voluntatis sequentis ductum intellectus de maiori bono.

Adverten dum.

54 Denique obijcies. Eò dilectio appreciativa Dei requireret gratiam specialem, quia ex parte appetitus daretur inclinatio in bona sensibilia pugnans vehementer cum tali dilectione; sed hæc ratio, aut falsum supponit, aut nihil probat: ergò ratio probativa nullius est momenti. Prob. minor quoad 1. partem. Homo in pura natura non haberet illam inclinationẽ in bona sensibilia, quæ est pœna peccati originalis; sed huiusmodi est prædicta inclinatio, ut est certum: ergò. Rursus. Homo in pura natura solũ haberet inclinationes debitas, & consequutas ad naturam secund. se acceptam; sed talis inclinatio inordinata non consequitur ad naturam secundùm sibi intrinseca; cum sit aliquatenùs mala moraliter, & ideò contra naturam: ergò. Quòad 2. prob. Appetitus sensitivus hominis etiam inclinat innate in bona sensibilia, prout consona rationi propter coniunctionem, & subordinationẽ illius ad voluntatẽ, ut est appetitus rationalis; qua ratione dicunt Thomistæ peccatum esse etiam contra inclinationem innatam appetitus sensitivi, ut aptus natus est obedi-

Ultimum argum.

dire rationi de quo M. Ferre q. 2. de peccatis §. 6. & 7. sed in appetitu innatè inclinanti in bona sensibilia quatenùs conformia rectæ rationi, nequit admitti vehemens inclinatio in bona sensibilia, ut dissona rationi; aliàs essent duæ inclinationes in eadem potentia invicem inter se pugnantes: ergò.

Illust. Godoy, & Alij.

55

Resp. notando, quòd inclinatio innata appetitus sensitivi ad bona sensibilia non est ad illa, quatenùs adversantur rationi. Ratio est: Nàm talis inclinatio consequitur naturam illius, quæ bona est, & à Deo Authore est; inclinatio vero ad talia bona, ut adversantia rationi, nec est bona, neque à Deo A. causari potest. Nec dici potest talem inclinationem convenire appetitui prout ex nihilo est; & non prout à Deo est. Non inquam dici valet; Nàm licèt, ex quo ex nihilo est, possit oriri defectibilitas consistens in potentia ad prosequendum malum; & etiam defectus inclinationis in bonū honestum; secus tamen inclinatio positiva ad malum; aliud namque est posse peccare: Aliud esse positive inclinatum ad peccandum; primum convenire potest, tùm appetitui, tùm voluntati, non vero 2. cum Deus sit A. omnis inclinationis positivę cujusvis naturæ, & potentiæ. De quo M. Ferre ubi suprà. Undè solùm debet admitti in dicto appetitu inclinatio ad bona sensibilia secundùm suum esse physicum. Sed quia hæc, ut in plurimum, & pluries, adversantur rationi, ideò ratione talis inclinationis pugnat adversus spiritum, & ipsum vehementer captivat, & retardat ab amore boni honesti. Quod aliis terminis solet explicari dicēdo: *inclinare in malum pro materiali, licet non in malum pro formali.* Et rursus *in malum pro materiali*, non tamquam in terminum adæquatum, sed inadæquatum, & quia bonū: cū inter bona sensibilia, plura illorū, sint conformia rationi, ideòque in appetitu sensitivo dantur circa illa, ut rectè prosequenda, plures virtutes morales.

Nota pro solution.

De hoc dub. 2 fol. 254. de peccat. origin.

De hoc Medina 1.2.q.24.

56

Si dicas: si appetitus sensitivus non inclinat positive in malum pro formali, sed tantum pro materiali; & rursus talis inclinatio est à Deo Authore; qua ratione dicitur vehementer retardare voluntatem à prosequutione boni honesti; & pugnare adversus spiritum? Resp. ad 1. sufficere quod inclinet in bona sensibilia, quæ interdum adversantur rationi. Ratio est: Nàm non solùm oppositio, quàm tale bonum dicit cum recta ratione, impedit honestè agere, sed etiam tale bonum propter coniunctionem, quàm habet cum dicta oppositione; undè utrumque impedit, licèt diverso modo; proindeque utrumque retardat voluntatem à prosequutione honesti. Ad 2. Resp. Talem inclinationem dici inordinatam, quia tendit in bonum sensibile, & non ut dicens ordinem ad rectam rationem. Sed quia hoc videtur tantum probare esse inordinatam negative. Addimus illam dici inordinatam materialiter, quia tendit etiam in bona sensibilia, quæ in re adversantur rationi, & plura ex illis sunt incōiungibilia cum bono secū dū rectam rationem. In quo differt ab habitu vitioso inclinati unicè saltim ex consequenti in actum, ut malum, & defectuosum moraliter: qua de causa nequit esse à Deo.

Instabis contradicti.

Resp. ad

Ad 2.

57

Hæc dicta sunt de inclinatione innata appetitus sensitivi. Nàm si de motibus, & passionibus, ab illa provenientibus sit sermo, in eis apparet plus inordinationis, & pugnæ adversus spiritum; proindeque reddentibus difficilimam dilectionem Dei super omnia. Tùm quia determinate tendunt in bonum sensibile adverſ. rationi. Tùm quia cum maiori impetu; qua de causa obnubilant, & perturbant rectum iudicium rationis, moventque intellectum, ut bonum sensibile proponat, ut sequendum; ideòque vehementer in actu 2. impediunt facultatem voluntatis ad firmandum se in bono. Et quamvis etiam sint aliqui motus subiti in eodem appetitu tendentes in id, quod est rationi consonum; sunt tamen pauci respectu illorum, & non ita trahunt cùm tanta vehementia voluntatem ad consensum, sicuti illi, propter horum maiorem voluptatem, à qua unusquisque trahitur. Hoc supposito, negmin. quòad 1. partem. Nàm, etsi in statu naturæ puræ esset inclinatio in ma-

Discrimē inter appet. & motus illius.

malum pro materiali ; non haberet rationem pœnæ , ſed ſe haberet , ut conditio , aut quaſi defectus naturalis appetitus. Poſt peccatum vero originale, habet rationem pœnæ , & defectus privativi ; ut dici debet de mortalitate. Ad prob. 2. partis Reſp. Quod eſtò detur talis inclinatio in appetitu, nõ eſt ita vehemens, ſicuti illa quę ipſi convenit ſecundum ſe ; cum hæc ſit circa bona purè ſenſibilia magis nota, magis proportionata, magis propinqua , & ſecum de præſenti afferentia commoditatem delectationis , & circa bona, cum quibus naſcimur, alimur, nutrimur , & creſcimus. Nec huiuſmodi inclinat. repugnant coniungi, ut patet in aqua ad aſcenſum , & deſcenſum , & in alijs. Quod ii in aqua prævalet inclinatio ad aſcenſum , nè detur vacuum , ideò eſt : quia eſt inclinatio per modum naturæ ſubdita inevitabiliter Deo Authori naturæ illã præſcribenti; inclinatio autẽ appetitus eſt ad obediendũ rationi, ſed reſiſtibiliter : cum non ſubdatur rationi deſpoticè, ſed politicè.

§. VII.

Gratia ſpecialis requiſita non daret veram ſufficientiam , ſed actualem dilectionem.

58 SEnſus eſt de ſufficientia, quantum ad virtutem præcontentivam dilectionis , tàm ex parte voluntatis, quàm regulativam ex parte intellectus ; ita ut ſi homo omitteret talem dilectionem urgente præcepto, eſtò difficili , peccaret. Loquimur etiam de gratia neceſſario requiſita; fatemur enim Deum poſſe in illo ſtatu aliqua auxilia ſpecialia ſuperaddere , quibus poſſet homo ſuaviter , & facillimè dilectionem elicere. Prima ratio eſt. Actus honeſtus, qui eſt per ſe primo iuxtà inclinationem innatam naturæ rationalis ; & ad quem ex ipſa conditione, & lege naturæ, per ſe 1. homo tenetur, eſt antecedenter poſsibilis prædictæ naturæ ; ſed huiuſmodi ſe habet reſpectu hominis conditi in puris naturalibus dilectio Dei ſuper omnia : ergò ſecluſa gratia ſpeciali eſſet in illo vera ſufficientia , & potentia antecedens ad diligendum Deum ſuper omnia. Minor conſtat ex dictis , & probatis in anteced: mai: videtur certa. Cum inclinatio innata ad terminum per ſe 1. inſpectum addat ſupra vim contentivã illius, exigentiam ; & pariter præceptum de elicientia actus ſupponat eius libertatem ; proindeque continentiam in poteſtate voluntatis. Quibus ſi addatur : illius obligationem oriri ex ipſa lege , & inclinatione naturæ ; videtur, ut quid certum ſupponere poſsibilitatem ex viribus naturæ habitam.

Sic M. Boliv. Serna, & alij, cõtra Illuſt. Godoy à n. 17. M. Ferre , P. Suarez, & Alios.

Prob. 1.

59 Reſponſ.

Reſpondent Adv. falſum eſſe tale præceptum obligare neceſſariò, & ex natura rei hominẽ cõditũ in pura natura. 1. quia potuit Deus illi non intimare ſimile præceptum. 2. Quia eſtò ſit de lege naturę; ut autẽ lex naturalis, inexcuſabiliter obliget , debet ſupponere inclinationem expeditam moraliter. Cumque homo ſic conditus ex ſibi proprijs non inclinaret in dilectionem Dei inclinatione expeditа; hinc eſt, quòd non obligaretur inexcuſabiliter , nec poſſet ipſum obligare niſi ex ſuppoſitione præcepti, Deus tribueret vires ſufficientes, & Vberiores.

60 Impugnatur 1.

Sed contra eſt 1. Præceptum obligans ex vi conditionis naturæ humanæ eſt præceptum obligans abſolutè , neceſſariò , & ex natura rei; ſed huiuſmodi eſt præceptum diligendi Deum naturaliter ſuper omnia: ergò illud obligaret hominem in pura natura conditum abſolutè , neceſſariò & ex natura rei : ergò cum præceptum neceſſariò ſupponat ſufficientiam ad eius adimpletionem ; homo conditus in pura natura neceſſariò haberet vires ſufficientes ad talem dilectionem ; ideòq: gratia ſpecialis requiſita non præberet vires, ſed ſolũ actũ dilectionis. Omnia conſtant præter minorem , quæ ſic prob. Præceptum , quòd eſt de lege naturæ , & ſe habens , ut primum principium totius legis naturalis , eſt præceptum obligans ex vi conditionis naturæ humanæ ; ſed ſic ſe habet præceptum diligendi naturaliter Deum ſuper omnia : ergò. Min. prob. Præceptum de actu, in quem 1. innatè inclinat natura humana , & qui ſe habet , ut finis, ad quem alij actus ordinantur , eſt præceptum de lege

na-

naturæ, & quòd se habet, ut primum principium totius legis naturalis: ita Sanct. D. 1.2. q. 94. art. 3. Sed huiusmodi est dilectio naturalis Dei super omnia: ergò.

61 2. Eò tale præceptum non obligaret necessariò, & ex ipsa conditione naturæ; quia inclinatio naturæ intellectualis ad dilectionem Dei non esset sine gratia moraliter expedita: sed hæc ratio est insufficiens: quod sic prob. 1. Nàm ex illa sequitur præceptum servandi castitatem mente, & corpore, & alia præcepta eliciendi actus de se arduos; vel saltim ratione gravis tentationis; etsi sint naturalia; nõesse necesse de lege naturę; quod est absurdum. Ratio est. Nàm estò prædicti actus naturales honesti sint iuxta innatam inclinationem hominis, adest tamen impotentia, sive inexpeditio moralis, ad eorum elicientiam propter gravem difficultatem ex rebellione appetitus provenientem. 2. Inexpeditio moralis, quàm tribuit voluntati ad dilectionem naturalem Dei super omnia, aut consistit præcisè in gravi difficultate retrahenti voluntatem à tali dilectione; aut importat etiam defectum vitium pro elicientia illius? Si 1. Urgent in contra plura præcepta de lege naturæ; quorum observatio est multoties valdè difficilis, vel ratione obiecti, vel ratione circunstantiæ, & occursus gravis tentationis. Si 2. Inconsequenter concedit inclinationem innatam involuntate; cum talis inclinatio suprà posibilitatem ad actũ in natura superaddat exigentiam ad illum; & maximè; quando talis actus est finis ultimus, ad quem omnes alij actus consentanei prædictæ inclinationi ordinantur: qualiter se habet in ordine morali naturali dilectio Dei Authoris naturæ super omnia.

Secundo, & impug nat. motivum solut.

Secundo.

62 Dices: præceptum dilectionis solum obligare in actu 1. necessario, & ex vi conditionis naturæ, non tamen in actu 2. nisi Deus priùs conferret; vel offerret homini in pura natura condito, vires ad illius adimpletionem. Sed contra 1. Estò præceptum de lege naturæ posit non obligare in actu 2. ex speciali dispensatione Dei; oppositum est connaturale. Et hoc tenet verum præcipuè in præcepto dilectionis naturalis Dei, à qua pendet omnis rectitudo moralis naturalis; adeò, ut qui per dilectionem non habet cor firmatum in bono, facilè transgredietur alia præcepta: ergò si præceptum naturale, ut obligans in actu 2. supponit sufficientiam virium ad illius adimpletionem; præceptum, cui ex natura rei connectitur huiusmodi obligatio, est præceptum ex natura rei supponens sufficientiam ad eius observantiam. Sed sufficientia ad bonum moraliter debitũ præcepto obliganti cõnaturaliter in actu 2. ex vi conditionis naturæ, nequit esse gratia specialis, ut est certum: ergò de primo ad ultimum, convincitur sufficientiam ad dilectionem naturalem Dei non posse esse gratiam specialem.

Resp. 2.

Impugn. 1.

Hoc est obligare inexcusabiliter.

Secundo.

2. Implicat impositio præcepti de lege naturæ, cuius obligatio in actu 2. dependeat per se ab alia providentia, à qua pendet eius impositio: cum talis obligatio, sit ex se debita, & omnino proportionata cum impositione præcepti: ergò si præceptum dilectionis ortum ducit ex providentia generali circa conditionem naturæ humanæ, quatenus rationalis est, & ad Deum, ut finem ultimum ordinatur; nequit eius obligatio in actu 2. exigere aliam providentiã specialem: ergò nequit exigere ad sui observationem sufficientiam virium ad specialem providentiam spectantem. Efficacia huius impugnationis nititur sequenti discursui: præceptum ut obligans in actu 2. supponit sufficientiam ad actum: ergò quoties sufficientia solùm dari potest per providentiam specialem; obligatio illius in actu 2. unicè pertinet ad providentiam specialem. Sed implicat præceptum, cuius impositio pendeat per se a providentia generali; & illius obligatio in actu 2. quòad terminum primarium unicè spectet ad providentiam specialem: ergò præceptum orum ducens ex providentia generali non petit sufficientiam virium provenientem ex gratia, & providentia speciali.

Efficacia impugn: tradditur compendio.

63 Explic. 1. Si obligatio præcepti dilectionis Dei, ut talis in actu 2. & sufficientia ad illius adimpletionem, spectarẽt ad providentiam specialem; posset

Explicatur, & ut getur 1.

set Deus condendo hominem in pura natura, attenta providentia ordinaria, negare talem sufficientiã, proindeq: homines non obligari in actu 2. ut aliquando diligerent Deum super omnia. Sed hoc concedere videtur absurdum : ergò. Sequela constat; Nàm de ratione gratiæ specialis respectu naturæ est esse indebitam, adhùc attenta suavitate divinæ providentiæ, & exigentia talis naturæ. Min. videtur innegabilis. Nam implicat in Deo providentia ordinans hominem in finem, & negans sufficientiam ad illius consequutionem; & hoc sine aliqua culpa ex parte hominis. Sed Deus ex vi providentiæ ordinariæ; secundùm quàm conderet hominem in pura natura, ordinaret illum in se ipsum, ut finem ultimum suarum operationum: ergò ex vi talis providentiæ non posset negare naturæ humanæ in omni individuo gratiam sufficientem ad dilectionem Dei super omnia. Urgetur 2. Implicat providentia suaptè natura conferens inclinationem innatam ad dilectionem Dei super omnia, & non præbens ei sufficientiam vitium ad talem dilectionem; cum illa supra potentiam ad terminum, addat exigentiam, & ius quasi Physicum ad illius assequutionem. Hac ratione iuxta Phyl. 2. de cœlo: *Si Deus dedisset inclinationem innatam cœlis ad motum progressivum, dedisset pariter organa, & media requisita pro tali motu.* De quo Thom. tract. de visione. Sed Deus ex vi providentiæ, qua conderet hominem in pura natura, dedisset ei inclinationem innatam, ut illam naturaliter diligeret super omnia: ergò.

Urget. 2.

64 3. Implicat providentia in Deo creativa naturæ rationalis, & secundùm quàm Deus eam non gubernaret provide, suaviter, atque sapienter. Sed gubernare aliquã naturam est illã per media convenientia ordinare indebitum finem, ut docet S. D. 1. p. q. 103. ar. 1. ergò cum amor Dei super omnia sit finis proprius naturæ humanæ, repugnat Dei providentia suaviter, & connaturaliter eam gubernans, quin ex vi illius præbeat sufficientiam ad talem dilectionem. Vide S. D. 3. contra gent. cap. 115. probantem dilectionẽ esse finem principalem legis divinæ etiam naturalis. Hæc omnia urgeri possunt à paritate providentiæ generalis supernaturalis, secundùm quàm Deus conferre tenetur, saltim pluribus hominibus, sufficientiam supernaturalem ad dilectionem supernaturalẽ Dei; ideoque suppositа cognitione illius per fidem; tenentur in actu 2. ad ipsum sic diligendum : ergò similiter discurrendum attenta generali providentia, secundùm quàm gubernaret humanam naturam in puris naturalibus, & cui esset pervia cognitio Dei, ut summè boni, & super omnia apreciative diligibilis.

Ultimò.

Sed dices 1. Ut nemo teneatur ad impossibile, sufficit posse adimplere præceptum, etiam si talis sufficientia ex gratia speciali proveniat; Tùm quia iam actus non est impossibilis. Tùm quia ita docetur à D. Tho. hic q. 109. art. 4. ad 2. his verbis: *Illud quod possumus cum auxilio Divino, non est nobis omnino impossibile; secundum illud Phyl. quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus. Qua doctrina salvat hominem in statu naturæ corruptæ teneri ad præcepta omnia naturalia; etsi illa sine gratia sanante nequeat adimplere.* 2. Ut quis teneatur adimplere aliquod præceptum, sufficit habere sufficientiam mediatam, & posse media oratione acquirere immediatam. Aliàs non diceret Concil. Trid. sess. 6. cap. 11.* nos multoties debere orare pro posse ad elicientiam actuum existentium sub præcepto:* ergò ex quo homo lege naturæ teneatur diligere Deum super omnia, non probatur, quod sufficientia immediata non sit gratia specialis media oratione acquisibilis.

65

Primum fundam. Adverſ.

Secundũ.

Resp. distinguendo añs. Si teneatur necessariò, sive exlege naturæ, neg. añs. Si non teneatur necessariò, sed ex suppositione libera, adhùc suppositа conditione naturæ, conc. añs. Ratio distinctionis est. Nàm si præceptum obligat necessario ex suppositione conditionis naturæ; cum gratia specialis existeret pro signo sequenti, & absque ulla connexione (proindeque potens attenta providentia ordinaria à Deo negari) sequeretur, & quod pro signo præcepti teneretur ad impos-

66

Resp. ad 1

possibile; & quod multoties, etiam pro omni signo, adimpossibile teneretur; Deo, scilicèt, neganti sufficientiam titulo gratiæ specialis, & absque ulla culpa ex parte hominis. Fatemur enim pluries hominem teneri ad impossibile per naturam, dummodò sit possibile per gratiam: Attamen negamus esse verum de præcepto naturali, & necessariò obliganti ex vi constitutionis naturæ humanæ. Quia si possibilitas ad illius adimpletionem est per gratiam specialem, potest in sensu composito obligationis præcepti negari, etiam attenta suavitate divinæ providentiæ; & sic erit casus, in quo homo sine culpa præcedenti teneatur ad id, quòd est ipsi antecedenter impossibile. Auth. D. Thom. minimè opponitur huic doctrinæ; Nàm si nomine gratiæ sanantis intelligit gratiam habitualem; hæc non requiritur per se, & ex natura rei, ad observationem totius legis naturæ; sed solùm ex Dei providentia. De quo infra. Nec dicas, quòd iuxta Aliquos Thom. Puer perveniens ad usum rationis adimplere potest tale præceptum, etiò non diligat expressè Deum; dummodò velit efficaciter prosequi bonum honestum: ergo tale præceptum obligat, sed excusabiliter aliquando. Resp. 1. Talem conversionem æquivalere alteri in munere convertendi ad Deum; proindeque requirere gratiam specialem. 2. Licèt talis defectus cognitionis expressæ Dei, ut A. naturæ, contingeret in uno, aut altero pro tali statu; non tamen in omnibus. Undè sufficit quòd sufficientia sit debita vagè, ut non sit gratia specialis. 3. Quia quæst. præsens procedit non præcisè de 1. instanti, sed etiam in alijs.

De quo Gonet ar. ultim. de peccat. orig.

Resp. 1.

Secundò.

Tertiò.

67 Ad 2. Resp. 1. Illam non favere Adversarijs tuentibus pro casu negationis gratiæ specialis hominem non teneri in actu 2. & inexcusabiliter ad dilectionem; siquidem, quando sufficientia immediata ad elicientiam actus præcepti est oblata conferri à Deo media oratione; homo non orans, subindeque non accipiens dictam sufficientiam culpabiliter omittit actum præceptum. Resp. 2. Sufficientiam immediatam oblatam à Deo, & acquisibilem media oratione, non esse gratiam specialem, præsertim; si sit sufficientia ad actum necessariò, & ex natura rei cadentem sub præcepto. Ratio est, quia Deus ex suppositione præcepti necessariò consequuti ad conditionem naturæ, tenetur illam offerre, & conferre suppositâ oratione; cumque hæc spectet ad providentiam generalem: tota sufficientia est ex providentia generali; quamvis gratia efficax ad specialem pertinere valeat. Hoc videre licèt in sufficientia immediata ad dilectionem supernaturalem Dei super omnia, si illa proveniat ab habitu charitatis, & gratia habituali; Nàm etsi homo in peccato existens actu careat tali sufficientia; quia tamen potest ex auxilijs communibus gratiæ ad illam se disponere, & illam à Deo exorare, culpabiliter omittit, & tota sufficientia spectat ad providentiam generalem, ètiò auxilium efficax pro dilectione sit gratia specialis.

Ad 2. Resp. 1.

Secundò.

§. VIII.

In quo probatur idem assumptum; & in quo consistat talis gratia specialis, explicatur.

68 Dilectio naturalis Dei super omnia solùm petit necessariò pro sui elicientia ex parte voluntatis virtutem physicè productivam, & ex parte intellectus iudicium proponens Deum, ut diligendum super omnia; his enim stantibus potest Deus prædeterminare voluntatem, ut ipsum actu diligat; sicuti non obstante difficultate retrahenti voluntatem ab elicientia aliorum actuum, potest Deus voluntatem præventam iudicio indifferenti, & practicè proponenti ipsorum elicientiam media prædeterminatione, illam reducere ad actum. Sed voluntas sine gratia speciali habet in se virtutem physicè productivam dilectionis Dei super omnia; imò, & inclinationem innatam ad ipsam; & insuper ratio naturalis sine gratia speciali potest cognoscere Deum Authorem naturalem esse dignum amore super omnia; sicuti, & esse summè bonum, colendum, & glorificandum su-

Prob. 2.

super omnia: ergò quamvis propter rebellionem appetitus esset valdè difficilis, nulla tamen requireretur gratia specialis, ut esset potens in actu primo prorumpere in talem dilectionem.

69 Confirm. & explic. hæc ratio. Talis gratia specialis præbens vires ad actum dilectionis, aut se teneret ex parte voluntatis, quatenùs ei tribueret virtutem contentivam dilectionis; aut ex parte intellectus, quatenùs ipsi tribueret posse cognoscere Deum esse super omnia diligendum. Sed neutrum horum potest à gratia speciali provenire: ergò. Prob. min. Talis gratia specialis solum potest cõsistere in subitis illustrationibus, & affectionibus voluntatis; sed affectiones subitæ voluntatis non præbent ei continentiam intrinsecam activam actus dilectionis, sed ad eam purè disponunt moraliter, ut cum suavitate, & facilitate operetur (idemque dicendum de illustrationibus subitis ex parte intellectus in ordine ad iudicium indifferenter proponẽs bonum ut prosequendum) ergò. Urgeo. Talis gratia specialis nequit esse maioris virtutis, quam fuit in Adam donum integritatis pro eliciẽtia dilectionis. Atqui hu iusmodi donum non præbebat voluntati continentiã dilectionis: nec intellectui virtutem, ut iudicaret Deum esse super omnia diligendum; sed solum præbebat facilitatem ad hæc omnia removendo appetitus rebellionem: ergò licet talis gratia specialis in motibus subitis consistens, reddat intellectum facilem ad sic iudicandum, & voluntatem facilem, & sine gravi difficultate ad diligendum Deũ super omnia, saltim transeuntèr, & pro tempore, quo durant prædicti motus, non tamen requiruntur simpliciter; adeò ut sine illis voluntas non sit ita potens, ut omissio dilectionis non imputetur ad culpam.

Confirm.

De hoc Tract de grat. excitant.

Urgeo.

70 Hinc rectè advertunt prædicti Magistri: quòd licet Deus aliquando adiuvet voluntatem ad elicientiam actus dilectionis naturalis, & aliorum actuum difficilium; eam præveniendo pijs cogitationibus, & affectionibus, quibus aliquo modo frangitur, & minuitur difficultas ad eliciendum actum; huiusmodi motus non sunt necessarij, ut voluntas sit potens in actu primo, & possit simpliciter operari; licet non ita suavitèr, & facilitèr, ac operatur prævenita prædictis affectionibus. Unde sæpè experitur homo maximam difficultatem in elicientia actus ratione propẽsionis in oppositum; quæ tamen superatur eliciendo actum contra pravam propensionem. Aliquando vero, etsi homo sentiat difficultatem; per subitas cogitationes, & affectiones miris modis emollitur voluntas, & aufertur propensio in oppositum. Signum ergò est pro elicientia actus dilectionis, & aliorum difficilium, solum requiri ex parte actus primi simpliciter, ipsam virtutẽ innatam voluntatis, & iudiciũ indifferens proponens Deum super omnia diligendum; quorum neutrum est gratia specialis. Non enim in præsenti inquirimus de gratia requisita, ut homo in pura natura posset suavitèr, & facilitèr prorumpere in dilectionem naturalem Dei; sed, de gratia, quâ absolutè posset Deum diligere, esto cum gravi difficultate, & quasi militando contra se ipsum. Consequentèr ad hæc dicendum: gratiam specialem requisitam, ut homo in pura natura diligeret Deum super omnia, solum requiri, ut actu diligeret, non vero ut posset diligere. Unde illa consisteret in gratia prædeterminanti, per quàm Deus voluntatem præventam; tùm iudicio indifferenti; tùm iudicio prælat. ad dilectionem, moveret, & determinaret ad ipsam. Quia tamen prædicta dilectio esset actus valdè difficilis propter rebellionem appetitus, & propensionem ad bona sensibilia; tale auxilium efficax esset gratia specialis.

Recole dicta dub 7. §. 1. & applica hic.

Adverten tia.

71 Argues prob. hucusque dicta non cohærere cum specialitate gratiæ donantis adhuc solã dilectionem. 1. Actus terminans per se inclinationem innatam voluntatis exigitur ab illa, estque ipsi positivè proportionatus. Sed actus his notis præditus non exigit gratiam specialem: ergò. 2. Actus procedens à Deo iuxta illius providentiam generalem, non requirit gratiam specialem ad sui elicientiam; sed actus, qui est

Triplex instantia contra concl.

de inclinatione innata voluntatis, procedit à Deo operante iuxta providentiam generalem; cum sit proprium illius attendere exigentiam, & modum connaturalem operandi in causis creatis: ergo. 3. Actus, qui ex vi conditionis naturæ rationalis cadit sub præcepto, est exactus moraliter ab illa: ergò est actus exigens moraliter ratione naturæ auxilium pro sui elicientia: proindeque non erit auxilium speciale: quia exactum.

Ad 1. Resp. Inclinationem innatam per se 1. ad aliquem actum afferre secum sufficientiam ad illum; non autem potentiam consequentem; quā-
72 do illa coniungitur cū alia inclinatione prævalenti, quantum ad trahendū cum maiori efficacia ipsam voluntatem. Nam hoc posito prædictus actus redditur vehementer difficilis; ideòque indigens gratia speciali. Sic contingit in præsenti; cum iuxta S.D. 2.2.q.136.a.3.ad 1.*in natura corrupta propter rebellionem appetitus prævaleat inclinatio ad bona sensibilia,* quæ rebellio esset etiam pro statu puræ naturæ. Ad 2. neg. min. Providentia attendens inclinationem causæ dicitur generalis; dummodò illa sit prævalens; aut quando non operatur Deus contra huiusmodi inclinationem vehementer retardantem amorem. Et hoc modo segereret Deus determinando voluntatem, ut per dilectionem subjiceret sibi inclinationem appetitus sensitivi, eam abstrahendo à bonis sensibilibus, quæ vehementer movent ad sui prosequutionem. Rursùs: Providentia generalis attendit omnes conditiones causæ, cui providet. Hac ratione, etsi homo secundùm animam inclinet in sui permanentem durationem; quia tamen oppositum convenit ipsi secundùm corpus; talis duratio esset donum speciale. Ad 3. dicimus, talem actum esse debitum, etsi velis, etiam exactum moraliter; verumtamen, etiam esse oppositum, & quasi impugnatum ab altera inclinatione vehementiori in trahendo ad se voluntatem; quare non excludit gratiam specialem. Ut autem prædicta inclinatio non sit frustra; sufficit dilectionem esse possibilem antecedent. per vires naturæ; licet indigeat auxilio speciali; ut patet in diuturna observatione legis naturæ, & assequutione beatitud. naturalis; quarum existentia esset iuxta omnes ex gratia speciali.

Resp.1. Ad 2. Ad 3.

Nec dicas. Quòd si dicta sunt vera; talis homo esset potens per vires naturæ diligere Deum super omnia; cum gratia requisita non det vires: ergò quantum ad vires non differret ab homine integro. Rursùs: Si iuxta S.D. homo integer ad dilectionem Dei non indigebat gratia speciali; quia ad illam erat potens per virtutem naturæ; idem dicendum servata conseq. doct. de hom. in puris. Et quidē asserere: hominem per vires naturæ, & sine gratia Dei posse Deum super omnia diligere; videtur proposito favens Hæreticis, ut legenti SS. PP. constabit. Resp. conced. antec. *de viribus* quòad esse physicum consistens in proxima activa cōtinentia dilectionis, & motione intellectus; licèt talis virtus physica esset moraliter impotens propter motiva adducta; quæ impotentia non conveniret homini integro, sed potiùs magna expeditio, ob quam non indigebat gratia speciali donante actum. Ad ultim. Respond. Dicere * hominem posse per vires naturæ ad dilectionem, sed cum necessitate gratiæ superadditæ, ut reducatur talis potestas ad actum * longè abesse à sensu Hæreticorum. Cùm ultra adiutorium possibilitatis ponatur necessarium adiutorium voluntatis, & actionis; per quam doctrinam M.P. lib. de grat. Christi confutat errorem Pelagij. *Et hæc de hoc dub. applicand. ubi præced. & ubicumq. agit M. de amore Dei.*

73 Instabis. Ultimo. Ad 1. Ad ult.

(*)

(*)

DU-

DUBIUM IX.

AN HOMO LAPSVS REQVIRAT gratiam actualem ſupernaturalem ad dilectionem Dei Authoris naturæ?

§. I.

NOTANTUR ALIQUA.

N.1 UT neceſsitatem gratiæ ſpecialis ad dilectiooem Dei Auth. naturæ, quam expreſsè docet S. D. hic a. 3. pro ſtatu naturæ lapſæ, maiori claritate ſuadeamus: gradum facimus à gratia actuali, ſive, quæ datur per modum auxilij: ut poſtmodum agamus de gratia habituali. Et quamvis per ſe, & ex natura rei loquendo, prædicta dilectio non requirat, ut principium poſitivè influens, aut per modum determinationis, auxilium ſupernaturale; reſtat locus, ut ratione coniunctionis cum elevatione hominis ad ordinem gratiæ, & cognitione ſupernaturali præventi, nequeat diligi ab illo efficacitèr Deus ſuper omnia ut Author. naturæ, quin etiam diligatur ut Auth. gratiæ. Cumque hic amor ſit ex ſpecie ſua ſupernaturalis, requirit auxilium entitativè ſupernaturale: ac per conſequens; etiam dilectio Dei A. naturæ erit ſupernaturalis; non quidem ex ſpecie ſua, ſed propter coniunctionem, & identitatem, quam habet ratione elevationis cum dilectione Dei Auth. gratiæ.

2 Hinc, etſi P. Ripalda tueatur in præſenti providentia ex lege Dei voluntatem nunquam ſe exercere per actum honeſtum naturalē, niſi ſe exerceat per ſimilem actum ſupernaturalem; adeſt diſparitas: Nàm illa eſt connexio coniunctionis duplicis actus; hic vero adeſt identitas in eodem actu terminato ad idem obiectum ſub diverſa ratione. Ripalda loquitur pro omni actu honeſto, & ſolum ex lege divina anectente duplicem actum. In præſenti eſt ſermo ſolum de actu dilectionis, & elicito ab homine illuſtrato lumine fidei. Ex quo conſtat Auth. tuentes partem affirmativam requirere tale auxilium, non propter corruptionem, in qua manſit natura per peccatum; ſed quia manet elevata ad ordinem gratiæ cum cognitione Dei Auth. gratiæ, & ſimul obligationis ſervandi legem ſupenaturalem. Quòd ſi in homine tantùm adeſſet elevatio extrinſeca abſque auxilijs ſupernaturalibus ad fidem, ſpem, & amorem: tùnc caſus poſſet diligere Deum Authorem naturæ, ſed per dilectionem purè, & entitativè naturalem. Unde conſtat eandem quæſtionem locum habere, etiamſi homo ſit iuſtificatus, ut ex dictis conſtat.

Licèt ergò frequentèr Theologi tueantur contra P. Vazquez, & 3
alios, ex meritis dilectionis benevolentiæ, & appreciantis Deum ſuper omnia, eſſe poſsibilem duplicem dilectionem; unam entitativè naturalem, alteram entitativè ſupernaturalem iuxta expreſſam doctrinam D. Thom. hic a. 3. & 1. p. q. 60. a. 5. & 2. 2. q. 26. a. 3. & 1. 2. q. 90. a. 2. ad 1. agentis de præcepto diligendi Deum, & alibi; aliqui tamen ex diſcipulis eiuſdem Ang. Mag. tuentur: quod pro caſu elevationis, & in ſenſu compoſito illius, nequit efficacitēr diligi Deus, ut Author naturæ ſuper omnia,

quin ex vi eiusdem actus diligatur etiam ut A. gratiæ. Cumque talis amor sit ex specie sua supernaturalis, requirit auxilium gratiæ entitativè supernaturale. Multotiès enim contingit, ut obiectum de se naturale, & potens terminare similem actum, ob aliquam circunstantiam subordinationis, aut utilitatis, ad aliquid supernaturale, attingi per actum supernaturalem; pro quo sunt innumera exempla. Licet ergò Deus, ut A. naturæ sit potens terminare actum dilectionis naturalis; ratione tamen alicuius elevationis, quæ cognoscitur necessariò ab homine elevato, & habente habitum fidei, etiam sub ratione A. naturæ, diligitur supernaturalitèr. Ita M. Gonet in præs. M. Contenson; quibus favere videtur Curiel, Zumel, & Alij. Oppositum vero tenent Ill. Godoy, Bolivar, Serra, Ferre, & Serna in manu scriptis, estque frequentior, & doctrinæ S.D. conformior.

Sententiæ

§. II.

Statuitur conclusio negativa.

4 PRob. 1. ex illa propositione Baij, quæ est ordine 24. damnata à Summis Pontificibus sequentis tenoris: *Distinctio duplicis amoris: naturalis, quo Deus diligitur, ut A. naturæ, & gratuiti, quo diligitur, ut beatificator vana est &c.* Quam fuisse damnatam, non unicè propter censuram acritèr pungentem Catholicos Authores, sed propter doctrinam; tenent Theologi nobis in hac harte adversantes cum frequentiori, & saniori sensu Aliorum. Cumque Bajus loqueretur de homine post lapsum, & elevationem ad finem supernaturalem; deducitur, adhùc suppositа prædicta elevatione, admittendam esse dilectionem Dei entitativè naturalem. Nùnc sic: Actus entitativè naturalis nequit exigere pro sui principio elicitivo auxilium entitativè supernaturale; sed etiam pro casu elevationis possibilis est talis dilectio Dei Authoris naturæ super omnia; ut ex propositione damnata constat: ergo. Urgeo. Illam dilectionem naturalem Dei nolebat Bajus admittere distinctam à dilectione supernaturali, quàm Theologi tuebantur, & ex testimonijs Scripturæ, & SS. PP. deducebant; qua de causa affirmabat fuisse introductam ad illudendum testimonijs Sacræ Scripturæ, & PP. Sed Theologi statuentes prædictam dilectionem naturalem non sunt loquuti de existentia ipsius pro statu puræ naturæ; cum talis status nunquam fuerit; imò expressè loquuntur de homine iam elevato, & diligente Deum, ut beatificatorem: ergò etiam suppositа elevatione possibilis est dilectio entitativè naturalis, realitèrque distincta à dilectione supernaturali. Aliter. Illam dilectionem naturalem negabat Bajus; quæ de facto distinguitur à Theologis ab ea, qua Deus ut beatificator à nobis diligitur; sed solum pro casu elevationis ad finem supernaturalem potest designari dilectio, per quam Deus, ut Beatificator à nobis diligatur: ergò. Paulò aliter: In eadem hypothesi negabat Bajus dilectionem naturalem, in qua adstruebat solam dilectionem gratuitam, & supernaturalem. Sed hanc adstruebat pro casu elevationis, ut est evidens: ergò illam negabat distinctam in statu elevationis. Idem convincitur ex alia simili propositione damnata, quæ talis est: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut est vitiosa cupiditas, aut laudabilis charitas per Spiritum Sanctum cordibus nostris infussa.* Ordine 38.

Prima probat.

Urgetur.

Prob. 2. Nàm Adamus conditus in natura integra fuit etiam elevatus à Deo ad finem supernaturalem per gratiam ei concessam in primo instanti suæ conditionis. Ita expressè S. Doct. 1. part. quæst. 95. art. 1. Atqui homo in tali statu poterat virtute suæ naturæ absque additione alicuius doni gratuiti diligere Deum Authorem naturę super omnia; ut clarè edocet, & probat in præsenti Sanctus Doctor: ergò elevatio ad finem supernaturalem non tollit, quominùs in sensu composito illius detur dilectio Dei super omnia entitativè naturalis. Confir. hoc ex eodem S. D. affirmante 1. p. q. 62. a. 1. & q. 60. a. 5. Angelos fuisse creatos cum beatitudine naturali in primo instanti suę creationis; ad quam necessariò requiritur dilectio naturalis amicabilis Dei A. naturæ super omnia,

§

Prob. ex S. Doct.

Confirm. ex ipso.

nia, ut est omnibus manifestum. Sed etiam est omnino certum illos fuisse elevatos ad finem supernaturalem in primo instanti: ergò etiam suppositâ elevatione possibilis est amor Dei super omnia entitativè naturalis.

6 Resp. 1. D. Thom. solum excludere in præsenti art. gratiam supernaturalem sanantem, uti requiritur post lapsum; non verò purè elevantem.

Duplex sol. ex M. Gonet. Resp. 2. Sanct. Doct. considerare statum integritatis præcisivè, quatenùs importabat donum subjiciens appetitum rationi, sub qua consideratione etiam præscindit ab elevatione; licèt reverà fuerit tale donum coniunctum cum iustitia originali, tanquâ effectus illius. Cont. 1. Si illo titulo fuisset requisita gratia supernaturalis, estò non omni titulo, propositio S. D. esset falsa, scilic.* Adam non indigebat dono gratuito superaddito bonis naturalibus ad dilect. Dei.* Sicuti falsò diceretur: *Adamus non indigebat gratia habituali ad vitæ æternæ consecutionem, sive ad observandam legem ex imperio charitatis.* Licet illam non requireret sub munere gratiæ sanantis. 2. Nàm si indiget illa gratia supernaturali ut elevanti; hæc etiam propositio D. Thom. *Homo integer virtute suæ naturæ cum auxilio Dei moventis poterat diligere Deum Authorem naturæ super omnia,* esset falsa; quòd enim fit ab homine virtute gratiæ, non fit virtute naturæ. Denique. Nàm solutio nequit adaptari instantiæ factæ pro Angelis, qui de facto creati sunt in beatitudine naturali; quæ necessariò includit dilectionem entitativè naturalem appreciativam super omnia, & etiam amicabilem, sive Dei, ut legislatoris.

Prima impugn.

Secundo.

Ultimo.

7 Contra 2. solut. obstat 1. Si sensus D. Thom. esset præcisivus; nunquam fuisset verum, *quòd Adamus dilexisset dilectione naturali Deum super omnia.* Esset enim propositio de subiecto non supponenti. Nec dicas loqui de dilectione super omnia, prout est finis universalis. Nàm loquitur de dilectione ad quam referebat dilectionem sui, & aliarum rerum. Rursùs: Nàm iuxta D. Th. in exp. 1. ad Corint. c. 13. lect. 4. & quodl. 1. art. 8. datur in nobis circa Deum duplex amicitia: *Naturalis fundata in communicatione bonorum naturalium; & supernaturalis fundata in communicatione beatitudinis.* Sed amor amicitiæ est amor appreciativus, & Dei ut legislatoris: ergò. Deniq. Nàm si in statu integritatis adæquatè sumpto indiguisset gratia supernaturali: ergò Adamus ultra auxilium Dei moventis, alio auxilio eguisset; sed hoc est contra S. D. ergò.

Impugn. Secunda solut. 1.

Secunda.

8 Prima ratio est: Quotiès permanent princip. requisita adæquatè ad dilectionem Dei A. naturæ super omnia, possibilis est præd. dilectio; atqui etiam in sensu composito elevationis ad finem supernaturalem, permanent in natura humana principia adæquatè requisita pro eliciêtia illius: ergo etiam in sensu composito elevationis &c. Mai. const. Nàm quoties manent prædicta principia, adest in voluntate potentia expedita ad talem dilectionem; atqui potest Deus omnem potentiam expeditam ad operandum reducere ad actum 2. auxilio prædeterminanti: ergò. Min. prob. Principia adæquatè requisita pro dilectione naturali Dei super omnia sunt voluntas physicè in se præcontinens actum dilectionis cum inclinatione innata ad ipsum; & ratio naturalis dictans Deum titulo summi boni, & ult. finis omnium rerum esse diligendum appreciativè super omnia, sive esse præferendũ affectivè omnibus creaturis. Sed hęc etiam manet in sensu composito elevationis ad finem supernaturalem; cum gratia non destruat, sed perficiat naturam: ergò.

Probatur à ratione

9 Confirm. & explic. hoc: Ad omnem cognitionem practicam boni connaturalitèr sequitur amor eiusdem: ergò ad cognitionem practicam entitativè naturalem proponentem ut hic, & nùnc, Deum diligendum super omnia, connaturalitèr sequitur amor Dei super omnia; qui utpotè consequutus ad formam apprehensam naturalem est necessariò entitativè naturalis. Sed etiam suppositâ elevatione dati potest cognitio practica entitativè naturalis, proponens Deum A. naturæ, ut hic, & nùnc, diligendum super omnia: ergò connaturalitèr sequitur ad ipsam amor naturalis Dei super omnia. Sed si ratione status elevationis impediretur sequela talis amoris, Deus extraordinariè se gereret in

concursu cum voluntate creata ad actus sibi proportionatos; & insuper illam privaret sine causa perfectione operationis sibi debitæ: ergo præd. elevatio non tollit, quominus Deus voluntatem pluriès determinet ad dilectionem sui super omnia.

10 Dices. Rationem naturalem suppositâ elevatione ad finem supernaturalem, & suppositâ fide, obligationeque observandi præcepta supernaturalia, dictare Deum A. naturæ non esse offendendum quocumque motivo: proindèque saltim indirectè dictare non violationem legis supernaturalis; ac subindè illius observantiam. Cumque amor Dei, ut A. naturæ, debeat conformari cùm dictamine rationis naturalis, si hæc dictat saltim indirectè observationem legis supernaturalis; amor ad illam subsequutus debet includere propositum efficax observandi etiam legem supernaturalem. Hoc autem propositum est entitativè supernaturale; ideoque amor efficax Dei in homine elevato, & cum notitia præceptorum supernaturalium, est entitativè supernaturalis. Per quod apparet discrimen inter amorem Dei A. naturæ elicitum ab homine in pura natura: Nàm cum ratio naturalis tunc casus, nec indirectè dictaret observationem legis supernaturalis ob defectum elevationis naturæ; prædictus amor, nec etiam indirectè includeret propositum efficax obediendi Deo A. supernaturali; proindèque esset naturalis.

Resp. ex M. Gonet.

11 Contra hanc solutionem, quæ est unicum fundamentum opinionis contrariæ, opponunt PP. Salm. Nàm adhuc admisso rationem naturalem suppositâ elevatione, dictare saltim indirectè, observationem legis supernaturalis, proindeque amorem efficacem Dei A. naturæ includere propositum efficax indirectè observandi legem supernaturalem: ex hoc non sequitur talem amorem esse entitativè supernaturalem; siquidem ad efficaciam talis propositi sufficit, quod amor Dei A. naturæ necessariò connotet in voluntate; vel amorem supernaturalem; vel vires supernaturales ad adimpletionem præceptorum supernaturalium præcipientium actus positivos.

Impugn. PP. Salm.

Hæc tamen impugn. videtur parùm consequens ad id, quod admittit. Ratio est: Nàm actus intrinsecè attingens tendentia positiva, etiam indirecta, aliquid formaliter supernaturale, est actus intrinsecè supernaturalis; siquidem tendentia intrinseca actus, etiam indirecta, nequit excedere tendentiam intrinsecam directam ipsius, sed se habet ad illam ex consequenti; at qui tendentia intrinseca ad aliquid formaliter supernaturale ex se excedit tendentiam directam ad obiectum formaliter naturale: ergo nequit in actu directè ex specie sua tendère directè in obiectũ formaliter naturale inveniri vera tendentia indirecta intrinseca in aliquid formaliter supernaturale. 2. Tunc actus dicitur indirectè, seu implicitè, tendere in aliquod obiectum, quando hoc continetur in obiecto directè inspecto per talem actum ratione superioritatis; vel saltim ratione continentiæ per modum prædicati universalis. Hac de causa, qui Fide Catholica credit omne revelatum à Deo, & ut tale propositum ab Ecclesia ut credendum, credit etiam implicitè omne verum particulare à Deo revelatum. Similiterque: quia Deus, ut A. gratiæ, & ut legislator supernaturalis, exprimit quandam superioritatem ad seipsum ut legislatorem naturalem, qui ex toto corde diligit ipsum ut A. gratiæ, nulla occurrente cognitione legis naturæ, dicitur indirectè, seu implicitè velle efficaciter eius observationem. Nunc sic: atqui observantia legis supernaturalis quoad præcepta positiva per actus formaliter supernaturales, non continetur in observantia legis naturæ, nec tanquam in ratione superiori, nec tanquam in ratione communi: ergo actus directè tendens efficaciter in observantiam legis naturæ, nequit indirectè, aut implicitè, tendere efficaciter in observationem legis supernaturalis.

Non videtur efficax. 1.

Secundo.

Vel quia destruit directè fundam. vide n. 25

12 Urg. Præd. amor Dei A. naturæ, iuxta tendent. indirectam, intrinsecã tamen, est amor Dei, ut A. gratiæ, vel non? Si 1. absdubiò erit actus intrinsecè supernaturalis, saltim quoad tendentiam intrinsecam indirectam; cùm obiectum ei prout sic correspondens, sit formaliter supernaturale. Si 2. ergo præ-

Tertio, & urget.

prædictus actus amoris positivè, nec etiam indirectè dictat observationem legis supernaturalis. Pr. conf. 1. Quia diligere est velle bonum alicui: ergò implicat actum intrinsece non amantem Deum ut A. gratiæ, velle intrinsece indirectè observationem legis supernaturalis; cum hæc cedat in bonum, & honorem ipsius. 2. Eo talis amor nec indirectè diligit Deum ut A. gratiæ; vel quia prout sic exprimit supernaturalitatem; vel quia ratio purè naturalis nequit ad eius cognitionem pertingere; sed hoc ipsum probat de affectu efficaci indirectè observandi positivè præcepta supernaturalia: ergò. Ultimo. Deniq. Nàm omne propositum efficax etiam indirectè tendens ad aliquem finem, est potens imperare, & ad minùs est positivè conducens ad positionem directã eius, quod ordinatur ad talem finem; quapropter indirectè credens omne verum particulare ex vi actus fidei, quo universalitèr credit omne revelatum à Deo: potest ex vi illius actus in universali imperare fidem directam cuiuslibet veri in particulari: Aliundè nemo negabit prædictum actum fidei in universali positivè conducere, & maximè iuvare ad actus fidei in particulari: ergò si amor entitativè naturalis Dei super omnia ex vi suæ tendentiæ indirectè includeret propositum efficax observandi legem naturalem, talis actus posset imperare, & positivè conducere ad elicientiam actuum supernaturalium, quibus talia præcepta adimplerentur: quod repugnat etiam iuxta doctrinam horum AA. asserentium prædictum amorem naturalem non influere, aut conducere positivè in actus adimpletivos legis supernaturalis: ergò inconsequenter procedunt, asserentes ex una parte prædictum amorem includere propositum efficax saltim indirectè obediendi Deo præcipienti, ut A. gratiæ; & ex alia affirmantes illum esse entitativè naturalem.

13 Hac ergò impugn. omissa, solidiùs reijcitur præd. solut. 1. Ratio naturalis, etiam suppositâ elevatione, nequit adhùc indirectè dictare obediendum esse Deo ut A. gratiæ: ergò amor tali dictamine regulatus, nec indirectè includit propositum efficax observandi legem superhaturalem; proindèque erit entitativè naturalis. Prob. Añs. Ratio naturalis nequit dictare obediendum esse Deo ea ratione, qua ipsum minimè cognoscit; sed etiã suppositâ elevatione natura rationalis minimè pertingit ad cognitionem Dei ut A. gratiæ, ut videtur de se certum, nè transcendat limites sui ordinis: ergò. Urg. ex dictis: Eo ratio naturalis posset indirectè, sive implicitè, pertingere ad cognitionem Dei, ut A. gratiæ; subindeque indirectè dictare illius obedientiam; quia directè, & explicitè pertingit ad cognitionem Dei continentem sub se cognitionem eiusdem, ut A. gratiæ; ut patet à simili in credente omne revelatum à Deo, & ut tale propositum ab Ecclesia. Atqui cognitio Dei ut A. naturæ, ad quam directè, & expresè pertingit ratio naturalis, non continet sub se cognitionem eiusdem, ut A. gratiæ, & legislatoris supernaturalis: ergò nequit &c.

Aliter reijcit solut. 1.

Hinc reijcitur 2. Ratio naturalis eatenùs suppositâ elevatione dictaret obediendum esse Deo, ut A. supernaturali, quatenùs suppositâ obligatione præcepti supernaturalis, præcedit in homine sequens discursus: *Cuicunque legitimè præcipienti est obediendum; sed Deus hic, & nunc præcipit mihi observantiam præcepti supernaturalis: ergò ei sic præcipienti est obediendum.* In quo quidẽ discurs. mai. spectat ad rationem naturalem. Atqui dictamen illatum ex his præmissis non est dictamen solius rationis naturalis, sed spectat ad Theologiam, quatenùs practica est, vel ad prudentiam infusam; cum sit conclusio illata ex una præmissa naturali, & altera de fide, vel saltim per fidem cognita: ergò nunquam verificatur rationem naturalem ratione sui dictare, etiam suppositâ elevatione, observantiam legis supernaturalis. Hinc falsum est rationem naturalem in dicto casu dictare Deum A. naturæ esse amandum super omnia, & simul propter nullum motivũ naturale, aut supernaturale, recedendum esse ab eo. Ratio est: quia ratio naturalis solum dictare potest non esse recedendum ab amore Dei, propter

14 Secundo.

motivum illud, quod percipere potest; sed ratio naturalis nequit percipere motivū, aliquod avertens à Deo, quatenùs est A. supernaturalis: ergò nequit dictare, non esse recedendum à Deo propter quodcumque motivum, naturale, aut supernaturale aversivè.

15 Denique: Adhùc suppositâ elevatione ad finem supernaturalem, potest homo exercere actum virtutis obedientiæ, & Religionis purè naturalis:* ergò etiam potest exercere actum dilectionis Dei super omnia entitativè naturalis. Prob. consequ. Eo ans. est verum, quia etiam suppositâ fide, ratio naturalis solum dictat Deum esse colendum ut est A. naturæ, non vero ut est A. gratiæ, & omnis cognitio practica est potens producere affectum sibi similem. Sed hæc ratio æquè militat de cognitione bonitatis Dei ut A. naturæ ex vi rationis naturalis habita: ergo. Urg. Sicuti præcepto de eliciendis actus Religionis entitativè naturalis opponitur indirectè violatio talis præcepti ex motivo supernaturali, estque cum observantia illius inconiungibilis; ita recessus à Deo ob motivum supern. opponitur indirectè, estque inconiungibilis cū dilectione Dei A. naturæ super omnia, ut est de se certum; sed ratio naturalis dictans efficacitèr observantiam præcepti legis naturalis in materia Religionis, non se extendit, adhuc indirectè dictando, non esse violandum tale præceptum, propter motivum etiam supernaturale; aliàs talis actus adimpletivus esset entitativè supernaturalis: ergò quamvis ratio naturalis dictet efficacitèr dilectionem Dei ut A. naturæ super omnia, & cum hac, sit inconiungibilis fractio præcepti supernaturalis, non probatur rationem naturalē indirectè prohibere talem fractionem.

Ultimo. * Ita tenent Adver. Urgetur.

16 Unde motivum avertens à Deo ut A. supernaturali directè, & indirectè ab eo, ut A. naturæ; dupliciter potest considerari respectu diligentis Deum ut A. naturæ super omnia. 1. ita ut sic diligens Deum A. naturæ, velit propter tale motivum simul à Deo recedere, ut A. gratiæ. 2. ita ut de tali motivo nihil cogitet, nec per amorem, nec per nolitionem; solumque cogitando omnia motiva naturalia, etsi retrahentia ab amore Dei, omnia illa proponat efficacitèr relinquere Si primo modo contingat, libēter fatemur talem amorem esse complicatorium; aliàs ab eodem termino vellet efficacitèr recedere, & accedere. Si autem contingat secundo modo; nulla est repugnantia, ut tali cognitione naturali voluntas præventa possit in dilectionem efficacem Dei, ut A. naturæ prorumpere. Constat hęc doctrina à simili. Instat enim præceptum naturale dandi eleemosynam, v. g. huic præcepto, & eius adimpletioni opponitur non elargitio eleemosynæ ex motivo naturali v. g. avaritiæ; opponitur etiam indirectè, non elargitio eleemosynæ ex motivo supernaturali, v. g. ex odio circa Fidem Christianam, vel alio fine. Quocumq; ex his motivis velit quis non elargiri eleemosynam, deficit observatio naturalis talis præcepti, & volitio illam efficacitèr imperans. Atqui hac oppositione non obstante, potest quis velle efficacitèr prædictam observationem, quin talis volitio adhùc indirectè se extendat ad illam ex motivo supernaturali: ergò ex quo transgressio præcepti supernaturalis opponatur dilectoni Dei Autho. naturæ super omnia, stat efficacitèr sic diligere illum, quin talis dilectio adhùc indirectè se extendat ad observationem præcepti supernaturalis.

17 Prob. 2. concluſ. & hucusque dicta magis explicantur. Certum enim est apud concedentes esse possibilem per se loquendo dilectionem entitativè naturalem Dei appreciativam illius super omnia; Deum ut Autho-rem naturæ dicere motivum sufficientissimum, ut diligatur super omnia; cum etiam proùt sic sit, & cognoscatur, ut summum bonum, & infinitè excedens omnem bonitatem creaturæ; vi cuius est ultimus finis totius ordinis naturæ; & ad cuius gloriam debent ordinari omnes nostræ operationes. Certum est etiam in sensu composito fidei eiusdem ut Auth. gratiæ, & obligationis servandi eius præcepta supernaturalia; dari posse talem cognitionem ex viribus naturæ; sicuti, & posse actù non cognosci per fidem; habitibus enim, etiam supernaturalibus,

Secunda ratio.

bus utimur, cum volumus. His suppositis sic arguo. Posita cognitione entitativè naturali de bonitate summa Dei, ut A. naturæ, ut digna præferri omni creaturæ, simulque eius præcepta esse observanda; possibilis est amor sequutus ad talem cognitionē omnia illa motiva affectivè efficaciter amplectens; Nàm omnis cognitio practica similem affectum est potens producere. Sed amor gaudens tali efficacia esset amor Dei, ut A. naturæ appreciativus super omnia: ergò. Prob. min. Amor, nihil præferens Deo A. naturæ, & omnia ad ipsum referēs est apprecia tivus illius; sed talis esset prętatus amor; cum in linea affectiva haberet eādem præferentiā, ac cognitio ipsum dirigens in linea cognoscitiva: ergò.

18 Urgeo: aliud est non habere volitionem efficacem recedendi à Deo, ut Urgetur. Authore naturæ adhùc indirectè: aliud habere volitionem positivā efficacē nō recedendi indirectè ab ipso; si cuti aliud est nōvelle discredere, aliud positivè velle non discredere. Licèt ergò viribus naturę, & actu purè naturali, nequeat homo velle positive non redere à Deo directè, ut Authore gratiæ, & indirectè à Deo, ut A. naturæ; potest tamen carere volitione recedendi ab illo utroque modo accepto. Sed hoc ipso nihil deficit voluntati, ut tùnc efficaciter uniatur cum Deo, ut A. Explicat. naturæ: ergò. Explicatur hoc. Si nequit volūtas præventa aliūdè cognitione fidei, velle efficaciter Deum A. naturæ super omnia, quin ex vi illius amoris velit etiam ipsum, ut A. gratiæ, & quin velit, ned indirectè, nec directè offendere illum, ut A. naturæ; pariter non poterit velle efficaciter obedire Deo A. naturæ in præcepto cultus, aut adorationis, nisi etiam velit non transgredi tale præceptum ob quodcūque motivūindirectè avertens à Deo A. naturæ. Sicuti enim sunt inconiungibiles hi duo actus: *Volo efficaciter Deum, ut A. naturæ. Volo ipsum offendere saltim indirectè, ut A. naturæ.* Ita isti: *Volo efficaciter exhibere cultum præceptum, & obedire Deo A. naturæ. Nolo efficaciter ob motivum directè oppositum Deo A. gratiæ; exhibere cultum, & obedientiam ei, ut A. naturæ*: ergò si volitio efficax exhibendi cultum Deo, ut A. naturæ, quia efficax in tali linea non petit idētificate volitionem non recedendi ab exhibitione cultus ob quodcumque motivum, sed solùm ob motivum naturale, & directè avertens à Deo, aut Authore naturę; cur efficacia dilectionis Dei, ut A. naturæ, petit volitionem positivam non recedendi directè à Deo A. gratiæ, & etiam indirectè à Deo A. naturæ?

§. III.

Solvuntur argumenta.

19 OBijcies 1. Supposita fide Dei A. gratiæ, & obligatione servandi præcepta supernaturalia po- Primum argum. sitiva v. g. nequit Deus diligi efficaciter super omnia etiam, ut A. naturæ; quin ex vi talis dilectionis homo velit etiā servare talia prępcepta; sed talis volitio, utpotè de aliquo supernaturali, est supernaturalis: ergò, & dilectio illam includens. Mai. prob. 1. Nequit illis suppositis voluntas efficaciter diligere Deum, ut A. naturæ, nisi ex vi illius excludat omnem affectum transgrediendi talia præcepta; sed hoc est velle eorum observantiā, quæ est supernaturalis: ergò. Minor constat, & mai. prob. Per quamlibet transgressionem offenditur saltim indirecte Deus proùt est A. naturæ; quia transgreditur hoc præceptum iuris naturæ: *Deo legitimè præcipienti &c.* sed amor efficax excludit omnem affectum irrogandi offensam ei, quem efficaciter diligit: ergò. 2. Hic affectus: *Volo transgredi præceptum fidei* est inconiungibilis cum dilectione Dei, ut A. naturæ super omnia; cum ex consequenti ipsum contemnat: ergò talis dilectio ex natura efficacię appreciativę excludit positive talem volitionem. Sed positiva exclusio omissionis, aut volitionis peccaminosę non credendi, est determinatio cōnexa cum volitione credendi; quæ quidem est supernaturalis: ergò prædicta dilectio includit volitionem observandi præcepta supernaturalia. Urgeo: exclusio positiva aversionis à Deo, A. Urgetur. gratiæ est positio conversionis ad ipsum; cum aversio, & conversio oppo-

ponātur privativè iuxta Thom. & inter privativè oppositā non detur medium; sed dilectio Dei A. naturæ excludit positivè talem aversionem; cū hæc necessariò avertat saltim indirectè à Deo A. naturæ: ergò prædicta dilectio est positio conversionis supernaturalis: ergò est entitativè supernaturalis. Aliter. Diligere Deum super omnia, & ipsum diligere minus quam aliquid adextra, opponūtur inter se: sed qui frangit præceptū supernaturale dili git plus aliquid, quam ipsum Deum etiam, ut A. naturæ; cum ab illo avertatur, & ipsū contemnat saltim ex consequenti: ergò dilectio super omnia Dei, ut A. naturæ, excludit omnē fractionē præcepti. Sed idem est in subiecto obligato ad præcepta supernaturalia nolle frangere, ac velle illa adimplere: ergò volitio hæc includitur in tali dilectione.

20 Resp. neg. min. & illius primam probationem. Licèt enim amor amicabilis erga alterum dicat nolle ipsum offendere; attamen nolitio hæc debet commensurari cum efficaciâ amoris, & motivo, cui talis amor innititur. Si enim sit efficax in omni linea, dicit volitionem efficacem repulsivam omnis offensæ in quacumque linea, & ex omni motivo; si vero sit efficax in linea, & ordine determinato, tantùm petit excludere offensam ex motivo spectanti ad talem lineam. Cum ergò amor appreciativus Dei A. naturæ unicè sit efficax intra ordinem naturæ; solùm petit excludere offensam, & contemptum ipsius ex motivo purè naturali. Patet hoc à simili in amore efficaci adimplendi aliquod præceptum naturale; qui non petit includere volitionem illud adimplendi ex motivo supernaturali. Undè in forma distinguo maiorem. Excludit omnem affectum offendendi Deum directè, & ex motivo naturali, conc. mai. Offendendi illum indirectè, & ex motivo supernaturali, neg. mai. Nàm amor ille commensuratur cum cognitione naturali ipsum regulanti; ratio autem naturalis nihil cognoscit, nec distat de ordine supernaturali; proindeque talis amor non includit propositum observandi legem supernaturalem.

Solutio.

21 Si dicas. Ratio naturalis dictat hanc universalem. *Deò legitimè præcipienti est obediendum, in quacumque materia præcipiat*: ergò semel, quod appareat nobis Deum imponere præcepta supernaturalia; eadem ratio naturalis dictat saltim indirectè eorum obedientiam: Cum hæc rectè inferatur ex illa maiori universali, & ex cognitione impositionis legis supernaturalis. Resp. neg. assumptum; cum oppositum ex probatione inferatur. Nàm conclusio deducta, & dictans adimpletionem legis supernaturalis, infertur ex minori spectante ad fidem, per quàm cognoscitur existentia, & obligatio ipsius; undè erit conclusio Theologica, quæ nullatenùs regulat dilectionem Dei ut A. naturæ. Hæc enim regulatur cognitione deducta ex his præmissis, *quod est summum bonum est super omnia diligendum, & nihil ei præferendum, sed huiusmodi est Deus, ut A naturæ: ergò est à me super omnia diligendus &c.* Si iterum dicas. Licèt minor 1. syllogismi pertineat ad fidem; attamen maior illius spectans ad rationem naturalem influit in conclusionē; sicuti, & quælibet præmissa: ergò ratio naturalis saltim associata lumini fidei, potest dictare saltim indirectè aliquid supernaturale: ergò etiā amor purè naturalis poterit indirectè includere propositum efficax obediendi Deo A. supernaturali. Resp. Talem præmissam naturalem solum influere, ut elevatam per præmissam de fide, sub qua ratione dicit aliquid supernaturale, ut alibi dicitur à Thomistis. Undè non est pura coexistentia, sed coexistentia simul cum elevatione. Amor autem entitativè naturalis, si includeret propositum efficax obediendi Deo A. supernaturali, hoc haberet ratione sui, & ex vi efficaciæ appretiativę Dei super omnia: quapropter esset simul entitativè supernaturalis.

22 Ad urgentiam Resp. ex supra dictis talem dilectionem non esse coniungibilem cum fractione legis supernaturalis; ex hoc tamen non inferri illam includere affectum non frangendi, aut observandi talem legem. 1. libenter fatemur, propter indirectam oppositionem; cum enim per quod-

Ad urgentiam.

li-

libet peccatum mortale homo actu constituat sibi finem ultimũ simpliciter in creatura, nequit actu habere pro fine ultimo Deum, ut A. naturæ & super omnia dilectum. 2. negamus: eo quod nihil naturale potest positivè, adhùc remotè, disponere ad aliquid supernaturale, multoque minùs imperare, aut determinare illius existentiam. Hinc non rectè percipio solutionem aliquorum Thomistarum

Quædam solutio impugn.

asserentium talem dilectionem esse sufficientem ad vitandam fractionem legis supernaturalis ratione incompossibilitatis cum illa, non tamen esse sufficientem ad talem vitationem per modum intentionis efficaciter moventis voluntatem, ut vitet prædictam transgressionem. Non inquam percipio. Nàm instante præcepto eliciendi actum supernaturalem, non aliter vitatur fractio illius, nisi eliciendo actum supernaturalem: ergò si dilectio entitativè naturalis vitat per modum formæ incompossibilis talem transgressionem, determinat per modum formæ voluntatem ad elicientiam actus supernaturalis. Sed iuxta superius dicta talis modus determinandi positivè nequit concedi: ergò non est vitatio transgressionis præcepti etiam per modum formæ. Vel aliter. Vitare omissionem fidei v. g. instante præcepto, est determinari positivè ad credendum; non enim datur medium: ergò si dilectio naturalis Dei vitat per modum formæ talem omissionem, determinat per modum formæ ad elicientiam actus fidei.

23 Vera solutio.

Undè aliter Resp. Quod estò dilectio Dei A. naturæ super omnia nequeat coniungi cum fractione præcepti supernaturalis; cum tamen illa possit excludi per ipsam fractionem, propter aversionem indirectam à Deo A. naturæ: ideò dùm instat tale præceptum, priùs debet homo illud adimplere per elicientiam actus supernaturalis, ut postea possit in dilectionem prorumpere; vel ut illam per priùs elicitam conservet pro instanti, in quo urget præceptum. Ex quo deducitur pro casu urgentiæ præcepti; talem dilectionem dependere in sui existentia ab actu supernaturali adimpletivo præcepti, tanquam a removente prohibens. Quapropter, etsi dilectio, & fractio præcepti supernaturalis sint inconiungibiles; dilectio non habet ratione sui vim exclusivam fractionis, secùs tamen è contrario. Hac ratione, etsi Angeli omnes in 1. instanti dilexerint Deum, ut A. naturæ appreciativè super omnia, non tamen ita dilexerunt ipsum, quando in 2. instanti transgressi sunt præceptũ supernaturale. Nàm etsi talis dilectio nequeat coexistere cum offensa Dei, ut A. gratiæ, est amissibilis ratione prædictæ offensæ. Per qnod constat ad urgentiam distinguendo in forma illam propositionẽ: * dilectio inconiungibilis cum aversione à Deo A. gratiæ, determinat positive conversionem: si talis dilectio prærequirit ad sui existentiam defectum aversionis, neg. Si illam non prærequirit, conced. * Et 1. modo contingit in præsenti, dùm instat præceptum positivum supernaturale. Constat etiam ad ultimam. Nàm etsi dilectio Dei A. naturæ super omnia nequeat coniungi cum volitione frangendi præceptum supernaturale, & præferendi aliquid etiam indirectè Deo, ut A. naturæ; non tamen habet vim positivam excludendi; cum, ut dictum manet, si instet præceptum, per priùs debet illud adimplere, ut se conservet in tali dilectione.

Ad urg.

Ad ultim.

24 Arguit. secundò.

Obijc. 2. Supposita dicta elevatione, non stat odium Dei, ut A. naturæ, quin sit etiam odium Dei, ut A. supernaturalis: ergò pariter non stabit dilectio Dei, ut A. naturæ super omnia, quin sit dilectio etiam Dei, ut A. gratiæ. Prob. conseq. ideò añs. est verum, quia Deus ut A. naturæ est veluti fundamentum sui ipsius, ut A. supernaturalis, & non stat recessus à fundamento sine recessu à re fundata; sed hæc ratio æque probat de conversione, si sit efficax: ergò. Urgetur, & tacita solutio præoccupatur. Quando inter fundamentum, & rem fundatam, datur infallibilis connexio, sicut non stat destructio fundamenti, sine destructione rei fundatæ; ita pariter non stat positio fundamenti absque positione rei fundatæ. Sed amor, & odium circa Deum, ut A. naturæ sic comparantur; scilicèt, ut destructio, & ædificatio affectiva respectu Dei: ergò. Resp.

Urgetur.

25 Solutio.

Resp. conc. anti. neg. conseq. propter disparitatem inter amorem, & odium; cum enim Deus, ut A. naturæ sit, quasi fundamentum nostro modo intelligendi sui ipsius, ut A. gratiæ; & destructo fundamento, destruatur ex consequenti res fundata; non autem ædificato fundamento, res fundata ponatur; fit consequens, quod odium, quo quis desiderat non esse Dei A. naturæ, ex consequenti referatur ad non esse eiusdem, ut A. gratiæ. Oppositum autem contingit in amore, circa existentiam Dei A. naturę ad hoc, ut non sit amor efficax eiusdem, ut A. gratiæ propter rationem datam. Ad urg. Resp. dari infallibilem connexionem in esse entitativo, non tamen in esse obiecti nostri amoris: cum etiam supposita elevatione homo ratione naturali cognoscat practicè Deum, ut A. naturæ esse summè bonum, & diligendum super omnia. Per quod constat etiam: cur homo nequeat averti à Deo A. naturæ, quin etiam avertatur à Deo A. gratiæ; benè tamen possit converti.

Ad urg.

26 Tertium argum.

Obijc. 3. Si supposita elevatione daretur duplex amor Dei super omnia, alter naturalis, alter supernaturalis, etiam darentur duo præcepta diligendi Deum duplici amore; sed hoc videtur falsum; Tùm quia non est assignabile tempus, in quo hæc præcepta obligent. Tùm quia aliàs illa omittens, committeret duo peccata omissionis; unum, scilicèt, contra præceptum naturale, alterum contra præceptum supernaturale; sed hoc videtur falsum; cum nullus homo timoratæ conscientiæ de hac duplici omissione se accuset: ergò. Si dicas, dari duplex præceptum; attamen utrumque adimpleri quando Deus diligitur, ut A. gratiæ super omnia; eo quod in tali amore includitur eminenter amor naturalis Dei super omnia. Quod si detur ignorantia invincibilis Dei, ut A. gratiæ, tunc solum tenetur diligere Deum A. naturæ, saltim in 1. instanti usus rationis. Contra arguit M. Ferre 1. si quia perfectius diligitur Deus, ut A. gratiæ, quam ut A. naturæ, actus supernaturalis dilectionis est adimplevus præcepti diligendi Deum, ut A. naturæ; cum etiam per actum supernaturalem cuiusvis virtutis perfectius operetur homo in materia illius, quã per actum naturalem, sequeretur, quod nunquam daretur præceptum eliciendi actum virtutis acquisitæ; sed hoc est falsum: ergò. 2. Nàm talis dilectio, iuxta superius dicta, est debita lege naturæ; sed præceptum de lege naturæ semper obligat, & etiam pro casu elevationis; cum gratia non destruat, sed potius perficiat naturam: ergò.

Si forte dicatur.

Impugn. M. Ferre 1.

Secundò.

27 Defendi. tur solutio data.

Hæc tamen non sunt adeò efficacia, ut solutio data sustineri nequeat, quam tradunt Illust. Godoy, Doct. M. Serna, eamque priùs tradidit M. Lorca tract. de charitat. disp. 6. sect. 3. illamque tuetur M. Prado tom. 1. c. 12. q. 2. §. 1. à num. 4. Ad 1. instant. Resp. esse disparem rationem. Nàm ad dilectionem supernaturalem, qua Deus etiam, ut A. naturæ diligitur, tenetur homo præcepto dilectionis supernaturalis: non autem, quando instat præceptum elargiendi eleemosynam v. g. tenetur homo illam elargiri ex motivo supernaturali; ideòque per dilectionem supernaturalem adimpletur eminenter præceptum naturale diligendi Deum, cessatque præceptum diligendi ipsum per actum mere naturalem; secus autem cessat præceptum eliciendi actum virtutis acquisitæ. Ex quo potiùs retorqueo argumentum; Nàm si homo teneretur præcepto naturali, & simul præcepto supernaturali ad comedendum temperatè; absdubiò adimpleret utrumque præceptum, eligendo temperatam comestionem ex motivo supernaturali. Ad 2. Resp. concedendo obligationem diligendi Deum, ut A. naturæ esse de lege naturæ, attamen dicimus hanc obligationem perfectè adimpleri, dùm diligitur Deus dilectione supernaturali.

Ad 1. inst.

Ad 2.

28 Qualiter impleti valet præceptum naturale.

Quod ut meliùs percipiatur, advertendum est præceptum naturale diligendi Deum, ut A. naturæ, duo posse dicere, scilicèt, & quod Deus sub tali ratione apprecietur super omnia, nihil creatum ipsi præferendo; & insuper, quod talis dilectio sit naturalis, & non innitatur motivo supernaturali,

li. 1. dicit absolutè maximam perfectionem ; 2. dicit limitationem , tùm ex parte motivi ; tùm ex parte actus, utpotè sistentis intra ordinem naturæ. Deindè etiam advertendum quod cum obiectum motivum , vel saltim terminativum charitatis,sit summa Dei bonitas , coalescens ex omnibus divinis perfectionibus ; per actum charitatis non solum diliguntur perfectiones convenientes Deo, ut A gratiæ , sed etiam convenientes ipsi , ut A. naturæ v. g. omnipotentia , bonitas &c. Cum omnes istę pertineant ad essentiam Dei in ratione summi boni. Undè per talem actum etiam diligitur Deus , ut A. naturæ,ly *ut* dicente rationem quæ,licèt attingatur,ut virtual: adintegrans summam Dei bonitatem cognoscibilem per lumen gratiæ. Ex his constat qualiter diligendo Deum dilectione supernaturali , adimpleatur perfectissimè præceptum naturale : siquidem secundùm illud , quod dicit de perfectione,totum ponitur in exequtione per actum charitatis , scilicèt , appreciare Deum A. naturæ super omnia, sicuti etiam appreciatur hoc modo quodlibet attributum ; solumque deficit pro adæquata adimpletione id, quod tale præceptum dicit de limitatione , & imperfectione, scilicèt, Deũ A. naturæ diligi super omnia ex motivo pure naturali , & amore etiam pure naturali.

29 Nec ex quo dentur duo præcepta ; sequitur , quod si homo elevatus non diligat ullo modo Deum super omnia , frangendo duplex præceptum,duo peccata committat;tùm quia ut rectè advertit M. Lorca laudatus à M. Prado ubi supra , amor Dei entitativè naturalis non est in usu regulariter apud fideles. Qua de causa sacra doctrina non curavit hunc amorem ita limitatum exponere , & de illo instruere fideles. Tùm quia , ut docet ipse M. Ferre , talia præcepta idem dictant saltim inadæquate. Nàm præceptum supernaturale pręcipit dilectionem per charitatèm , in qua continetur eminenter dilectio pure naturalis. Advertendum tamen, quòd ad veritatem huius solutionis necesse est non admittere , quod in uno tempore obliget tantum præceptum diligendi Deum , ut A. naturæ, & in alio obliget speciale pręceptũ diligẽdi Deum super omnia, ut A.gratiæ; Nàm ex opposito sequeretur committi duo peccata contra duplex præceptum,& obligans pro diverso tempore.

Sapientis. M. Bolivar in præs. dub. §. 2. asserit ad perseverantiam dilectionis Dei A.naturæ super omnia in homine, qui est elevatus requiri necessariò gratiam supernaturalẽ. Huius dicti assignat sequentem rationem: dilectio efficax etiam Dei A. naturæ super omnia non potest diù perseverare supposita elevatione, sine observantia omnium præceptorum , tàm naturalium , quàm supernaturalium; Nàm fractio cuiusvis præcepti sub mortali obligantis opponitur prædictæ dilectioni , propter oppositionem indirectam , iuxta superiùs dicta. Sed ad huiusmodi observationem necessaria est gratia supernaturalis : ergò etiam ad perseverantiam talis dilectionis. Quod etiam asserit esse verum, loquendo de homine in statu innocentiæ. Cùm ad adimplendam legem supernaturalem necessaria foret gratia supernaturalis. Addit etiam hominem elevatum non posse diù perseverare in tali dilectione naturali , sine gratia habituali. Ratio est ; Nàm dilectio diù perseverans includit observationem legis naturæ per longum tempus ; sed nequit homo diù observare mandata legis naturæ sine gratia habituali,ut ipseM.probat dubiosequẽti : ergò ad dilectionem naturalem Dei, ut diù perseverantem, requiritur gratia habitualis.

30 Doctrina M.Boliv. Notand.

Sed in his assertis præd. Mag. minimè opponitur nostræ conclusioni; *nec inconsequenter procedit , dùm asserit , etiam suppositâ elevatione posse diligi Deum super omnia , dilectione entitative naturali.* Siquidem non adstruit necessitatem gratiæ supernaturalis pro perseverantia præd. dilectionis,ita ut gratia se habeat per modum principij influentis in illã,sed per modũ removentis prohibens:quatenùs ex vi illius ponitur actus supernaturalis adimpletivus præcepti, & vitans illius fractionem , qua destrueretur perseverantia dilectionis Dei A. naturæ.

31 Non opponitur dictis nostrę concl.

Si-

Sicuti contigit in Ang. peccantibus pro 2. instanti; per quod peccatum amisserunt dilectionem Dei etiam, ut A. naturæ super omnia. Et quamvis ad diuturnam observationem legis naturæ prærequirat præd. M. gratiam habitualem; proindeque ad perseverantiam dilectionis Dei A. naturæ super omnia; illam non requirit per se, & ex natura rei, nec adhùc præcisè ratione elevationis, sed tantum ex dispositione divina iuxta præsentem providentiã, secundùm quàm experiẽtia constat hominẽ existentem in peccato, nõ posse diù permanere absq; eo, quod de novo incidat in aliud; iuxta sententiam D. Greg. dicentis: *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.* De quo D. Thom. infra ar. 8. & Nos cum illo. *Et hæc de hoc Dub. applicand. &c.* Hom. 11 in Ezech.

DUBIUM X.

AN HOMO LAPSVS INDIGEAT gratia habituali ad dilectionem naturalem Dei A. naturæ super omnia?

N. 1 NE dub. præcedens nimia prolixitate, aut fastidium generet; aut detrimentum intelligentiæ, & claritati inferat; difficultatem specialem circa necessitatem gratiæ habitualis ad diligendum Deum A. naturæ super omnia peculiari dubio exagitandam decernimus. Eo vel maximè, quia AA. Thomistæ ex utraque parte inter se divisi, existimant D. Thom. stare pro sua opinione. Supponimus gratiã habitualem, etiam in homine elevato, non requiri necessariò ad dilectionem Dei A. naturæ super omnia per modum principij radicaliter influentis; cum talis dilectio ex dictis dub. antecedenti, sit etiam suppositâ elevatione, actus entitativè naturalis. Quapropter solum restat locus, An sit necessariò requisita in homine existente in peccato læthali, vel originali, vel personali, per modum removentis prohibens, sive (ut alij loquuntur) per modum principij expedientis? Quatenùs priùs homo debeat per gratiam habitualem emundari à macula habituali, ut postmodum possit in dilectionem Dei A. naturæ super omnia prorumpere. Occasionem dedit huic difficultati S. Dũm hic ar. 3. ait: *In statu naturæ corruptæ indiget etiam homo ad diligendum naturaliter Deum super omnia, auxilio gratiæ naturam sanantis.* Quæ verba videntur solùm gratiæ iustificanti adaptari posse.

2 Partem affirmativam tuentur SS. M. Lemos tom. 3. tract. 2. p. 2. cap. 30. per totũ. Illust. Alvar. de auxil. disp. 51. Conrad. & alij Expositores D. Tho. in præs. a. 3. Illust. Godoy disp. 42. concluſ. 3. M. à S. Thom. disp. 19. a. 4. Gonet disp. 1. a. 4. concl. 1. M. Ferre tract. 9. q. 4. §. 5. & alij, quos referunt, & sequuntur PP. Salmant. in præsent. disp. 2. dub. 4. §. 2. Negativam vero tuentur SS. M. Serna, M. Boliv. in præs. & tract. de iustificatione dub. 3. §. 3. & quotquot tuentur actum charitatis non habere oppositionem essentialem ratione sui cum peccato habituali; & etiam; Tuentes dæmones diligere Deum Author. naturę super omnia; uti sunt M. Lezana tract. de Angel. d. 24. quos illustrat SS. ac Illust. M. meus Fr. Joann. Montalvã. Cõsonat etiam M. Soto lib. 1. de natur. & gratia concedens Pueros existẽtes in Lim-

bo

bo diligere Deum Authorem naturæ super omnia iuxta doctrinam D. Tho. in 2.d. 33. q.2. ar.2.ad 5. Tenet etiam M. Lorca disp.5. Suarez lib.de necessitate gratiæ cap.35. quē Alij eiusdem familię sequuntur. Cui opinioni libenter assentio.

§. I.

Prima ratio pro parte negativa examinatur.

3 Ratio pro ponitur.

ILlam probat SS. M. Serna ex doctr. S.D. 1.p.q.60. ar.5.ad 5.& q.63. ar. 1. ad 3. ubi affirmat: *Angelos naturali dilectione diligere Deum plusquam se ipsos, & omnia naturalia*, & insuper asserit: *Huiusmodi dilectionem convenire etiam dæmonibus, in quibus omnia naturalia iuxta S. Dionys. integra, & splendida permanserunt*: ergò iuxta S. D. prædicta dilectio est coniungibilis, & de facto coniungitur, non solùm cum peccato habituali, verum etiam actuali:* ergò gratia habitualis non est necessaria ad talem dilectionem, adhùc per modum removentis prohibens.

* Hocenim est quid difficilius

4 Respons. frequens impugn. ab eodem M. 1.

Nec valet, si dicas D. Thom. solùm concedere dæmonibus amorem naturalem Dei, ut 1. principij, & universalis boni: non vero Dei, ut amici, & legislatoris super omnia dilecti. Non inquam valet 1. Nàm amor Dei, qui fuit in Ang. pro 1. instanti, fuit vere appreciativus super omnia; sed naturalia permanserunt integra in Ang. etiam peccantibus: ergò in his datur amor naturalis Dei appreciativus super omnia. 2. Amor, quem D. Thom. concedit dæmonibus, est amor, quo diligunt Deum, plusquam se ipsos, & quo diligunt ipsum, prout est principium, & finis naturalis boni; sed diligere Deum plusquam se ipsos, est diligere ipsum appreciativè super omnia naturalia; similiterque diligere Deum, prout est principium, & finis naturalis boni, est diligere ipsum sub ratione ult. finis omnis boni naturalis, & ad illum referre omnia: ergò nihil deficit præd. amori, ut sit vere appreciativus Dei super omnia. Quod urgeri potest ex eo, quod D. Thom. in præsent. art. in solut. ad 1. non aliter explicat hominem in natura integra dilexisse Deum appreciative super omnia, nisi quia diligebat Deum plùs quàm se ipsum, & quatenus est principium, & finis naturalis boni: ergò si &c.

Secundò.

5 Tertiò.

3. Quia etsi dæmones non diligant Deum, ut amicum, & legislatorem, si tamen diligunt Deum, ut universale bonum, & plusquam se ipsos; fundamentum Adv. est inefficax. Quod sic prob. Nàm per talem dilectionem constituunt sibi finem ultimū in Deo, ut est bonum universale; vel non? Si 1. ergò iam concedunt posse peccatorem habere duplicem finem ultimum, scilicèt, bonum commutabile, ex cuius amore peccant, & simul Deum, ut est bonum universale. Si 2. ergò falsum est per illum amorem diligi Deum, ut bonum universale, & esse super ipsos dilectum; eam ratio boni universalis sit ratio finis ultimi, sive omnis boni. Denique; quia D. Thom. concedit dæmonibus illum amorem naturalem circa Deum, quo fuerunt creati cum beatitud. naturali; sed amor pertinens ad constitutionem beatitud. naturalis, est vere amor appreciativus Dei super omnia naturalia: ergò. Mai. constat 1. Nàm eò asserit fuisse creatos in beatitud. naturali; quia fuerunt creati cum amore, per quem quælibet res naturaliter diligit bonum universale, plusquam bonum proprium. Sed hic amor est, qui permanet iuxta Div. Thom. in dæmonibus: ergò. 2. quia in Div. Thom. non invenitur duplex dilectio naturalis concessa Ang. in 1. instanti, qua diligerent Deum plusquam se ipsos: ex quibus una pertineret ad beatit. naturalem; altera vero non: ergò amor spectans ad beatit. naturalem clauditur his terminis, scilicèt, *quod sit dilectio Dei, ut universalis boni, & quod per ipsam diligatur Deus super omnia bona naturalia.*

Ultimò.

6 His rationibus moventur aliqui Thom. ut asserant dæmones diligere Deum, ut A. naturæ appreciativè super omnia naturalia; licèt talis amor non sortiatur nomen amicitiæ, etiam naturalis, propter aversionem, & odium inimicitiæ circa ipsum, ut A. na-

naturæ saltim indirectè. Similiterq; eis dē rationibus prędicti AA. utuntur, ut probent Angeiū non posse directe peccare contra Deum, ut A. naturæ; cum sint necessitati ad dilectionem naturalem appreciativam Dei, ut A. naturæ super omnia; quæ directè, & immediatissimè opponitur cum offensa directa Dei, ut A. naturæ. Sed utrumque dictū semper valdè difficile existimavi; nec iudico D. Tho. ullatenùs favere præd. opinioni. Quapropter, etsi breviter, proponam motiva mihi efficacissima, ut cum alijs Thom. (inter quos eminet M. Bayona) probem dæmones neutiquam diligere Deum, ut A. naturæ efficaciter efficacia completa super omnia: etiam si talis dilectio neque dici possit amor amicitiæ; neque beatitudo naturalis, propter coniunctionem cum peccato saltim habituali.

§. II.

Impugnatur ratio adducta.

7 Probat. 1

1. SI dæmones vere frangunt legem naturalem, etsi ex motivo supernaturali, scilicèt, ex odio capitali Dei, ut iniusti iudicis, fuzadendo hominibus peccata contra legem naturæ, & simul recedendo ab ipso per tale odium saltim indirectè, ut A. naturæ; nequit percipi, quod verè diligant Deum, ut A. naturæ amore efficaci benevolentiæ. Patet hoc in iudice creato frangente iustitiam, ex quocumque motivo, etsi indirectè tantū iustitię opposito; de quo nemo dicet, *diligere iustitiam super omnia*: ergò cum ea ratione, qua Deus diligitur super omnia, apprecientur eius præcepta, iuxta illud: *qui diligit me, sermones meos servat*, nequit dici dæmonem vere diligere Deum, ut A. naturæ super omnia, si vere frangit præcepta à Deo, ut A. naturæ imposita. Urgetur. Repugnat aliquē actu diligere alterum appreciativè super omnia, & quod ipsum actu graviter contemnat, etsi ex alio motivo diverso a motivo dilectionis: ergò si per odium Dei, ut A. gratiæ, vere contemnitur à dæmonibus Deus, ut A. naturæ, etsi ex superiori motivo, nequeunt actu appreciativè ipsum diligere super omnia.

Ioann. 14 de quo plura SS. PP.

Urgetur hæc ratio

8 Secundò.

2. Nàm repugnat idem mobile accedere efficaciter, & simul recedere ab eodem puncto, adhùc ex diversis motivis, sive per diversas vias; quapropter nequit intellectus simul assentiri eidem veritati, & dissentiri, adhùc per diversa media: ergò cum amor, & odium, comparentur sicut accessus, & recessus, repugnat dæmonē per unum motivum amare efficaciter Deum, ut A. naturæ; & illum ex alio motivo efficaciter odio habere. 3. Amare efficaciter Deum, est velle efficaciter affective Deum esse; & saltim conditionate est talis affectus, quo conservaret Deum, si esset possibile; odium vero, & est affectus conditionatus, quo quis destrueret Deum, si posset, & simul affectus volens efficaciter affective Deum non esse. Sed hi affectus circa Deum, ut A. naturæ, adhùc ex diversis motivis repugnant; siquidem data hypothesi, quod Deus esset destructibilis, & conservabilis à dæmone, esset chymericum illum destruere, & simul conservare in esse: ergò talis affectus amoris, & odij, pugnant essentialiter inter se. Deniq: implicat aliquem diligere efficaciter Deum, ut A. naturæ appreciative, & super omnia, & non posse conformari cum voluntate eiusdem, ut A. naturæ ex motivo placendi, & obsequendi Deo, ut A. naturæ; cum omnis dilectio appreciativa cedat in obsequium dilecti. Sed dæmones nequeunt exercere eiusmodi obsequium circa Deum, ut A. naturæ; cum nullum opus honestum moraliter elicere valeant: ergò.

Tertiò.

Ultimò.

9 Quid sit amor appreciativus Dei.

Hæc omnia clarescent per descriptionem amoris efficacis, sive appreciativi circa Deum, in quocumque ordine. Est enim de ratione illius, quod diligens se, & sua omnia, totaliter referat in Deum cum proposito efficaci non frangendi eius præcepta, & velle ipsi in omnibus placere. Hac ratione dicitur *amor obedientialis*, hoc est, veram obedientiam per adimpletionem omnium mandatorum importans. Cum igitur Deus non solum, ut A. supernaturalis; sed etiam, ut A. naturæ, tàm homini, quàm Angelo, plu-

plurá præcipere valeat: amor appreciativus Dei, ut A. naturæ, tàm sub ratione creatoris, quàm legislatoris, necessariò includit propositum efficax non se aversendi directè, aut indirectè ab ipso. Nec quod fractio præcepti supernaturalis indirectè avertat à Deo ut A. naturæ super omnia dilecto, aliquid iuvat, ut possit componi cum dilectione efficaci eiusdem. Cum sola oppositio indirecta sufficiat ad incomponibilitatem inter duo extrema; ut videre est in visione beata inconiungibili cum peccato habituali, & in peccato actuali inconiungibili cum gratia habituali. Quapropter licet dilectio efficax Dei, ut A. naturæ, nec directè, nec indirectè, se extendat ad observantiam legis supernaturalis, est tamen inconiungibilis cum fractione illius, propter indirectam oppositionem.

Propter hoc talis amor dicitur obediētialis.

10 Hæc omnia nos docuit Sanct. Doct. 2. 2. quæst. 44. art. 5. ubi ait dilectionem appretiativam contineri in illis verbis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, & tota anima:* quia omnis nostra intentio debet referri in Deum: & quòd intellectus noster subdatur Deo, & omnes alij affectus, tàm interiores, quàm exteriores, regulentur secundùm Deum, ei obedientiam præstando.* Vide, si quid simile datur in Dæmon. relatè ad Deum, ut A. naturæ? Notat rectè Magist. Medina hic art. 3. diligere Deum super omnia appreciativè importare, non solum appretiare esse Dei, & eius bonitatem supra esse, & perfectionem diligentis; sed etiam habere eandem appreciationem circa omnia, & singula præcepta Dei; ita ut sit paratus priùs amittere esse, & sua omnia, propter observantiam cuiusvis mandati.

Nota ex Medina.

11 Hinc Dæmones peccantes contra Deum Authorem supernaturalem nullatenùs diligunt ipsum, ut Authorem naturæ dilectione efficaci, & appreciativa; utpotè eius voluntati apertè contradicentes, & etiam desiderantes; *ut si possibile esset, Deus ipse non esset.* Cæterùm cum se ipsos vehementèr diligant, & complaceant in perfectionibus naturalibus à Deo Authore provenientibus, per ipsum amorem, quo naturalitèr diligunt se, quòad *esse, vivere, & intelligere*, diligunt etiam Deum, secundùm quod est principium tribuens, & conservans illos in suo esse. Hæc est enim dilectio, quam Div. Thom. concedit Dæmonibus; cùm solùm terminetur ad Deum, secundùm quòd est principium, & finis suarum perfectionum naturalium. Sed quia Deus, ut A. naturæ, etiam gaudet potestate dominativa iurisdictionis, & imperativa supra omnes Angelos, cui debent se subijci, & obedire: ideò non obstante, quòd diligant Deum sub aliqua consideratione, non dicuntur ipsum diligere ut A. naturæ super omnia. Undè talis amor dicendus est inefficax, & ad modum simplicis complacentiæ, & rursùs, est amor necessarius. Sicuti, & dilectio, qua se ipsos diligunt quòad *esse, vivere, & intelligere* &c. est necessaria iuxta D. Thom. 1. p. q. 60. a. 3. Secùs autem dicendum de amore efficaci, & appreciativo etiam Dei, ut A. naturæ; talis enim amor est electivus, sive liber; utpotè includens amorem efficacem adimplendi præcepta naturalia: cuius adimplerio nequit necessitare quòad exercitium ipsorum voluntatem.

Ex dictis prob. assumptum

12 Nec ad salvandum Angelos directè non posse peccare contra Deum, ut A. naturæ, necesse est adstruere necessitatem talis dilectionis; cum sufficiat non posse defectuosè, aut inconsideratè iudicare circa obiecta purè naturalia, propter illorum perfectissimam cognitionem. Siquidem iuxta expressam doctrinam D. Thom. in eo ordine, in quo nullus potest esse defectus ex parte intellectus, nequit esse defectus ex parte voluntatis. Quod si huiusmodi dilectio appreciativa, quæ permanet in Angelis bonis, dicitur *naturalis* à D. Thom. ly *naturalis* non sumitur pro eodem; ac necessaria; sed quia est iuxta inclinationem innatam ipsorum, utpotè respicientem ut finem bonum rationis, quod maximè convenit prędictę dilectioni. Quod fateri tenentur Adverſ. cum dicant per illam dilectionem impleſſe legem naturalem: Materia enim legis est tantùm actus liber.

Occurritur alteri motivo.

§. III.

Occurritur fundam. adductis § I.

13 PRimum innititur propositioni desumptæ ex S. Dion. lib. de Divin. Nom. cap. 4. lect. 19. propè finem: *Naturalia in Angelis integra, & splendidissima permansérunt.* Sed hæc exponitur ibi à D. Thom. de bonis naturalibus, ut præcisè considerãtur intra ordinem naturæ, sive physicè, non vero, prout dicunt rectitudinem virtutis, & quatenùs comparatur ad finem ultimum, & intra lineam moris, sic enim ait. *Undè patet, quòd in quantùm sunt, & bonam causam habent, & boni sunt, & bonum desiderant; scilicèt, esse, vivere, & intelligere.* *Sed in quantum privantur voluntario recessu, mali sunt*; *quo recessu infirmati decidunt à bonis, quæ eis conveniebant secundùm ordinem suæ naturæ.* Ubi rectitudinem moralem eis convenientem secundùm ordinem naturæ, cuius principium est dilectio appreciativa Dei eorum affectum rectificans, & firmans in bono: asserit S. D. fuisse deperditam per peccatum.

Qualiter natural. sint integra in Dæmon. iuxta S.D.

Rursùs in 2. dist. 3. quæst. 3.

14 ar. unico; ubi probat hominem innocentem, & Angelos, diligere Deum naturaliter super omnia; sic objicit sibi 5. arg. *Bona naturalia manent in Angelis post peccatum iuxta Dion. sed Angelus peccator non diligit Deum super omnia: ergò nec in statu naturalium.* Cui respondet: *Dicendum, quòd bona naturalia, pròut in esse naturæ absolutè considerantur, remanent integra post peccatum: pervertuntur tamen quantùm ad rectum ordinem, quem habebant in gratia* (Nota disiunctivam) *vel virtute.* En duplex consideratio perfectionum naturalium Angelorum; 1. pròut spectant ad genus naturæ; 2. pròut spectant ad genus rectitudinis moralis eis convenientis per virtutem; de qua asserit fuisse in eis deperditam. Quòd si vera esset opinio Adversi. facillimè responderet D. Thom. concedendo eis post peccatum dilectionem naturalem Dei super omnia, & negando dilectionem eiusdem per charitatem terminatam ad ipsum, ut

Exponitur 2.

Author. gratiæ. Idem docet in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. his verbis: *Bona naturalia dupliciter dicuntur: vel pròut sunt in se considerata; secundùm quod naturæ debentur ex proprijs principijs; & sic nec homo, nec Angelus aliquid naturale per peccatum amisit*: iuxta Dion. *Vel secundùm quod ordinantur ad finem ultimum; & hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt, non quidèm penitùs amissa, in quantùm uterque factus est minùs habilis, & magis distans à finis consecutione: & propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus.* In quibus verbis comparat naturalia Angelorum quòad sui permanẽtiam post peccatum, cum naturalibus hominis. Cumque sit certum hominem perdidisse dilectionem naturalem Dei appreciativam super omnia, idem dicendum de Angelis peccantibus. Similia habet in 3. distinct. 20. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. Et 1. 2. quæst. 85. a. 1. ad 1. in quo *exponit S. Dion. de naturalibus quòad esse, vivere, & intelligere.*

Alia test. S. D. ad idem.

Ad 2. Resp. Quod Dæmones per amorem, quò se ipsos diligunt 15 quòad esse, vivere, & intelligere (qui amor est in eis necessarius, & bonus) diligere Deum plùs quam se ipsos; cum ipsum diligant, ut principium, & finem, à quo habent prædicta bona naturalia. Cæterùm iste amor non est amor efficax, & appreciativus, sive amor obedientialis. Hic enim dicit necessariò referre liberè omnes actiones in obsequium, & gloriam Dei super omnia dilecti. Duplex enim amor naturalis, & intra ordinem naturæ distinguitur à D. Thom. 1. p. q. 60. a. 3. unus, quo se diligunt Angeli, quo ad bona intrinseca supra relata; alter quo se diligunt, quòad dona eis extrinseca, & accidentalia: qui, estò sit de ordine naturæ, dicitur electivus ob eius libertatem. Licet igitur per primum amorem diligant Deum supra se ipsos, oppositum accidit in Dæmonibus per secundum: Nàm quærentes gloriam propriã ut finem ultim. ex illo moventur ad odium Dei. Nec D. Thom. hic a. 3. probavit hominem innocentem dilexisse naturaliter Deum sup. omnia, præcisè; quia ipsũ dilexit, ut

Ad 2.

ut est bonum universale, sive ut est principium naturalis boni; sed insuper: *Quia dilectionem sui referebat in Deum, ut in finem, & similiter dilectionem aliarum rerum.*

16 Hoc autem non verificatur de Dæmonibus, cum nec sui amorem; nec aliorum dilectionem, referant in Deum; sed potiùs omnia convertant in amorem propriæ excellentiæ, ex quò procedunt ad offendendum Deũ, etiam ut Authorem naturæ. Si enim iuxta Divum Ioann. *Qui diligit me sermones meos servat, & qui dicit se diligere Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Et iuxta S. Gregor. Hom. 30. *Qui adhùc per desideria illicita defluit, Deum non diligit, quia ei in sua voluntate contradicit,* & item: *Probatio dilectionis exhibitio est operis*; qualiter Dæmones verè, & sincerè diligunt super omnia Deum, ut Author. naturæ; qui eius præcepta naturalia continuè transgrediuntur, & ad eorum transgressionem alios provocant? Qui semper ei, etiam, ut Authori naturæ, in sua voluntate contradicunt? Qui nihil eorum, quæ liberè agunt, referunt in Dei, ut Authoris naturæ, gloriam, & obsequium; sed potiùs vehementèr displicent, si Deus adhùc, ut Author naturæ, ab hominibus honoratur, colitur, & diligitur? Per quæ constat ad urgentiam. Ioan. 14

17 Ad 3. Resp. Deum, ut bonum *universale*, admittere duplicem considerationem; vel pròut dicit rationem boni physici; cuius omnis bonitas creata physica est participatio; vel pròut etiam includit rationem summi boni moralis, propter summam identitatem cum lege æterna; sub qua consideratione est prima regula obiectiva moralitatis. Sub prima consideratione diligitur à Dæmonibus diligentibus suum esse, vivere, & intelligere, participantia summam Dei bonitatem; non autem secundo modo; cum nihil honestum, & dicens conformitatem ad rectam rationem velint, & operentur; sed in omnibus suis operationibus liberis læthaliter peccent. Ratio distinctionis traditæ est. Nàm sicuti in rebus creatis potest aliquid considerari, ut bonum physicum; vel ut bonum honestum moraliter obiectivè propter conformitatem cum recta ratione; ita etiam in summa Dei bonitate debet admitti duplex consideratio supra recensita; cum omnis bonitas creata sit participatio summæ Dei bonitatis, & cum illa debeat proportionari, iuxta qualitatem ordinis. Nec ex dilectione Dei ut universalis boni modo dicto, sequitur Dæmon. habere duos ult. fines: Nã talis dilectio, cum sit necessaria, non præscribitur ab Angelo aliquis finis ultimus: cum non se moveat ad illam. Deindè, estò per illam ordinetur in Deum, ut finem ultimum suarum perfectionum naturalium; non tamen, ut finem ultimum suarum operationum, & electionum; qui solum est simpliciter finis; alter verò solum secundùm quid. Ad 3.

Ad ult. neg. mai. Sicut enim amisserunt beatitudinem naturalem consistentem in contemplatione practica Dei, ex qua oriebatur amor castus, quo se, & omnia referebant in illius laudem, gloriam, & obsequium; ita dicendum de amore benevolentiæ. Ad 2. prob. Resp. negando assump. Nàm sicuti in bonis Angelis datur duplex amor sui intra ordinẽ naturæ, unus quò se necessariò, & alter quo elective, hoc est liberè, se ipsos diligunt; ita debet admitti duplex amor Dei, ut A. naturæ. 1. manet in Dæm. non autem 2. Sed dices: Amor appreciativus Dei super omnia probatur à S. D. 1. p. q. 60. a. 4. tàm in homine, quàm in Angelo, quia qnælibet pars naturaliter plùs diligit bonum commune, quàm bonum proprium; & bonum proprium naturaliter diligit propter bonum commune. Sed in Dæmonibus permanet amor, quo se diligunt, tanquam partes, & participationes Dei boni universalis; sicuti permanet cognitio illius sub eadem ratione: ergò, aut illa ratio est inefficax, aut talis amor concedi debet Dæmonibus. 18 Ad ult. Iuxta S. D. 1. p. q. 60. a. 3. Si instes.

Resp. Quòd, ut ratio D. Thomæ sit efficax, sufficit; quod sit connaturale, sive consonum inclinationi naturæ intellectualis, quòd magis appreciativè diligat bonum commune, quam proprium; (licet ob sui perversitatem, & malitiam se impediat à tali dilectione) cum An- 19 Respond.

gelis in sua puritate, & splendore dignitatis, debeat concedi omnis perfectio eorum naturæ consona, & ad quam, ut ad finem sibi proportionatum ordinatur. Confirmatio satis solida huius doctrinæ habetur in fine proprio creaturæ intellectualis, qui est honestè vivere terminanti inclinationem innatam illius. Si enim quis probaret Angelos in primo instanti habuisse volitionem efficacem vivendi honestè, & secundùm rationem; eo quòd talis volitio est finis propriùs creaturæ intellectualis: profectò efficacissimè probaret; estò huiusmodi volitio possit deficere ab eis, sicut de facto defecit in Angelis peccantibus, & obstinatis intrinsecè in malo: ergò quamvis dilectio efficax perfecta Dei Authoris naturæ super omnia non permaneat in Angelis peccantibus; si tamen esset connaturalis, & consona naturæ Angelicæ ob eorum innatam inclinationem, qua facil. propendunt in ipsum, ut summum bonum; rectè probat Div. Thomas eos fuisse creatos cum tali dilectione, & in beatitudine naturali. Unde claritatis gratia distingue * duplicem modum connaturalitatis; aut quia necessariò oritur à natura; aut quia est quid consonum, & iuxta eius primariam, & innatam inclinationem; primum convenit immutabilitèr Angelis; non autem 2. maximè dæmonibus ob eorum perversitatem, qua omnia spectantia ad ordinem moris perturbant.

In Angelis nulla fuit difficultas.

* Ita S. D. hic q 71. a. 2. ad 2.

20 Explicatur propos. S.D.

Hinc potest distingui illa propositio Div. Thomæ: *Dæmones diligunt Deum, ut bonum universale supra se ipsos*; sub hac forma. Facta comparatione inter esse Dei, & esse ipsorum, concedo. Facta comparatione inter præcepta Dei, & bonum proprium ab ipsis liberè amabile, nego. Solutio patet ex dictis. Vel aliter: diligunt Deum ut bonum universale, universalitate causæ 1. & finis de ordine physico, concedo. Universalitate causæ moralis præceptivæ, & finis ult. moralis, in cuius gloriam omnia debent referri, nego. Et hoc requiritur ad dilectionem appreciativam. & quæ sit super omnia ex parte subiecti.

Omissis aliquibus testimonijs Sanct. Doct. quæ in sui favorem adducit ipse Mag. quia satis facilè solvuntur. Arguit ex quodlib. 1. art. 8. ad 2. ubi ait: *Naturali dilectione, qua diligitur Deus super omnia, potest aliquis magis, & minùs uti: & quandò in summo fuerit; tùnc est summa præparatio ad gratiam habendam.* Sed præparatio ad gratiam habitualem; dummodò non sit ultima dispositio, potest coexistere peccato habituali: ergò talis est dilectio naturalis Dei super omnia. Resp. 1. Testimon. non favere arguenti, cum ipse Magist. solum concedat tali dilectioni naturali munus dispositionis negativæ, quæ est impropriè, & secundùm quid dispositio. Si autem est huiusmodi, qua ratione dicitur summa præparatio; cum summa dispositio sit perfectissima dispositio? Rursùs: D. Thom. non loqui de homine facta suppositione peccati, constat: Nàm in illo articulo loquitur de homine innocenti, & etiam Angelis, qui omnes iuxta sententiam Magistri fuerunt à Deo creati in puris naturalibus, & postquam conversi sunt in Deum per dilectionem naturalem, acceperunt gratiam supernaturalem eos elevantem. Quæ omnia sunt aperta in D. Thom. in 2. dist. 4. quæst. 1. art. 3. & dist. 3. quæst. 3. art. unico. Et. dist. 29. quæst. 1. art. 2. Quapropter solum probat tale testimonium non requiri per se gratiam ad diligendum Deum naturalitèr super omnia; secùs tamen per accidens, & atrenta suppositione peccati, ut illud removeat. Et solum in hoc sensu loquuntur Authores nobis adversantes.

21 Arg. etiã ex S. D.

Resp. 1.

Secundo.

Quod si Sanct. Doct. intelligendus est de præparatione positiva ad gratiam, potest ex eodem Sanct. Doct. satis congruentèr mens illius explicari. Etenim hac 1. 2. quæst. 109. art. 3. ad 3. distinguit duplicem summitatem gradus in dilectione; unam quòad intensionem; alteram quòad rationem obiecti, & modum diligendi. Qua distinctione suppositâ asserit: *Quòd licèt dilectio naturalis possit esse summa, quòad gradum intensionis.*

22 Exponitur mens S. Doct. præscind. ab hoc Dub.

nis, sola tamen dilectio charitatis est summa ex parte obiecti, & quòad modum diligendi; quia fertur in Deum, pròut est obiectum beatitudinis. Ex qua doctrina satis probabiliter exponi potest illa propositio, scilicèt: *Quandò dilectio naturalis fuerit in summo, tùnc erit summa præparatio ad gratiam habendam*; ita ut ly *in summo* non denotet intensionem gradualem, sed *summitatem* secundum modum dilectionis; si scilicèt imperetur ex amore supernaturali; posito enim huiusmodi imperio redditur in summo saltim extrinsecè; in quo nullum apparet inconveniens; cùm actus honestus naturalis, imperatus tamen ex charitate, sit meritorius vitæ æternæ.

§. IV.

Prima ratio; & variæ solutiones impugnantur.

23 Notanda doctrina S. D.

SUpponenda est doctrina D. Thomæ hac 1. 2. quæst. 89. art. 6. ubi probat peccatum veniale non posse coniungi cum solo originali; *quia cum Puer pervenit ad usum rationis, tenetur se ordinare ad debitum finem: quod si fecerit, per gratiam consequetur remissionem peccati originalis; si autem non fecerit, peccabit mortaliter; unde nunquam coexistit peccatum originale cum solo veniali.* * Idem docet in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 3. quæst. 24. de Veritat. art. 12. quæst. 5. de Malo a. 2. ad 8. & q. 7. a. 1. ad 8. affirmans, & probans, dari tale præceptum. Et licet, si sermo sit de puero baptizato, & inter fideles nutrito, detur obligatio in illo se convertendi ad Deum, ut Authorem gratiæ, quem per fidem cognoscit; attamen in pueris non baptizatis, aut inter infideles nutritis, quibus nulla est notitia Dei, ut Author. gratiæ; non datur obligatio se convertendi in ipsum sub tali ratione. Imò etiam, cum frequentèr non adsit in illo instanti cognitio expressa, & distincta Dei, ut Auth. naturæ: sufficit, quod convertantur in ipsum sub ratione communi boni honesti, cum proposito efficaci prosequendi bonum, & fugiendi malum; qui quidem actus est dilectio efficax Dei saltim implicita, & conversio in ipsum, sub ratione ultimi finis. Qua ratione consultò dixit D. Thom. dict. art. 6. *Quod tenetur se convertere in Deum, secundùm quòd in illa ætate est capax.* Quæ doctrina expressè propugnatur à discipulis D. Thom. contra AA. negantes dari tale præceptum se convertendi in Deum, dùm puer pervenit 1. ad usum rationis. Videatur Gonet de peccatis art. ult. Salm. ibi disp. 20. Ferre de peccato originali fol. 802.

24 Ratio prima formatur.

Ex his sic arg. Eo gratia habitualis requireretur in homine lapso, ut diligat Deum Authorem naturæ super omnia, quia talis dilectio est inconiungibilis cum peccato habituali; & aliundè cum sit entitativè naturalis, nequit illud expellere; sed hæc ratio falso fundamento innititur: ergò gratia habitualis &c. Prob. min. Si talis dilectio esset inconiungibilis cum peccato habituali, puer infidelis, & inter infideles nutritus, perveniens ad usum rationis, non posset converti in Deum, ut Authorem naturæ, nisi per prius esset ei remissum per gratiam peccatum originale; sed hoc est falsum: ergò talis dilectio non est inconiungibilis &c. Prob. min. 1. ex doctrina Sanct. Doct. supra dicentis: *Quòd si puer se ordinaverit ad debitum finem, consequetur per gratiam remissionem peccati originalis*; ubi expressè primò ponit debitam conversionem in Deum, & postmodum gratiam remittentem peccatum originale; cuius oppositum debet affirmari, si gratia habitualis esset necessaria, ut removens peccatum originale ad hoc, ut puer se convertat in Deum dilectione naturali. Secundò: Si gratia habitualis deberet præcedere, ut remittens peccatum habituale, ad hoc, ut puer se convertat in Deum dilectione naturali; cùm gratia habitualis, connaturaliter loquendo, non infundatur Adulto, nisi priùs se disponat per actum fidei, spei, & charitatis, & huiusmodi actus dependeant ab auxilio supernaturali fidei, & charitatis; cum Puer infidelis

Nota ordinem S. D.

careat his auxilijs, & cognitione Dei Authoris gratiæ, sequeretur; aut quod non teneretur se convertere in Deum conversione naturali; aut quod teneretur ad impossibile: ergò non requiritur præcedentia gratiæ habitualis &c.

Huic rationi respondent 1. aliqui Thomist. dicendo, quod puer infidelis non tenetur se convertere ad Deum conversione, quæ sit dilectio naturalis Dei super omnia; sed amore naturali minùs perfecto, & ad quem esset tùnc potens sine cognitione fidei. Hæc solutio reijcitur à Salmanticens. hic à num. 109. ex ratione præcepti, quod est de actu perfecto, scilicèt, ex toto corde. Deindè videtur opponi doctrinæ Div. Thomæ ubi supra. Siquidem iuxta ipsum Puer perveniens ad usum rationis tenetur converti ad debitum finem conversione, qua se ipsum, & omnes suas operationes ordinet in illum: ergò tenetur se convertere in Deum conversione respicienti Deum saltim sub ratione universalis boni honesti, & respicienti ipsum sub ratione ultimi finis, tàm operantis, quàm omnium operationum illius. Sed quod sic intenditur, ut finis ultim. diligitur appreciativè super omnia: ergo tenetur ad huiusmodi dilectionem. Rursùs, quia iuxta D. Thomam ibi ad 3. puer tenetur se convertere in Deum illa conversione, quæ continetur in his verbis Zachar. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Sed in his continetur conversio per dilectionem Dei super omnia: ergò.

25

Reijcitur 1.

Secundo.

Cap. 1.

2. Respondent alij (supponendo Div. Thomam in dicto loco loqui de conversione in Deum per actum charitatis) Deum illuminare supernaturalitèr omnes pueros pervenientes ad usum rationis circa illos duos articulos, scilicèt: *quia Deus est Author supernaturalis, & quia inquirentibus se remunerator est.* * Quod si puer hos articulos credideris, & se converterit in Deum, ut Authorem supernaturalem per actum charitatis, consequetur gratiam habitualem, & per ipsam remissionem peccati originalis. Si autem non se convertat in Deum per charitatem, peccabit mortaliter. Hæc tamen solutio reijcitur 1. Nàm ex illa sequitur non dari infidelitatem negativam in aliquo Adulto; quod opponitur Div. Thom. 2. 2. q. 10. a. 1. dicenti: *In his, qui nihil audierunt de fide, non credere, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis consequuta est; qui autem sic sunt infideles, damnantur propter alia peccata, non autem propter peccatum infidelitatis.* Sequela prob. Quia si omnes pervenientes ad usum rationis illuminantur à Deo de illis duobus articulis fidei, omnes tenentur illos credere; unde si non credant, peccabunt peccato infidelitatis; & sic erunt infideles privativè, & damnabuntur propter tale peccatum; si verò credant, erunt fideles, & rursùs illuminabuntur à Deo medio aliquo prædicatore de alijs articulis in particulari, ut contingit Cornelio: ergò &c.

26

Secunda solut.

Reijcitur 1. quia tollit inf. del negativam.

* Ita S. D. sup. a 4.

Nec valet dicere cum Magist. Ferre adhùc remanere locum infidelitati negativæ; quia in illa tàm tenerà, & delicata ætate, attributa divina cum tantâ confusione proponuntur credenda, quod perceptio eorum, quasi pro non auditu reputatur; ideòque infidelitatem negativam non incipere ex illo primo instanti usus rationis; sed ab ætate grandæva, quando plenè poterat percipere; si Evangelium ipsi prædicaretur. Non inquam valet. Nàm implicat eum, qui tenetur credere, esse infidelem negativè, si omittit actu credere; sed si puer perveniens ad usum rationis illuminatur circa illos duos articulos fidei supra relatos, tenetur eos credere iuxta Authorem huius solutionis: ergò si non credunt, erunt infideles privativè, & non tantùm negativè. Prob. min. 1. Quia iuxta eundem Auth. Puer tenetur verè, & propriè converti in Deum per dilectionem charitatis, etiam in illa tenera ætate: ergò eadem ratione tenetur credere. 2. Quia ubi adest vera sufficientia ad fidem, adest etiam vera obligatio credendi; cum prima conversio ad Deum fiat per fidem: ergò. 3. Quia dùm adest præceptum consequendi gratiam iustificantem necessariò requirentem præ-

27

Impugnatur 2.

præcedentiam actus fidei, adest præceptum credendi; iuxta illud Pauli ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet &c.* ergò falsum asserit, & inconsequenter negat puerum non credentem esse infidelem privativè; si aliàs illuminatur sufficienter, estò confusè circa prima credibilia.

28 3. Resp. cum alijs; quòd pueri postea naturaliter obliviscuntur prædictæ illuminationis; & ignorant invincibiliter misteria fidei, si postea Evangeliũ non prædicetur; ideoque remanent infideles negativè. Unde licet in adultis relatè ad omnia instantia, sub quo contineatur primum instans usus rationis, non detur infidelitas negativa; secùs tamen relatè ad instantia in grandæva ætate, in quibus nihil audiunt de fide.

Alia Resp pro infidel. negativa.

Contr. est 1. Nàm etsi in aliquibus possit admitti oblivio naturalis talis illuminationis, non tamen in omnibus; cum plures sint memoriæ tenacissimæ. Rursùs; quia talis oblivio erit culpabilis; cum teneatur homo illa misteria sæpè recolere. Si enim in primo instanti illuminatur de illo quod est supremum, scilicèt, de existentia Dei Authoris gratiæ, & illius providentia remunerativa; quanto magis illuminabitur de obligatione credendi, & recolendi sæpè prædicta misteria? Unde etiam in grandæva ætate non excusabuntur à peccato infidelitatis. 2. Quia, ut aliquis sit infidelis purè negativè, non sufficit, quod aliquando non peccet in non credendo; sed requiritur, quod nunquam incurrat in peccatum infidelitatis, & in illo permaneat: ergò si aliqui pueri pervenientes ad usum rationis peccant peccato infidelitatis permanenti in ipsis per totam vitam, nequeunt dici infideles purè negativè. 3. Nàm iuxta D. Thomam ita dantur, aliqui infideles negativè, ut si damnantur; hoc non sit propter peccatum infidelitatis, sed propter alia peccata, & præsertim originale; sed pueri, de quibus solutio, damnarentur propter peccatum privativæ infidelitatis commissum in primo instanti, in quo fuerunt illuminati circa credibilia: ergò non sunt infideles negativè; in sensu intento à D. Thoma.

29 Impug. 1.

Secundo.

Tertio.

Adest etiam pro tali illuminatione in omnibus pueris pervenientibus ad usum rationis gravis difficultas: eo quod adstruitur lex generalis illuminãdi omnes de rebus fidei indepẽdenter à prædicante, & per solam inspirationem Dei. Siquidem talis lex opponitur Apost. ad Rom. 10. dicente: *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, quẽ non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante?* Et concludit: *Ergò fides ex auditu.* Super quæ ait D. Thom. lect. 2. *Est autem duplex auditus, unus quidèm interior, quo quis audit à Deo revelante, iuxta illud Psalm. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Alius autem auditus est, quo quis audit ab homine exterius loquente. Primus auditus non pertinet ad omnes, sed propriè ad gratiam prophetiæ; ideò relinquitur, ut hoc dictum Apost. sit intelligendum de secundo auditu; & ideò subdit: Quomodò ergò audient sine prædicante?* Unde ponere, quod auditus interior fidei, & per illuminationem internam, est communis omnibus pueris pervenientibus ad usum rationis, est contra Apostolum, ut exponitur à Div. Thoma; vel debet concedi omnes illos illuminari gratia prophetiæ, ut ibidem docet S. D.

30 Ultimo.

Denique respondent Alij distinguendo inter potentiam antecedentem, & potentiam consequentem ad se converten dum in Deum Authorem naturæ super omnia dilectum. Asseruntque gratiam supernaturalem non esse necessariam ad posse antecedens, sive per modum actus primi ad actum efficacem dilectionis naturalis; sed solum, ut de facto, quis prædictum actum dilectionis efficiat. Nàm cum gratia habitualis solum desideretur, ut removens prohibens, scilicèt, peccatum habituale: & peccatum non tollat potentiam ad actum dilectionis, sed solum actualem eius elicientiam; fit consequens, quod etiam si Deus nullum auxilium supernaturale conferat puero pervenienti ad usum rationis, & similitèr adulto existenti in peccato personali; imputetur eis omissio dilectionis naturalis. Cum ad imputabilitatem sufficiat potentia antecedens,

31 Ultima solutio cõmun.

sive sufficientia ex parte actus primi.

Sed contra objicit M. Ferre. Ut
32 imputetur carentia dilectionis, debet præsupponi potentia expedita per modum actus 1. ad illam; unde ligato
Impugn. 1. catena ferrea nequit imputari carentia deambulationis, quia non habet potentiam deambulativam expeditam, sed impeditam ad ambulandum. Atqui existens in peccato mortali aliundè inconiungibili cum dilectione actuali Dei super omnia, est simpliciter impeditus, & quasi ligatus catena ferrea ad diligendum Deum super omnia: ergò si caret omni auxilio, ut abijciat à se peccatum habituale, nequit ei imputari omissio dilectionis. Quapropter estò admittatur dari potentiam antecedentem ad dilectionem naturalem Dei super omnia, talis potentia non est expedita, sed impedita in ratione potentiæ. Qua ratione melius dicitur potens remotè, quam proximè diligere Deum, ut A. naturæ.

Hanc impugnat. sic explico,
33 & confirmo. Operatio, quæ non aliter potest existere, nisi dependenter ab
Confirm. aliqua forma; nequit contineri in libertate voluntatis, quæ nullatenùs est potens ad talem formam; sed iuxta dicta gratia habitualis est necessaria, ut existat dilectio naturalis in homine peccatore: ergò si talis gratia non est ullo modo in eius potestate, nec pariter erit elicientia talis dilectionis.
Urget. 1. Urget. Ideò prædeterminatio ad amorem v. g. non est impedimentum ex parte actus primi ad eius omissionem: quia ex se supponit indifferentiam ad utrumque, & solum habet reducere in actu secundo voluntatem ad amorem præ illius omissione; sed peccatum habituale de se non supponit indifferentiam ad se convertendum, vel non, in Deum Authorem naturæ; nec est determinatio efficax ad non conversionem præ conversione: ergò si impedit conversionem, impedit impedimento se tenenti ex parte actus
Secundo. primi. 2. Eò licet prædeterminatio ad dissensum sit impedimentum consensus, & non sit in potestate hominis acquirere prædeterminationem ad cōsensū, non tollit quominùs homini imputetur dissensus, quia est id, per quod homo subordinatur Deo in operando, & huiusmodi subordinatio destrueretur, si in sua potestate haberet prædererminationem. Sed peccatum habituale non est id, per quod homo subordinatur Deo in non conversione, nec gratia habitualis illud excludens est id per quod subordinatur in conversione; cum hoc sit gratia prædeterminans donans conversionem: ergò si in sua potestate non habet excludere peccatum habituale per gratiam, est impeditus impedimento pertinenti ad rationem potentiæ expeditæ, ut se convertat in Deum; proindèque non est ei imputabilis omissio conversionis.

2. Impugno solutionem, quia
34 oppositam doctrinæ D. Thom. loco citato ex 1. 2. q. 85. Si gratia habitualis
Alia via impugn. solut. esset requisita ex parte actus 2. ut homo existens in peccato converteretur in Deum Authorem naturæ, per priùs remitteretur peccatum, quam homo converteretur in Deum; sed hoc expressè opponitur doctrinæ D. Thom. ergò & solutio data. Prob. min. referendo eius verba: *Quod si homo se ordinaverit in debitum finem, per gratiam cōsequetur remissionem peccati*, ubi expressè priùs ponit conversionem in Deum, & postmodum remissionem peccati per infusionem gratiæ. Deindè D. Thom. in 2. dist. 28. q. 1. a. 4. ad 4. & in 4. dist. 17. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. ad 4. asserit, puerum nutritum in silvis posse se præparare ad fidem, & ad gratiam, si per cognitionem naturalem, & amorem Dei convertatur in ipsum. Ex quibus clarè deducitur ex S. D. nec fidem, nec gratiam præcedere, etiam per modum removentis prohibens, ad dilectionem naturalem; verba eius sunt: *Finis ultimus, scilicèt, Deus, potest esse in intentione eius, qui fidem non habet, per generalem, & naturalem cognitionem, quam de Deo habet. Unde etiam ille, qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam præparare*, (præparatione negativa) *& ad gratiam, si secundùm suam cognitionem peccatum ipsi displiceat, & in Deum affectus eius feratur.* Ubi clarissimè docet posse hominem sine fide se præparare ad fidem, & gratiam habendam, detestan-

do

do peccatum, & se convertendo in Deum, quem sola ratione naturali cognoscit. De quo amplius circa illud axioma *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, *pro cuius intelligentia videri potest M. Serna tract. de merito iusti inter opera M. Ferre q.2.ar.1. a n.1168.

§. V.

In quo proponitura alia ratio.

35 2. PRob. Eò gratia habitualis esset requisita, ut removens prohibens, ad dilectionem naturalem Dei super omnia, quia talis dilectio est inconiungibilis cum peccato habituali, & aliunde nequit illud expellere; sed utrumque falso, aut inconsequenter dicitur: ergo. Min. quoad 1. partem prob. Ideò prædicta dilectio esset inconiungibilis cum peccato habituali; quia cum hoc saltim indirectè avertat à Deo A. naturæ, ut fine ultimo, sequeretur ex opposito, quod homo esset simul conversus, & aversus à Deo, ut A. naturæ, quod repugnat. Sed huiusmodi repugnantia falso adstruitur: ergò. Min. prob. Hominem esse actu conversum ad Deum, & simul aversum habitualiter ab ipso indirectè, ut A. naturæ, nullam dicit repugnantiam: Non quidem propter eorũ contrarietatẽ directam; cum hæc solum detur inter actum, & actum, inter habitualem conversionem, & habitualem aversionem. Deindè non propter contrarietatem indirectam, quod sic prob. Eatenùs dilectio naturalis indirectè contrariaretur aversioni habituali; vel quia necessario disponeret ad conversionem habitualem; quæ directè ei opponitur, vel quia destrueret id, à quo pendet in sui permanentia aversio habitualis his enim motivis dicitur à pluribus Thom. actũ charitatis contrariari indirectè, nec posse coniungi cum peccato habituali. Sed dilectio naturalis non est dispositio necessario connexa cum gratia; imò nec positivè disponens ad illam. Deindè: nec opposita permanentiæ peccati; vel quia peccatum habituale non dependet in conservari, ab aliquo actu libero voluntatis: vel quia solùm dependet à carentia efficacis retractationis; quæ quidem retractatio nullatenùs fieri potest per actum naturalem: ergò talis dilectio nec directè, nec indirectè contrariatur peccato habituali.

Convellitur motivum Adversi.

Duplex contrarietas.

Confirm. hæc doctrina exemplis. 36
1. Nam licèt idem mobile nequeat simul moveri motibus contrarijs, benè tamen potest cum inclinatione habituali ad unum terminum actu moveri in oppositum, ut patet in gravi ascendenti sursum. 2. Nàm licèt actus virtutis adquisitæ, & actus vitij; similiterque habitus virtutis, & vitij, ne queant simul coexistere; benè tamen habitus, & actus: qua ratione etiam visio clara Dei fuit coniuncta cum habitu fidei in D. Paulo: ergò similiter dicendũ de aversione à Deo, & conversione, servata proportione. Quòd si pro nunc admittamus actum charitatis non posse coniungi cum peccato habituali; hoc non provenit præcisè ex terminis conversionis, & aversionis, sed quia, ut diximus, est dispositio ultima ad gratiam; ex quo sequitur esse ex natura rei cum illo inconiungibilem; & ex hoc etiam essentialiter; nè Deus esset specialis Author conservationis peccati. Vel quia est efficax retractatio peccati actualis, à quo, ut moraliter permanenti, dependet peccatum habituale: quorum neutrum reperitur in dilectione naturali Dei. Undè solum remanet titulus conversionis actualis, sive affectivę; cui minimè opponitur aversio habitualis, & effectiva per peccatum habituale.

Exempla in confir.

37
2. Pars min. prob. forma inconiungibilis cum altera tùnc nequit illam expellere, quando ad sui existentiam debet præcedere expulsio illius per formam contrariam; hac enim ratione, etsi odium v. g. sit inconiungibile cum prædeterminat. ad amorem, nequit illam excludere; quia ut existat odium, necessariò præcedit ad illius entitatem prædeterminatio formaliter opposita cum prædeterminatione ad amorem. Undè solùm gaudet incompatibilitate passiva, non vero activa. Sed dilectio naturalis Dei super omnia non petit, quod necessariò præcedat in homine gratia habitua-

Si dilectio nequit cõiungicum peccato, destruit illud.

tualis, per quam formaliter expellitur peccatum: ergo inconsequenter ponitur, ut inconiungibilis cum illo, & impotens illud destruere. Confirm. Eò peccatum veniale, etsi inconiungibile cum statu innocentiæ, non erat potens illud destruere; * quia ratione perfectionis prædicti status homo cognoscens media cum subord. ad finem, nequibat inordinatè se habere peccando venialiter circa ea, quæ sunt ad finē, nisi præcedenti in ordinatione circa finem; unde peccatum veniale non nisi ex aversione læthali, ut ex causa procedere poterat: ergò, ut dilectio naturalis Dei nequeat expellere peccatum, quamvis sit cum illo inconiungibilis, necesse est, ut illa petat procedere, vel elicitive, vel saltim imperative à forma expellente illud. Sed hoc repugnat; cū sit pure entitativè naturalis: ergo nequit esse cum illo inconiungibilis, & aliundè impotens ipsum destruere. Urget. 1. Urgeo hoc. Supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem non datur medium inter gratiam sanctificantem, & peccatum habituale: ergò carentia peccati habitualis necessariò infert existentiam gratiæ sanctificantis: ergò si dilectio naturalis Dei super omnia in homine elevato necessariò prærequirit carentiam peccati habitualis; petit necessariò existentiam gratiæ sanctificantis. Sed non necessariò purè à comittanti, aut ex consequenti: ergò à priori, ut antecedenti ipsam.

Confirm.

* Sic S. D. hic q. 89. ar. 3.

39 Hinc falsò dicitur in peccatore solùm requiri gratiam sanctificantem per modum removentis prohibens, Secundò. ut diligat naturaliter Deum super omnia. Ratio est. Nàm si peccatum habituale impedit elicientiam dilectionis, profectò impedit aliquid positivè influens, vel per modum principij, aut per modum cognitionis regulantis, aut per modum applicationis ad illam. Nam si nihil horum tollit, asserere peccatum habituale impedire dilectionē est clarè petere principium. Assigna ergo quodnam ex his designatis tollitur? Non quidem virtus voluntatis physicè illam in se continens; non iudicium indifferenter proponens Deum, ut diligendum naturaliter super omnia; non denique iudicium efficacius, & vehementius proponens talem dilectionem; cum peccatum habituale non impediat, quominùs ratio naturalis proponat in Deo A. naturæ plures rationes bonitatis, & utilitatis ad sui amorem super omnia naturalia reputans illa, ut vanitas, & ut stercora: ergò remotio peccati habitualis facta per gratiam, non est remotio alicuius prohibentis necessariò existentiam dilectionis naturalis Dei.

Nec ratio facta potest instari in remotione catenarum impedientium deambulationem; eò quòd nequit assignari, quid impediatur per catenas pro priori ad motum. Non inquàm instari valet. Nàm impediunt, quod potētia deambulandi sit subdita in suo motu imperio voluntatis; quæ subiectio requiritur ex parte actus primi ad libertatem, & imputabilitatem omissionis deambulationis. Similiter si prædeterminatio ad dissensum impedit consensum; eò sic contingit, quia necessariò causat dissensum formalitèr excludentem consensum: qua ratione dici potest, quòd carentia talis prædeterminationis est remotio prohibentis consensum. Undè nunquam verificatur, quod aliquid requiritur, ut removens prohibens, tàm ex parte potentiæ antecedentis, quàm consequentis; nisi quia tale prohibens aufert aliquid positivè expediens: aut positive determinans, & applicans potentiam ad actum.

40 Occurritur aliquibus instātijs.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

41 OBijcies 1. ex D Thom. in hoc ar. dicenti: *In statu naturæ corruptæ ad diligendum Deum naturaliter super omnia indiget homo auxilio gratiæ naturam sanantis.* Sed gratia sanans naturam est gratia habitualis: ergò. Resp. neg. min. Gratia enim sanans ut sic abstrahit à gratia habituali, & ab actuali, sive auxiliante: illa enim sanat hominem quantum ad mentem, liberando ipsum à contagione culpæ; hæc vero sanat quantum ad debilitatem virium ortam ex vulneribus illatis per peccatum; scilicèt, à

Primum arg.

Resp.

à vulnere ignorantiæ in intellectu, malitiæ in voluntate; concupiscentiæ, & infirmitatis in appetitu iuxta doctrinam D. Thom. hac 1.2. q.85. ar.3. Undè consulto dixit S. D. auxilio gratiæ sanantis; quod proprius convenit gratiæ actuali, quàm habituali: quapropter ar.4. & 8. ubi requirit gratiam sanctificantem; tùm ad non peccandum longo tempore; tùm ad observationem diuturnam legis naturæ, usus est nomine *gratiæ sanantis, & spiritus grat:* & nomine *gratiæ habitualis.*

42 Secundũ arg & fundam. Adverſ.

Obijcies 2. Prædicta dilectio est inconiungibilis cum peccato mortali, quòd nequit expellere; cum sit actus entitative naturalis: ergò ad sui elicientiam prærequirit gratiam habitualem illud expellentem. Añs. prob. 1. Implicat hominem esse aversum à Deo A. naturæ, & simul esse efficaciter cõversum in illum; sed per omne peccatũ mortale avertitur homo saltim indirectè à Deo, ut A. naturæ; & per amorem efficacem naturalem convertitur efficaciter in ipsum: ergò prædicta dilectio &c. 2. Homo per peccatum adhæret creaturæ, ut fini ultimo; per dilectionem autem Dei super omnia, adhæret ipsi, ut ultimo fini. Sed implicat hominem habere simul duos fines ultimos, ut docet S. D. 1.2. q.1. ar.5. ergò repugnat hanc dilectionem coexistere peccato.

43 Si respondeatur.

Nec valet si dicas, quod licèt repugnet hominem esse simul actualiter, aut habitualiter conversum in duos fines ultimos; non tamen esse conversum actualiter in Deum, & simul habitualiter ab ipso; eò quòd habitus, & actus non opponuntur contrariè; cum non sint in eodem genere. Contra 1 Non inquam valet 1. Nàm peccatum actuale mortale solum est conversio actualis in bonum creatum, ut finem ultimum; & tamen est essentialiter inconiungibile cum gratia habituali convertenti habitualiter hominem in Deum, ut finem ultimum. Secundò. 2. Actus charitatis elicitus medio auxilio fluido (Deo suspendenti infusionem gratiæ in eodem instanti) est inconiungibilis cum peccato habituali commisso pro priori, ut tuentur plures Thomistæ; cum tamen prædictus actus solùm sit conversio actualis in Deum, ut finem ultimum. 3. Visio clara Dei est essentialiter inconiungibilis, etiam cum peccato habituali; ut tenent frequenter Thomistæ hac 1.2. q.4. ar.4. Sed talis vitio solùm est actualis coniunctio cum Deo, ut fine ultimo: ergò, etsi actus dilectionis naturalis sit solùm actualis conversio in Deum, nequit coniungi cum peccato habitualiter avertente à Deo, ut fine ultimo. Ratio omnium est; Nàm estò actus, & habitus solùm indirectè opponantur, potest dari oppositio indirecta essentialis, ut exemplis supra adductis constat. Tertiò.

44 Tuetur solut. data.

Resp. Solutione data; quàm latè propugno cum Boliv. tract. de ult. fine dub. 7. §. 3. Conversio enim habitualis in aliquod bonum, ut finem ultimum, nihil est aliud, quàm perman. inclinatio in illum; cum permanenti autem inclinatione in unum terminum stat actu tendere in oppositum: ut patet in homine habenti habitum temperantiæ, & simul in temperate comedenti; & in D. Paulo ratione fidei permanenter inclinatio ad obscure cognoscendum Deum, & simul actu ipsum clare videnti; & in corpore gravi dono agilitatis transeuntis ornato. Ratio est: Nàm ad oppositionem essentialem multoties prærequiritur oppositio ex parte modi inter ea, quæ opponuntur; qua ratione calor remissus, & frigus intensus non opponuntur. Cum ergò actu converti in unum finem ultimum, & esse permanenter conversum in alium, non dicant contrarietatem ex parte modi; ideò possunt simul existere.

45 Ad 1. impugn.

Ad 1. impugn. Resp. 1. ex illa probari dilectionem naturalem habere vim expellendi peccatum habituale; ut de se constat. Resp. 2. Dictam oppositionem essentialem provenire non ex terminis conversionis actualis in unum finem ultimum, & habitualis in alium; sed ex eo quod, omne peccatum actuale mortale opponitur essentialiter causæ actu conservanti gratiam habitualem; scilicèt, amori amicabili Dei, quo prosequitur creaturam. Cum enim Deus odio habeat peccantem mortaliter; cessat statim amicitia erga peccantem; à qua tàm

in

in fieri, quàm in conservari, dependet necessariò gratia sanctificans. Non aliter ac, qui ponit obstaculum illuminationi Solis, statim destruit lucem, quæ priùs inerat spacio. Ita S. D. 2.2. q. 24. ar. 12. *Charitas cum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione, & conservatione charitatis, sicut Sol in illuminatione aeris. Et ideo, sicut lumen statim cessaret in aere per hoc, quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi Solis: ita etiam charitas statim deficit esse in anima per hoc, quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ charitatis à Deo in anima. Manifestum est quod per quodlibet peccatum mortale ponitur prædictæ infusioni obstaculum &c.* Quó nihil opportunius.

46 Sed ut instantia Adv. inefficax appareat; sciendum est ipsum S. D. tùm ubi immediatè; tùm q. 2. de virtutibus ar. 13. cum vellet probare peccatum actuale non posse coniungi cum habitu charitatis, quia per illud homo avertitur ab incommutabili bono; subdit: *Sed quia actus non directè contrariatur habitui, sed actui: posset alicui videri, quod per actum peccati mortalis impediretur charitatis actus; ita tamen, quod non tolleretur habitus.* Ex quibus constat S. D. rationem probantem actum peccati læthalis non posse coniungi cum habitu charitatis ex terminis aversionis actualis, & habitualis conversionis inefficacem reputare; ideòque alia ratione suadet talem inconiungibilitatem.

Nota ulteriùs.

47 Ad 2. neg. mai. cum M. Bolivar tract. de iustific. ubi supra solidè oppositum suadente. Deindè illa admissa Resp. 2. esse manifestam disparitatem; Nàm peccatum habituale pendet quòad sui conservationem à peccato actuali, ut moraliter perseveranti; quæ permanentia consistit in eo quod non sit efficaciter retractatum. Cum igitur actus charitatis sit efficax retractatio; ideò ex vi illius destruitur peccatum actuale, ut moraliter perseverans; ac proinde ex consequenti destruitur etiam habituale peccatum. Vel aliter: peccatum habituale non est quæcumque carẽtia gratiæ, sed carentia voluntaria; ob idque dicitur strictè privatio. Qua ratione dupliciter deficere potest, aut per introductionem gratiæ; aut auferendo voluntarietatẽ; & hoc modo tollitur per actum charitatis indirectè; eo quod cum voluntas toto corde in Deum convertatur; solùm remanet carentia gratiæ, ut involuntaria, & ut negatio, non tamen ut voluntaria, & ut privatio. Quàm doctrinam expressè tradunt Authores nobis in hac parte contrarij: nec eam audent, aut possunt, concedere dilectioni pure naturali. Tùm quia aliàs expelleret peccatum habituale; Tùm quia cum hoc sit aversio à Deo A. gratiæ, nequit efficaciter retractari per conversionem in ipsum solùm, ut A. naturæ.

Ad 2. im pugn.

48 Ad 3. Resp. Ad esse disparitatem multiplici ex cap. 1. propter immediatè dicta; Nàm peccatum habituale pendet in sui permanentia à peccato actuali, ut non retractato; & hoc à iudicio defectuoso illud regulanti, ut eodem modo perseveranti. Visio autem clara Dei cum sit perfectissima cognitio evidenter rectificans intellectum, tam speculativè, quàm practicè circa Deum, ut præponendum omni bono creato; est efficax retractatio, & extinctio omnis iudicij defectuosi, etiam quòad sui moralem perseverantiam. 2. Nàm visio est coniunctio habitualis eminenter, cum sit ab intrinseco permanens. Undè etsi transeunter cõmunicata, excludit aversionẽ habitualem oppositam. 3. Quia est beatitudo quòad essentialia; proindeque necessar: inconiungibilis cum summa miseria, quale est peccatum. 4. Quia iuxta plures est sãctitas formalis. Et hoc 1. quia est gratia consummata in se habens eminenter perfectionem gratiæ habitualis. 2. quia si ius ad hæreditatem conveniens ratione gratiæ, sanctificat, potiori ratione ipsa hæreditas. 5. Quia est coniunctio effectiva cum Deo summè bono, ut A. gratiæ, & naturæ. Nihil autem horum convenit dilectioni Dei pure naturali.

Ad 3. tra. ditur multiplex disparit.

49 Sed dices: hæc omnia posse rectè adaptari peccato habituali personali per proprium actum introducto, non tamen peccato originali; quòd nullatenùs pendet in sui conservatione ab aliquo peccato actuali, ut mora-

Instabis contra dicta.

raliter permanenti. Imò etiam si admittatur pendere à peccato actuali Adami, ut capitis, & ut permanenti moraliter; attamen actus charitatis elicitus ab hoc individuo nequit retractare illam perseverantiam moralem manentem in voluntate adeò extranea, qualis est voluntas Adami: ergò in tali peccato solùm potest provenire inconiungibilitas cum actu charitatis ex terminis conversionis actualis ad Deum, & aversionis habitualis ab ipso.

50 Resp. Quòd peccatum Adami eatenùs fuit causa peccati originalis Solutio. posterorum; quatenùs fuit capitale, hoc est, quatenùs in eo naturaliter erant omnes voluntates posterorum tanquàm in capite; qua ratione etiam omnes posteri naturaliter transgressi sunt præceptum violatum ab Adamo. Hinc provenit actum charitatis iuxta sententiam, quam modo admittimus, esse retractationem efficacem peccati actualis commissi ab Adamo, quatenùs fuit commissum à Petro v.g. ut moraliter in ipso Adamo contento. Quare voluntas posterorum moraliter collocata in Adamo præcedit contractionem peccati originalis. Undè ii præveniatur in instanti 1. vel alio, per actum charitatis, aut contritionis, ratione talis actus sufficienter retractatur illa prima voluntarietas, ita ut nequeat coniungi cum peccato originali.

51 Objeies 3. & replicabis. Implicat hominem actu efficaciter converti in Deum, & simul esse habitualiter Arguit. 3. ex PP. Salmant. ab illo aversum, & conversum ad creaturam, ut finem ultimum: ergò doctrina hucusque data implicat. Prob. 1. añs. 1. Añs. prob. 1. De ratione finis ultimi actu super omnia dilecti est, quod actu dominetur voluntati, sibi subijciendo omnes eius affectus, & inclinationes; cum exigat appeti, ut bonum plenè saciativum voluntatis. Atqui repugnat aversionem habitualem à Deo, & conversionem in bonum creatum, ut finem ultimum, actu subordinari, & subijci Deo super omnia dilecto, ut patet: ergò im- Secundò. plicat &c. 2. Perfecta dilectio Dei super omnia etiam, ut A. naturæ, est plena subiectio voluntatis, & plena obedientia ad Deum; sed peccatum habituale, est fuga à Deo, & inobedientia, ut patet, ex definitione peccati: ergò implicat &c. Nec recurras ad inobedientiam habitualem. Nàm hæc spectat ad idem genus morale, ac inobedientia actualis, & reputatur idem moraliter cum illa: ergò si plena obedientia actualis est inconiungibilis cum simili inobedientia, etiam erit cum inobedientia habituali. 3. Id, quod essentialiter pugnat cum causa necessariò requisita ad existentiam peccati habitualis, pugnat etiam necessariò cum illo; quemadmodum, quod nequit coniungi cum actione productiva termini, nequit cum termino coniungi; sed prædicta dilectio Dei nequit coniungi cum peccato actuali, quod est productio peccati habitualis: ut supra diximus de dæmonibus: ergò nec valet coniungi cum peccato habituali. S. Ambr. definit illud per inobedient. Tertiò.

Neg. añs. & illius 1. probationem, prout includit affectiones, & 52 inclinationes habituales voluntatis. Ratio est 1. quia de ratione ultimi finis Solutio. habitualiter dominantis voluntati, non est, quod omnes affectiones per Ad 1. pro bat. modum actus, & inclinationes per modum habitus, subordinentur habitualiter ipsi; sit exemplum in attritione efficaci supernaturali, & in actu spei, qui est volitio efficax prosequtiva beatitudinis supernaturalis, elicitis ab homine peccatore habitualiter converso ad bonum creatum, ut ad finem ultimum. Huiusmodi enim affectus, utpotè ex sua tendentia, receſſus à peccato, & accessus ad Deum ut obiectum beatificum, nullatenùs subordinantur bono creato, ut fini ultimo; quin potiùs ipse Deus est prius finis ultimus operis, ut dicitur respectu talium affectuum. Nec dicas eos habitualiter subijci bono creato, ut fini ultimo. Nàm ly *habitualiter*, vel solùm dicit comittantiam ex parte subiecti, quod est conversum ad bonum creatum? & hoc nihil refert ad præsens: vel dicit subiectionem saltim in actu 1. & per modum habitus? & hoc est prorsùs falsum. Nàm ubi repugnat subiectio actualis, non datur subiectio habitualis in sensu formali accepta. Atqui repugnat ex ter-

terminis affectus recensitos actu subjici bono creato, ut fini ultimo: ergò & repugnat subijci habitualiter in sensu formali, & proùt differt à sensu pure comittanti.

53 2. Nàm de ratione conversionis actualis in Deum, ut finem ultim. solùm est referre in ipsum omnes affectiones, sive operationes actu existentes, & postea extituras in eo, qui modo dicto convertitur: talis enim conversio solùm dicit propositum efficax placendi Deo in omnibus, & sequendi præceptorum regulam tanquam mensuram omnis suæ operationis. Quod si sit in peccato habituali, superaddit odium efficax, sive detestationem ipsius. Propositum autem efficax placendi Deo in omnibus suis operationibus; & simul odium efficax detestativum peccati, non includunt subiectionem omnium inclinationum habitualium, & quæ per modum termini reperiuntur in subiecto. Ex quibus in forma dist. 1. prob. assis. Omnes sui affectus, & inclinationes per modum actus, conc. mai. Per modum habitus, subdist. Si sint referibiles in talem finem, conc. mai. Si non sint, neg. mai. Nec obstat, tale bonum apprehendi, & diligi, ut plenè satiativum voluntatis. Non inquam obstat; Nàm solùm diligitur, ut plenè satiativum in ordine finis actu allicientis voluntatem ad sui desiderium; ad quod sufficit, quod voluntas de facto, & in posterum, non desideret aliud bonum propter ipsum. Sit exemplum in visione, & amore Dei, transeunter communicato D. Paulo; talis enim visio, sicut, & amor, fuit sacietas actualis omnis desiderij, ac affectus in illo existentis; non tamen satiavit omnem inclinationem habitualem repertam in ipso; scilicèt, inclinationem habitus fidei, & spei, ad cognoscendum Deum obscure, & ad sperandum in ipso.

Sic instes Resp.

54 Ad 2. prob. neg. mai. Intellectam de inobedientia habituali, sive per modum termini relicti ex inobedientia actuali; stat enim quam optimè subiectum aliquod fuisse inobediens, & postea resipiscens, velle efficaciter in posterum actu obedire. Quemadmodum optimè componitur aliquod movile cum distantia habituali à sole v. g. coniungere motum actualis conversionis, ut illuminetur à Sole. Nec obstat malitiam utriusque peccati reputari, ut unum moraliter; Nàm hæc solùm est per ordinem ad prudentum existimationem, non verò quòad esse intrinsecum illius: quod debet attendi ad investigandam contrarietatem, & oppositionem essentialem cum actuali conversione ad Deum. Et quidem attritio supernaturalis, si sit efficax, etiam includit in proposito plenam, & adæquatam obedientiam præceptorum Dei: ideòque solùm differt à contritione ex parte motivi. Si igitur stat talis attritio multoties coniuncta cum peccato habituali; videant A. nobis adversantes, qua veritate gaudeat illa propositio universalis: * voluntas efficax plenè obediendi Deo in omnibus, nequit coniungi cum inobedientia habituali, & ex præcedenti peccato per modum termini derelicta. *

Ad 2.

55 Ad 3. neg. mai. Cuius falsitas constat in motu conversionis ad solem, qui nequit coniungi cum motu aversionis, & tamen coniungitur cum distantia ex tali motu relicta. Similiter actus virtutis est inconiungibilis cum actu vitioso circa eandem materiam; & tamen coniungitur cum habitu vitij per ipsam producto. Undè claritatis gratia hæc propositio: *dilectio inconiungibilis cum peccato actuali, est etiam inconiungibilis cum peccato habituali*; sic debet distingui: * cum peccato habituali; quod sit terminus peccati actualis coexistentis cum dilectione, conced: quod sit terminus peccati habitualis antecedentis talem dilectionem, neg. * & de hoc peccato habituali antecedenter commisso, vel contracto per originem, dicimus posse coniungi cum dilectione naturali Dei super omnia, elicita post illius contractionem.

Ad 3.

56 Obijcies 4. Dilectio naturalis Dei est dispositio ultima, aut saltim sufficiens, ad veram remissionem peccati, proùt hoc est offensa Dei, quatenùs est A. naturæ; sicuti dilectio supernaturalis est dispositio ad illam, prout est offensa illius in esse A. gratiæ: ergò posita tali dilectione Deus remittet talem

Arguitur 4. ex Ill. Godoy.

lem offensam ; sicuti posita ultima dispositione ad formam introducit formam. Sed implicat remitti peccatum , quod est utroque modo offensa Dei , sub una ratione , & non sub alia ; nè detur dimidia venia : ergò cum ad remissionem peccati , prout est A. gratiæ , requiratur ; tùm actus charitatis per modum dispositionis; tum ipsa gratia habitualis per modum formæ ; dicendum huiusmodi dilectionem nunquam poni sine actu charitatis , & sine gratia habituali , ut removente prohibens.

57

Resp. 1. non favere A.

Resp. hoc argum. non satis consequenter adduci ad probandã sui A. opinionem. Ratio est: Nàm iuxta ipsum dilectio naturalis requirit pro priori ad sui elicientiam remissionem peccati habitualis , & ab ea , ut à priori per modum removentis prohibens dependet. Sed dilectio nequit disponere ad illam formalitatem, ad quam consequitur ; ut est certum : ergo nequit disponere ad remissionem peccati. Nec dicas subsequi ad remissionem peccati , ut est offensa Dei A. gratiæ , & disponere ad eandem remissionem , prout est offensa Dei , ut A. naturæ est. Non inquam dicas 1. Nàm si in aliquo signo intelligitur per prius gratia remittens peccatũ, ut est offensa Dei A. gratiæ, etiã intelligitur remissio offensæ A. naturæ; cum in illo signo intelligatur Deus plenè pacatus, & subiectũ amans sanctum per gratiam. 2. Quia si intelligitur remissio peccati , ut est offensa Dei A. gratiæ, præintelligitur actus charitatis efficaciter retractans omnem aversionem saltim eminenter , & illius voluntarietatem : ergò nihil remanet efficaciter retractabile per dilectionem naturalem , nec aliqua voluntarietas moraliter destructibilis. Patet hoc in eo, qui per actum charitatis , & sine dilectione naturali, se disponit ad gratiam excludentem peccatum ; quod quidem remittitur dispositivè perfectè ratione actus charitatis , & formaliter perfectè ratione gratiæ : ergò cũ tùnc casus, tàm actus charitatis disponens, quàm gratia habitualis haberent eodem effectus ; dicendum dilectionem naturalem non disponere ad remissionem peccati , ut est offensa A. naturæ , & subsequi ad remissionem eiusdem , ut est offensa Dei, quatenùs est A. gratiæ.

Impugn: quædam Resp.

58

Resp. 2.

Resp. 2. neg. assumpt. Nàm esto remissio peccati , ut est offensa Dei A. naturæ, non explicet supernaturalitatem , actu tamen illam includit; cum remissio illius à forma supernaturali proveniat. Nihil autem entitativè naturale potest ultimò , aut sufficienter, disponere ad id , quòd actu est supernaturale ; licèt sub aliqua expressione non dicat supernaturalitatem. Quemadmodum ad visionem Dei , ut A. naturæ, non admittitur appetitus innatus naturalis ; quia estò prout sic non dicat supernaturalitatem , eam tamen actu includit ratione summæ unitatis inter visionem Dei utroque modo consideratam. Hæc dicta sunt iuxta opinionem A. asserentium peccatum commissum in pura natura non dicere privationem gratiæ , posseque remitti per aliquod donum purè naturale. Nàm in opposita opinione etiam remissio peccati commissi ab homine elevato , prout est offensa Dei A. naturæ, exprimit formam supernaturalem , ac proinde nequit aliquid naturale ad illam , prout sic, ultimò disponere.

59

Arguit. 5.

Obijcies 5. Si ad dilectionem naturalem Dei super omnia non requiritur gratia habitualis, sequitur plures ex peccatoribus etiam infidelibus, dilexisse Deum A. naturæ super omnia, hoc nequit concedi : ergò. Min. constat : Nàm cum talis amor sit amor, non concupiscentiæ , sed amicitiæ , sequeretur Deum eos dilexisse amore amicabili naturali ; quod nequit componi cum odio illorum propter peccatum. Mai. autem prob. Peccatores etiam infideles habent potestatem antecedentem physicam ad talem dilectionem , vi cuius tenentur sub præcepto ad eius elicientiam ; sed hoc ipso nulla est ratio , ut Deus ipsis non præbuerit auxiliũ efficax ad talem dilectionem ; siquidem gravis difficultas ad sic diligendum Deum minimè obstare potest : cum Deus etiam infidelibus donaverit gratiam efficacem ad alios actus difficiles v. g. victoriam gravis tentationis: ergò.

60

Resp. conced. sequelam cum M. Bo-

Solutio. Bolivar, & Alijs in præsenti. Nec ex hoc sequitur talem dilectionem dicendam forè amicitiam naturalem circa Deum; nec ab ipso amicabiliter, adhùc imperfectè, diligi; eo quod ad hanc denominationem requiritur carentia peccati, quod est simpliciter inimicitia hominis cum Deo. Quemadmodum ad denominationem beatitudinis naturalis non sufficit ipsa entitas cognitionis, & amoris naturalis Dei super omnia, uti conceditur Pueris in Limbo existentibus (à SS.M. Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 14. M. Medina hic ar. 3. & Alijs) quia videlicèt cum sint in statu peccati, & damnationis æternæ, nequeunt denominari beati, etiam beatitudine naturali. De quo Illust. Godoy de beatit. disp. 14. Adest etiam exemplum in opinione asserentium actum charitatis elicitum medio auxilio fluido, & Deo suspendenti miraculosè gratiam, non esse remissivum peccati; qui quidem non denominaretur amor amicabilis Dei, sed tantum amor benevolentiæ: eo quod ad talem denominationem requiritur carentia peccati. Admittimus Pueros in Limbo existentes diligere Deum naturaliter super omnia: quia satis efficaciter insinuatur à D. Thom. in 2. dist. 33. q. 2. ar. 2. ad 5. dicentes: *Quamvis Pueri non baptizati, sint separati à Deo quantum ad coniunctionem, quæ est per gloriam: ei tamen coniunguntur per participationem naturalium bonorum, & ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione.* Rursus: cum in tali statu nullum peccatum committant, sed potiùs totam legem naturæ adimplent: nulla adest ratio, ut talis dilectio nõ sit etiam Dei ut legislatoris: proindeque appreciativa super omnia naturalia. Oppositum accidit in dæmonibus, & damnatis semper transgredientibus præcepta naturalia; licèt ex motivo supernaturali: qua ratione similem amorem eis supra negavimus.

61 Ult. arg. difficile. Denique objicies, & difficilius. Si Puer perveniens ad usum rationis, sine illuminatione fidei, & gratia habituali prærequisita, adhùc per modum removentis prohibens, potest, & tenetur diligere Deum naturaliter super omnia, vel explicitè, si ipsum hoc modo, ut A. naturæ cognoscat; vel implicitè sub ratione comm. boni honesti cũ proposito efficaci in omnibus recte operandi; sequitur, quòd si Pueri hoc modo convertantur; Deus facienti, quod est in se ex viribus naturæ conferat gratiam habitualem ad remissionem peccati originalis; ac proinde auxilia supernaturalia ad actus fidei, & charitatis disponentes ad illius infusionem. Sed hoc concedere videtur absurdum; & error damnatus contra semipelagianos: ergò oppositũ asserendum. Sequela constat; Nàm iuxta D. Thom. hac 1. 2. q. 89. ar. 6. cuius doctrina concluſ. probavimus, *si Puer se ordinaverit in debitum finem se in Deum convertendo, per gratiam consequetur remissionem peccati originalis; si autem non se ordinaverit peccabit mortaliter, & sic nunquam invenietur peccatum originale cum solo veniali*: ergo si nomine ordinationis ad debitũ finem intelligitur à nobis conversio naturalis; saltim in his, qui sunt nutriti apud infideles; tenemur consequenter asserere Deum confere gratiam fidei, & iustificationis his, qui faciunt, quod est in se ex viribus naturæ.

62 Solutio. Hoc argum. tangit gravissimam difficult: pro cuius dicisione præclarissimi AA. satis ingeniosè insudarunt. Nos autem consequenter adhùc usque dicta, & sequentes doctrinam SS. M. Serna, Illust. Arauxo, M. Lezana tract. de reprob. dub. 11. quos illustrat in manuscriptis SS.M. Fr. Dominicus Perez olim Primarius Complutensis (in sensu diverso ab illo, quẽ tuetur P. Molina) libenter concedimus sequelam, utpote traditam à D. Tho. q. 14. de verit. art. 11. ad 1. per hæc verba: *Si quis in sylvis nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fugi mali, certissimè tenendum est, quod si Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria; vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret; sicut misit Petrum ad Cornelium.* Quo nil videtur clarius. Nàm etsi hoc testimonium Aliqui conentur eludere exemplo Cornelij, de quo constat habuisse fidem supernaturalem, licèt non explicitam de mysterijs fi-

Prob. assumpt ex S.D.

fidei; falsò tamen sic exponitur. Siquidem ly *sicut misit Petrum ad Cornelium* : solum facit relationem ad illa priora verba, *vel aliquem Prædicatorem ad eum dirigeret*. Non autem facit comparationem ad fidem, quam iã habebat Cornelius. Aliter enim, ille puer non sequeretur ductum rationis naturalis. Hoc mihi (quidquid alij dicant) est clarissimum stando textui D. Thom. Ferè eadem habet in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 4. ad 1. & in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 4. & in 2. dist. 5. quæst. 2. art. 1.

63 Explicatur sensus axiomatis; facienti quod est &c. 1.

Sed, ut omnis duritia, etiam quòad apparientiam, auferatur, notandum est : hanc propositionem: *Facienti, quod est in se ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam, ita ut nomine gratiæ intelligatur gratia vocat. supernaturalis fidei, spei, & aliorum, quæ requiruntur ad iustificationem* ; posse multiplicem sensum habere. Primo Pelagianum; si ly *ex viribus naturæ* solum importet sufficientiam convenientem libero arbitrio ex vi creationis; ita ut sine ulteriori auxilio, quo Deus donet, & operetur in nobis velle, & perficere, homo operetur, quantum est in se: id est, quantum habet in suo dominio, & libertate. Cum sit definitum contra ipsum in Concilijs, non solum à Deo nos habere posse velle, & operari bonum, sed etiam ipsum velle, & operari bonum. Hac ratione non solum Deus confert nobis adiutorium, ut possimus velle, & operari bonum; sed etiam adiutorium, per quod fit, ut benè velimus, & agamus. De quo Mag. Par. ferè per totum lib. de gratia Christi. Continet similitèr sensum Pelagianum, si talitèr Deus homini facienti, quod est in se ex viribus naturæ, conferat auxilia supernaturalia ad credendum, ut illa sint proptiè ex meritis. Cum sit fide certum fidem, & vocationem ad illam esse omninò gratuitam, nec dari ex meritis, ut patet ex illo Pauli ad Philipens. 1. *Vobis donatum est pro Christo, ut credatis.* Et rursùs:

64 *Fides donum Dei est, non ex operibus, nè quis glorietur.*

Secundò. Rursùs. Si actus dilectionis naturalis Dei, & similis displicentia circa peccatum (ad quorum existentiam Deus conferat auxilia sufficientia ad fidem, & iustificationem) talitèr ponatur dari à Deo, ut hoc fiat medio auxilio efficaci ab extrinseco ex determinatione voluntatis creatæ cum concursu omnipotentiæ sibi indifferentèr præparatæ, uti ponitur ab Author. Societatis; talis propositio continet sensum nobis falsum; siquidem, ut latè alibi probatur à Thomistis : ex vi talis efficaciæ opera elicita à libero arbitrio, nec sunt dona Dei, nec per talem gratiam auxiliantem facit Deus, ut faciamus; sed potiùs è contra; quandoquidem si Deus talia opera facit, hoc contingit : quia à voluntate creata determinatur, ut Deus in actu secundo faciat.

65 Sensus Thomist.

Hinc ab oppositio colligere licet; quod si conversio ad Deum, ut Authorem naturæ, in puero perveniente ad usum rationis, & similitèr in infideli iam adulto; simul cum displicentia peccati, quatenùs est offensa Dei, ut Auth. naturæ; talitèr adstruantur elicita ex viribus naturæ; ut ly *ex* denotet solum sufficientiam indigentem ulteriori auxilio intrinsecè efficaci, & speciali intra ordinem naturæ; & insuper; prædictis actibus dilectionis, & displicentiæ de omni peccato negetur, tùm ratio meriti de condigno; tùm etiam ratio meriti de congruo, congruitate, inquam, intrinseca fundanti aliquod ius, estò imperfectum. Tùm deniquè ratio dispositionis positivè disponentis, & proportionantis subiectum, ut Deus conferat auxilia sufficientia ad fidem, & ad ulteriores actus disponentes ad iustificationem; nihil duritiæ, aut aliqualiter consonum errori Semi-Pelagianorum adstruitur; sed solum ostenditur summa Dei misericordia, offerendo omnibus sufficientiam, saltim mediatam ex adiuncta Dei promissione; ut possint salvari; &, ut nemo, etsi barbarus, & infidelis, sit penitùs extra statum salutis æternæ.

66

Hoc enim pacto, hisque conditionibus, tuetur à Thomist. supra recensitis puerum pervenientē ad usum

rationis, si convertatur ad Deum, ut Authorem naturæ, accepturum ab ipso gratiam vocationis ad fidem, & ad alios actus disponentes ad receptionem gratiæ. Idem dicendum de infideli iam adulto, & etiam in grandæva ætate, qui etiam, si dicto modo diligat, & doleat de peccatis propria voluntate commissis, accipiet à Deo auxilium, tùm ad fidem, tum ad alios actus disponentes ad iustificationem, ut sic prædicti infideles non sint extra statum salutis. Quod si accepto auxilio sufficienti ad fidem circa prima credibilia designata ab Apostol. ad Hebræos 11. non credat; vel etiam si credat, non speret; vel etiam actù non diligat Deum, ut Authorem gratiæ: tunc committet nova peccata, & carentia iustificationis ipsi imputabitur ad culpam. E contra vero iustificabitur, si prædictis auxilijs benè utatur. Unde illa propositio Div. Thom. *Quod si se ordinaverit in debitum finem, consequetur per gratiam remissionem peccati*, non sic debet intelligi, ut inter gratiam remissivam, & ipsam ordinationem nihil mediet; sed iuxta modum supra explicatum: quia tùnc obligat etiam præceptum se convertendi ad Deum, ut Authorem supernaturalem. Hæc omnia accipiunt robur ex damnatione propositionis 29. Kesnell, quæ est huiusmodi: *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.* Et ex alia damnata ab Alexandro VIII. quæ talis est: *Pagani, Iudæi, Hæretici, Alijque huius generis, quandiù in eo statu perseverant, nullum omninò accipiunt à Iesu-Christo influxum: adeò, ut hinc rectè inferas, in illis esse rationem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.*

PP. Salm. hic disp. 2. dub 4. n. 151. fatentur hoc dictum esse probabile, licet illam non admittât.

Ex his in forma disting. illam minor. Absurdum est facienti, quod est in se ex viribus naturæ &c. Ly *ex viribus naturæ* non adiutis gratia speciali Dei etiam intra ordinem naturæ moventis, & facientis, ut faciat, quod in se est, conced. minor. Ly *ex viribus naturæ* adiutis gratia speciali modo dicto, subdisting. Si opus factum ex viribus naturæ ponatur, ut medium intrinsecè tale, aut dispositio positivè disponens ad gratiam supernaturalem, conced. minor. Si nihil horum eis attribuatur, neg. minor. In hoc enim solum resplendet misericordia Dei gratuitò annectentis sufficientiam ad consequtionem vitæ æternæ ei, qui etiam ex speciali gratia ipsius, ut Authoris naturæ, ad illum se convertit. Nec dicas, hanc legem universalem conferendi gratiam supernaturalem modo dicto poni voluntariè. Nàm ponitur ut omnibus pateat via ad salutem, & simul adstruatur in pluribus infidelitas negativa. Et quidem si ab Adv. ponitur lex universalis illuminandi omnes pueros, etiam infidelium, vel circa aliqua mysteria fidei; dùm perveniunt ad usum rationis contra illam legem universalem, positam ab Apostolo: *Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò verò audient, sine prædicante?* cur nobis opponunt voluntarietatem dicendi in modo supra explicato? Sed omitti non debent duo.

67 Respond. in forma.

1. Rationes probantes nostrum modum dicendi non posse liberari ab errore Semi-Pelagianorum; eo quod si talia opera præcedunt, debet ipsis concedi ratio meriti, & dispositionis, initiantis ordinem gratiæ; probant etiam, quod nec de potentia absoluta potuit Deus offerre gratiam supernaturalem, ei qui se converteret per dilectionem naturalem; cum illud inconveniens debeat reputari, ut tali in omni providentia. Quod concedere est planè absurdum. Videatur prædictus Mag. Serna ubi supra, à num. 1288. & num. 1293. 68

Duo advert. digna. 1.

2. Axioma asserens: *Quod si puer perveniens ad usum rationis faciat, quòd est in se (hoc est, quòd suis viribus continetur)* dabit Deus ei gratiam iustificantem: * satis ineptè exponi iuxta opinionem Adversi. Ratio est. Nàm PP. Salmantic. hic §. *addimus* fatentur, quod si gratia iustificans necessariò requiritur, ut removens peccatum habituale ad hoc, ut postmodum puer eliciat actum dilectionis naturalis, nunquam verificatur facere, quod in se est, quousque gratia iustificans adve- 69

Secundù.

veniat. Sed illorum pace, quis existimabit, ut congruam dictam expositionem? Si enim præcedit necessariò gratia iustificans, ut homo diligat naturaliter Deum super omnia; & hoc est illum actù facere, quod in se est; sensus talis axiomatis erit: *Si Puer media gratia iustificante habita pro priori* (& ad quam sunt necessarij alij actus ultimo disponentes, scilicèt, charitatis &c.) *remittente peccatum diligat Deum; accipiet ab ipso eandē gratiam, qua consequetur remissionem peccati originalis; ut ait S. Doct.* Quod quis credet?

§. VII.

In quo aliquæ conclusiones statuuntur.

69 PRima est: *In statu naturæ corruptæ requiritur gratia specialis ad dilectionem Dei A. naturæ.* Ita expressis terminis Ang. Mag. hic art. 3. *Quia scilicèt voluntas nostra propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum.* Et 2. 2. q. 136. art. 3. ad 1. *In natura humana, si esset integra, prævaleret inclinatio rationis; sed in natura corrupta prævalet inclinatio concupiscentiæ, quæ in homine dominatur.* Ex quibus (recapitulando omnia dicta pro specialitate gratiæ in pura natura) sic formatur ratio: Auxilium datum homini ad actum honestum contra inclinationem prævalentem, sive vehementèr ei resistentem, est auxilium speciale: natura enim quælibet exigit concursum iuxta inclinationem in ea dominantem. Sed talis est amor naturalis Dei super omnia in statu naturæ corruptæ; iuxta adducta ex S. Doct. & ipsa experientia manifestum: ergò homo in statu naturæ corruptæ &c.

Prob. ex D. Thom

70 Confirm. Amor appreciativus Dei A. naturæ super omnia, includit propositum efficax in voluntate se abstrahendi ab omnibus bonis sensibilibus, quæ adversantur rectæ rationi; sed homo lapsus indiget gratia speciali ad huiusmodi abstractionem: ergò. Prob. min. Homo indiget gratia speciali, ut abstrahat suum affectum ab illis bonis, quæ efficacissimè, & vehementèr alliciunt voluntatem ad sui prosequtionem; cum in hoc appareat gravissima difficultas, & impotentia moralis. Sed talia sunt bona sensibilia: Tùm quia præsentia: Tùm quia magis proportionata, & vivaciùs cognita: Tùm quia de præsenti afferunt vehementem delectationem: Tum quia ipsorum appetitus est magis consuetus ab infantia; cum quibus nascimur, nutrimur, & adolescimus. Ergò quòd Deus auxilietur voluntati tot impedimentis involutæ, ut totaliter avertat affectum ab illis adversantibus rationi, & convertatur ad Deum super omnia dilectum, est motio specialis.

Confirm.

71 Favet etiam Concilium Arausican. can. ult. ubi ait: *Per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuisse liberum arbitrium, ut nullus postea diligere Deum, sicut oportet, possit, nisi gratia eum, & misericordia divina prævenerit.* Par. Aug. Epist. 107. * liberum arbitrium ad diligendum Deum granditate primi peccati perdidimus. * Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 18. Unde est in hominibus charitas Dei, nisi ex ipso Deo. Nàm si non ex Deo, sed ex hominibus vicerunt Pelagiani. Si autem ex Deo; vicimus Pelagianos. * Videatur Mag. Lemos ubi supra cap. 23. & 24. in quibus eruditè affert quàm plura alia ex Magn. Parent. & ex Sanct. Doct. cap. 25. Et licet Aliqui * interpretentur præfata testimonia de dilectione supernaturali; probabilius tamen est, quod loquantur etiam de amore naturali Dei super omnia. Tùm quia absque ulla distinctione negant solis viribus naturæ posse diligere Deum. Tùm quia loquuntur contra Pelagium, qui solum amorem naturalem Dei cognoscebat. Tùm quia negant talem amorem possibilem sine gratia; eo quòd per peccatum originale fuit attenuatum liberum arbitrium, & inclinatum ad temporalia, propter rebellionem appetitus. Hæc autem ratio militat etiam pro amore naturali, dummodo sit super omnia. Sed de his satis.

Ex testim. Frequenter dicitur: virtutem gravitèr infirmam esse perditam. * Ita Scotus, Nomin. Durand. Molina, Lorca dubit. Granad. tuétes oppositum.

72 *Hæc gratia specialis esset entitativè, & adæquatè naturalis; illaque consisteret in complexo ex speciali illustratione prævalenti contra cognitionem bonorum sensibilium, & ex gratia præ-* Secunda concluſ.

determinanti. 1. pars constat ex dictis dub. 9. ubi probavimus non requiri gratiam auxiliantem supernaturalem; nec etiam gratiam habitualem per modum removentis prohibens ; ut abundè probatum relinquimus. Unde illa repetere est superfluum. 2. pars probatur ex dictis dub. 8. §. 8. & dub. 7. de gratia ad vict. grav. tent. In quo diximus gratiam specialem ad talem dilectionem * consistere in complexo ex speciali illustratione practica, sive iudicio prælativo dictante Deum hic, & nùnc, esse super omnia diligendum, & ex gratia prædeterminanti, qua efficacissimè roborat, irresistibiliter determinando voluntatem ad dilectionem. Hinc tandèm dicimus: *Gratiam necessariò requisitam non dare vires physicas, nec quòad substantiam, nec quòad modum, ut voluntas diligat Deum super omnia, sed solum donare dilectionem.* Videantur hic PP. Salm. eruditè probantes nihil potentiæ anteced. deficere homini lapso ad talem dilectionem.

* In pura natura.

Tertia concluſ.

73 Cuidam quæsito fit satis.

Si quæras: An etiam homo iustificatus indigeat gratia speciali ad prædictam dilectionem ? Pars affirmativa videtur probabilior. Licet enim homo per gratiam habitualem sanetur quātum ad mentem, remanet in eo corruptio quantum ad carnem, ut ponderat S. D. hic art. 9. Et etiam obscuritas in intellectu; simulque bona sensibilia adversa rectæ rationi, voluntatem illius vehementèr alliciunt. Quapropter, etiam si gratia iustificationis illum firmet in bono; adhùc tamen experitur magnam difficultatem; dùm vult totalitèr se abstrahere à sensibilibus, & ad Deum, ut finem ult. toto corde converti. Quare tale auxilium erit gratia specialis relatè ad naturam ut manentem cum aliqua corruptione ; licet non relatè ad ipsam, ut sanctificatam. Hic supererat probare gratiam ab intrinseco efficacem esse gratiam sanantem; ut de illa verificetur dictum ab Aug. Mag. hic in illis verbis: *Indiget auxilio gratiæ naturam sanantis.* Sed quia de hoc speciali dub. agendum est. *Dicta sufficiant applicand. litt. M. ubi præc. Et præsertim ad illa verba §. 1. Et non sit donum Dei charitas.*

DU-

DUBIUM XI.

AN HOMO IN STATV NATVræ lapsæ ad adimplendam totam legem naturæ indigeat gratia speciali, & quali?

§. I.

SUPPONUNTUR ALIQUA, ET REFERUNTUR SENTENTIÆ.

N. 1 SUpponimus 1. cum communi sensu Theologorum præcepta supernaturalia de actibus virtutum supernaturalium non posse adimpleri absque auxilio supernaturali gratiæ elevanti naturam ad eorum elicientiam; quia videlicèt natura viribus proprijs est intrinsecè impotens eos producere. Quod enim est purè naturale, nec formalitèr, nec eminentèr, aut virtualitèr, valet continere intrinsecè id, quod est entitativè supernaturale. Huius enim constitutio exprimitur per hoc, quod sit supra exigentiam, & activitatem, saltem adæquatam naturæ. Est tamen in adimpletione præceptorum supernaturalium aliqua diversitas ex parte gratiæ requisitæ per modum principij. Nàm actus charitatis, & contritionis titulo ultimæ dispositionis ad gratiam habitualem, petunt ipsam sub munere auxiliantis pro principio elevante, ut frequentèr tuentur Thomistæ. Alij verò actus, scilicèt, fidei, spei, attritionis, Religionis &c. solùm exigunt pro principio, vel habitum fidei, & spei, vel aliquod auxilium fluidum supernaturale. Huiusmodi auxilium dicitur absolutè auxilium gratiæ specialis: Nàm estò facta comparatione illius, vel ad naturam, ut elevatam ad ordinem gratiæ, ex vi providentiæ generalis supernaturalis; vel ad ipsam, ut intrinsecè perfectam per gratiam sanctificantem, & dona ad ipsam consequuta possit dici gratia generalis; quia tamen ratio debiti, aut indebiti, in quo consistit specialitas gratiæ, sumitur per ordinem ad subiectum, cui fit gratia, & non respectivè ad habitus ipsam perficientes; ideò opus elicitum medio auxilio supernaturali, dicitur absolutè fieri ex gratia speciali.

Prima suppos. & probat

Consultò loquuti sumus de præceptis supernaturalibus, quorum adimpletio fit per actus supernaturalium virtutum. Sunt enim aliqua præcepta supernaturalia; quæ dicuntur talia, quia imposita sunt à Deo Authore supernaturali; & sunt circa res spectantes de se ad ordinem gratiæ; quæ tamen adimpleri possunt absque auxilio gratiæ supernaturalis elevantis gratiam ad elicientiam actuum, in quibus salvatur ratio adimpletionis. Constat hoc 1. in eo, qui accedit ad Sacramentum Baptismi sine attritione supernaturali, & cum intentione illud suscipiendi ob motivum vanitatis, vel alterius boni temporalis; in hoc enim casu sic accedens suscipit caracterem baptismalem, estò non gratiam sanctificantem: & tamen talis intentio, utpotè ex pravo fine imperata, nequit esse entitativè supernaturalis. Constat etiam in Sacerdote administrante Sacramenta ex pravo fine; quæ quidem intentio ob rationem dictam nequit esse supernaturalis; cum tamen sit certum sic administrantem Sacramenta adimplere aliquod præ-

2 Discrim. in præcept. supern.

ceptum supernaturale circa illorum administrationem. Constat denique in Hæretico administranti baptismum &c. Ratio est: Nàm intentio nequit esse supernaturalis, nisi cognitio regulativa ipsius sit etiam supernaturalis; ut autem cognitio sit entitativè supernaturalis, non sufficit, quod sit de obiecto supernaturali, sed requiritur, quod motivum, sub quo cognoscitur tale obiectum, sit supernaturale; cum ex tali motivo actus sortiatur suam speciem. Licet autem hæreticus administrans Sacramenta credat aliquid supernaturale, scilicèt, eorum institutionem, & fructum; quia tamen hoc non credit fide divina innitenti divinæ revelationi propositæ ab Ecclesia; sed tantum fide naturali, & acquisita innitenti proprio dictamini: ideò volitio, seu intentio administrandi talia Sacramenta nequit esse supernaturalis. Idem dicendum de præcepto profitendi fidem coram tyranno; dummodo tyrannus solum interroget; an credat Mysterium Trinitatis v. g. & non quærat, an illud credar Fide Christiana propter divinam revelationem ab Ecclesia Catholica propositam? in hoc enim casu poterit homo, etiamsi sit hæreticus, satisfacere præcepto professionis fidei, etiam per actum entitativè naturalem; hoc enim solum obligat ad proferendum verba, quibus explicatur fides interna per se loquendo. Oppositum horum, quæ diximus, tenet Mag. Serra hic dub. 1. Sed nostra suppositio est communis. Præcepta autem confessionis, & communionis non implentur, si fiant sacrilegè.

3 Secunda. Supponimus 2. cum D. Thom. in præf. præcepta legis etiam naturæ dupliciter posse adimpleri, uno modo quantum ad substantiam operum; prò ut scil. homo operatur iusta, & fortia, & alia virtutis opera; alio modo non solum, quantum ad substantiam operis, sed etiam, quantum ad modum agendi, ut scilicèt ex charitate fiant. Si sit sermo de adimpletione legis naturæ hoc 2. modo: certum est, requiri auxilium gratiæ specialis entitativè supernaturalis. Ratio est: Nàm talis adimpletio habetur media elicientia actus dilectionis supernaturalis, quo imperantur actus naturales adimplentes legem naturæ. Actus autem entitativè supernaturalis, ut sup. diximus, requirit pro sui elicientia auxilium supernaturale. Et quamvis D. Th. in verbis adductis solum exprimat observationem legis naturæ factam ex motivo charitatis; attamen conformitèr ad eius doctrinam: etiamsi fiat ex quocumque motivo supernaturali, semper erit necessaria ad talem observationem aliqua gratia supernaturalis. Hinc etiam constat observationem totius legis naturæ, vel etiam cuiusvis præcepti naturalis, ut positive conducentem ad consequtionem vitæ æternæ, & per modum meriti; requirere gratiam supernaturalem; quia videl. omnis actus meritorius vitæ æternæ iuxta D. Th. petit procedere ex imperio charitatis: & insup. quia nullus actus potest adhuc de congruo mereri, nec disponere positivè ad gratiam habitualem, nisi fiat ex imperio, aut directione actus supernaturalis. Dub. igitur solum procedit de observatione legis naturæ quoad substantiã. Sed quia frequens loquutio iam invalut apud RR. asserentes præcepta legis naturæ posse adimpleri quoad substantiam per actus prava circunstantia vitiatos; ut dùm quis audit Sacrum ex motivo vanitatis; ut quæst. locum habeat: necesse est illam procedere de observatione totius legis naturæ per actus naturales undequaque honestos, sive nulla prava circunstantia vitiatos. Ratio est in promptu. Nàm actus pravus moralitèr, etiamsi sit adimpletivus præcepti naturalis, nec est ex gratia speciali, nec auxilium gratiæ. Unde illa contrapositio D. Th. inter observationem legis naturæ quòad substantiam, & quoad modum: solum debet intelligi de observatione quantum ad modum purè extrinsecum actibus adimplentibus legem naturæ; scil. ex motivo supernaturali; non vero de observatione quantum ad modum intrinsecum, & debitum actibus; cum lex naturæ præcipiat; ut quoties homo in materia virtutis se exercet, iustè, & absque ulla prava circunstantia operetur. Hęc expositio (ni fallor) est recta, & germana intelligentia doctr. D. S. pro nùnc circa duplicem observationem le-

Observatio quoad modũ petit gratiã.

legis naturæ, vel alterius præcepti.

4 Cum ex dictis in antecedentibus constet dilectionem Dei A. naturæ super omnia, & similiter actum honestum de se arduum, & difficilem, uti est dilectio inimicorum, & permanens puritas; tùm animæ, tùm corporis, requirere gratiam specialem; certum est observationem totius legis naturæ illam necessariò requirere; cum præceptum dilectionis Dei, & inimicorum, & non violandi castitatem, non possit adimpleri sine gratia speciali, etiam pro brevissimo tempore. Unde nec inquirimus: *An singuli actus legis naturalis possint fieri sine gratia? Neque An omnes, quos lex naturalis præcipit, requirat pro sui elicientia gratiam specialem? sed: An observatio totius legis naturæ collectivè sumpta, & sub hac abstractione formali usque ad finem vitæ, vel saltim per longum tempus, ita ut homo non peccet mortaliter fraagendo aliquod præceptum naturale; requirat necessario gratiam specialem, & qualis sit huiusmodi gratia?* Hinc inferes, *AA. probantes necessitatem gratiæ specialis pro observatione totius legis naturæ, eo quod sub illa continetur dilectio Dei, dilectio inimicorum, puritas animæ, & corporis, quæ nequeunt haberi sine gratia speciali*, etsi efficacitèr probent assumptum; non tamen procedere in probatione, observando rigorem doctrinæ in vi consequentiæ formalis; hæc enim desumi debet, considerata fragilitate, & magna debilitate virium, in qua mansit natura humana post peccatum: & simul considerata excellentia, & arduitate, quæ reperitur in continuata observatione legis naturæ secundùm se inspecta; quin ad hoc sit necesse descendere in particulari, ponderando arduitatem unius, vel alterius præcepti; quod quidem, etsi sit de se facillimum; dummodo urgeat gravis tentatio, à qua nemo liberatur, non poterit illud adimplere sine gratia speciali.

Sensus dubij.

5 Supponimus 3.° cum D. Thom. in præs. hominem in statu naturæ integræ ob perfectam subiectionem appetitus ad rationem, qualis fuit Adamus in statu innocentiæ, potuisse omnia mandata legis adimplere quantum ad substantiam operum sine gratia; licet non quantum ad modum, scilicèt, proùt talis observatio sit ex imperio charitatis. Circa quam propositionem dubitatur; An D. Thom. per ly *omnia mandata legis* intelligat etiam mandata legis supernaturalis, vel solum mandata legis naturæ? Si enim 1. videtur falsum continere; cum omnis actus supernaturalis requirat auxilium gratiæ ad sui elicientiam. Si 2. videtur restrictionē de ly *omnia mandata legis*, esse voluntariam. Resp. cum communi sensu, excepto Eminent. Cayet. D. Thom. in hoc art. solum loqui de præceptis naturalibus: 1. Nàm supra q. 63. a. 2. ad 2. iam dixerat, hominem sine gratia nullo modo posse vitare peccata mortalia, quæ directè opponuntur virtutibus Theologicis: proindèque iam ibidem stabilierat ad observandum præcepta de virtutibus Theologicis necessariò requiri gratiam, in quocumque statu. 2. Nàm art. 2. huius quæst. dixit in statu naturæ integræ non posse hominem velle, & operari aliquod bonum supernaturale sine virtute gratuita superaddita virtuti naturæ. Quapropter attento ordine, quo D. Thom. procedit in suis art. absque inutili repetitione, videtur certum in dicta propositione loqui de observatione legis putè naturalis.

Tertia de statu integritatis.

6 Sed quia rationem huius dicti assignare oportet ex ijs, quæ alibi docet, & illam proponere. 1. desumitur ex his, quæ docuit art. 2. & 3. sub hac forma: Homo in statu naturæ integræ erat potens quantum ad sufficientiam operativæ virtutis, per sua naturalia in omne bonum sibi proportionatum, tàm physicè, quàm moralitèr; sed huiusmodi est observatio totius legis naturæ; cū hęc sit iuxta inclinationem naturæ rationalis, & in tali statu nulla erat infirmitas, vulnus, aut inordinatio appetitus, retrahens voluntatem à tali observatione: ergò in dicto statu poterat sine gratia observare &c. 2. Ratio hic insinuata à Div. Thoma, est. Si homo in tali statu non potuisset omnia mandata legis naturæ adimplere sine gratia, non posset non peccare, sive, quod idem est, esset necessitatus ad peccandum; cum peccare sit transgre-

Prima ratio.

Secunda.

gredi divina mandata; consequens est absurdum: ergò fuit sine gratia potens adimplere totam legem naturæ. Hæc secunda ratio videtur non rectè probare, ut ex infra dicendis videbitur alicui. Unde in obsequium S.Doctoris; & nè ob aliquas obiectiones parvi momenti, apud aliquem non benè affectum, doctrina S.D. inefficaciam patiatur, placet contra illam opponere 1.

7 Objc. 1. Indigentia gratiæ superadditæ dantis sufficientiam homini integro ad observationem totius legis naturæ non probat illum non posse non peccare, sive esse necessitatū ad peccandum. Assumpt. prob. 1. Nàm homo in statu naturæ corruptæ indiget tali gratia ad eandem observationem; & tamen non sequitur hominem in dicto statu, non posse non peccare contra legem naturæ; aliàs fuisset lib. arb. extinctum per peccatum; quod est hæreticum; & insuper lib. arb. post peccatum primi Parentis non nisi ad peccandum valeret: quod est assertum Bajanum à Summis Pontificibus novissimè damnatum.. 2. Nàm Adamus in statu innocentiæ indiguit gratia speciali superaddita virtuti ad victoriam gravis tentationis, cui consentiendo peccavit; idemque dicendum, ut perseveraret in bono; ut communiter tuentur Theologi; & tamen, nec fuit necessitatus ad consentiendum tentationi; nec ad non perseverandum. Ratio omnium est. Nàm etsi aliquis indigeat gratia ad rectè operandum; dummodo illam possit acquirere media oratione à Deo; meritò imputatur ad culpam omissio boni operis; cum ad peccandum sufficiat potestas adquirendi potestatem immediatam, per quam ponatur actus adimpletivus præcepti: ergò ex eo, quod Adamus &c.

Argues 1 cont. dicta.

Secundo.

8 Hæc tamen minimè reddunt inefficacem probationem D.Thom. quam desumpsit ex M. P. lib. de Correct. & grat. c. 11. ubi loquens de adiutorio *sine quo* ad perseverandum in Angelis, & Adamo, sic ait: *Si tale adiutorium Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset: quia non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset permanere, si vellet, non utique sua culpa cecidisset.* Quæ verba continent propositionem D. Th. in præs. art. scilicèt: * si homo in statu naturæ integræ non haberet sufficientiam ad observanda omnia mandata legis naturæ, sed indigeret gratia dante sufficientiam; aut non peccaret, transgrediendo divina mandata; aut esset necessitatus ad peccādum.* Hoc supposito, pro solutione notandum D. Thom. in testimon. supra adducto solum loqui de indigentia gratię dantis potestatem, aut sufficientiam ad observationem totius legis naturæ, non vero dantis solum actualem observationem, sive perseverantiam in bono. Est enim satis probabile; adhùc ad perseverandum in bono purè naturali, Adamum eguisse gratia speciali, non quidem propter aliquam difficultatem intrinsecam ortam ex aliqua pugna appetitus adversus rationem: sed ob solam indifferentiam libertatis ad peccandum; eo quod naturæ indifferenti ad peccandum, & non peccandum, non debetur ex vi providentiæ generalis auxilium, quo semper efficacitèr determinetur ad non peccandum.

Notanda doctrina M.P.

9 Insuper notandum sufficere ad imputabilitatem omissionis alicuius boni, illud omittere, etiam deficiente potestate immediata ad benè operandum; dummodo omittens possit talem potestatem pro suo libito acquirere; ut constat in non recitante propter defectum Breviarij, qui tamen est potens habere illud. Quæ doctrina traditur à D.Th. in præs. ar. in sol. ad 2. ut hoc motivo salvet hominem in statu naturæ corruptæ peccare, non observando totam legem naturæ, etsi ad hoc gratia sanante indigeat, his verbis: *Illud, quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omninò impossibile, quia iuxta Philos. quæ per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus*; & a. 8. ad 1. *Quia ex defectu hominis est, quod homo non se præparet ad gratiam habendam; propter hoc à peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest.*

Alia S.D.

10 Hæc tamen doctrina, nec congruit statui integritatis naturæ, nec nisi voluntariè potest ipsi accomodari. Ratio 1. est: Nàm iuxta SS.PP. & præsertim D.Aug. de correct. & grat. cap. 12. Ada-

Prob. 1. dictum.

* Adamus in illo fœliciſsimo ſtatu propter plenam ſubiectionem appetitus ad rationem: propter ornamenta omnium virtutum naturalium, & propter perſpicacitatem intellectus ad cognitionem, tàm ſpeculativam, quàm practicam omnis veri naturalis, gaudebat magna facilitate non peccandi,*quæ quidem neceſſariò includit omnem ſufficientiam, tàm mediatam, quàm immediatam, & ulteriùs addit facilitatem, & expeditionem ad non peccandum, obſervando omnia mandata divina. Ex quo conſtat, quod ponere in dicto ſtatu Adamum indigere gratia dante ſufficientiam immediatam, vel phyſicam, vel moralem ad obſervationem totius legis naturæ; eſt ponere aliquid complicatorium, & incomponibile cum dicto ſtatu. Ratio 2. eſt: Nàm recurſus ad acquirendam poteſtatem immediatam pro obſervatione totius legis naturæ media oratione, aut dependenter ab alio exercitio libero, ſolùm poteſt, & debet admitti; dùm nobis conſtat Deum habere præparatam ſuam omnipotentiam ad conferendam talem poteſtatem immediatam, quòd patebit ex teſtimonijs Sacræ Script. per quam divina voluntas nobis innoteſcit.

Sensus M. P.

Prob. 2. dictum.

11 Huiuſmodi autem teſtimonia ſolùm loquuntur pro caſu corruptionis naturæ humanæ, in qua manſit poſt peccatum 1. Parentis; per quæ teſtimonia nobis præcipitur, ut faciamus, quod poſſumus, & à Deo exoremus, quod non poſſumus, ut loquitur Concil. Trident. ſeſſ. 6. de iuſtific. & M. P. ſæpè lib. de grat. & lib. arb. Ex his omnibus conſtat conſequentiam factam à D. Thom. eſſe efficaciſsimam; cum recurſus ad oblationem poteſtatis immediatę pro obſervatione totius legis naturæ (qui quidem recurſus unicè poteſt eſſe evaſsio rationis probativæ) nec ſit cōponibilis cū felici ſtatu integritatis, nec aliundè poſsit ſolidè fundari. Undè rectè infert Ang. Doct. ex indigentia talis gratiæ, & ex obligatione ſervandi totam legem naturæ, ſequi hominem in ſtatu innocentiæ eſſe neceſsitatum ad peccandum tranſgrediēdo, aliquod præceptum vagè ſumptum, quod repugnat cum perfectione talis ſtatus; ut ſupra vidimus. Per quæ facilis eſt ſolutio ad impugnationes ſupra adductas.

Ex dictis manet in concuſa ratio S.D

His ſuppoſitis 1. ſententia aſſerit 12 hominem etiam in ſtatu naturæ corruptæ poſſe obſervare totam legem naturæ ſine gratia ſpeciali. Ita Abulenſis ſupr. Matth. c. 19. q. 177. & 178. Scotus in 2. diſt. 28. q. 1. §. ad quæſtionem. Gabriel q. 1. ar. 3. concl. 3. Durandus ibid. q. 3. & 4. Secunda ſententia aſſerit ad talē obſervationē requiri gratiam ſpecial: auxiliantem, non tamen habitualem; ita D. Bonaventura in eadem diſt. ar. 1. q. 3. & ar. 2. q. 2. & Marſilius ibid. licèt ſatis confuſè. Tertia ſententia communis aſſerit eſſe neceſſàriam utramque gratiam, tàm habitualem, quàm auxiliantem; ita cum D. Thom. Soto de natur. & gratia cap. 22. Ferrara 3. contra gent. cap. 166. Cayet. Medina, Conradus, Martinez, Ferre, M. à S. Thom. Goner, Vazquez diſp. 196. c. 3. Suarez de neceſsit. gratiæ c. 26. & alij, quos refert Illuſt. Godoy in præl. licèt circa modum, quo gratia habitualis requiritur ad talem obſervationem, ſit inter illos aliquod diſcrimen: de quo infra.

Sententiæ.

§. II.

STATUITUR PRIMA CONCLUSIO.

Ad obſervantiam totius legis naturæ indiget homo lapſus gratia ſpeciali donanti actualem obſervantiam.

13 COncluſio procedit de gratia ſpeciali, præciſivè ab eo, quod huiuſmodi gratia ſit ſolùm gratia actualis auxilians, vel etiam ſub ſe includat gratiam habitualem. Rurſus. Quia dupliciter poteſt aliqua gratia ſpecialis ad rectè operandum requiri, vel ita, ut conferat poteſtatem proximam ad actum; vel ita, ut ſolùm donet actum; ideò in præſenti concluſione ſolum loquimur de gratia ſpeciali donanti actualem obſervationem; poſtea vero examinabimus; an huiuſmodi gratia ſpecialis ſit neceſſario requiſita etiam ad poſſe omnia mandata obſervare. Huius autē diſcrimi-

Explicat.

minis adest manifestum exemplum in Adamo respectivè ad perseverantiam in bono; ad quam, estò iuxta frequentem Theologorum sensum indigeret gratia speciali donanti actu perseverare; non tamen donanti posse perseverare. Huiusmodi enim posse coniunctum cum magna facilitate non peccandi iam acceperat à Deo, antequam peccaret. Deinde: estò sit communis sententia hominem non posse sine gratia speciali vincere gravem tentationem ex motivo honesto naturali; nec similiter diligere Deum A. naturæ super omnia; attamen huiusmodi gratia specialis iuxta plures, quos in antecedente sequuti sumus, nō requiritur ad posse proximè liberè vincere gravem tentationem, & diligere naturaliter Deum super omnia, sed solùm, ut conferens actualem victoriam, & actualem dilectionem Dei. Ex his constat motivum, ut prima huius conclusio sit sub terminis relatis proposita.

14 Quæ adeò est certa, ut M. Medina asserat illam esse de fide, quem sequuntur alij moderni; alij vero cum Probatur P. Suarez existimant esse adeò certam, ut contraria non solùm sit temeraria, sed etiam errori proxima. Prob. 1. ex dictis in antecedentibus. Nàm si homo nequit sine speciali gratia adimplere præceptum dilectionis Dei A. naturæ super omnia, nec alia præcepta naturalia, quando urget gravis tentatio, propter infirmitatem liberi arbitrij: à fortiori non poterit sine illa diù, vel usque ad finē vitæ servare totā legem naturæ collective; cum huiusmodi observatio superaddat novam difficultatem propter alia præcepta obligantia ad sui observationem. Plura testimonia, tùm ex Concilijs, tùm ex SS. PP. deducta, inveniuntur frequenter apud AA. ad probandam nostram conclusionem; cum in illis expressè asseratur, *sine gratia Dei non posse hominem vitare omnia peccata, & oppositum fuisse errorem Pelagij*; ita Concil. Milevit. can. 3 & Arausic. can. 25. & M. P. epist. 90. & lib. de gratia Christi c. 8. & 9. & lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 10 & 11. & alibi.

Duplex responsio Si fortè respondeas 1. dicendo SS. PP. loqui de adimpletione legis conducente ad salutem æternam. 2. Dicendo SS. PP. loqui de adimpletione totius legis, tàm naturalis, quàm supernaturalis. Neutra tamen satisfacit. Prima rejicitur 1. Non 1. Nàm adimpletio salutaris cuiusvis præcepti, etiam facilis, necessariò requirit gratiam specialem, & supernaturalem, utpote procedens ex imperio charitatis, vel alicuius virtutis infusæ. Atqui Concilia, & PP. aliter loquuntur de gratia requisita ad adimpletionem totius legis naturalis, quam de adiutorio Dei ad observationem cuiusvis præcepti facilis in sui adimpletione: ergò. Rursus: Nàm PP. & Concilia requirunt gratiam Dei ad observantiam totius legis naturæ collective, propter imbecilitatem naturæ, in qua mansit post peccatum, & ob excellentiam, & arduitatem præd. observationis. Atqui observatio legis naturæ, ut positive conducensad vitam æternā, & exigens necessariò gratiam specialem, non initritur his principijs: cum etiam homo in statu integritatis indigeret gratia speciali ad observationem legis naturæ, ut positivè conducentem ad vitam æternam: ergò Concilia, & PP. requirentia necessitatem gratiæ pro observatione legis naturæ, loquūntur de illa, non solùm quòad modum meritoriū, sed etiam quòad substantiam. Secundò.

2. Reijc. 1. Ex immediatè dictis; Nàm Concilia, & PP. probant necessitatem gratiæ ad observationem totius legis, propter magnam difficultatem, & fere impossibilitatem provenientem ex lege fomitis, & concupiscentiæ, ut docet D. Paulus ad Rom. c. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati*; propter quæ sic exclamat: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* & respondet: *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Sed huiusmodi lex fomitis, & concupiscentiæ, præcipuè, & frequentius, resistit præceptis moralibus, & naturalibus, ut est de se certum, & experientia comprobatum: ergò dùm recurrit ad adiutorium gratiæ per Iesum Christum pro liberatione ab hac lege fomitis: quæ non aliter fit, nisi adimplendo præcep- 15 Secunda impugn.

ta sentit Apostolus observationem so-
Secundò. lius legis naturæ requirere etiam gratiam specialem. 2. Nàm PP. & Concilia probantia necessitatem gratiæ ad observationem legis, sæpè innituntur illis verbis Pauli 1. ad Cor. 15. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*; & illis verbis 2. ad Corinth. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Ubi per litteram lex intelligitur, & per *ly* spiritus gratia: ut latè exponit Aug. toto lib. de spirit. & litt. Atqui certissimum est victoriam concupiscentiæ per observationem totius legis naturæ, etiam præcisivè à lege supernaturali, esse attribuendam Deo per Iesum Christum; similiterque certissimum est: legem naturæ, sive naturalem occidere, nisi adsit spiritus, & gratia vivificans: ergò PP. & Concil. loquuntur etiam de observatione legis naturæ præcisive ab observatione legis supernaturalis. Quamvis verum sit observationem utriusque legis, etiã specialem gratiam, & specialiorem requirere. Undè Pelagius in duobus erravit 1.* asserendo hominem posse adimplere totam legem naturæ per liberũ arbitriũ sine gratia. *2. errabat, asserendo hanc adimpletionem esse salutarem, & meritoriam vitæ æternæ. * Ex quibus utrumque est negandum, & oppositum asserendum contra Pelagium.

16 Ex hac doctrina facilis est solutio ad argumentum, quod contradicta potest sub hac forma proponi. Con-
Si instes. cilia, & PP. solùm requirunt gratię ad iutoriũ ad observationem mandatorũ Dei, ad quam afirmabat Pelagius non requiri simpliciter gratiã Dei per Iesũ Christum. Atqui Pelagius expressè affirmabat observationem legis, ut facta solis viribus naturæ, esse meritoriam vitæ æternæ, & per illam hominem iustificari coram Deo, ut patet ex Trident. sess. 6. de iustific. can. 1. referente illius errorem: ergò, qui negat requiri gratiam specialem ad observationem totius legis naturæ quóad substantiam; bene vero requiri ad illam, ut sit meritoria vitæ æternæ, in nullo favet errori Pelagij; nec ullatenùs adversatur Concilijs, & Sanctis Patribus.

17 Resp. inquam, facilè, conc. mai. distinguendo: Pelagius expressè affirmabat &c. in sensu categorico præcisè, neg. min. in sensu hypotetico, conced. min. & neg. conseq. Explicatur solutio. Hæc propositio: * adimpletio legis naturæ, & meritoria vitæ æternæ potest fieri sine gratia Dei per Iesum Christum, * est categorica: hæc vero * adimpletio totius legis naturæ possibilis est sine gratia Dei per Iesum Christum, & insuper est meritoria vitæ æternæ, * est propositio hypotetica, ut de se constat. Error igitur Pelagij, ut diximus, non tantum exprimitur per illam categoricam, sed etiam per hypoteticã; cum in duobus relatis erraverit. Ex quibus constat non ex toto opponi Pelagio, qui solùm requirit gratiam Dei pro observatione legis naturæ, ut meritoria; sed illam non requirit pro observatione totius legis quoad substantiam. Exemp. manifestum adest in victoria gravissimæ tentationis ex motivo honesto naturali; quàm requirere gratiam specialem apud omnes est compertum; ex testimonio orationis dominicę, in qua petimus à Deo, nè nos inducat in tentationem, ut probant D. Hieronym. & Aug. contra Pelagium. Pone ergò aliquem negantem necessitatem talis gratiæ: & contendentem se liberare ab errore Pelagij arguendo sub hac forma: SS. PP. solùm requirunt gratiam specialem ad victoriam gravis tentationis, de qua asserebat Pelagius posse haberi sine gratia Dei. Atqui Pelagius expressè asserebat, sine adiutorio gratiæ Dei posse haberi victoriam salutarem, & meritoriam vitæ æternæ: ergò qui requirit gratiam Dei pro merito victoriæ gravis tentationis, non vero pro illius substantia; non favet errori Pelagij. Cui argumento respondendum est, ut supra; Nàm Pelagius in duobus erravit circa victoriam gravissimæ tentationis, scilicet, * dicendo, & hominem sine gratia Dei posse vincere concupiscentias carnis (quia existimavit, liberũ arbitriũ mansisse fortè, & robustum, utpotè sine contractione peccati originalis) & insuper erravit, * concedendo tali victoriæ rationem meriti ad vitæ æternæ consequtionem. Resp. Explicat. solutio.

Ra-

18 Ratio à priori innititur principijs sæpè adductis in hoc tract. pro indag. necessitate gratiæ specialis ad aliquod opus. Undè ex illis probatur. Natura debilis, infirma, & viribus attenuata, nequit sine gratia speciali elicere opus adeò perfectum, ut sit proprium naturæ integræ, sanæ, & viribus robustæ. Sed huiusmodi est observatio totius legis naturæ per longum tempus; cum includat plures actus de se arduos, & difficiles: tàm quòad adimpletionem illius secundùm præcepta affirmativa; quàm secundùm præcepta negativa non consentiendi pravis concupiscentijs vehementer inclinantibus ad consensum circa tot obiecta inordinatè concupiscibilia: (uti necesse est longo tempore frequē tissime occurrere:) ergò natura corrupta per peccatum nequit sine auxilio speciali &c. Hæc ratio desumitur ex D. Tho. ar. 2. & comprobatur ab ipso à paritate hominis corporaliter infirmi, qui nequit perfectè moveri motu hominis sani; nisi exteriori auxilio medicinæ roboretur. Videantur dicta in antecedentibus dub. 6. & 8. §. 6.

Prob. ratione. 1.

Ex S. D.

19 Nec dicas: quod si talis observatio est propria hominis sani, videtur non posse elici à natura corrupta per peccatum, nisi per priùs vires illius sanentur: quod nequit fieri per gratiam specialem, ut donantem actualem observationem. Non inquam dicas; Nàm aliquod opus dupliciter potest dici proprium alicui; vel proprietate connaturalitatis, vel etiam proprietate, quasi differentiali, & privativa. Hoc videre licèt in visione intuit: Dei, quæ proùt talis est propria ipsius proprietate connaturalitatis; proùt tamen dicit modum comprehensionis, est propria Dei; sed proprietate essentiali. Consequenter ad hæc dicendum observationem totius legis naturæ sub hac expressione præcisè, esse proprium opus naturæ integræ, & sanæ, proprietate solius connaturalitatis; at vero, ut elicitam cum omnimoda facilitate, & expeditione, nullaq: interveniente repugnātia ex parte appetitus, esse opus proprium, quasi proprietate differentiali, & privativa liberi arbitrij integri, & sani. 1. sufficit, ut natura infirma per peccatum indigeat gratia speciali; 2. convincit ad talem observationem factam ab homine infirmo per peccatum cum difficultate, & repugnantia interiori, non indigere, quòd vires illius reducā tur ad statum integritatis.

Reijcitur quædam respons.

20 2. Ratio. Nequit homo sine gratia speciali elicere opus sibi moraliter in gradu excellenti improportionatum; sed huiusmodi est observatio totius legis naturæ collectivè per longum tempus, vel usque ad finem vitæ: ergò ad illam indiget gratia speciali. Min. videtur certa; Nàm illud opus, ad quod datur maxima repugnantia, & difficultas, tàm ab extrinseco, quàm ab intrinseco proveniens, est opus valdè moraliter improportionatum; sed huiusmodi est observatio totius legis naturæ ob continuā rebellionem appetitus ad rationem: ob frequentem suggestionem dæmonis provocantis ad malum; & tandem ob frequentes occasiones peccandi, secundùm concursum, & occursum connaturalē obiectorum, ex quibus plura sunt inhonesta, & ad peccandum allicientia: ergò cum hæc omnia longo tempore necessariò eveniant, nequit negari, præd. observationem esse opus valdè moraliter improportionatum. Mai. etiam constat. Tùm à paritate victoriæ gravis tentationis, dilectionis Dei &c. quæ ob tale motivum indigent gratia speciali. Tùm; quia opus modo dicto improportionatum excedit vires morales liberi arbitrij. Nec potest concursus Dei dici debitus respectu causæ adeò improportionatæ; debitus, inquam, adhùc debito morali, & attenta suavitate divinæ providentiæ.

Prob. 2.

21 Confirm. Auxilium ad opus perfectum, & non collatum à Deo ex vi providentiæ generalis, est gratia specialis; sed huiusmodi est auxilium, quo homini post peccatum 1. Parentis Deus donaret observationem totius legis naturæ per longum tempus: ergò. Prob. min. Auxilium, in cuius collatione, Deus non annueret inclinationi prædominanti in homine, & multoties exercenti huiusmodi prædominationem quantum est de se inclinantem ad prave operandum,

Confirm.

dum ; nequit provenire ab illo, ut provisore generali, cui proprium est, dispensare suum concursum, attendendo ad inclinationes prædominantes causarum secundarum. Sed in natura humana post peccatum prævalet inclinatio ad bonum delectabile inclinationi ad bonum rationis ; & aliundè necesse est longo tempore ex tali inclinatione prævalenti multoties insurgere motus inordinatos allicientes ad malum, & avertentes à bono; ut docet D. Thom. 2. 2. q. 136. ar. 3. ad 1. ergò auxilium collatum &c. Urg. Naturæ de se moraliter defectibili, & multoties vehementer pro pendenti in malum, nequit non esse favor specialis, quod semper determinetur ad bonum, & etiam per longum, & diuturnum tempus; sed natura humana post peccatum modo dicto se habet: ergò quod per multum tempus semper determinetur ad bonum, nequit non esse gratia specialis. Ratio omnium est. Nàm providentia generalis providet unicuique iuxta modum suum, hoc est, attentis illius inclinationibus, & etiam contingentia, & defectibilitate in operando; ex quo provenit, quod causæ etiam naturales, non semper uniformiter operantur, sed difformiter, & multoties defectuosè ; ut videre est in germinatione plantarum, & similium. Cum ergò natura humana post peccatum constet inclinationibus oppositis ad invicem inter se pugnātibus, sitque de se facili labilis in peccatum ; quod Deus sic ei provideat, ut semper, atque urgeat præceptum affirmativum, vel negativum, eam adiuvet ad non peccandum ; nequit hoc provenire ab ipso, ut Provisore Generali. Dicta sufficiant in re adeò clara.

Urgetur.

§. III.

Solvunt argumenta.

22 CONtra hanc conclusionem possunt obijci omnia illa argumenta, quæ in antecedentibus sunt proposita ad probandum dilectionem Dei, victoriam gravis tentationis, & his similia, posse elici sine gratia speciali; quæ quidem ibi videri possunt, & similiter eorum solutio, nè acta agamus. Undè pro observanda doctrinæ methodo aliqua proponemus. Obijcies 1. Ex D. Th. in 2. dist. 28. q. 1. art. 3. ubi solum requirit motionem divinæ voluntatis causantis gratis omnia bona ad observationem legis naturę quòad substantiam; sic enim habet: *Sed si gratia accipiatur pro divina voluntate gratis in nobis omnia bona causanti, dicendum; quod nullo modo potest homo sine gratia præcepta legis implere: & ideo Pelagius erravit, quia simpliciter impleri præcepta legis posse sine gratia, posuit.* Sed voluntas divina, ut gratis causans omnia bona, tantum dicit concursum generalem: ergò ad talem observationem sufficit &c. Urgeo. Qui poneret ad diuturnam observationem totius legis naturæ requiri ultra sufficientiam, ulterius auxilium donans talem observationem, toto cœlo distaret ab errore Pelagij negantis ultra sufficientiam ad rectè operandum, requiri ulterius adiutorium Dei: ergò nulla est ratio, ut auxilium requisitum pro dicta observatione, debeat dici gratia specialis.

Arguit. ex D. Th.

Urgetur.

De hoc testimonio iterum redibit sermo. Ad illud pro nunc Resp. voluntatem Dei, ut gratis suo auxilio facientem nos facere, pertinere ad providentiam Dei generalem ; si opus bonum in nobis ex illius motione proveniens, sit facilè, & moraliter proportionatum viribus nostris. Si autem tale opus sit excellentissimum, & superans proportionem moralem liberi arbitrij propter vehementem repugnantiam, & difficultatem in sui elicientia: tùnc casus tale opus procedit ex divina voluntate specialiter auxiliante, nisi sit abuti vocibus, & gratię special: significationē ignorare. Cumque huiusmodi sit observatio totius legis naturæ, ut ponderatum relinquimus: testimonium D. Thom. in nullo nostræ conclusioni adversatur. Ad urgent: Resp. Rem ita se habere in adstruente necessitatem ulterioris auxilij ad observationem totius legis naturæ superadditi ad sufficientiam. Attamen in tali modo dicendi, & adversaretur communi sensui Theologorum, circa usurpationem gratiæ spe-

23 Solutiò.

Ad urg.

specialis intra ordinem naturæ; & insuper; invertere naturam concursus generalis Dei facientis nos facere; cum de ratione huius sit dispensari ad actus naturæ proportionatos, & contingentes iuxta solitum cursum rerum. Quod quidem afferere de observatione totius legis naturæ per longum tempus in natura corrupta per peccatum, ipsa experientia tot ab hinc sæculis manifestæ falsitatis convincit.

24 Arguit. 2. Obijcies 2. Homo in pura natura conditus posset observare totam legem naturæ per longum tempus; cum teneretur ad nunquam peccandum; sed talis observatio non proveniret ex gratia speciali; cum status puræ naturæ illam excludat: ergò &c. Nunc sic: sed homo post peccatu gaudet eisdem viribus, ac si conditus esset in pura natura, * in qua etiam adesset inclinatio rebellis provocans ad peccandum: ergo ex hac ratione nō probatur hominem lapsum indigere ad talem observationem gratia speciali.

* Sic aliqui Thom.

Solutio. Resp. cone. mai. neg. min. & illius probationem; status enim puræ naturæ solum dicit exclusionem; tùm omnis gratiæ supernaturalis; tum exclusionem gratiæ specialis de ordine naturæ permanenter subijcientis appetitum rationi; in qua subiectione consistit magna ex parte donum integritatis; cum quo recte componitur in tali statu danda fore plura auxilia specialia ordinis naturæ ad actus difficiles, uti est dilectio Dei, victoria gravis tentationis &c. proindeque fortiori ratione indigeret gratia speciali ad observationem totius legis naturæ per longum tempus.

De hoc dub. 8. n. 46.

25 Arguit. 3. Obijcies 3. Homo in statu naturæ corruptæ potest per spacium unius diei v. g. adimplere sine gratia speciali præcepta, quæ illi occurrunt: ergò etiam potent sine gratia speciali die sequenti præcepta servare, & pari ratione alia, atque alia die, & sic ferè per totam vitam. Cons. prob. Ex observatione præceptorum per spacium unius diei homo redditur habilior, & potentior ad illorum observationem: ergò si &c. Explicatur hoc. Ideo homo infirmus potens sine auxilio medicinæ aliquos gressus facere, nequit eos continuare sine tali auxilio, quia nimirum virtus ambulativa fatigatur; è contra vero dicendum, si tantum redderetur habilior, & promptior ad ambulandum: ergò si liberū arbitrū hominis observando unum, & alterum præceptum, redditur potentius, & habilius ad rectè operandum, nequit exigere pro continuatione observationis gratiam specialem, & illam non requirere pro observatione unius, & alterius præcepti. Confirm. Contingere potest, ut homo longo tempore non habeat tentationes graviter retrahentes ipsum ab observatione legis purè naturalis: ergò in hoc casu non indigebit gratia speciali ad talem observationem. Consequent. pater. Nàm tùm casus talis observatio non esset impossibilis moraliter, utpote absque ulla gravi difficultate ex interiori pugna provenienti.

Explicat.

Confirm.

26 Respond. Hoc argumentum, ut efficaciter probet, debet supponere singula præcepta legis naturæ, sive divisive sumpta, posse adimpleri sine gratia speciali; ut de se constat. Quod tamen est omnino falsum; cum præceptum dilectionis Dei A. naturæ super omnia, & dilectionis inimicorum, & similiter perpetuæ continentiæ, & alia præcepta etiam divisive sumpta, nequeant adimpleri sine auxilio gratiæ specialis, iuxta stabilita in antecedentibus. Sed adhùc admisso, argumentum est inefficax, habetque plures instantias: ut videre est in vitatione omnium peccatorum venialium collectivè, necessariò exigenti speciale privilegium: sine quo tamen, imò, & sine gratia speciali, quodlibet divisive sumptum vitare potest. Idem constat in cognitione cuiuslibet veritatis naturalis divisive, non requirenti gratiam specialem: quam tamen requirit cognitio omnis veri collectivè. Plura pro illius solutione afferunt PP. Salm. in præs. disp. 2. dub. 5. à n. 189. quæ ibi videri possunt, si placet. Sed insistendo rationibus probativis nostræ conclusionis mihi clara videtur solutio.

27 Roborat. & explic. Ratio enim, cur aliquod auxilium dicatur speciale, etiam intra ordinem naturæ, desumitur ex eo, quod conferatur à Deo, vel contra inclinationem prædominantem ad oppo-

positum ; vel quia in tali dispensatione Deus non attendit modum defectibilitatis, & repugnantiæ repertæ in creatura. Siquidem proprium est providentiæ generalis Dei creaturis de se defectibilibus in operando, & ad huiusmodi defectivam operationem propendentibus, aliquando permittere operari defectuosè. Qua ratione probat D. Thom. reprobationem aliquorum spectare ad divinam providentiam: eo quod cum natura rationalis defectibiliter ordinetur ad consequtionem gloriæ, ad Dei providentiam (cui proprium est ordinare res in finem iuxta modum suum) pertinet quod aliqui homines deficiant à consequtione gloriæ. Cum igitur in homine post peccatum 1. parentis cum inclinatione innata voluntatis ad non peccandum sit coniuncta, tùm defectibilitas ad peccandum; tùm etiam inclinatio vehemens appetitus sensitivi ad bona delectabilia; ex qua inclinatione per modum actus 1. necesse est longo tempore suboriri plures motus inordinatos graviter provocantes ad malum, & obnubilantes intellectum, nè rectè consideret; quòd Deus fere semper non attendat huiusmodi defectibilitati, & pravis inclinationibus; sed unicè stet à parte inclinationis innatæ in bonum rationis, absdubiò excedit munus providentiæ generalis; proindeque semper, atque urget præceptum, etiam pro longo tem
28 pore, determinare hominem ad bonum, nequit non esse favor specialis.

Hinc fatemur liberũ arbitriũ non laxari per exercitium virtutum, adhùc occasionaliter (estò oppositum aliqui tueantur) sed solùm reddi habilius, potentius, & expeditius ad rectè operandum; cæterum huiusmodi maior habilitas, nec tollit defectibilitatem liberi arbitrij, nec inclinationem vehementem ad bona sensibilia, nec cohibet in posterum motus inordinatos ad malum. Cumque ex his omnibus proveniat iuxta superius dicta, quod auxilium datum ad fere semper, aut longo tempore, rectè operandum, sit gratia specialis: talis maior habilitas nihil officit veritati nostræ conclusionis. Undè in forma dist. illam propositionem: fit habilior, & potentior; habilitate tollente defectibilitatem, inconstantiam, & inclinationem vehementem ad bona sensibilia inordinatè prosequenda, neg. Habilitate hæc omnia reliquente, conc. Sed adhùc non quiescet. Si voluntas redditur habilior per exercitia virtutum, ut prosequatur in continuatione bonorum operum, nequit affirmari ad hanc exigere gratiam specialem, si illam non requirit ad se exercẽdum aliquando virtuosè. Ratio est manifesta; aliàs voluntas quãdo magis habilis ad rectè operandum, esset deterioris conditionis, ac dum est minus habilis. Et rursus: cum necessitas gratiæ specialis ex difficultate proveniat, sequeretur quod voluntas magis habilis ad rectè operandum esset difficilior.

Si iterum instes.

29

Solutio.

Resp. instando replicam in continuatione orationis devotæ per spacium trium horarum v. g. quæ continuatio sine gratia specialissima fieri nequit, & tamen per ipsam orationem, ut 1. incipientem, & paulatim perseverantem, tùm intellectus, tùm voluntas reduntur promptiores, & habiliores ad talem continuationem. Undè (insistendo eidem instantiæ) sicut indigentia gratiæ specialis in hoc casu provenit ex eo, quod non obstante inconstantia, & defectibilitate voluntatis, Deus non permittit in ipsa defectum, aut mutationem in affectu orationis: ita dicendum in casu argumenti. Si enim indigentia gratiæ specialis proveniret ex eo, quod voluntas virtuosè se exercuerit per opera virtutum: tùnc casus esset deterioris conditionis. At vero res non sic se habent: cum talis indigentia proveniat ex adiuncta defectibilitate, & infirmitate liberi arbitrij post peccatum, & ex continuatione boni certaminis. Nec ex solutione data sequitur, quod voluntas sit difficilior, postquam facta est magis habilis. Nàm difficultas ad continuationem in bono per longum tempus non advenit ei, postquàm, aut quia se exercuit in actibus virtuosis; sed semper, & inseparabiliter, ipsi convenit propter defectibilitatem admixtam simul cum inconstantia, & mutabilitate. Undè si res

S D. 2. 2. q. 137. ar. 4. exemplificat in Milite diù strenue certanti.

Resp. in forma.

dis-

discretè percipiantur; solùm sequitur, quod voluntas non sit graviter difficilis circa aliquos actus virtutum pro aliquo tempore: & sit graviter difficilis ad continuationem operum virtutis per longum tempus; quod non repugnat; cum isti termini sint, tàm materialiter, quàm formaliter diversi.

30 Ad confirm. admisso illo casu, adhùc subsisteret observatio legis naturæ cum gratia speciali, scilicèt, specialis protectionis; sine qua impossibile est homini mortali, & ratione utenti, sine tentationibus vivere. Quapropter nemo dicet N. Ang. D. sine gratia speciali Angelicam vitam in terris duxisse, cum potiùs * *ex miraculoso munere gratiæ Dei omni prorsus libidinis sensu caruerit.* 2. Resp. Indigentiam gratiæ specialis pro observatione totius legis naturæ non fundari præcisse in motibus inordinatis appetitus adversus rationem, & vehementer provocantibus ad malum; sed provenire etiam, ut ex causa sufficienti, ex ipsa continuatione per longum tempus in natura mutabili, inconstanti, & saltim in actu 1. propter corruptionē peccati, propendenti in malum. Qua ratione ipse Ang. M. 2.2.q.136. ar. 3. ad 1. & q. 137. ar. 3. ad 2. & in corp. art. probat perseverantiam esse virtutem specialem; *quia diù perseverare, etiam in operibus bonis parvis, & mediocribus, est arduum, & difficile.* Quæ doctrina efficacissime concludit veritatem nostræ conclusionis; cum inter præcepta affirmativa de lege naturæ plura sint difficilia adimpletione ex specie actus; uti sunt illa, quæ adimplentur per actus spectantes ad irascibilem.

Ad conf. Resp. 1. Sic canit Ecclesia. Secundò.

31 Obijcies 4. Homo in natura integra poterat naturaliter observare per longum tempus totam legem naturæ: ergò etiam post peccatum. Prob. consèq. 1. quia iuxta D. Dionys. & alios SS. PP. naturalia bona in dæmonibus, & hominibus, manserunt integra post peccatum: ergò si unum ex his bonis naturalibus erat, posse observare totam legem naturæ sine gratia speciali, idem dicendum de homine, etiam post peccatum. Urget. Eò homo integer erat potens ad dictam observationem sine gratia speciali, quia talis observatio est opus proportionatū naturę rationali, & hoc; quia conformis, & consentanea, eius inclinationi naturali. Sed etiam supposito peccato, adhùc remanet in homine inclinatio innata ad omne opus naturale honestum etiam collectivè acceptum: ergó.

Arguit. 4. Urgetur.

32 Resp. conc. antec. neg. consèq. cum per peccatum liberū hominis arbitriū manserit infirmum, & viribus attenuatum, etiam in ordine ad bonum virtutis acquisitæ. In ordine verò ad bona supernaturalia mansit spoliatum gratuitis; & solùm per Dei misericordiam, & Iesu-Christi meritum, restauratur ad dona gratiæ. Ad 1. probat. Resp. D. Dionys. loqui de bonis naturalibus, quantum ad esse, vivere, & intelligere, ut exponit D. Tho. & ut ipse S. D. ex professo tractat de tali asserto. SS. PP. loquuntur solum, de bonis naturalibus quantum ad essentiam, & proprietates hominum, & Angelorum, non tamen quantum ad bona naturalia, proùt dicunt respectum, & inclinationem ad virtuosè operandum; cum sit fide certum liberū arbitriū sub hac consideratione fuisse vulneratum, & viribus attenuatum per peccatum. Videatur S. D. hac 1.2. quæst. 85. ar. 1. & 2. Ex cuius doctrina ibi tradita Resp. ad urg. inclinationem ad bonum rationis fuisse per peccatum diminutam; licèt non intrinsecè, & ex parte radicis, bene tamen extrinsecè; propter contractionem plurium impedimentorum retardantium, nè illa sortiatur suum effectum.

Solutio. De hoc dub. 10. Ad urg.

33 Denique obijcies. Homo non indiget gratia speciali ad id, quod est in sua potestate; sed in potestate hominis, etiam post peccatum, est observatio totius legis naturæ, etiam per longum tempus; aliàs defectus talis observationis non imputaretur ipsi ad culpam: ergò. Urgetur. 1. Homo per peccatum non contraxit necessitatem peccandi contra legem naturæ: ergò potest naturaliter, & viribus proprijs vitare omne peccatum; proindeque totam legem naturæ observare. Urgetur 2. Natura humana, etiam post peccatum 1. parentis, mansit dignior, & perfectior alijs creaturis in sensibilibus,

Ultimum argum. Urget. 1. Secundò.

bus, & naturaliter operantibus; sed istæ cum solo concursu generali possunt omnem operationem sine aliquo defectu elicere: ergò etiam id poterit voluntas humana ad omnem operationem virtutis cum solo concursu generali. Consequentia patet. Tùm à paritate. Tùm quia, quo natura aliqua est excellentior, eò activior est.

34 Solutio. Resp. Quod cum potestas hominis sit subordinata, & dependens à Deo in omni sua operatione, non impedit aliquod opus indigere gratia speciali ad sui existentiam, & quod illud sit in potestate liberi arbitrij. Unde claritatis gratia disting. maior. Quod est in sua potestate omninò expedita, & sine ulla infirmitate, aut debilitate ex parte vitium, conced. maior. In sua potestate non ita expedita, sed infirma, & viribus attenuata, neg. maior. Et sub eadem distinct. minor. neg. consequent. Ad Ad urg. urgent. concef. anteced. neg. consequ. Necessitas enim peccandi adhùc vagè contra legem naturæ per longum tempus; duplicitèr potest deficere; vel per possibilitatem observandi totam legem cum concursu generali; vel per gratiam specialem à Deo oblatam, & præparatam dari media oratione, ut de se manifestè constat; unde ex defectu talis necessitatis non infertur determinatè unum ex his duobus; sed unum sub disiunctione. Sed dices: ergò Deo decernenti in pœnam peccati denegare omnem gratiam specialem, homo esset necessitatus ad peccandum; quod videtur absurdum concedere. Resp. Pronùnc in tali suppositione dari necessitatem ad peccandum per transgressionem alicuius mandati de lege naturæ vagè, & inconfuso; cum quo rectè componitur, posse vitare quodlibet peccatum determinatè acceptum. Rursùs advertendum huiusmodi necessitatem adhùc vagam, non esse antecedentem, propter defectum potestatis; sed consequentem; eo quod gratia specialis non requiritur, ut in hac conclusione defendimus, ut donans potestatem, sed ut donans actualem observationem totius legis naturæ.

Cuidam instant. Resp.

35 Ad 2. Ad 2. urgent. Respond. Ex illa probari, posse hominem sine gratia speciali cognoscere omnes veritates naturales collectivè sumptas; qua de causa similis obiectio ibidem solet proponi, & à nobis fuit proposita, & soluta ex doctrina D. Thom. hac 1. 2. quæst. 109. art. 5. ad 3. ubi asserit illam naturam esse nobiliorem, quæ potest consequi finem magis perfectum, etsi ad id pluribus auxilijs indigeat, quibus non indiget alia natura ad finis sui consequutionem. Cum ergò observatio totius legis naturæ, sicut & beatitudo naturalis, sit huiusmodi respectivè ad fines aliarum causarum naturalium, non derogat eius maiori dignitati, quod indigeat gratia speciali. Nec similiter talis indigentia tollit à natura rationali, quod sit activior intensivè; cum quælibet operatio honesta excedat intensivè in perfectione intensiva specifica cumulum operationum causarum naturalium. Notandum tamen, Notandū. ut alibi monuimus dub. de victoria gravis tentationis; huiusmodi gratiam specialem non solum requiri moraliter ad observationem totius legis naturæ; quia videlicèt nunquam continget illam existere sine gratia speciali; sed etiam requiri Physicè, & Metaphysicè, ita, ut hoc complexum: *Datur observatio totius legis naturæ per longum tempus, & sine gratia speciali, sit repugnans*; unde licet impotentia, & improportio, quam habet natura humana post peccatum ad talem observationem, sit solum moralis in vehementi difficultate consistens; hęc tamen impotentia infert necessitatem Metaphysicam, ut non detur talis observatio, nisi ex gratia speciali. Videantur ibi dicta.

(o)

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

36 *ULtra gratiam specialem consistentem in diuturna illustratione, & gratia ab intrinseco efficaci, requiritur gratia illa, qua Deus aliquotiès donaret homini voluntatem efficacem, & robustam imperantem diù observationem legis.* Prima pars, quæ videtur supponi; constat ex dictis dub. 7. & 8. ubi probavimus gratiam specialem requisitam pro victoria gravis tentationis, & pro dilectione naturali Dei super omnia; coalescere ex iudicio specialitèr illustranti intellectum, ut practicè iudicaret elicientiam talium actuum; & ex gratia intrinsecè efficaci determinante irrestibilitèr, & insuperabilitèr voluntatem. Licet enim iudicium illud ex terminis consideratum; pariterque motio Dei prædeterminans; non sint determinatè gratia specialis; continuatio tamen horum bonorum pro longo tempore, quoties occurrerent diversa præcepta, & graves tentationes ex fine honesto superandæ, sine dubio in natura lapsa gratiæ specialis nomen, & quidditatem merentur propter motiva toties repetita. Quinimò adhùc attenta inconstantia voluntatis, & indifferentia ad pravè agendum, quæ nunquam in eodem statu permanet; diù persistere in bono est donum speciale Dei: qua ratione adhùc si homo esset conditus in statu integritatis naturalis, gratia speciali egeret, ut se integrum conservaret.

Prob. 1. pars.

37 Pro intelligentia 2. partis notandum est 1. ex Div. Thom. hac 1. 2. quæst. 111. art. 2. divisionem gratiæ in operantem, & cooperantem desumptam ex Magn. Par. Augustin. lib. de gratia, & liber. arb. cap. 17. & alibi; facilè posse percipi; si cum eodem Ang. Mag. notetur in nobis, ut liberè operantibus dari duplicem actum; unum appellat interiorem, consistentem *in ipso velle*; alterum vero exteriorem, & à præcedenti imperatum, consistentem *in facere id*, quod voluntas vult. Gratia igitur, per quam Deus donat nobis velle, dicitur *gratia operans*; gratia vero, per quam Deus donat nobis facere, quod volumus; dicitur *gratia cooperans*. Quapropter ibidem art. 3. appellat gratiam, per quam Deus donat nobis velle, *gratiam prævenientem*. Illam vero, per quam operatur in nobis facere, appellat *gratiam subsequentem*. Quæ quidem divisio in idem coincidit cum divisione gratiæ in operantem, & cooperantem. De quo latè agentes Tractat. de gratia operanti, & cooperanti, & videri possunt comment. D. Thom. in dicto loco.

Pro 2. partis prob. not. 1.

38 2. Notandum, quod in natura post peccatum, velle observare mandata Dei, aliquando est velle infirmum, imbecille, sive inefficax; aliquando vero est velle efficax, & robustum; quæ quidem diversitas provenit maximè ex debilitate contracta per peccatum, & simul ex repugnantia appetitus adversus rationem: vi cuius voluntas non perfectè imperat, quod nescit, ut bonum, prava consuetudine; vel delectationibus illicitis gravata. Ita expressè S. August. lib. 8. confes. cap. 9. & Div. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 5. Quam doctrinam pluribus tradit Sanct. Par. præsertim lib. de gratia, & lib. arb. cap. 17. dicens: *Qui enim vult facere Dei mandatum, sed non potest, iàm quidèm habet voluntatem bonam, sed adhùc parvam, & invalidam; poterit autem, cùm magnam habuerit, & robustam.* Quapropter ibidem cap. 16. monet, *petendum esse à Deo, ut tantùm velimus, quantùm sufficit, ut volendo faciamus.* Ex his constat, quod etsi Deus, & suo adiutorio faciat, *ut nos velimus, & ut etiam faciamus, quod volumus*, quia utrumque est donum Dei; aliter tamen utrumque facit, & operatur; ut enim efficacitèr velimus, facit Deus, prædeterminando voluntatem per gratiam operantem ad velle; ut vero faciamus, quod volumus, operatur Deus, & confirmando priorem voluntatem in bono, ut imperet ipsum facere, & insuper, prædeterminando ad illud: sive hoc facere, sit actus externus, sive internus, imperatus tamen à voluntate robusta, & efficaci. Nàm etsi vo-

Secundò.

volitio efficax, & robusta, sit auxilium ad facere, indiget tamen gratia prædeterminanti, ut ipsum facere cadat sub dominio immediato Dei, ut alibi propugnabimus.

39 Hanc gratiam, sive adiutorium, quo Deus facit, non quidem, ut velimus servare mandata Dei, sed ut eius mandata faciamus, & opere adimpleamus, expressit Mag. Par. lib. de gratia, & liber. arbitr. cap. 16. his verbis: *Ille facit, ut faciamus; præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit faciam, ut iudicia mea observetis, & faciatis; cùm enim dicit, faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam cor durum, undè non faciebatis, & dabo cor obediens, undè faciatis.* 1. Retract. cap. 22. *Quando voluntas fortis, & potens præparatur à Domino, facilè fit opus pietatis, etiam quod difficile, atque impossibile fuit.* Ex quibus constat, per ly *vires efficacissimas* Magn. Par. intelligere velle efficax, & robustum imperans in nobis facere; at non solum, vel potiùs solitariè sumptum, sed, ut adiunctum gratia cooperanti prædeterminanti voluntatem ad hoc, ut faciat; aliter enim prædictum velle non præbet vires efficacissimas, ut voluntas faciat. De quo ex professò agemus in alio Tractat. Sequendo doctrinam Mag. Lemos lib. 4. p. 1. tract. 8. c. 8. à n. 120.

3. Notandum, quod cum 40 difficultas reperta in operando circa finem; vincenda sit per amorem finis; & sit certum inter opera adimpletiva naturæ dari magnam disparitatem circa eorum difficultatem; ut videre est inter elargitionem eleemosynæ, & victoriam gravis tentationis, diuturnæ castitatis, & similium: hinc manifestè colligitur volitionem, aliunde efficacem, etiam affectivè, & in proposito, circa adimpletionem unius præcepti, non ideò esse efficacem, & robustam, sed parvam, & invalidam, pro adimpletione alterius præcepti. Cum igitur observatio totius legis naturæ per longum tempus sit difficillima, utpote comprehendens sub se omnes difficultates collectivè, quæ divisivè in singulis præceptis reperiuntur; manifestè occurret cuilibet tantisper consideranti, quam efficacissima, & robustissima, debeat esse volitio, per quam quis velit efficacitèr omnia mandata legis naturæ collectivè adimplere.

Tertiò.

Ex his brevitèr prænot. (quia 41 alibi ex professò tractanda) constat 1. Voluntatem observandi Dei præcepta esse auxilium, & adiutorium ad facere; cum determinet, & roboret voluntatem ad illud. Constat 2. Quod tale velle efficax, & robustum, præbet vires morales voluntati, ut faciat. Quod clarè docetur à Divo Thoma ubi supra art. 2. dicens: *Et quia Deus ad hunc actum exteriorem adiuvat, confirmando voluntatem in bono, & exteriùs facultatem operandi præbendo; respectu huiusmodi actus dicitur gratia cooperans.* Idem docet Magn. Par. de correct. & grat. cap. 11. dicens: *Tantùm quippè accenditur voluntas eorum, ut ideò sic possint, quia sic volunt; & ideò sic velint, quia Deus operatur, ut velint.* En ubi velle efficax iuxta verba relata dat posse ad facere; proindèque dat vires saltim morales: sicut intentio finis, quodammodo se habet ex parte actus primi ad electionem mediorum; de quo alibi, & saltim de actu primo moralitèr expedienti nulla est difficultas. Aliter enim non diceret S. Par. eum, qui habet voluntatem parvam, & invalidam, non posse facere mandata; nec similitèr diceret, petendam esse à Deo voluntatem robustam, ut sufficiat adimplere, quæ volumus.

Illatio 1. ex dictis.

2. Illatio

Superest ostendere necessitatem huiusmodi volitionis adeò fortis, & robustæ, ut homo adimpleat diù totam legem naturæ. Eam ostendit Magn. Par. lib. de correct. & gratia cap. 12. dicens: *Si in tanta infirmitate vitæ huius, ipsis* (scilicèt Sanctis) *relinqueretur voluntas sua; nèc Deus operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; & ideò perseverare non possent; quia deficientes infirmitate, nèc vellent;* 42

Prob. necessitas.

aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Ex quibus manifestè constat (etiam iustificatis) necessariam esse huiusmodi volitionem efficacem permanendi in bono, & firmantem voluntatem ad hoc, ut inter tot, & tàm terribiles tentationes, retrahentes ab adimpletione legis naturæ, voluntas ipsa non succumbat. Et licet M. P. ibi loquatur de adiutorio gratiæ ad perseverandum usque in finem vitæ; ratio tamen, quam designat, æquè probat de diuturna perseverantia; cum etiam contra illam necesse sit occurrere graves tentationes, & plura præcepta difficultèr observanda. Hac ratione dixerat in eodem cap. *Nùnc verò, postquàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas.*

43 Prob. conclusio, reducendo ad formam doctrinam D. Thom. & M. P. Ad hoc ut homo post lapsum Adæ (etiam iustificatus) diù adimpleat totam legem naturæ, necesse est adiuvari à Deo gratia illa, per quam facit non solum, ut velimus, sed etiam, ut in iustificationibus eius ambulemus faciendo eius mandata; sed huiusmodi gratia, per quam Deus nos adiuvat, est gratia causans in nobis volitionem efficacem, & robustam, ut exequamur eius mandata: ergò talis gratia causans in nobis huiusmodi velle est gratia requisita &c. Mai. est certa, & min. traditur à P. Augustin. ubi supra dicenti: *Deum facere, ut faciamus præcepta, dando nobis voluntati vires efficacissimas, sive cor obediens, ut faciamus.* Confirmat. Illa gratia, sine qua voluntas non potest resistere tot tentationibus propter infirmitatem virium, est gratia necessario requisita, ut homo diù perseveret in bono, observando totam legem naturæ; sed huiusmodi est gratia, per quam Deus donat etiam iustis volitionem magnam, robustam, & efficacem, ut ex illa, & per illam imperetur observatio diuturna mandatorum Dei: ergò. Min. traditur expressè à Div. Augustin. ubi immediatè illis verbis: *Si inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua relinqueretur voluntas succumberet &c.*

Ratio ex doct. M. P formatur.

Confirm.

Ratio etiam suadet id ipsum efficacissimè. Nàm ut voluntas de se proclivis ad peccandum; & pluries gravitèr tentata ad transgredienda divina mandata, firmitèr, & absque defectu, illa adimpleat, necesse habet iuxta modum connaturalem firmari, & roborari viribus efficacissimis ad superandas tot difficultates: ut manifestè constat exemplo rerum naturalium. Nàm quemadmodum Arbor v. g. diù agitata ventis, procellis, & fluctibus fluminis, nequit diù firma permanere; nisi sæpè aliquod robur ei superaddatur, ut omnia illa adversantia superet (idemque de Navi, præsertim; si non sit perfectè integra, ac eius tabulæ non sint Bitumine benè compaginatæ) ita dicendum de natura humana etiam reparata per gratiam iustificantem. Cum adhùc in ipsa remaneant vires liberi arbitrij, debiles, & infirmæ cum propensione ex parte appetitus ad prosequenda bona delectabilia. Et insuper necesse est longo tempore agitari pluribus gravissimis tentationibus minuentibus eius vires, & fortitudinem. Quapropter, nisi se multoties roboretur, & accipiat novas vires, volendo efficacissimè perseverare in obedientia mandatorum Dei; ita, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando transgrediatur divina mandata; necesse habet necessitate, inquam morali, iuxta communem providentiam, deficiendi in observatione alicuius præcepti per longum tempus. 44 Explicat.

Nec dicas his difficultatibus superandis sufficientèr occurri, si Deus quoties urget præceptum naturale affirmativum, aut gravis tentatio vincenda; conferat gratiam prædeterminantem ad actum, quo adimpleatur præceptum, & quo resistitur tentationi. Non inquam dices. 1. Quia ut fundavimus à num. 10. talis subventio esset à Deo miraculosè, & extraordinariè operanti. Necessitas autem gratiæ debet adstrui à Theologis iuxta suavem, & regularem modum operandi in divina pro- 45 Solutio quædam. Urget. 1.

providen tia. 2. Nàm solutio probat Navim fracto gubernaculo, etsi agitatam ventis, & tempestatibus, posse per se, & connaturalitèr loquendo non pati naufragium; cum Deus his omnibus defectibus, & contrarietatibus, sufficientèr occurreret, eam movendo continuè ad rectum iter peragendum.

46 Motivum mihi valdè efficax pro necessitate huius gratiæ, ultra testimonia, & rationem ex eis depromptam, est; quia sic salvatur hominem etiam iustificatum indigere gratia actuali sananti vires liberi arbitrij ad observationem legis naturæ. Si quidem talis volitio efficax, & robusta roborat, confirmatque voluntatem, ut exequatur Dei mandata; licet enim non præbeat vires, ut voluntas velit; benè tamen, ut faciat. Si enim subita affectio inefficax est gratia sanans; quanto magis volitio deliberata efficax? Rursùs: cum huiusmodi volitio debeat regulari cognitione etiam efficaciter allicienti voluntatem, & præponderanti bonum perseverantiæ diuturnæ in bono, omni bono sensibili; hæc sanat saltim extrinsecè, & objectivè, infirmitatem voluntatis, ut efficaciter velit, * & simul intransitivè confortat intellectum practicum, ut quoties urgeat præceptum operandi honestè; proponat practicè illius adimpletionem, ut magis hic, & nùnc convenientem.

Alia ratio probativa.

* Iuxta Aliq. influit effectivè.

47 Hanc gratiam, & eius necessitatem, satis efficaciter docuit M. P. lib. de pecc. mer. c. 17. dùm ait: *Nolunt homines facere, quod bonum est, sive quia latet, sive quia non delectat: tanto enim vehementiùs aliquid volumus, quantò certiùs illud esse bonum novimus, eòque delectamur ardentiùs: infirmitas quippè, & ignorantia vitia sunt, quæ impediunt voluntatem nè moveatur ad faciendum bonum, vel à malo opere abstinendum. Ut autem appareat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuvat voluntatem.* Ubi M. P. loqui de gratia adiuvanti, ut faciat homo, quòd bonum est; constat ex illo: *Nolunt homines facere &c.* Rursùs asserit: *Huiusmodi gratiam adiuvantem consistere, tùm in cognitione, qua certò noscimus aliquid esse bonum; tùm in delectatione eiusdem boni sic propositi.* Quæ delectatio non differt ab ipso amore; cum iuxta D. Thom. 1. 2. q. 32. a. 3. ad 3. *Unumquòdque in tantum apparet delectabile, in quantum ei unitur voluntas ut conveniens.* * Deindè asserit per huiusmodi cognitionem, & amorem sanari vitia infirmitatis in voluntate, & ignorantiæ in intellectu, quæ ipsam retardant ad exequenda bona. Qua de causa cap. 19. sequenti, huiusmodi volitionem efficacem exequendi bonum, appellat victricem delectationem, per quam Deus facit ut homo faciat. Ut sic homo non in se, sed in Domino glorietur; quia per illam adiuvatur, ut faciat. * Verum tamen est, etiam subitam affectionem coniunctam cum gratia prædeterminanti posse dici victricem delectationem, sed ut *efficaciter velit*; proindèque volitionem efficacem eadem gratia roboratam posse dici victricem delectationem, ut homo opere compleat quòd vult; in quo sistit ratio gratiæ cooperantis. Idem docet de grat. & lib. arb. cap. 15. *Per gratiam fit, ut bona voluntas, quæ iam esse cæpit, augeatur, & tàm magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit; ut homo qui voluerit, & non potuerit, oret, ut tantàm habeat voluntatem, quanta sufficit adimplenda mandata; sic quippè adiuvatur, ut faciat.* Quid clariùs pro gratia adiuvanti ad diù observandam legem.

Confirm. ex M. P.

Est enim huiusmodi gratia auxilians ad facere, & gratia specialis; & quàm homo potest acquirere; ut hoc pacto non excusetur à culpa non diù observans legem naturæ ob defectum talis volitionis efficacis, & robustæ. 1. constat: Nàm talis volitio est opus arduum, & objectivè includens victoriam tentationis, & impletionem præceptorum, estò difficilium observatione. 2. etiam constat, expressèque docetur testimonijs relatis, quibus affirmatur hominem volentem inefficaciter, & languidè servare mandata, & non potentem; debere Deum exorare, ut ipsi volitionem efficacem, & robustam conferat, qua possit illa observare. Quapropter prædictum velle, estò inefficax ad face-

48

re, potest esse efficax ad orandum; ideòque homo carens tali volitione magna, efficaci, & robusta, qua fiat potens implere diù mandata, non excusatur à culpa; cùm cognoscens suã infirmitatem, Deum adiutorem adiutorio fortissimo possit, & teneatur orare.

49 Contra hanc concluſ. nihil speciale, dignumque solutione se offert, ut cuilibet tantispèr consideranti patebit. Advertendum tamen, huiusmodi gratiam, etiam requiri in homine iustificato; cùm etiamsi sit sanus quantùm ad culpam in mente, remanet tamen infectio, & corruptio secundùm carnem, coniuncta cum inconstantia, & vertibilitate voluntatis de bono in malum. Quapropter, sicuti homo etiam iustus, indiget Deum orare, nè in tentationem inducatur; indiget etiam orare, ut ei conferat pluriès talem volitionem efficacem, & robustam, ut diù perseveret in bono, & nè deficiat in adimpletione divinorum mandatorum. Sicut enim calor naturalis necessariò deficit, nisi per corruptionem repetitam alimenti restauretur, & confortetur; ita propter ignem, & fomitem concupiscentiæ, voluntas facilè corruet in peccatum; nisi sæpè roboretur, & confirmetur in bono per volitionem efficacem, & robustam servandi divina mandata.

Advertẽdum.

50 Si quæras: *An præter dona stabilita, necessariò requirantur gratiæ excitantis auxilia in subitis illustrationibus, & affectionibus consistentia?* Resp. Quòd nullum apparet inconveniens necessitatem illorum concedere attenta suavitate providentiæ, & modo connaturali operandi voluntatis, scilicèt, procedendo de imperfecto ad perfectum; siquidèm huiusmodi auxilia excitantia Deus omnibus iustis confert; vel saltim aliqua, quibus si consentiant, liberè poterunt alia excitantia à Deo petere. Nèc inferas: quòd homo in peccato existens, sufficienter se muniet ad diù observanda divina mandata, si instet orationibus pro huiusmodi volitione robusta, & efficaci, estò non se disponat ad gratiã habitualem. Non inquam inferas: Nã talis oratio esset imprudens, & præsumptuosa; tùm quia non facit, quod homo potest, & tenetur; tùm quia orare pro gratia sananti reliquias infirmitatis; & non pro sananda causa illius; est imprudenter orare; tùm quia talis modus includit affectum ad perseverandum in statu peccati; proindèque non est sincera oratio, dignaque exaudiri à Deo. Undè in tali oratione se haberet homo, sicut ille, qui non relinquens occasionem proximam peccandi, orat Deum, nè ipsum derelinquat cadere in peccatum. *Et hæc de hoc dub. applic. Litt. Magist. ubi præced. & in 2. dist. 28. ubi à Divo Thoma excitatur.*

Cuidam quæst. fit satis.

Resp. cui dã instant

DU-

DUBIUM XII.

AN GRATIA HABITVALIS SIT requisita, ut homo diú servet totam legem naturæ?

§. I.

RESPONDETUR AFFIRMATIVE.

N. 1 UT *homo lapsus possit servare per longum tempus omnia præcepta naturalia collectivè, requiritur necessariò gratia iustificans; non quidem per se, & ex natura rei, sed ex communi lege, & regulari providentia Dei.* Ita Div. Thom. qnòad 1. part. a. 4. illis verbis: *Sed in statu naturæ corruptæ non potest homo implere omnia mandata divina sine gratia sanante.* Et art. 8. ubi hæc habet: *Antequàm ratio hominis, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam iustificantem, potest singula peccata mortalia vitare, & secundum aliquod tempus; quia non est necesse, quòd continuò peccet in actu; sed quòd diù maneat absque mortali, esse non potest.* Idem docet 3. contra Gent. cap. 160. & q. 24. de Verit. a. 12. & alibi. Sanct. Doct. sequuntur omnes Thomist. dempto Montesinos. P. Suarez ubi supra cap. 27. Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 5. Vega de iustific. q. 13. conclus. 6. & alij, quos refert, & sequitur P. Oviedo de necessit. gratiæ controv. 5. puncto 3. M. Medina art. 8. conclus. 2. asserens * doctrinam Sanct. D. in hoc quòd asserit hominem, nisi reparetur per gratiam, non posse diù manere sine pecato, esse Fidem Cathol. & oppositum esse Pelagianum.* Quo non obstante *Doct. Ioan. Maria* disp. 7. tract. de lib. arb. sect. 4. à num. 46. referens verba D. Thom. asserentis: *In natura corrupta non posse impleri præcepta sine gratia sanante*, quę est gratia iustificans, quod, & affirmatur ab ipso Sanct. Doct. art. 8. in corp. sic ex propria mente loquitur: *Sed in his venia eius relinquitur propter veritatem: quia adhùc ad amandum, & ad adimplenda præcepta, pròut oportet, non requiritur præcedentia gratiæ habitualis; ut verius censemus contra Thomistas, nè pro casu urgentiæ præcepti lædatur libertas.*

Est expressa S. D.

Nota pro quodadm Recent.

Sed omissa levitate fundamenti, quod insinuat, ut impugnet necessitatem gratiæ habitualis ad elicientiam actus charitatis; de quo alibi à nostris Thom. & etiam à pluribus A. Societatis existimantibus illud esse omninò inefficax ad probandam coniungibilitatem gratiæ habitualis cum peccato læthali contra Mag. Lorca. Omitti tamen non debet, qua reverentia, & veneratione sentiat de Ang. Doct. quem œcumenica Concilia, ut lumen Ecclesiæ venerantur: & universæ Academiæ, ut Theologiæ Principem sequuntur: & ferè universi Theologi, ut Doctorem veritatis agnoscunt. Pro quibus omnibus Ecclesia Catholica sic gratias Deo agit, dùm ita canit: *Collaudetur Christus Rex gloriæ, qui per Thomam lumen Ecclesiæ mundum replet doctrina gratiæ.* Omitti inquam non debet, dùm profert *sine luce, & sine duce, & sine aliquo solido fundamento relinquendũ esse * propter veritatem*; quasi in eius doctrina *de gratia* esset aliqua falsitas manifesta, ut iã illius doctrina non gratiæ solum, sed veritati, & falsitati sit admixta. Sed quia ipse Pater petit veniam pro dessertione D. Eccles. propter veritatem

2 Refellitur.

tem sequendam : *Paretur illi, & oretur pro eo.*

Prima pars conclusionis probatur 1. ex Concil. Milevitano can. 3. illis verbis : *Placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum, ad solam remissionem peccatorum valere, non autem in adiutorium, ut non committantur, anathema sit.* Quod autem per gratiam Dei, qua iustificamur intelligat Concilium gratiam habitualem (præter quamquod constat ex ipsis terminis, & quia sola illa est, quæ remittit peccata) constat in can. 4. ubi explicat modum, quo talis gratia adiuvat : *Præstando*, nimirùm, *ut quòd faciendum noverimus, etiam facere diligamus, ut ædificante charitate, scientia non possit inflare.* Ubi apertè declarat gratiam illam esse gratiã iustificantem, quia charitatem includit. Idem asserit cap. 5. Et etiam Concil. Arausc. cap. 13.

3 1. pars pr. ex Conc.

4 Prob. ex M. P.

Prob. 2. ex M. P. Aug. lib. de Spiritu, & lit. cap. 14. & sequentibus, ubi docet, * fidem, quæ per dilectionem operatur, esse necessariam ad servanda omnia præcepta decalogi, & sine hac gratia etiam legem decalogi esse litteram occidentem;* sed fides, quæ per charitatem operatur, est fides viva per charitatem, quæ sine gratia sanctificante non datur : ergo sentit gratiã sanctificantem &c. Similia docet lib. de gratia Christi cap. 8. & de correct. & grat. cap. 2. & epist. 95. dicens: *Ad non peccandum non sufficere liberum arbitrium, sed requiri gratiam, qua iustificamur ab iniquitate, & qua salvamur ab infirmitate* Nec valet dicere, quod cum Concilia, & alij PP. locis citatis expresè agant contra Pelagium ; & hic non negaverit gratiam habitualem (ut modo supponi debet) videtur in præd. testim. solum agere de necessitate gratiæ actualis ad observationem totius legis naturæ. Non valet : Nàm etsi Pelag. in aliquo statu suæ hæresis concesserit gratiam habitualem ; illam tamen solum admisit, ut conducentem ad remissionem peccati, vel ad animæ ornatum ; non tamen, ut adiutorium ad non peccandum ; existimavit enim ad id sufficere, semèl accepta remissione peccati, vires naturæ. Unde opus fuit, ut Concilia, & PP. contra Pelagium in testimonijs adductis necessitatem gratiæ, tùm actualis ; tùm sanctificantis adstruerent.

Dices.

Contra.

Favet etiam D. Gregorius relatus à D. Thom. hic art. 8. ubi homil. 11. in Ezech. sic habet : *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.* Et D. Chrisostom. homil. 37. *Sicut navis fracto gubernaculo illùc ducitur, ubi tempestas voluerit, sic & homo divinæ gratiæ auxilio destitutus per peccatum, non agit, quod vult ; id est, quod debet non velle, sed quod Diabolus vult.* Accedit etiam argumentum efficacissimum, & invictum pro tali necessitate ipsa experientia teste : secundùm quam omnibus constat neminem existere in peccato, qui transacto aliquo tempore non incidat in aliud. Unde dissertissimè, & pijssimè Eminent. Cayet. in præf. doctrinam Angel. Præcept. sequenti ponderatione confirmavit. Si enim iuxta Psalmistam : *Homo tractans cum perverso pervertetur ; quantò magis homo intimè unitus cum perversione affectus ex peccato habituali provenienti pervertetur, incidendo in aliud peccatum.* Videatur Illust. Godoy, plura alia testim. Scrip. & PP. in probation. adducens. Sed prætermitti non debet concluſ. (ni fallor) expressam esse in D. Aug. Nàm cum Pelagius ei obijceret illud Pauli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr ea, quæ legis sunt, faciunt*, ut probaret hominem non indigere gratia Dei ad observanda divina mandata. Sic respondet M. P. lib. de Spiritu, & litt. cap. 26. *Nèc te moveat, quòd naturalitèr dixit eos, quæ legis sunt, facere : hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut Imaginem Dei, in qua naturalitèr facti sumus, instauret in nobis.* Quo nihil clariùs pro necessit. gratiæ sanctificantis, si notetur cum D. Thom. in exposit. hic a. 4. eiusdem testim. Paulum loqui de observatione legis, quantùm ad præcepta moralia, quæ sunt de dictamine rationis naturalis. Hinc constat contra Vazq. gratiam habitualem esse verum adiutorium, pro indèque auxilium. Sic D. Th. Opusc. 2. c. 143. ubi habitus infusos vocat adiutoria gratiæ.

5 Ex Divo Greg. & Chrisost. S. Bernard serm. 82. in Cant.

Psalm. 17

I.

6 1. Ratio est. Nàm licèt Deus miraculosè, & extraordinarie providens homini lapso, posset facere, ut longo tempore servaret omnia præcepta naturalia, præbendo ipsi auxilia efficacia, quoties urgeret præceptum, & gravis tentatio provocans ad peccandum; secus tamen providendo modo connaturali. Assumpt. prob. 1. à paritate; Nàm sicut infirmus, nisi priùs sanitatem recuperet, non potest firmiter, & constanter ambulare; ita nec liberũ arbitriũ infirmatum in radice per peccatum, potest constanter bene operari, servando totam legem naturalem, omniaque peccata contraria vitando, nisi priùs in radice sanetur. Sed sic non sanatur, nisi per gratiam sanctificantem: ergò sine illa non potest homo servare omnia mandata legis naturæ longo tempore. 2. Et præcedens probatio roboratur. Homo carens gratia sanctificanti, & in peccato mortali existens, non habet cor suum firmatum in Deo tanquam in fine ultimo; sed potius adhæret creaturæ, scilicèt, bono proprio tanquam fini ultimo: ergò dùm existit in tali peccato, nequit longo tempore observare præcepta legis naturæ convenienter utendo creaturis, & eas ad debitum finem ordinando. Conseq. prob. Nequit homo rectè se habere longo tempore circa media per se ordinata, ad aliquem finem ultimũ, dùm est aversus à tali fine; sic enim se habet finis in operabilibus, sicut principia in speculabilibus; quare sicut intellectus non rectè dispositus circa principia, nequit rectè se habere circa conclusiones, quæ ex eis deducuntur; ita dicendum de eo, qui est aversus à Deo, ut fine ultimo, in ordine ad impossibilitatem operandi rectè per longum tempus, vincendo concupiscentias carnis, & observando omnia mandata, quæ ad Deum, ut ad ultimum finem, in sui observatione ordinantur.

Probatur ratione 1

Hęc ratio est pro aversione ex peccato originali.

7 2. prob. Loquendo de homine lapso in peccatum personale, sive per proprium actum voluntatis commissum. Ratione D. Thom. infra art. 8. Homo per peccatum personale manet habitualiter, & permanenter adhærens, tanquam fini ultimo, bono creato: ergò impossibile est connaturaliter loquendo, quod si sæpè occurrat ipsi aliquod bonum, ut conveniens tali fini, ipsum non amplectatur; nisi aliundè multa deliberatione, & magna præmeditatione se ipsum cohibeat. Cumque talis continua, & tàm longa præmeditatio, propter continuã rebellionem carnis non sit connaturaliter possibilis iuxta providentiam ordinariam, non est etiam connaturaliter possibile, quod si non reparetur per gratiam sanctificantem, vitet diù omnia peccata. Cætera constant, præter consequentiam, quæ sic probatur. Unicuique agenti connaturale est operari iuxta finem præconceptum, & ipsi perfectè dominantem: ergò cum hoc modo se habeat bonum commutabile respectu hominis, qui peccavit peccato personali, dicendum &c.

Secunda ratio.

8 Confirm. & explic. hoc. Hominem existentem in peccato habituali observare diù præcepta legis naturæ, est diù resistere, & vincere inclinationem prædominantem ad peccandum per consensum in bona delectabilia integrantia bonum commutabile, cui homo adhæsit per peccatum; sed hoc est connaturaliter impossibile, nisi restituatur ad gratiam sanctificantem: ergò sine illa impossibilis est &c. Prob. min. Impossibile est per se, & connatural: loquendo hominem diù resistere, vincereq: inclinationem prædominantem, ita, ut non se explicet in aliquem actum illi consonum, nisi superveniat fortior inclinatio, & mai. cum proprietate dominans; quia ut ex terminis liquet, inter vires æquales nequit esse victoria continua, sed ad id opus est; ut una earum longè excedat aliam: ergò cum sola gratia habitualis, utpotè participatio divinæ naturæ, perfectè subijciat, & dominetur libero arbitrio: hæc necessariò requiritur, ut homo possit vincere omnes concupiscentias, & diù vitare omnia peccata per adimpletionem totius legis naturæ.

Confirm.

9 Sed dices. Eo probat D. Thom. ratione superius adducta, esse impossibile hominem existentem in peccato diù permanere absque peccato denuo commisso, nisi reparetur per gratiam sanctificantem: quia unicuique con-

Instabis.

connaturale est operari secundùm finem præcõceptum, & habitualem inclinationem; siquidem in repentinis homo operatur secundùm habitum præexistentem. Sed hæc ratio non probat aliquam necessitatem ad peccandum mortaliter; cum ad hoc requiratur deliberatio rationis: ergò ratio D. Thom. solùm probat necessitatem patiendi aliquos motus subitos inordinatos. Resp. ly *in repentinis* adductum à D. Thom. non denotare carentiam omnis deliberationis, sed deliberationis, quæ fiat cum matura, & diligenti præmeditatione circa deformitatem peccati, & summam infœlicitatem, in quam homo propter illud incurrit. *Huiusmodi enim præmeditatio necessaria est, ait Ang. Præc. ut homo qui voluntarie peccavit, se avertendo à Deo, ut fine ultimo; illumque contemnendo pro bono creato, non præbeat liber: consensum motibus inordinatis provocantibus voluntatem ad amorem boni commutabilis. Sed quia hanc præmeditationem adeò diligenter ponderantem motiva, ad non consentiendum tentationi, nequit homo habere per longum tempus: ideò necesse est præcedere gratiam habitualem destruentem conversionem in bonum commutabile relictam ex peccato actuali.

Solutio.

* Sic exponit: S.D. supr. q.6. a.2. utens hac voce subito.

10 Præter rationes adductas ex D. Tho. adsunt etiam aliquæ congruentiæ. Prima est. Homo existens in peccato mort: est Deo inimicus, dignusque privari omni auxilio; collatio autem efficacium auxiliorum ad observationem totius legis naturæ per longum tempus, est gratia specialissima; cum in tali observatione sint plura præcepta difficilia: Et necesse sit diù vincere plures graves tentationes provocantes ad peccandum. Non autem decet divinam providentiam, attenta eius connaturalitate, & suavitate, ut homini sibi infenso, & inimico, concedat beneficium adeò specialissimum, quod quàm plurimis iustis, & amicabiliter ab ipso dilectis, non concedit, permittendo ipsis aliquando ruere in peccatum. 2. Quia homo nec actu, nec habitu diligens Deum, non habet firmum propositum nunquam peccandi mortaliter, simulquè se avertendi ab statu, in quo existit per peccatum: ita ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando, vellit separari à Deo. Qui autem non est munitus hoc firmissimo proposito, nequit prævalere contra omnia motiva, quæ longo tempore efficacissimè inclinant ad peccandũ. Est enim ille simi lis homini ædificanti domum super arenam, quæ facilimè corruit, insurgentibus ventis, & supervenientibus pluvijs. Cum ergò homo sic affectus sit valdè indispositus ad protectionem, & curam Paternalem Spiritus Sancti præservantis illum à ruina peccati; non videtur congruere Deo, eiusque providentiæ, talis præservatio per longum tempus.

Prob. ex triplici congruentia Prima.

Secunda.

11 3. Ratio fundatur in eo, quod debilitas virium naturæ humanæ ad observationem totius legis naturæ per longum tempus, ortum ducit ex aversione animæ à Deo, ut fine ultimo per peccatum læthale; ideòque vulnera sequuta ex peccato originali, & etiam personali, per quæ potentiæ animæ redduntur infirmæ, & destitutæ debita ordinatione ad proprium obiectum, sunt effectus peccati mortalis, ut probat D. Thom. hac 1.2. q.85. ar. 2. Ex qua doctrina habetur duplicem infirmitatẽ contrahi ex omni peccato; unam in parte superiori consistentem in contagione culpæ maculantis animæ propter privationem gratiæ; qua de causa proprius dicitur mors, quàm morbus; Aliam in inferiori consistentem in corruptione potentiarum; propter destitutionem permanentis, & cõstantis ordinationis circa proprium obiectũ. Ex quo inferturad observationem totius legis naturæ per longum tempus requiri gratiam auxiliantem specialem, & specialissimam, etsi non perfectè, imperfectè tamen sanantem, tùm infirmitatem intellectus; tùm voluntatis; tùm etiam appetitus sensitivi; ut homo diù adimpleat omnia præcepta affirmativa, & vincat omnes tentationes contra præcepta negativa insurgentes. Non est autem decens divinæ providentiæ, ut sanet infirmitatem potentiarum, nisi priùs sanet radicem, à qua talis infirmitas procedit. Nàm etsi, non sit contra rectum ordinem medicinæ, sa-

Tertia.

sanare ab infirmitate læthali relinquendo aliquas reliquias infirmitatis in partibus corporis; secùs verò incipere sanando infirmitatem partium, morbo læthali absque curatione relicto: ergò cùm gratia auxilians ad elicientiam actuum, & victoriam tentationum, quibus tota lex adimpletur, sit gratia medicinalis à Deo, ut Sapienti Medico proveniens, non videtur congruum, ut talem gratiam dispenset: nisi perprius sanet animam à culpa læthali, infundendo gratiam sanctificantem homini se disponenti ad illius receptionem.

12 2. vero pars sic facile prob. Id, quod est entitativè naturale, nequit per se & ex natura rei exigere ad sui 2. pars pr. existentiam, aliquid entitativè supernaturale; & præsertim gratiam habitualem; sed huiusmodi est observatio totius legis naturæ per longum tempus; cùm sit collectio actuum naturalium, quibus præcepta affirmativa adimplentur; & actuum, quibus omnes tentationes contra præcepta negativa ex motivo naturali superantur: ergò talis observatio per se, & ex na- Confirm. tura rei &c. Confirm. Homo conditus in puris naturalibus posset, & teneretur servare omnia præcepta naturalia collective, ut supr. dixi, in quo statu nullam gratiam entitativè supernaturalem haberet: ergò talis observatio per se, & ex natura rei, non exigit gratiam sanctificantem; aliàs in nullo statu posset sine illa existere. Idem convincitur casu, quo Deus condidisset hominem integrum integritate naturali, & sine elevatione ad ordinem gratiæ; quod esse posibile, est certum; in quo statu posset observare collectivè totam legem naturæ longo tempore sine gratia sanctificante; imò & sine gratia speciali ordinis naturæ dante expeditionem ad ipsam, iuxta doctrinam Div. Thom. in præsenti. Hac de causa necessitas gratiæ sanctificantis à nobis in præsenti propugnata pro statu elevationis, & in quo homo nequit carere peccato læthali, nisi sit sanctificatus per gratiam; meritò ab aliquibus appellatur necessitas se tenens ex parte subiecti, & ut conditio illius; non verò se tenens ex parte observationis legis naturæ, ut conditio eiusdem. Ex dictis in probationibus primæ partis manet prob. tertia pars.

§. II.

Solvuntur argumenta.

OBjicies 1. ex illo Eccles. iast. cap. 13 13
Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu Arguit. 1
consilij sui: adiecit mandata, & præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te. Nunc sic: Homo non indiget gratia sanctificante ad id, quod est in sua facultate: ergò si &c. Ad idem facit illud ad Rom cap. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr ea, quæ legis sunt, faciunt.* Ubi iuxta Div. Chrisost. loquitur Apostol. non de observatione huius, vel alterius præcepti (ut aliqui exponunt) sed de observatione omnium. Ita Serm. 5. ad dictum locum. Tunc sic: Id, quod necessariò fit ab homine elevato per gratiam sanctificantem, non fit ab ipso naturalitèr: ergò si iuxta prædict. testim. gentes naturalitèr observant omnia præcepta legis naturæ, non requirunt gratiam sanctificantem pro tali observatione. Denique: Observatio, quę non est supra vires hominis, neque procùl ab eo, non exigit gratiam sanctificantem; cùm hæc adeò excellens sit, ut sit supra omnem naturam creatam, & creabilem, & à solo Deo possibilis haberi. Sed observatio legis naturæ est huiusmodi ut constat ex illo Deuteronom. cap. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procùl positum &c.* ergò.

Hoc argumentum probat, hominem non indigere gratia speciali, nèc ulteriori auxilio præter libertatem; ideòque illo utebatur Pelagius Solutio. iuxta P. Aug. de Gratia, & lib. arbit. cap. 16. Unde Resp. Recte componi, aliquid contineri in potestate lib. arbitr. posseque fieri ab illo, si velit; & tamen ad id requiri gratiam supernaturalem, tùm auxiliantem, tùm etiam sanctificantem. Constat hoc in omni homine, cui revelatum est Evangelium Christi, sive, cui Deus præbet sufficientiam ad credendum: de illo enim verificatur, quòd in sua potesta-

tate est venire ad Christum per fidem, & credere in ipsum, si velit; & tamen hoc nequit fieri sine gratia supernaturali. Similiter de omni homine fideli verificatur, posse salvari, si velit; & tamen ad consequtionem æternæ salutis necessaria est gratia sanctificans. Id ipsum constat in 1. parente, de quo sæpissimè asserit P. Aug. in potestate illius fuisse, perseverare, aut non perseverare in bono; similiterque potuisse perseverare, si vellet; cum tamen ad hoc necessaria foret; tùm gratia supernatur: auxilians, utquo tùm etiam continuatio gratiæ sanctificantis per priùs acceptæ. Ratio à priori est. Nàm aliquid esse in nostra potestate, est idem ac fieri libere. Sed fieri aliquid libere à nobis non est fieri, aut posse fieri sine gratia; cum iuxta Apostolum; *ubi est spiritus Domini, ibi & libertas*; & iuxta M.P. *Voluntas non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem*; & rursus: *Voluntas eo liberior, quo sanior, eo autem sanior, quo divina misericordia, gratiæque sublectior*: ergò.

2. ad Cor. 3.

Epist. 89.

15 Hoc suppositò ad rem nostram propius accedendo. Homo præsertim fidelis, aut est iustificatus per gratiam, vel non? Si 1. potest servare omnia mandata, si velit; cum gratia sanctificante ad hoc requisita sit præditus. Si vero sit in peccato læthali, potest se præparare per fidem, & alia auxilia supernaturalia, ad receptionem gratiæ sanctificantis, per quàm redditur potens proximè servare omnia mandata, tàm naturalia, quàm supernaturalia. Quapropter semper est verum dicere: posse servare mandata, si velit: *sed necesse est ad hoc, ut voluntas præparetur à Domino*, ita M. P. de grat. & liber. arbit. cap. 16. De homine vero infideli infra erit sermo.

Ad 2. Ad 2. Resp. dupliciter 1. iuxta D. Aug. lib. de spiritu, & lit. cap. 26. ly *naturaliter*, si appellet supra ly *facere*, significare idem, ac per naturam gratia reformatam: qua solutione utitur D. Tho. in præs. ar. in sol. ad 1. Resp. 2. ly *naturaliter* posse non appellare supra ly *facere*. Sed supra ly, *ea, quæ legis sunt*; quasi diceret; * Gentes, quæ legem scriptam non habent, ea quæ sunt legis naturalis, hoc est, ea, quæ per dictamen rationis naturalis facienda esse cognoscunt, faciunt, sed non sine gratia Dei moventi affectum earũ, ut faciãt.* Ita S. D. supra dictum locum, lect. 3. Ad ultim. Resp. Quod etsi gratia supernaturalis auxilians, & etiam gratia sanctificans, sint supra vires naturales hominis; semel tamen, quod à Deo conferantur, vel præparentur conferri homini, medio aliquo exercicio libero ipsius, est verum dicere, * quod observatio omnium mandatorum non est supra hominem, neque procul ab ipso; * hoc enim denotat illam esse simpliciter impossibilem, quæ quidem impossibilitas deficit; si estò requiratur gratia supernaturalis, illa adest nobis, vel saltim offertur nobis, iuxta illud: *Regnum Dei intra vos est.*

Ad ult.

Lucæ. 17.

Obijcies 2. ex D. Tho. in 2. dist. 28. q. 1. ar. 3. ubi expressè agens de observatione omnium præceptorum quòad substantiam operis præcisè, sic ait: *Præcepta legis, quantum ad id, quod directe sub præcepto cadit, potest aliquis implere per liber. arbitrium sine gratia gratis data, vel gratum facente; si tamen gratia accipiatur pro aliquo habitu infuso.* Quo nihil clarius. Conf. ex eodem S. D. ibidem ar. 2. ubi nostram sententiam sic impugnat: *Quidam dicunt, quod potest homo in peccato mortali existens ad tempus stare, nè in peccatum cadat; sed non diù. Ista autem positio apparet falsa, 1. quia cum peccatum bona naturalia non tollat, sed minuat; illud, quod ad naturam potentiæ naturalis pertinet, per peccatum homo amittere non potest, sed solum quod minuatur, ita scilicet, quod illud peccatum, quod homo ante poterat de facili vitare, postmodum difficulter vitet. 2. quia liberũ arbitriũ resistens malo non efficitur infirmum ad malum vitandum, sed multo fortius: Unde multo magis postea potest vitare peccatum, quam antea, & ideo &c.*

16

Arguit. 1; Ex difficil. test. S. D.

Confirm.

Propter hęc asserunt aliqui Thom. cum Eminent. Cayet. D. Thom. in præsenti retractasse sententiam, quàm docuerat in sententijs. Hoc tamen admisso: valdè notandum est cum M. Serna, D. Thom. in dicto loco nullatenus favere errori Pelagij; Nàm etsi negetur ab illo necessitas; tùm gra-

17

Prima ex positio re ijcitur.

gratiæ sanctificantis; tùm etiam gratiæ specialis dantis posse ad talem observationem: adhùc tamen expressè requirit Ang. M. necessitatem gratiæ consistentis in motione divinæ voluntatis, per quam Deus donat nobis omnem nostram operationem faciendo, ut faciamus. Quod toto cœlo distat ab errore Pelagij, cuius caput est illud effatum: *semel concessa arbitrij libertate, & sufficientia ad rectè agendum, ulteriori auxilio Dei non indigeo.* Sed tamen.

18 Dico 1. *Testimonium 1 loco nobis obiectum, non efficaciter probat retractationem in D. Thom.* Potest enim congruenter satis exponi, dicendo; quod Ang. D. loquitur per se, & ex natura rei, attentis, scilicet, principijs, quæ observatio totius legis naturæ etiam per longum tempus ab intrinseco exigit. Quæ quidem, cum sit entitativè naturalis, nequit exigere modo dicto gratiam sumptā pro habitu infuso. In præsenti autem art. loquitur Ang. D. de diuturna observatione totius legis naturæ, non solum inspecta secundum sibi intrinseca, & quasi ex specie sua ipsi convenientia; sed etiam secundum ea, quæ ipsi conveniunt ex suppositione, quod homo sit in statu peccati: & attenta connaturali providentia Dei, secundùm quam non decet (nec nisi miraculosè, & extraordinariè fieri potest) Deum homini peccatori conferre cumulum omnium auxiliorum efficacium; quoties longo tempore urgeret præceptum legis naturæ, tàm affirmativum, quàm negativum. Ex quibus constat nullam contradictionem esse in doctrina D. Tho. tradita in sentent. & hac 1.2.

Primum dictum pro mente S.D.

19 Dico 2. *Etiam 2. testimonium potest congruenter exponi, absque recursu ad retractationem.* Ita SS.M. Serna, & Boliv. Dupliciter enim potest concipi homo peccator impotens ad diù observandam totam legem naturæ; scilicèt, vel physicè, vel solum moraliter. 1. modo contingeret; si propter peccatum diminueretur intrinsece inclinatio ad rectè operandum. 2. autem modo contingit absque diminutione intrinseca talis inclinationis, propter rebellionem appetitus sensitivi ad rationem: & insuper propter debilitatem intellectus practici ad rectè considerandum hic, & nunc: & propter inclinationem ad bonum commutabile, ut finem ultimum relictam ex peccato actuali; quæ omnia non tollunt à voluntate continentiam per modum virtutis omnium actuum honestorum naturalium, sed solùm illam reddunt vehementer impeditā, debilem, infirmam, & maximè difficilem, ut diù permaneat absque lapsu in novum peccatum.

Secundū.

20 Hoc supposito dicendum, quod in sententiar: impugnavit opinionem eorum, qui asserebant hominem existentem in peccato, non posse diù potentia physica permanere absque novo peccato. Attamen, dùm in præsenti docet sine gratia sanante, hoc non posse accidere: loquitur de impotentia morali, non qualicumque, sed quasi in supremo gradu, utpotè coalescens ex pluribus gravibus difficultatibus, quarum quælibet absolutè reddit illam impotentem moraliter, uti est quælibet gravis tentatio, & quilibet actus adimpletivus præcepti gravis, scilicèt, dilectionis Dei, inimicorum &c. Et quod præcipuum est, inclinatio prædominans in homine ad bonum commutabile, ut ad finem ultimum suæ vitæ, & operationum, relicta ex peccato actuali.

Solutio ad testim.

21 Hæc expositio fundatur 1. in ratione, quam assignat D. Thom. in sententiar: scilicèt, * peccatum non adimere naturam potentiæ rationalis, sed illam diminuere, ut quod priùs poterat facilè, postmodum non sine difficultate, & pugna posit; * quæ ratio solùm probat potentiam physicam, & simul comprobat impotentiam moralem. Hæc autem difficultas, & impotentia moralis ad bonum adeò excellens (ut supra satis insinuatum manet) sufficit, ut sit necessaria, tàm gratia specialis actualis, quā gratia sanctificans, ad observationem totius legis naturæ per longum tempus.

Prob. eius veritas.

Dices 1. Div. Thom. eam potestatem concedit homini lapso ad vitanda omnia mortalia, quàm negat ad vitanda omnia venialia; sed ad hæc vitanda homo solùm habet impotentiam moralem, non physicam: ergò concedit homini potestatem etiam

Replicabis 1.

etiam moralem ad vitanda omnia
Secundò. mortalia. 2. Iuxta D. Thom. ratione 2. Homo per liber. arbitr. resistens malo ad tempus, non efficitur infirmus ad malum vitandum, sed multo fortior; sed hoc non potest dici, si adhùc perseverat cum eadem impotentia morali in vehementi difficultate, pugna, & debilitate virium consistenti: ergò dùm asserit S.D.quod *si potest vitare ad tempus, potest etiam vitare diù omne peccatum*, loquitur de potestate morali.

22 Ad 1. Resp. Quod inter peccata venialia commissa ex plena advertentia, & inter peccata mortalia, nullum
Ad 1.inst. discrimen assignavit ibi D.Thom. sed inter peccata venialia provenientia etiam ex imperfecta deliberatione, & ex subreptione appetitus. Licèt autem homo habeat potentiam physicam ad vitanda omnia venialia, sicut ad omnia mortalia; est tamen discrimen: quod in ordine ad vitanda omnia mortalia, habet potentiam physicam perfectam, propter deliberationem rationis necessariò requisitam. At vero ad vitanda omnia venialia, habet potentiam physicam imperfectam, sive diminutam; cum aliqua possint cõmitti absque plena deliberatione. Undè, quia potentia diminuta, & imperfecta, plus habet de impotentia, quam de potentia; ideò dixit absolutè S. D. * hominem non posse vitare omnia venialia includentia motus inordinatos imperfectè liberos; bene tamen posse omnia mortalia vitare.*

23 Ad 2. Respond. Prædictam rationem convincere, quod liberũ arbitriũ; si est potens physicè ad tempus
Ad 2. vitare peccatum, etiam est potens physicè diù vitare illud; quia maior habilitas ad diù vitandum omne peccatum supponit necessariò posse physicè illud vitare. Non tamen concludit, potentiam moralem; propter superiùs dicta; quia videlicet illa mai. habilitas non est ex toto, sed ex parte valdè exigua; cum post illam remaneant vincendæ plures graves tentationes; pluresque actus difficiles adimpletivi præceptorum naturalium in numero indeterminato: & item continuatio in resistendo inclinationi prædominanti ad bonũ commutabile, quod homo elegit pro fine ultimo suæ vitæ, & suarum operationum.

Obijcies 3. Homo, cui Deus conferret omnia auxilia efficacia, quoties 24
urgeret præceptum de lege naturæ Arguit.3. cum cognitione urgentiæ, etiam per longum tempus, observaret illam; sed ut homo accipiat huiusmodi auxilia, non requiritur, quod per priùs accipiat gratiam sanctificantem: ergò ad observationem &c. Prob. min. Ut homo accipiat à Deo auxilia efficacia ad observationem legis naturæ modo dicto, sufficit, quod à Deo petat talia auxilia media oratione cum conditionibus requisitis; scilicèt, *pie, perseveranter, pro se, & de conducentibus ad salutem animæ, vel vitationẽ peccati.* Oratio enim his conditionibus prædita est infallibiliter impetratoria, ut docet D. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. ar. 7. q. 3. ad 1. & 2. 2. q. 83. ar. 15. & 16. ad 2. Sed ad sic orandum non requiritur gratia sanctificans, ut est certum: ergo nec, ut Deus ei conferat auxilia efficacia pro observatione totius legis naturæ. Confirm. Ut Deus conferat homini auxilia supernaturalia, & Confirm. etiam efficacia, ad actus fidei, spei &c. non requiritur, quod per priùs homo sanctificetur à Deo, & se disponat ad receptionem sanctitatis: ergò idem dicendum de receptione auxiliorum efficacium pro obtervatione totius legis naturæ. Prob. conseq. Maius donum Dei est auxilium supernaturale, quam tota collectio auxiliorum entitative naturalium; qualis est collectio auxilij efficacis requisita pro observatione totius legis naturæ: ergo si &c.

25 Resp. Quod ad pie petendum, requiritur bene petere; ad petendum Solutio. autem bene, requiritur prudenter, & humiliter, & sine præsumptione petere à Deo. Postulatio autem alicuius doni contra communem ordinem providentiæ, & iustitiæ, est imprudens, & præsumptuosa. Talis esset, siquis peteret à Deo gratiam ad nunquam peccandum venialiter, vel ad patranda miracula. In antecedentibus relinquimus probatum, iuxta communem providentiam fundatam in æquitate iustitiæ, attenta indignitate peccati, &

ex-

experientia tot abhinc sæculis confirmatam, Deum nunquam contulisse homini peccatori auxilia efficacia ad vitanda omnia peccata per longum tempus. Quapropter petere talia auxilia, non se disponendo per prius ad mundationem à peccato per gratiam sanctificantem, esset temeraria, & præsumptuosa postulatio indigna exaudiri, iuxta illud Iacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.*

26 Ad confirmat. neg. consequen. propter rationem discriminis ex immediatè dictis deductam; Nàm
Ad conf. conferre auxilia ad actus fidei homini peccatori, & postulanti illa à Deo, est conformiter ad ordinem statutum per divinam providentiam supernaturalem, ad quam spectat providere homini de requisitis ad reconciliandum se cum Deo media gratia sanctificanti. At vero nulla agnoscitur in Deo de facto providentia, per quam homini peccatori offerat auxilia efficacia pro observatione totius legis naturæ non prævia iustificatione, sed potius creditur providentia de opposito, ipsa experientia præter motiva supra ponderata, id contestanti. Nec probatio urget; Nàm etsi auxilium supernaturale sit maius donum, quàm esset collatio prædicta homini peccatori concessa, quantum ádsubstantiam; hoc est, secundùm quantitatem dati; hæc vero esset maius donum quantum ad modum; quia ex extraordinaria liberalitate, & cum maxima improportione à Deo concessum. Ad modum, quo iustificatio impij excedit ex parte rei factæ creationem mundi; quoad modum vero, propter maximam imporportionem termini à quo, scilicet, fieri ex nihilo; maius opus est creatio, quàm iustificatio, ut docet D. Thom. hac 1.2. q.113. ar.9. Idem potest confirmari exemplo visus miraculosè restituti respectivè ad iustificationem peccatoris modo regulari factam.

27 Objcies 4. Nihil entitative naturale potest exigere aliquid intrinsecè supernaturale, qualis est gratia habitualis; cum de ratione entis supernaturalis sit excedere omnem exigentiam totius ordinis naturæ. Sed obser-
Arg. 4. vatio totius legis naturæ quantum ad substantiam, est entitativè naturalis: ergò &c. Confirm. Homo in statu naturæ corruptæ easdem vires habet in ordine ad bonum naturale, ac haberet in pura natura; ut tenent plures Thom. cum Cayet. solum agnoscentes distinctionem hominis in utroque statu penes hominem nudum, & nudatum. Sed homo in pura natura haberet vires ad observandam totam legem naturę per longum tempus sine gratia sanctificante: ergò etiam homo in natura corrupta sine tali gratia potest &c. Consequ. pat. Nàm vires purè naturales, & vires elevatæ per gratiàm sanctificantem non sunt eædem, aut æquales vires.
Confirm.

28 Resp. mai. esse veram de exigentia per se, & ab intrinseco convenienti rei entitativè naturali, secùs
Solutio. tamen convenienti ex aliqua suppositione supernaturali: & hoc modo requiritur gratia habitualis ad observationem legis naturæ. Suppositia enim elevatione hominis ad ordinem gratiæ: si careat gratia sanctificante, necesse est, esse in statu peccati læthalis; per quod homo, & redditur indignus, ut Deus ei concedat observatione legis per longum tempus, & impotens moraliter diù existere absque novo peccato. Ad confirm. Resp. Ad conf. Aliud esse habere easdem vires; aliud habere eadem impedimenta, & eandem indignitatem. 1. concedimus, & ita tuentur plures AA. 2. est falsum; cum status naturæ corruptæ supra debilitatem virium (qua etiam gauderet natura humana in puris naturalibus) superaddat aversionem à Deo per peccatum originale; & etiam conversionem ad bonum proprium, ut finem ultimum pro casu peccati personalis. Quodlibet autem ex his reddit hominem indignum collatione omnium auxiliorum efficacium pro diuturna legis naturæ observatione. Quapropter attenta connaturalitate divinæ providentiæ iuste, & æquissime omnia gubernantis, nisi homo prius reconcilietur Deo per gratiam, non poterit totam legem naturæ observare. Si vero peccatum habituale sit personale, ultrà difficultatem maximam ad talem observationem con-

ve-

venientem etiam in pura natura, superadditur homini nova difficultas, scilicèt, habitualiter adhærere bono creato; ut fini ultimo. Ex his claritatis gratia dist: illam propositionem: Vires ordinis naturalis, & vires elevatæ per gratiam sanctificantem, non sunt æquales: si talis elevatio requiratur per se, aut consideretur, quantum ad id, quod dicit positivè, concedo; si talis elevatio non sit per se exacta, sed solùm ex aliqua suppositione, propter remotionem alicuius impedimenti, neg. Et hoc modo requiritur, ut supra dictum est, gratia sanctificans.

29

Instabis prob. quod gratia influat positive.

Sed dices. Si huiusmodi gratia esset requisita ad totius legis naturæ observationem, esset requisita, ut positive influens in illam: ergò doctrina hucusque tradita ruit. Prob. añs. 2. Nàm testimonia superius adducta ex Concilijs, & PP. hoc expressè indicant, si aliquid probant; siquidem asserunt non tantum requiri gratiam sanctificantem, ut peccata remittantur, sed etiam adiutorium, & auxilium, ut alia denuo non committãtur. 1. Eatenus requiritur gratia sanctificans; ut scilic: sanet infirmit: naturæ, eam confortando, & firmando in bono; sed gratia, ut sanans infirmitatem naturæ, eamque roborans, & confirmans in bono, dicit positivum influxum in id, ad quod sanat infirmitatem, & debilitatem naturæ: ergò.

30

1. solutio impugn.

Ad hoc Resp. Aliqui gratiam sanctificantem unicè requiri ad observationem legis naturæ, ut removens prohibens, adeò, ut nullum aliud influxum positivum ei concedant. Undè ad probationem in contra respondent similiter: gratiam habitualẽ, etiam præcisive ab influxu positivo confortare, & roborare potentias, & vires animæ ad observationem legis naturæ per hoc præcisè, quod auferat impedimentum peccati eas retardantis à dicta observatione. Sed hæc doctrina, nisi amplius explicetur, non placet. Sentio enim gratiam habitualem adiuvare positivè hominem ad observationem diuturnam legis naturæ. Ita Eminent. Cayet. hic ar. 89. ad 2. quæst. Assumpt. constat ex sincera intelligentia testimoniorum, quæ supra adduximus. Quod urg. ex Concil. Milevitano can. 4. dicente: *Hoc adiutorium ex gratia proveniens non consistere in eo, quod per illam aperiatur nobis notitia mandatorum, sed quia præstat, ut cum dilectione valeamus facere, quod scimus.* Ad idem faciunt testimonia M. P. supra ponderata. 2. Conversio ad Deum, ut ad finem ultimum simpliciter positivè adiuvat voluntatem, ut rectè, & ordinatè se habeat circa media ordinata ad talem finem: sicut intellectus per rectam cognitionem principiorum positivè perficitur, & confortatur ad rectam cognitionem conclusionum: ergò cum gratia habitualiter ita convertat hominem ad Deum: dicendum positive, & perfectissimè adiuvare voluntatem pro observatione diuturna totius legis naturæ. 3. Gratia habitualis ita reddit animam Deo coniunctam, ut ex illa derivetur charitas in voluntatem, fides, & alia dona intellectualia in intellectum, & virtutes morales infusæ in appetitum inferiorem; quibus omnibus homo secundum omnes sui potentias permanet positivè inclinatus ad rectè operandum 1. & per se intra ordinem supernaturalem; ex consequenti vero, & imperative, circa ea, quæ spectant ad ordinem naturæ: ergò gratia non tantum negative, sed positive adiuvat ad observationem totius legis naturæ.

Loquit: de illa, qua iustificam.

Secundò;

Tertio,

Nec enim adiuvare positive, & auxiliari ad aliquem actum, fit præcissè exequendo illud, sed etiam, & perfectiori modo, fieri potest illum imperando. Qua ratione, quis negare poterit, nisi temerarie loquatur, actum charitatis positivè iuvare, & positive influere in actus naturales virtutum, quos imperat; quod benè docuit nos Apostol. dum dixit: *Charitas omnia sustinet*, & rursus: *Quis nos separabit à charitate Christi?* & iterum: *omnia possum in eo, qui me confortat.* Si enim amor Dei naturalis appretiat: super omnia, & etiam voluntas efficax ex motivo purè naturali diù servandi omnia præcepta legis naturæ, sunt positivè ad victoriam confortantia, positivèque iuvantia voluntatem

31

Hic influx: non exig. ab observat.

1. ad Cor. 13. Ad Phil. 4. Ad Rom. 8.

Gratia influit positive. 1.

ad

ad illam, quantò magis gratia habitualis, & charitas omnes prærogativas ordinis naturæ eminenter præhabentes. Unde distinguere oportet inter titulum, vi cuius requiritur gratia sanctificans, & alij actus supernaturales necessarij ad sanctificationem; & inter munus, quod exercet, semel, atque, conferatur homini. Si consideretur 1. verum est solum requiri gratiam sanctificantem, propter ablationem impedimenti peccati; &, ut in conspectu gratiæ sit connaturalis collatio auxiliorum efficacium pro observatione legis naturæ. Si vero considerentur munera, quæ gratia præstat, illa sunt, & remittere peccatum impediens, & positivè iuvare, & perfectissimè confortare vires hominis pro dicta observatione. Forma enim semèl communicata subiecto capaci omnium effectuum, quos in se continet, nequit illos non præstare.

Sanctitas est rectitudo universalis S. D. hic q. 113. a. 1.

32 Hinc aliter Resp. Ut positivè influens &c. per se, & ex natura rei, sive ex specie observationis totius legis naturæ, neg. añs. Esset requisita tantum ex aliqua suppositione, subdist. Ut positivè influens per modum principij exequentis, conc. Per modum principij imperantis, vel alio modo influentis, neg. añs. per quod patet ad 1. Ad 2. dist. mai. Ut sanet infirmitatem naturæ consistentem in contagione culpæ, conc. mai. Infirmitatem consistentem in debilitate virium ex peccato relictam, subdist. Ly *ut* dicente titulum, vi cuius requiritur necessariò, neg. mai. Ly *ut* dicente effectum, quem etiam gratia habitualis præstat, conc. mai. & concess. min. dist. conseq. modo dicto. Unde si esset possibilis remissio peccati per solam condonationem extrinsecam, aut per gratiam non habentem allum effectum; illa supposita posset Deus absque miraculo, & extraordinariè operando, conferre homini auxilia efficacia pro diuturna observatione legis naturæ; quia tunc se haberet sicut homo in puris naturalibus; licet semper talis collatio auxiliorum esset gratia specialissima propter dicta dub. antec.

Verior solutio.

33 Arg. 5. Obijc. 5. Infirmitas, vi cuius homo indiget gratia ad legis observationem, non consistit in macula peccati, sed in privatione sanctæ cogitationis, qua efficacitèr movetur ad rectè operandum; cuius signum est; quod si adsit talis cogitatio, homo operabitur honestè; si autem desit; esto adsit gratia habitualis, homo nõ operabitur honestè: ergò inutiliter ponitur gratia habitualis &c. Confir. Gratia habitualis non datur ad operandum, sed ad essendum, constituendo animam in quodam esse spirituali, & divino per imitationem. Sed infirmitas naturæ consistit in debilitate virium ad operandum: ergo gratia habitualis non datur ad tollendam debilitatem virium. Sed gratia requisita titulo gratiæ sanantis, est gratia tollens debilitatem virium: ergò nomine gratiæ sanantis naturam requisitæ à D. Thom. pro observatione legis, non intelligitur gratia habitualis. Sic Vazquez.

Confirm.

Resp. dist. añs. Non consistit totalitèr, & adæquatè, conc. añs. Partialiter, & inadæquatè, neg. añs. Per peccatũ duplicem infirmitatem ad operationem contraximus: unam in parte superiori per aversionem mentis à Deo; alteram in parte inferiori; propter rebellionem appetitus ad rationem, & pronitatem ad prosequenda inordinatè bona sensibilia. Licet per gratiam sanctificantem sanetur natura humana quantum ad mentem; remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati. Ita D. Thom. hic ar. 9. Debilitas ad rectè operandum provenit ex utraque infirmitate, scilicèt, & ex aversione animæ à Deo; & ex infectione secundum carnem: Nàm languescente natura, sive radice per peccatum, necesse est, ut & rami, sive vires illius etiam languescant. Unde, ut sanetur natura, esto imperfectè, à debilitate virium iuxta connaturalem providentiam, necesse est perprius sanare radicem, auferendo maculam in aversione à Deo consistentem. Nec probatio aliud suadet, quam solam gratiam habitualem non sufficere ad diuturnam observationem legis, secùs tamen non requiri. Infallibilis determinatio arbitrij ad rectè operãdum sequuta ad collationem cogitationis con-

34 Respond.

1. in alio sensu est mors.

grue, etiam deficiente gratia habituali, rectè probaret non requiri gratiam habitualem, si Deus absque miraculo posset homini peccatori conferre cogitationem congruam, sive auxilium efficax; quotiès urgeret præceptum. Quia tamen hoc contingere nequit, attenta connaturalitate divinæ providentiæ, & iustitiæ; ideò necessariò requiritur utraque gratia.

35 Ad confir. Ad Confir. Resp. Gratiam habitualem dari immediatè ad essendum, & mediatè, sive radicaliter ad operandum. Quapropter, licet non sit gratia sanans immediatè ratione sui omnem debilitatem provenientem ex aversione, sanat tamen mediatè debilitatem proveniẽtem ex rebellione appetitus; non quidem auferendo fomitẽ concupiscentię, sed illũ comprimendo medijs virtutibus, illum inclinantibus ad obediendum rationi. Hac de causa gratia sanctificans facit; ut passiones non dominentur, sed famulentur rationi, iuxta illud ad Rom. 7. *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ erant per legem mortis, operabantur in nobis, ut fructificarent morti; nunc autem soluti sumus à lege mortis, ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* Videatur ibi D. Thom. & in disp. quæst. de virtutibus ar. 10.

36 Arg. ult. Ult. obijc. Ex nostra conclusione sequuntur duo inconvenientia. Primum; posse aliquem scire se esse in gratia Dei; cum possit esse certus de eo, quod non commisserit per multum temporis peccatum mortale contra legem naturæ, quod nequit concedi, iuxta illud: *Nescit homo, an odio, an amore dignus sit.* Eccles. 9. 2. est. Hominem diù existentem in peccato mortali committere de novo aliud peccatum, non se disponendo ad receptionem gratiæ habitualis; cum per talem diutinam perseverantiam in peccato, se exponat periculo inducenti certitudinem moralem labendi in aliud peccatum; quod concedere videtur satis durum. Ad 1. Resp. Hominem non posse certò scire, an vitarit dlù omne peccatum; præsertim peccata omissionis, iuxta illud: *Ab occultis meis munda me Domine.* Psalm. 18 Imò nec illa, quæ lege naturali negativa prohibentur. Quis enim sæpè vexatus gravibus tentationibus carnis, potest esse certus, quod nulli eorum liberè consenserit; cum protùnc ratio sit valdè obnubilata, & nequeat plenè scire, si aliqualiter, estò pro ferè instantanea morula consenserit. Unde solum potest habere certitudinem coniecturalem, sive prudentialem. Hac de causa aiebat Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Ad Cor. 1. cap. 4. Ad 2. Resp. Neminem posse scire, quanta sit determinatè diuturnitas perseverantiæ in peccato, ut ex illa sequatur prolapsus in novum peccatum; proindèque, quando urgeat præceptum vitandi periculum ortum ex tali diuturnitate. Pro fidelibus argum. nullatenùs potest urgere; cum ex præcepto Ecclesiæ teneamur semèl in anno reconciliari cum Deo; & ex præcepto divino teneamur aliquotiès ad actum charitatis, cui annexa est gratia habitualis remissiva omnis peccati. *Et hæc de hoc dub. applic. ubi præced.*

Solut. ad primum inconv.

(o)

DU-

DUBIUM APPENDIX.

IN QVO QVAEDAM DIFFIGVLtates deciduntur.

§. I.

QVALIS SIT IMPOTENTIA HOMINIS LAPSI AD OBSERVATIOnem legis naturæ?

N.1 ARguo sic. Impotentia hominis lapsi ad observationem totius legis naturæ, aut est impotentia añs. aut conseq? 1. nequit dici. 2. non probat necessitatem gratię habitualis. ergò hæc non requiritur &c. 2. pars min. const. Nàm impotentia conseq. tolum tollitur per formam dantem potentiam consequentem, hoc est, potentiam coniunctã cum actu; sed hanc non prestat gratia habitualis; cum possit homo iustificatus citò, aut paulò denuò peccare: ergò. Tùm quia potẽtia conseq. ad observationem longo tempore, provenit ex cumulo auxiliorum efficacium, cum quo gratia data tempore añti. nullam connexionẽ habet; estò hábeat aliquam congruentiã; aliter enim nõ indigeret orare Deum, nè induceretur in tentationem. Quò ad 1. vero prob. Impotentia añs. est impotentia proveniens ex defectu virtutis, & activæ continentiæ actus, ad quẽ datur talis impotẽtia; quemadmodum potentia añs. ad aliquem actum dicitur talis, quia intrinsecè, & per modum virtutis continet adæquatè totam perfectionem actus. Atqui, etiamsi deficiat gratia habitualis, remanet in voluntate hominis virtus præcontentiva omniũ actuum, quibus diù adimpletur lex naturæ; cum omnes illi actus sint entitativè naturales; & insuper iuxta D. Th. hac 1. 2. q. 85. a. 2. peccatum etiam personale, non diminuat intrinsecè inclinationem activam innatam voluntatis ad rectè operandum, sed solum extrinsecè ex parte termini: ergò.

Ratio dubitandi proponitur.

2 Aliqui cum M. Ferre sentiunt hominem sine gratia speciali non habere potestatem antec. ad observationem diuturnam legis naturæ. Ita q. 6. à n. 364. cuius fundam. est, quia potenti antec. ad aliquod exercitium, est quasi debitum ipsi aliquando illud ponere: ergò si per vires naturales, & sine omni gratia speciali, tàm auxilianti, quàm habituali, posset homo lapsus servare totam legis naturæ, aliquãdo &c. Huic fund: facilè occurri dist. añs. Si talis potẽtia sit facilis, & expedita, & magis inclinata ad actum, conc. añs. Si sit inexpedita, difficilis, & magis propensa ad oppositum, neg. añs. & conseq. Quę solutio continet doctrinam omninò veram; illaque utitur præd. M. q. 5. §. 3. pro specialitate gratiæ ad victoriam gravis tentationis. Prob. insup. assump.

1. Resp.

3 Potentia añs. ad actus virtutis, quibus longo tempore lex naturæ adimpletur, coalescit ex virtute innata voluntatis prævenia cum iudicio indifferentèr proponenti actus virtutis, aut etiam victoriam gravis tentationis ex motivo naturali, quotiès urgerent præcepta affirmativa, & negativa; cum iudicium indifferens sit radix libertatis includẽntis potentiam antecedentem ad unum extremum, cum indifferentia ad aliud. Sed sine omni gratia speciali subsistit intrinsecè immutata continentia activa innata voluntatis; & similitèr virtus in intellectu ad sic indifferentèr proponendum bonum honestũ, quotiès urgeret præceptum; cum ad cognitionem præcepti ut urgẽtis connatural: sequatur talis cognitio; sicuti & cognitio malitię, in illius transgressione, & bonitatis in eius observatione: ergò potentia

Pars affirm. prob.

añs. ad dictam observationem habetur sine gratia habituali.

4 Mag.Bolivar asserit talem impotentiam in juno sensu esse antecedentem, & physicam, in alio vero sensu, non. Si enim attendatur solum continentia activa actuum, quibus adimpletur tota lex naturæ, sic voluntas est potens antecedentèr etiam sine gratia; si vero considerentur impedimenta, tùm aversionis à Deo, tùm rebellionis appetitus, & inconstantiæ voluntatis; homo lapsus est impotens antecedentèr, etiam physicè; cum talia impedimenta à se non possit abijcere. Exemplum ponit in impotentia hominis lapsi ad cognitionem omnium veritatum naturalium collectivè, & in igne non applicato ad comburendum. Licet enim cognitio omnis veri, & combustio contineantur in virtute activa intellectu, & ignis; quia tamen homo nequit à se abijcere impedimenta pro collectione; nec ignis supplere defectum applicationis; dicuntur physicè impotentes antecedentèr ad actus recensitos.

Secunda Respons.

Roborat. exemplis.

5 Distinctione tradita de duplici acceptione potentiæ anteced.physicæ à Sap.M.usi sumus dub. 1.eademque fundavimus ex D. Thom. quæ si placet, ibi videri potest. Cæterùm quia, iuxta veritatem, & iuxta ipsum M.ut causa intrinsecè continens effectum dicatur impotens physicè illum producere,requiritur; & quod non possit physicè superare impedimenta ad productionem effectus, & rursùs; quod non possit physicè cum illis componere productionē effectus; restat probandum hoc contingere in voluntate peccatoris in ordine ad observationem totius legis naturæ. Verum enim est voluntatem viribus proprijs non posse à se abijcere aversionem à Deo per peccatum, vel conversionem habitualem ad bonum commutabile ex peccato personali provenientem. Nec rebellionem appetitus, aut quod longo tempore graves tentationes nō insurgant. Attamen, quod non habeat vires physicas,hoc est activas,& non solum vires maxima difficultate implicatas,ad coniungendum cum his impedimentis actus, quibus lex naturæ adimpletur, non invenio probatum in hoc Sap.M.

Non planè satisfacit.

Nec exemplum de cognitione omnis veri collectivè urget. Nā homo est etiam impotens physicè coniungere cognitionem omnis veri cum impedimentis illam retardantibus,scil.*ars longa &c.* cum acquisitio omnium specierum ministerio sensuum physic.requirat longissimam vitam, propter illarū multitudinē:& ob diminutionem physicam virium sensuum, vi cuius indigeret nova physica confortatione ad rectè apprehendendum sensibilia, à quo dependet rectum iudicium in intellectu. Attamen licet voluntas peccatoris habeat maximamdifficultatem, non tamen vires physicè impotentes ad coniungēdam observationem cum impedimentis recensitis. Ratio est. Nàm posito iudicio indifferenti proponenti bonum virtutis, quotiès urget præceptum legis naturæ,&repetitione diuturna talis iudicij,nihil restat physicum auferendum,sed solum spectatur physica prædeterminatio reducēs voluntatem de actu 1. indifferenti ad actum 2. ergò cum in voluntate sint vires physicè potentes ad repetitionē talis iudicij indifferentis: cum talis repetitio sit connaturaliter annexa repetitæ cognitioni obligationis præceptis videtur concedendū in voluntate lapsa,& dari continentiam physicam observationis legis naturæ,& simul vires physicas ad coniungendum talem observationem cum impedimentis illam retardantibus.

6 Occurritur exemplis.

§. II.

Aliquæ instantiæ solvuntur.

OBijc.1. Collectio omnium auxiliorum efficacium in peccatore pro diuturna legis naturæ observatione esset opus miraculosum: ergò & observatio legis naturæ.Sed repugnat voluntatem esse physicè potentem viribus proprijs ad id, quod sine miraculo fieri nequit: ergò est physicè impotens ad coniungendam observationem cum defectu gratiæ habitualis &c.Confirm. Longè maior est impotentia voluntatis ad coniungendā diurnam observationem legis naturæ cum ca-

7 Arg.1.

Confir.1.

carentia gratiæ habitualis, cum rebellione appetitus &c. quam sit impotentia ad coniungendam dilectionem naturalem Dei cum tali defectu, & ad coniungendam victoriam gravis tentationis cum rebellione appetitus, ut est innegabile. Sed in voluntate adest impotentia moralis ad huiusmodi coniunctionem: ergò illa est dicenda impotentia physica per defectum virtutis ad illam. 2. Iuxta D. Thomam contra Gent. loco citat. & quæst. de Veritat. * licet homo sine gratia non possit vitare omnia peccata mortalia, benè tamen singula. * Sed singula aliqua non potest vitare sine gratia iustificante, saltim potentia morali; v. g. omissionem dilectionis naturalis Dei super omnia: ergò impotentia ad vitanda omnia est physica, & non solum moralis.

Secundo.

8 Ad 1. Resp. dist. min. subsumpt. Opus, quod nequit fieri sine miraculo per se, & ex natura rei, conced. min. Sine miraculo, quia superans modum connaturalem divinæ providentiæ, & iustitiæ in dispensatione auxiliorum, neg. min. & conseq. Observatio enim legis naturæ, ut supra diximus per se, & ex natura sua, non exigit gratiam habitualem; qua ratione esset possibilis in statu puræ naturæ, & etiam integritatis puræ naturalis. Solum igitur illam exigit, ut auferatur impedimentum peccati, & homo constituatur in statu idoneo ad recipienda auxilia efficacia iuxta ordinem stabilitum à divina providentia. Nec potest fieri paritas de combustione ignis respectu passi absentis, ad quam non habet vires physicas. Quia nimirùm combustio per se; & ab intrinseco exigit naturaliter præsentiam physicam passi, & ab ea dependet, ut à causa materiali physicè influenti in illam. Observatio vero non dependet ex natura rei, & physicè à gratia habituali, ut dictum manet.

Ad 1.

9 Ad 2. Respond. Impotentiam moralem admittere maximam latitudinem. Unde intra eandem lineam potest dari magnum, maius, & maximum; quemadmodum dicitur de certitudine morali; una enim est; quæ tantum excludit prudentem dubitationem de oppositio, alia excludit etiam prudentem formidinem. Quare instantia solum probat excessum in linea impossibilitatis moralis. Per quæ constat ad exempla. Ad 2. confir. Resp. Esse manifestam disparitatem. Nàm respectivè ad aliqua præcepta, & per aliquod tempus observanda; habet homo potentiam moralem præparatam à Deo, & conferendam dependentèr ab oratione; quam præparationem, & oblationem, non habet respectu hominis peccatoris ad diù adimplenda præcepta naturalia, si perseveret in peccato. Hoc enim esset tentare Deum, ut supra diximus. Hac igitur de causa dicitur hominem lapsum posse ad tempus singula peccata mortalia vitare, non tamen diù, & omnia collectivè.

Ad 2. confirm.

Ad 2.

10 Si obijcias: defectus alicuius se habentis per modum actus primi causat impotentiam antecedentem; sed huiusmodi se habet gratia habitualis, cum sit actus de linea naturæ coniungibilis cum diuturna observatione totius legis naturæ, & illius carentia: ergò causat impotentiam &c. Respond. mai. esse veram de requisito ex parte actus primi per se, & ex natura rei, & tribuenti physicam continentiam actus; secùs tamen de requisito extrinsecè ex ordinatione divina; licet consentaneà inclinationi, & defectibilitati rerum; & hoc modo requiritur gratia habitualis ad observationem legis: ut scilicèt; auferat indignitatem peccati, ratione cuius homo est indignus, ut Deus ei præparet, sive offerat collationem auxiliorum pro tali observatione. Hæc solutio est solidior, altera solutque recurrit ad requisitum per modum removentis prohibens. Siquidem solutio catenarum hoc modo requiritur ad ambulationem; & tamen ita se habet ex parte actus primi, ut hæc sit falsa: *Homo catenis ligatus est potens physicè ambulare.* Idem diximus supra dub. de dilectione naturali Dei; si ad illam requiritur gratia habitualis, etsi tantum sit necessaria per modum removentis prohibens.

Si iterum instes.

Solutio.

11 Arg. 2. Obijc. 2. Iuxta S. D. hic a. 4. *Homo in statu naturæ corruptæ non potest servare omnia mandata quoad substantiam sine gratia sanante naturam.* Et art. 8. *Impossibile est, quod homo diù abstineat à peccato, nisi ratio eius reparetur per gratiam sanctificantem.* Sed istæ dictiones *non potest, est Impossibile*, significant impossibilitatem physicam, dùm absolutè proferuntur: impotentia enim moralis exprimitur solum per difficultatem magis, vel minùs grauem: ergò. Confir 1. Eodem modo asserit requiri gratiam sanantem ad obseruationem legis quoad substantiam, ac asserit requiri gratiam sub munere sanctificantis, & elevantis, ad illius obseruationem quantum ad modum, scilic. si fiat ex imperio charitatis. Sed ad hanc ita requiritur, ut natura sine gratia sanctificanti sit physicè impotens ad illam: ergò. Secundo. 2. Si natura humana est physicè potens sine gratia habituali ad obseruationem legis, & solum est impotens moraliter, sequitur gratiam solū requiri ad facilius, nō vero ad posse simpliciter; quod videtur favere Pelagio asserenti: gratiam, qua iustificamur, adiuvare tantum, ut facilius peccata possint vitari, ut videre est in Concil. Milevit. supra cit.

12 Solutio. Resp. neg. assumpt. & eius 1. probat. Frequenti enim usu dicimus nos non posse aliquid, dùm illud facilitèr, aut sine gravi difficultate, non possumus, ait D. Anſ. de lib. arb. cap. 6. Nazianz. orat. 36. de Theol. Constat etiam ex S. Script. ubi propter vehementem, & summam difficultatem ad aliquid, similes loquutiones proponuntur, ut illud: *Impossibile est divitem salvari.* Lucæ 18. Et illud: *Necesse est, ut veniant scandala*; & illa testim. in quibus aliqua peccata dicuntur esse irremissibilia. Matth. 18 Idem cap 11. Ratio omnium est; quia ratio potentiæ, & impotentiæ moralis optimè adaptatur materię morali, qualis est materia obseruationis legis. Unde ratio impotentiæ simpliciter, hoc est, physicè, aut methaphysicè talis, non probatur efficacitèr ex absoluta loquutione, sed ex adiunctis alijs principijs. Præterquamquod; licet impotentia moralis superabilis à Deo modo connaturali, estò specialitèr operanti, non sufficiat, ut terminus talis impotentiæ absolutè dicatur impossibilis; secùs tamen, quando solum est superabilis à Deo miraculosè, & ex providentia absoluta operanti; & hoc quidem modo est impotentia moralis sine gratia habituali ad diuinam obseruationem legis, ut supra diximus. Per quæ constat ad 1. confirm. Solum enim quantum ad sonum verborum loquitur eodem modo, non vero quantum ad eorum sensum. Hic enim venandus est ex conditione infirmitatis contractæ per peccatum, quæ solum est moralis; & ex natura charitatis, aut meriti vitæ æternæ; quæ requirit gratiam habitualem, aut principium physicè influens per modum radicis, & ut merentis sanctitatem, sine qua repugnat etiam methaphysicè meritum de condigno vitæ æternæ. Ad 2. neg. sequel. Nam cum dicta impotentia moralis sit summa, est solum superabilis à Deo extraordinariè, & miraculosè operanti intra ordinem gratiæ. Quare non sequitur requiri solum ad facilius, sed ad simpliciter: non quidem ad simpliciter omnibus modis, sed ad simpliciter in sensu absoluto Theologico. De quo S. D. 3. p. q. 50. a. 5.

Ad 1. confirm.

Ad 2.

§. III.

Occurritur alteri difficult. ex doctrina Sanct. Doct.

13 Prima solut. S. D. PRæcipua difficultas stat in explicando, qua ratione imputetur homini ad culpam non obseruare diù totam legem naturæ; si necessario requiritur gratia habitualis, qua caret peccator. Huic difficultati triplicem solut. tradit D. Thom. 1. habetur 3. contr. Gent. c. 160. cuius summa est * quod licet homo sine gratia habituali non possit seruare totam legem, nec vitare omnia peccata: non propter hoc peccator illa carens excusatur à culpa; siquidem hic defectus potestatis prouenit ex propria voluntate, qua liberè incidit in peccatum, & voluntariè se privavit gratia habituali. Sicuti ebrio imputatur homicidium, quia fuit voluntarium in causa, quatenùs per ebrietatem voluntariè

se

se privavit potestate vitandi illud. * Hæc tamen solutio (ut rectè animadvertit Sap. M. Serna) sufficiens est, ut Catholici scientes per peccatum mortale privari gratia habituali, & etiam cognoscentes, saltim confusè, sine illa non posse diù aliquem permanere sine lapsu in novum peccatum, non excusentur à culpa: etsi in eis non sit perfecta potestas ad diuturnam observationem totius legis naturæ. Non tamen deservit pro gentilibus non cognoscentibus gratiam habitualem; proindeque penitus ignorantibus illius necessitatem ad vitanda peccata subsequentia. Ratio discriminis in promptu est. Nàm effectus non dicitur voluntarius in causa, nec est imputabilis ad culpam, nisi sit prævisus in illa; prævidendo scilicet connexionem causæ cum tali effectu; ut modo supponi debet ex communi sensu Theologor: tractat. de peccatis. Ut igitur defectus gratiæ habitualis dantis potentiam propinquam ad observandam totam legem non excusat à peccato, necesse est recurrere ad prævisionem; tùm privationis gratiæ per peccatum mortale; tùm etiam ad prævisionem connexionis inter dictam privationem, & ruinam in novum peccatum, si diù perseveret homo in statu peccati. Contra quam solutionem hoc modo explicatam, nihil se occurrit solutione dignum.

Nota pro eius intelligent.

14 Secunda.

2. Solutio traditur à D. Thom. ibidem, dicente: quod *licet ille, qui est, in peccato, non habeat in propria potestate, quod omnino vitet peccatum: habet tamen potestatem vitare hoc, vel illud peccatum; undè quodcumque committit, voluntarie committit, & ideo imputatur ad culpam.* Eandem solutionem tradit hic ar. 8. ad 1. & q. 24. de verit. ar. 12. in corp. in solut. ad 1. & ad 3. Sed dices. Non solum tenetur homo vitare omnia peccata contra legem naturæ divisive sumpta, sed etiam collective: const: 1. ex illo Ps. 33. *Declina à malo, & fac bonum*, & Deuter. 5. *Custodite, & facite, quæ Dominus Deus præcipit vobis.* Et Ioannis epist. 1. cap. 2. & Iacobi cap. 1. præcipitur nobis: *Ut simus integri, in nullo deficientes, & ut non peccemus.* Cumque hæc præcepta sint universalia terminantur ad vitationem omnium peccatorum etiam collective. Nunc sic. Sed repugnat hominem teneri ad aliquid impossibile: ergò videtur insufficiens solutio data. Adest discrimen inter AA. an detur speciale præceptum circa observationem legis collective sumptam; vel non? Negant PP. Salm. & Alij: Oppositum tuetur M. Serna ob testim. adducta. Omnes tamen fatentur saltim secundario, & ex consequenti talem observationem cadere sub præcepto. Contra quód militat instantia; Nàm videtur durum concedere hominem teneri, adhùc ex consequenti, ad aliquid impossibile.

Instabis.

Resp.

15

Resp. Iuxta doctrinam superius stabilitam, impossibilitatem ad servanda omnia mandata divinæ legis per multum tempus sine gratia habituali, non esse physicā, sed purè moralem in gradu tamen excellenti. Per quòd redditur discrimen ab impotentia, quæ datur ad servanda præcepta in particulari, & divisive, si illa sint ardua. Nàm estò hæc sit etiam moralis; est tamen minor, & quæ auferibilis est per auxilia à Deo præparata homini oranti suppliciter pro eis. Undè: illa propositio: *si observatio totius legis, vel vitatio omnis peccati collective esset impossibilis homini peccatori, teneretur ad impossibile*, sic debet distingui ad impossibile physice, neg. Ad impossibile moraliter, subdisting: Ad impossibile moraliter, ad quod vitandum hic, & nunc teneatur, neg. Ad quod vitandum non teneatur hic, & nunc; sed in pluribus occasionibus, & tunc iam nō est tota collectio, conc. Dùm enim dicitur à Trid. sess. 6. cap. 11. Deum impossibilia non præcipere; loquitur 1. de impossibili physice propter defectum virtutis continentis actualitatem, & perfectionem actus præcepti; aut propter physicum impedimēt: virtutis in auferibile; non vero loquitur de impossibili solum moraliter. Loquitur 2. de præcepto circa rem in particulari, & etiā divisive sumptam, cum vera obligatione hic, & nunc vitandi rem prohibitam, aut ponendi rem præceptam, & ad quam, si non plenè potest, tenetur orare, ut possit. Undè asse-

Exponitur doctr: Trident:

re-

rere collectionem totius legis naturæ cadere etiam sub præcepto; ita tamen, ut illa sit solum moraliter impossibilis; & item; quodlibet determinatè prout hic, & nunc occurrit observandum; esse moraliter possibile propter auxilia à Deo illa petenti præparata, in nullo adhuc specie tenus opponitur Trident. manetque solida solutio S. D.

3. Solutio asserit; quod estò gratia habitualis sit necessaria ad vitanda omnia peccata; ex defectu hominis provenit, quod se ad gratiam habendã nonpræparet. Unde propter hoc à peccato non excusatur, licet sine gratia peccatum vitare non possit. Ita in præs. ar. 4. ad 2. & ar. 8. ad 1. Quæ solutio difficultatem non habet in peccatoribus fidelibus, quibus adest per habitum fidei, & alia auxilia communia ordinis gratiæ, potestas se præparandi ad gratiam habitualem media oratione, & alijs actibus supernaturalibus. Undè P. Aug. de grat. & lib. arb. cap. 16. refert Pelag. sic arguent. *Non tuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.* Resp. M. P. *Quis hoc nesciat? Sed idcò iubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus: ipsa enim est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Attamen respectu peccatorum infidelium difficile apparet; qualiter possint se præparare ad gratiam habendam; cum omnis dispositio ad gratiam habitualem sit supernaturalis sumens exordium à fide, quæ in infidelibus non datur. Resp. In nullo præiudicari solutioni traditæ à D. Tho. asserere illam solum deservire pro peccatoribus fidelibus, ut propter necessitatem gratiæ sanctificantis ad vitanda omnia peccata, non excusentur à peccato; cum pro omnibus peccatoribus solutionem in antecedentibus relatam tradiderit. Ita Doct. Curiel, PP. Salm. & alij asserentes D. Thom. per verba relata occurrisse apparenti excusationi, quam quis posset prætendere, ut ipsi non imputaretur ad culpam, non observare diù totam legẽ naturæ, si ad hoc esset necessaria gratia habitualis. Resp. 2. Iuxta doctrinam M. Serna tuentis hominem facientem, quod est in se ex viribus naturæ adiutis gratia speciali eiusdem ordinis v. g. eliciendo actum dilectionis naturalis Dei, & pœnitentiæ naturalis peccatorum, accipere à Deo auxilia supernaturalia, quibus possit se disponere ad gratiam habitualem; præd. solutionem etiam deservire pro infidelibus; cum ex defectu dispositionis saltim negativæ ex vi talium actuum proveniat, quod non habeant gratiam habitualem requisitam ad diù vitanda omnia peccata. Duo tamen circa hanc solutionem sunt notanda 1. quod ipsum non habere gratiam sanctificantem non erit imputabile infidelibus: cum talis defectus non sit eis voluntarius, aut ullo modo previsus. Undè solùm imputabitur ipsis carentia dilectionis naturalis, & similis contritionis de peccatis. 2. quod tali solutione utendum est, ut coniuncta cum secunda, quam immediatè retulimus ex D. Tho. ut etiam advertit præfatus M. Serna.

Hanc sequuti sumus dub. 10. n. 62.

Supereſt proponere fundam: D. Marin propugnantis disp. 7. sect. 4. n. 40. sequentem conclusionem: *In natura lapsa homo peccator sine gratia per Christum potest elicere amorem, per multum tempus determinantem ad observationem totius legis, & consequenter effective efficacem.* Sic arguit num. 43. In natura lapsa sine gratia per Christum datur potestas ad observandam legem naturalem. Sed lex naturalis obligat ad diligendum Deum effective efficaciter: ergò sine gratia per Christum datur potestas amandi Deum effective efficaciter. Mai. est Catholica contra Ianſenium; aliàs homo obligaretur ad opus secundum præsentes, quas habet vires, impossibile; quod est contra unam ex quinque propositionibus damnatis ab Innocent. X. Alex. VII. & Alex. VIII. Min. prob. quia præceptum diligendi Deum ut A. naturæ est naturale.

Sed, ut manifeste appareat ineffi cacia argum. placet in medium proferre propositionem Ianſenij damnatam: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Quis ex ipsa verborum nuda relatione nõ videat; quantum

16 Tertia solutio.

Instabis.

Solutio.

Alia sol.

17 Novum argum.

18 Resp.

tum distet hæc propositio ab illa, quã asserit esse damnatam in Jansenio, scilicet, *in natura lapsa non datur potestas sine gratia per Christum ad diù servandam legem naturalem.* 1. Siquidem Jansenius loquitur de *aliquibus præceptis*; propositio autem quam impugnat (& à qua recedit, estò concedat esse D. Thom.) loquitur expresse de omnibus mandatis, sic enim habet: *sed in statu naturæ corruptæ non potest homo servare omnia mandata divina sine gratiâ sanante.* 2. Deindè Jansenius loquitur de *hominibus iustis* per gratiam Dei habentibus dona, supernaturalia, & virtutes infusas subsecutas ad gratiam. Propositio autem quam impugnat, loquitur de homine lapso sub te comprehendenti, tàm fidelem, quàm infidelem. 3. Jansenius loquitur *de hominibus iustis volentibus, & conantibus servare aliqua præcepta*; propositio autem opposita non loquitur de eis, *nec volentibus, nec conantibus.* 4. Jansenius asserit *aliqua præcepta esse impossibilia observatione.* D. autem Thomas, ut vidimus in antecedentibus asserit, quod *licet sine gratia homo non possit vitare omnia peccata, singula tamen potest vitare.* 5. Jansenius asserit *aliqua præcepta ita esse impossibilia, ut desit quoque eis gratia, qua possibilia fiant*, at vero; etiam admisso requiri gratiam per Christum ad posse etiam adimplere præceptum etiam dilectionis naturalis Dei; talis gratia non deest, vel in re, vel in præparatione divinæ omnipotentiæ, si homo faciat quod est in se, & petat adiutorium ad talis præcepti adimpletionem: * videatur M. Manso tom. 1. q. 1. §. 2.

Diversitas multiplicis ex cap. 1.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

* De quo S.D.n.16

§. IV.

In quo, cuidam interrogationi fit satis.

19 QUæres: *An impotentia moralis ex terminis debeat dici impotentia antecedens, vel pure consequens?*

Opinio aliquorũ.

PP. Salm. hic disp. 2. dub. 4. asserunt ex terminis loquendo impotentiam moralem melius appellari impotentiam consequentem, & in sensu composito; quam moralem. Cui modo dicendi suffragari videtur Sap. M. Serna, qui asserit impotentiam moralem servandi totam legem naturæ non esse dicendam impotentiam antecedentem, sed consequentem; idem docet de impotentia ad victoriam gravis tentationis. Sed nisi litigium sit de voce; verius dicendum cum M. Boliv. in præf. §. 3. & dub. 11. §. 6. (Loquens in simili de impotentia morali ad victoriam gravis tentationis (de quo etiam nos in præfato dub. aliqua diximus, & dicemus dub. 15. de gratia adiuvanti, ut Adamus perseveraret in bono à §. 2. Si enim impotentia moralis in difficultate consistens est impotentia consequens, & nullo modo antecedens; potentia ad actum cum magna facilitate ad illum erit potentia consequens; proindeque Deo, cui omnia sunt facillima, omnia erunt consequenter possibilia, quod nequit dici. Rursus nihil potest dici consequenter possibile, deficiente decreto efficaci divinæ voluntatis circa existentiam illius; sed cum summa facilitate ad actum stat carẽtia decreti efficacis in Deo circa existentiam actus: ergò nequit talis actus dici consequenter possibilis: ergò cum impotẽtia moralis sit etiã carentia facilitatis ad actum; & carentia potentiæ moralis, nequit talis impotentia dici consequens; cum non sit carentia potentiæ consequentis. Videantur ibi dicta, & dicenda.

Non placet 1.

Secundo.

20 Quapropter talis impotentia est antecedens, non quidem simpliciter ob defectum virtutis, aut continentiæ actus, sed propter defectum facilitatis, & expeditionis actus 1. ad actum 2. Quidquid enim se tenet ex parte actus 1. vel ut dantis posse physicum, vel ut illud facilitans, & expediens, dat posse antecedens ad actum: estò non sit per se requisitum. Constat hoc in principio redundanti committantis aliud per se requisitum ad actũ; ut si cognitioni practicæ sufficienti ad actum amoris Deus superaddat aliam vivaciorem, & intensiorem. Constat etiam in habitu adquisito præbenti solum facilitatem, & tamẽ cum spectet ad lineam actus 1. dat etiam aliquod posse. Cum igitur impotentia moralis consistat in vehementi difficultate retardanti vires actus 1. ad

Tertio.

ad operationem, reddunt illum etiam in ratione actus 1. difficilem, & inexpeditum; proindeque cum aliqua impotentia antecedenti ad actum. Et quidem loquendo de impotentia morali, quando hæc consurgit ex cognitione prava retrahenti à bono, vel etiam ex motibus inordinatis appetitus sensitivi; res mihi est certa, cum hi motus moveant ex parte obiecti, & cognitio prava ultra hanc motionē reddat voluntatem propensam in actu 1. ad malum. Qua ratione gratia subitę affectionis, & gratia illuminationis eis oppositæ, spectant ad signum actus 1. post quod necessaria est iuxta Thomistas gratia prædeterminans; undè initium sumit signum actus 2. Quia tamen difficultas ad operationem supponit in voluntate vires physicas contentivas illius: ideo talis impotentia potest dici consequens, non quidem ad omne posse, sed ad aliquod, scilicet ad posse physicum, & antecedens posse facile, & expeditum, quod impedit.

21 Hinc modus loquendi S. M. Serna potest absque ulla specie violentiæ exponi iuxta doctrinam à nobis traditam; siquidem eo negat talem impotentiam esse antecedentem; quia non provenit ex defectu virtutis physicæ continentis perfectionem, & actualitatem actuum, quibus lex naturæ adimpletur. Quo nihil clarius, ut nomine impotentiæ antecedentis intelligat præd. M. impotentiam simpliciter dictam; secùs vero secundùm quid talem. Hanc vero impotentiam appellat consequentem. 1. quia supponit propriori virtutem physicam. 2. quia convenit cum impotentia consequenti in hoc, quod est; impossibilitatem actus non provenire ex ipsa natura potentiæ, & entitate actus secundum se considerata. Ad fundamentum PP. Salm. scilicet: *impotentiam antecedentem dici illam, quæ oritur ex actu secundum se considerato, & præcisive à circunstantijs; proindeque impotentiam ortam ex debilitate virtutum, & carentia gratiæ habitualis, utpotè se habentibus per modum circunstantiæ accidentalis observationi legis naturæ; dicendam esse impotentiam consequentem.* Ad hoc, inquam, Resp. Quod potentia antecedens esto præscindat ab aliquibus circunstantijs accidentalibus actui, non tamen ab illis, quæ retardant, sive reddunt vires lib. arb. diminutas, & attenuatas, & huiusmodi est impotentia moralis ex corruptione peccati proveniens; cum sit certum propter illud mansisse lib. arb. viribus attenuatum, & inclinatum. In quo appareret discrimen à defectu gratiæ prædeterminantis, vi cuius actus solum dicitur consequenter impossibilis. Siquidem talis defectus, nec minuit vires, nec eas impedit, sed unicè impedit existentiam actus. Si dicas, quod talis impotentia moralis solum reddit non futuram observationem legis naturæ, secus tamen simplic: impossibilē. Resp. Reddere illam non futuram, propter attenuationem virium, & non præcisè propter defectum alicuius connexi infallibiliter cum illa, uti est gratia prædeterminans: proindeque talis impotentia est antecedens *secundum quid*; sed maior impotentia ad victoriam graviū tentationū ob permanentiam inclinationis prędominantis relictæ ex peccato.

Alteri instantiæ occurritur.

Hæc dicta sunt de impotentia moraii ex genere; cùm quo tamen stat impotentiam, quàm habet peccator ad diuturnam observationem legis naturæ esse *simpliciter*, sive *absolutè* talem. Nàm coalescit ex pluribus impotentijs moralibus; scilicèt, ad victoriam plurium tentationum; ad plures actus honestos de se arduos cadentes sub præcepto; & ad superandam inclinationem pravam appetitus rationi rebellantis, & inclinationem dominantem voluntati propter habitualem conversionem ad bonum commutabile. Ex quo constat illam esse complexum, sive aggregatum ex pluribus gravibus impotentijs; proindèque simpliciter talem theologicè loquendo, ut supra diximus. Adest exemplum in vitatione omnis venialis. Licet enim omne veniale in aliqua materia sit moraliter impossibile &c. Collectio tamen omnis vitationis, est absolutè simpliciter talis. Sed nè sit aliqua cōfusio in voce, dici debet* impotentia antecedens moralis simpliciter solùm Deo extraordinariè operante

22 Nota diligenter.

Ad fund: in contra Resp.

su-

superabilis; nec habente præparatum suum concursum ad illam superandam.*

§. V.

An sub nomine gratiæ sanantis naturam requisitæ ad legis observationem, contineatur gratia illuminationis, & delectationis entitative naturalis?

23 PLura de gratijs excitantibus, tàm in ordine naturali, quàm supernaturali, dicemus tom. sequenti: undè supposito pluries dispensari à Deo ad actus honestos, tàm naturales, quàm supernaturales; in præsenti solum de necessitate illarum agemus. Duo præcipua vulnera sunt iuxta M.P. de peccat. merit. lib: 1. cap. 17. & alibi; ex quibus provenit hominem impediri ad operandum conformiter ad rectam rationem, scilicet, ignorantia in intellectu, vi cuius latet, quod bonum, & iustum est; & infirmitas in voluntate, vi cuius, quod bonum, & iustum est, ipsam non delectat. Hinc provenit illustrationem, etsi subitam in intellectu, & similem delectationem in voluntate, secundum quas bonum, quod antea latebat, apparet ut bonum; & fit suave quod ante non delectabat: sanare suo modo infirmitatē contractam ex peccato originali, vel derelictam etiam ex peccato personali. Hoc supposito Resp. affirmative loquendo etiam per se, physicè, & ex natura rei.

24 Nota. Ante cuius probationem notandum dupliciter posse naturam aliquam ab infirmitate sanari; vel perfectè ei pristinam sanitatem, & integritatem virium restituendo; vel æquivalenter quòad aliquid, ita eā auxiliando, & roborando, ac si esset sana in ordine ad operationem. Patet hoc in homine infirmo corporaliter, quem Deus potest sanare, vel perfectè conferendo ei pristinam sanitatem; vel ita eius vires multoties roborando, ac si esset sanus, ut frequenter accidit ex repetitione sumptionis alimenti. Est tamen valdè notanda diversitas in uno, & altero casu. Si enim primo modo sanetur infirmitas, ambulabit homo sine difficultate, & fatigatione virium; secus vero, si sanetur secundo modo. Certum est infirmitatem, & ægritudinem virium, quam homo contraxit per peccatum originale, si perfectè deberet sanari; solum posse fieri medio dono integritatis, vel alio superiori, vi cuius voluntas esset perfectè subdita Deo, & appetitus inferior, rationi, & voluntati. Quia tamen Deus decrevit naturam humanam in via non sic sanare, sed permittere in renatis per gratiam, concupiscentiam ad agonem; excogitavit alium modum, quo eam sanaret,* licet non perfectè, æquivalenter tamen, confortando, & roborando vires eius in ordine ad bonum medijs illustrationibus, & pijs affectionibus ad bonum, quibus, voluntas allecta, & tracta à bono, habeat maiores vires, ut illud libere efficac: prosequatur; quo notato sic arg. Gratia ita adiuvans naturā infirmā, ut ei præstet vires ad operandum bonum est gratia sanans, licet non perfectè, æquivalenter tamen; sed gratiæ excitantes supra enumeratæ sunt huiusmodi, ut de se patet; & ab oppositō constat in ignorantia boni, & inclinatione, sive affectione ad malū, eā infirmantib: ergò.

* Hoc est alligare vulnera eius. Luc. 10.

Ratio probativa.

25 Dices hanc rationem falso, vel in certo inniti fundamento, scilicet necessitati gratiæ excitantis consistentis in illustratione intellectus, & affectione subita volūtatis ad bonum, ut eliciat actum honestum: oppositum enim tuentur quam plures Thomistæ. Sed contra est quia estò hoc admittatur, in nullo læditur rationi probativæ. Illi enim AA. loquuntur de necessitate ad quemlibet actum honestum; conclusio autem procedit in ordine ad observationem totius legis naturæ, ita ut diù in nullo graviter delinquat. Cū q̄probatūsit hanc observation: requirere gratiam sanantem, & non sit donū integritatis; nulla alia restat, nisi gratia excitans explicata, qua voluntas roboratur, & habilitatur, ut legem naturæ observet. Qui modus sanandi non obscure colligitur ex D. Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 6. ubi explicans quomodo Christus sanat hominem in inferioribus, ut ascendere possit ad montem. Sic ait: *Et ideo unumquemque*

Dices 1.

Impugnatur.

que in inferioribus sanat, hoc est à libidine revocat, iniuriãcęcitatis avertit &c. Quod profecto fit mediante affectione ad bonum, qua revocatur animus à libidine, & media illustratione intellectus, qua cęcitatis iniuria avertitur.

26 Dices. Talis gratia excitans solum concurrit moraliter, scilicet alliciendo, & repræsentando voluntati bonum honestum; undè tantum conferet voluntati sufficientiam, & potestatẽ moralẽ, requisitam ad melius, non vero requisitam per se. Sed hæc solutio facilè impugn: Nàm estò talis gratia solum moraliter influat; ideòque quantum ad hoc dicatur solum constituere sufficientiam moralem, tamen cum à nobis adstruatur necessaria ex natura rei, adeò, ut oppositum miraculosè accideret; requiritur per se. Nã cum sit monstruosum, & miraculum naturam infirmam, & viribus attenuatam, firmiter operari, & maximè vigorosã diù in operibus se ostendere: necesse est attentis naturis rerum, ut hæc natura priùs aliquatenus sanetur, & vires eius roborentur, ut sic constituta iam cum proportione virium ad opus robustum, & maximè vigorosũ; qualis est diuturna observatio legis naturæ coalescens ex pluribus operibus arduis; Deus donet prædictam observationem. Nec obstat, quod iuxta antea dicta gratia sanctificans, tùm ratione sui, tùm ratione virtutum supernaturalium, præbet vires, sanatque infirmitatem, & ignorantiam in potentijs ad prosequutionem boni honesti: ergò non requiritur alia gratia sanans consistens in subita illustratione, & delectatione. Non, inquam, obstat 1. quia sanitas ex gratia, & virtutibus procedens, solum confortat vires intellectus, & voluntatis in ordine supernaturali, licet eminenter sanet infirmitatem virium relatè ad actus honestos naturales; quare, ut salvetur debita proportio inter observationem legis naturæ; propter quam indiget voluntas gratia sanante moraliter illius infirmitatem; cum illa sit entitative naturalis, idem dicendum de gratia sanante. 2. Observatio diuturna totius legis naturæ, utpotè consistens in collectione actuum naturalium; requirit pro sui immediatè regulativo plures illustrationes perfectas entitative naturales, & practicè confortantes intellectum, ut moveat efficaciter voluntatem ad prosecutionem boni honesti, ad quarum elicientiam propter rebellionem appetitus gaudet gravissima difficultate. Quapropter necesse est ut illa, & si non totaliter auferatur, minuatur saltim per subitas illustrationes naturales disponentes, & expedientes ipsum, ut perfectè in praxi discernat inter bonum, & malum, quoties urget aliquod præceptum naturale. *Et hæc de hoc dub. applic. litt. Mag. ubi præced.*

Dices 2.

Impugnatur.

Instabis.

Resp. 1.

Secundo



DU-

DUBIUM XIII.

AN HOMO SINE SPECIALI GRATIA, & privilegio, possit vitare omnia peccata venialia?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA.

N. 1. 1 DUb. procedit de homine post lapsum Adæ, etsi reparato per gratiam, & de
Noto 1. peccato veniali stricte accepto, non vero de illo improprie sumpto propter eventum veniæ; quia nimirùm à Deo est remissum, in quo sensu dixit Div. Ambros. citatus à. Div. Thoma quæst. 7. de Malo art. 1. *Omne peccatum fieri veniale per pœnitentiam*, eo quod per hanc consequitur remissionem. Triplex est peccatum veniale stricte sumptum: unum dicitur veniale *ex genere suo*, ut verbum otiosum: & hoc quantumcumque crescat intra suum genus, nequit fieri mortale; aliud dicitur tale *ex parvitate materiæ*, ut furtum rei exiguæ; aliud denique *ex imperfecta deliberatione*, quia licet versetur circa obiectum de se mortale, vel circa materiam gravem, ob defectum tamen perfectæ deliberationis non sumit ab illo malitiam mortalem. De his omnibus pecca-
Secundo. tis venialibus procedit dub. 2. Notandum, specialem gratiam, & privilegium, dupliciter posse requiri ad vitationem omnis peccati venialis; vel ita, ut donet actualem vitationem, adeò, ut nec Physicè, aut Metaphysicè fieri valeat, quòd existat vitatio prædicta sine gratia speciali, & privilegio; vel ita, ut talis gratia specialis requiratur, ut dans etiam posse ad prædictam vitationem. De quâ dist. sæpè egimus in hoc Tract. præcipuè dub. de victoria gravis tentationis ad tollendam aliquorum æquivocationem in hoc puncto. Ulte-
Tertio. riùs. Cum privilegium sit exceptio à lege communi, non est æqualiter discurrendum de necessitate specialis gratiæ ad vitanda omnia peccata venialia collectivè, ac de necessitate specialis privilegij; si enim Deus non haberet legem universalem permittendi, omnibus iustis (excepta Beatissima Virgine) aliquando peccare venialiter; tunc quidem posset Deus cum gratia specialissima facere, ut nunquam aliquis homo venialiter peccaret; cum tamen in dicto casu ob rationem supra insinuatam, talis vitatio non esset privilegium speciale. Hac ratione victoria gravis tentationis requirit gratiam specialem, non tamen privilegium; nisi in casu, quo Deus ex lege communi decerneret negare talem gratiam. Imò etiam si Deus decerneret ex lege communi non conferre gratiam efficacem ad opus honestum facilè; illud fieret ab aliquo sine gratia speciali, ut supra diximus: non tamen sine speciali privilegio.

2 4. Notandum præsentem difficultatem non exagitariâ nobis pro vitatione peccatorum venialium, in aliqua ma-
Quarto. teria

teria determinatè, v.g. superbiæ, avaritiæ, & castitatis: Nàm in hoc sensu fuisse concessum aliquibus Sanctis tale donum, constat de Sancto Ioanne Baptista quantum ad vitationem omnis peccati venialis, tùm contra puritatem, tùm etiam contra præceptum non proferendi verba otiosa &c. Idem dicendum de Angelico Præceptore in materia superbiæ, iuxta illud, quod de ipso canit Ecclesia: *O munus gratiæ Dei &c.* & etiam in materia castitatis ab eo tempore, quo ab Angelis fuit, ut Angelus præcinctus; propter quod dicitur de illo: *Omni postea libidinis sensu caruit.* De quo hic Illustriss. Godoy. Similitèr non procedit difficultas de vitatione solum per aliquod tempus determinatum, v. g. unius mensis, unius diei, trium horarum &c. cum etiam Auth. ad similes considerationes in singulari descendentes, nihil determinatè affirment. Quapropter, ut Theologicè tractetur præfatum dub. accipienda est vitatio omnium venialium, vel per totam vitam; vel saltim per longissimum tempus.

3 In hac parte reijciendi sunt duo errores extremè oppositi. 1. Pelagij asserentis hominem absque ulla vera gratia simplicitèr requisita posse vitare omnia peccata venialia collectivè. Quem errorem refert S. Augustin. lib. de hæresibus cap. 88. & S. Hieronym. lib. 2. contra Pelagian. cap. 1. 2. Lutheri asserentis hominem iustum, in quolibet bono opere peccare saltèm venialitèr. Quem errorem damnat Tridentin. session. 6. cap. 25. *Si quis dixerit hominem iustum in quolibet bono opere peccare, saltim venialitèr, anathema sit.* Pro quo videatur M. Soto lib. 3. de natura, & gratia cap. 3. & 4. Alius fuit error huic oppositus; Jovinani, qui referente Div. Hieronymo lib. 2. adversus eundem, docebat hominem semèl iustificatum non posse peccare adhùc venialitèr. Hunc errorem suscitavit Ioannes Hùs, ut constat ex Concil. Constantien. session. 15. numer. 16. ubi prædictum dogma damnatur; & similitèr à Tridentino session. 6. canon. 25. Quod si Ioann. 1. cap. 3. dicit: *Qui natus est ex Deo peccare, non potest*: si loquitur etiam de veniali, exponitur in sensu formali: *si solũ de mort. exponit. in sensu composito. His notatis, varias difficultates in hoc dubio frequentèr emergentes, diversis conclusionibus resolvere conabimur.

Reijcitur primus error.

Secundus

Alius error.

* Quatenùs natus.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Homo iustus non potest vitare omnia peccata venialia collectivè absque speciali privilegio.

4 CONclusio est fide certa contra Pelagian. in Concil. Milevitan. capit. 6. damnatos, & etiam traditur à Tridentino sess. 6. canon. 23. his verbis: *Si quis dixerit hominem semèl iustificatum posse tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare sine speciali privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Colligitur etiam ex SS. PP. quos referunt PP. Salmanticens. Conclusio intellecta non præcisè de sufficientia, sed de actuali vitatione, probatur. Donum illud, sive favor, qui alicui conceditur, præter, aut contra legem communem, est privilegium speciale, ut constat ex diffinitione illius, scilicèt, *exceptio à lege communi in favorem alicuius concessa.* Sed huiusmodi esset auxilium, per quod Deus homini donaret, ut vitaret omnia peccata venialia collectivè: ergò. Prob. min. Datur in Deo lex generalis, seu dispositio, permittendi omnibus hominibus, etiam, iustis aliqua peccata venialia: ergò donum illud, per quod &c. Añs. constat ex illo 2. Paralip. 6. *Non est homo, qui non peccet.* Et Prover. 24. *Septies in die cadit iustus.* Et Psalm. 31. *Pro hac* (scilicèt remissione peccati) *orabit ad te omnis Sanctus.* Et 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,*

Prob. authorit.

Prob. ratione.

mus, & veritas in nobis non est. Nec prædicta testimonia possunt exponi, dicendo, illa, & alia similia, proferri à iustis solum propter humilitatem. Nàm hoc effugium damnatum est in Concil. Milevit. cap. 6. & in Tridentin. sess. 6. cap. 11. dicentibus: *Nàm iustorum illa vox est, & humilis, & verax: dimitte nobis debita nostra.* Ex quibus clarè deducitur, dari in Deo legem communem permittendi omnibus iustis aliqua peccata venialia; proindèque donum præservans à tali permissione passiva, esse privilegium speciale.

2. Probatur ratione deducta
5 ex Div. Thoma hic art. 8. & 9. & 3. part. quæst. 87. art. 1. & quæst. 24. de Veritat. art. 12. Nequit homo etiam iustus vitare omnia peccata venialia collectivè, nisi fomes peccati, aut ligetur, aut extinguatur; sed hoc nequit evenire sine speciali privilegio, & solum Beatissimæ Virgini Mariæ concesso: ergò. Min. constat ex Concil. Tridentin. diffinienti sessione. 5. can. 4. *In omnibus iustis manere ad agonem concupiscentiam, sive fomitem peccati.* Qua ratione Div. Paulus in persona hominis reparati per gratiam, de se ipso affirmabat: *Ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et rursùs: *Sentio aliam legem &c.* ad Rom. 7. Mai. probat. Non ligato, aut non extincto fomite peccati, necesse est ex illo suborìri ferè innumerabiles motus inordinatos, prævenientes aliquando omninò rationem; aliquando vero plenam deliberationem, ut experientia constat. Hoc enim includitur in appetitu effreni seminario omnis peccati necessariò excitato ab obiectis delectabilibus frequentissimè occurrentibus, & ab interna corporis dispositione. Sed impossibile est hominem secundùm vires communes gratiæ his omnibus motibus resistere. Tùm quia est opus difficillimum proprium hominis stantis in continua vigilia, & præmeditatione ad resistendum; quod excedit vires status huius vitæ. Tùm quia cum ad peccandum venialiter sufficiat imperfecta libertas, nequit esse in eius dominio, vitare omnia venialia: ergò.

Aliaratio ex D.Th.

Urgetur. Aut in homine vitante omnia peccata venialia extingueretur, vel ligaretur fomes peccati; aut illo non ligato, & extincto, Deus conferret omnia auxilia efficacia pro tali vitatione, non permittendo peccatum? Primum nequit accidere sine privilegio speciali; utpotè singularis exceptio à lege communi permittendi ad agonem fomitem concupiscentiæ in omnibus iustis. Secundum foret maius privilegium, & hucusque nulli concessum: proindèque contra legem communem permittendi aliqua peccata venialia; imò potiùs dicendum foret maius miraculum, quam si extingueretur fomes peccati; plùs enim est continuò pugnare, & vincere, quã non vinci ex defectu impugnantis, licet talis defectus habeatur ex speciali privilegio; ergò. 6 Urgetur.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Idem dicendum de vitatione peccatorum venialium, quæ sunt talia ex obiecto, & fiunt cum plena deliberatione.

SUpponimus cum Conrado in præsenti, peccata venialia ex genere duobus modis posse committi; uno modo cum imperfecta libertate; alio modo cum plena advertentia; ut dùm quis ex proposito, uti dici solet, mentitur, aut verba otiosa profert. Conclusio non procedit de vitatione peccati venialis primo modo, sed secundo. Nec similiter procedit de vitatione illorum per aliquod spacium, sed per totam vitam. Concedimus enim cum PP. Salmaticens. & alijs ab ipso relatis in præsenti à num. 237. 7 Suppositio quædam.

aliquos viros ſanctitate inſignes, ſcilicèt, Apoſtolos, Ioannem Baptiſtam, Divum Ioſephum, Parentem N. Dominicum &c. per aliquod ſpacium notabile vitæ ſuæ non peccaſſe venialitèr ex advertentia. Hoc animadverſo prob. ex Div. Thoma in 1. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2. dicenti : *Quod enim non poſſumus omnia peccata venialia vitare, ſed ſingula, dicitur præcipuè propter primos motus, ad quos non requiritur deliberatio conſenſus &c.* Illa enim dictio *præcipuè* ſatis indicat non poſſe hominem vitare etiam venialia, quæ fiunt cum perfecta deliberatione.

Ita M. Soto de nat. & grat. c. 4. Araujo Boliv. & Aſij. Prob. ex S.D.

8 Sed quia hoc teſtimonium videtur ſolum probare neceſsitatem gratiæ ſpecialis ; non tamen ſpecialis privilegij ; oportet illam confirmare ſequenti ponderatione. Gratia illa, quæ ſolum creditur conceſſa fuiſſe Beatiſsimæ Virgini, eſt privilegium ſpeciale. Sed talis eſt vitatio omnis peccati venialis ex genere per totam vitam : ergò talis vitatio requirit privilegium ſpeciale. Prob. min. 1. ex teſtimonijs ſupra adductis, quæ etiam comprehendunt peccata venialia commiſſa ex deliberatione. 2. Quia quod SS. Apoſtolis in gratia confirmatis non eſt conceſſum, nequit ulli Sancto concedi ; atqui veriùs eſt Apoſtolis non fuiſſe conceſſum vitare omnia peccata venialia etiam ex genere : ergò. Min. videtur conſtare ex illo Ioannis de ſeipſo aſſerentis : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* Et Div. Thomas ad illa verba Ioannis 13. *Miſit aquam in pelvim, & cæpit lavare*, hæc habet : *Inſinuatur humana imperfectio, nam Apoſtoli poſt Chriſtum perfectiores erant, & tamen lotione indigebant. Ut ſic detur intelligi, quod quantumvis homo ſit perfectus, nihilominùs aliquas immunditias contrahit &c.*

Roboratur alia forma.

Epiſt. 1. cap. 1.

9 Aliter, & urgentiùs. Gratia, per quam aliquis excluditur à lege communi, eſt privilegium ſpeciale ; ſed huiuſmodi eſt gratia donans vitationem omnis peccati venialis adhùc ex genere : ergò. Prob. min. Si non daretur lex in Deo generaliter permittendi homines aliquando peccare venialitèr ex genere, Deus maximè Apoſtolis hoc beneficium conceſſiſſet ; cum Nullus poſsit aſſignari, qui ad hanc perfectionem pervenerit : ergò ſi his permiſsit etiam aliquando peccare, iuxta dicta, & affirmat Gloſſa ad illa verba : *Si dixerimus &c.* (de quo Salmanticenſ. num. 216.) Et Concil. Milevit. in huius prob. adducit cap. 7. *Iacobum Apoſtolum, & Danielem, qui tamen venialia peccata habuerunt* : ergò. Unde licet talis lex non ſit ita nobis expreſſa, ſicuti lex de permiſsione alicuius peccati venialis ; ſatis efficacitèr colligitur ex illis, quæ experientia conſtant, & à SS. PP. affirmantur : inter quos videndus D. Bernard. ſerm. de Cœna Dom.

Urgetur.

10 Contr. 1. & 2. concluſ. arguit. Eo probat Div. Thomas requiri ſpeciale privilegium ad vitanda omnia venialia ; quia ad talem vitationem neceſſe eſt ligari, aut extingui fomitem peccati ; ſed hæc ratio falſo nititur principio : ergò. Prob. minor. Etiamſi non ſit ligatus, aut extinctus fomes peccati, poteſt Deus conferre auxilia efficacia, ut homo reſiſtat omnibus motibus inordinatis, & etiam omni cogitationi proponenti, aliquod peccatum veniale, ſive cum imperfecta libertate, ſive cum perfecta committendum. Siquidem Deus poteſt media gratia efficaci facere, ut homo ponat id, quod eſt in ſua poteſtate ; reſiſtere autem omni motui inordinato, & omni pravæ cogitationi, eſt ſaltim in poteſtate phyſica hominis. Sed talis modus auxiliandi de ſe ſupponit fomitem non eſſe ligatum, aut extinctum : ergò.

Arguitur.

11 Reſpond. diſtinguendo, vel explicando maiorem : Quia neceſſe eſt &c. attenta ſuavitate providentiæ, ut homo ſine novo miraculo vitaret omnia venialia, conced. maior. Quia neceſſe eſt ex terminis, neg. maior. Et cum eadem minor diſtinct. nego. conſeq. Vi-

Solutio.

tatio omnis peccati venialis dupliciter potest disponi à Deo ; vel per ligationem , aut extinctionem fomitis; vel tantùm conferendo gratiam efficacem , quoties instat vitatio alicuius venialis propter rebellionem appetitus , aut pravam aliquam cogitationem. Primo modo fuit concessa Beatissimæ Virgini , & contra legem communem relinquendi ad Agonem fomitem concupiscentiæ in omnibus iustis ; ideòque fuit speciale privilegium. Et licet posset fieri secundo modo ; illa tamen esset maius miraculum ; cum plùs sit hominem semper operari contra impetum appetitus effrenis , quam illum ligare , & extinguere. Sicuti plùs gratiæ est dare gratiam prædeterminantem ad actum contra impetum tentationis , quàm ipsam dare gravitate tentationis medijs gratijs affectionis, & illuminationis diminuta. Quapropter ratio D. Thomæ procedit non ex terminis ; sed attento modo magis suavi , ut Deus concedat vitationem omnis venialis. Sed tamen adhùc de tali modo vitandi dicendum; illum fore specialissimum privilegium nulli hucusque concessum ; unde argumentum non probat contra conclusionem. Videatur S. D. q. 24. de Verit. a. 9. probans conveniens fuisse Deum confirmasse aliquos in gratia dono intrinseco gratiæ ; licet alio modo posset facere ; nè peccarent ; sed tamen extraordinariè operando.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Repugnat , etiam de potentia absoluta, vitare omnia peccata venialia collectivè absque gratia speciali donanti talem vitationem; non tamen sine speciali privilegio.

12 Prob. 1. pars ex D. Thom.

PRob. ex Div. Thom. hic art. 8. dicente : *In hoc statu non potest homo abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis , cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest , & ex hoc habent rationem peccati , non tamen omnes : quia dùm unt resistere nittitur , fortassis alius consurgit : & etiam , quia ratio non potest semper esse pervigil ad huiusmodi motus vitandos.* Ex qua doctrina sic probatur 1. pars conclusionis. Nequit etiam de potentia absoluta homo (post peccatum Adæ) coniungere vitationem omnis peccati venialis cum carentia auxiliorum efficacium ad illam ; cum etiam de potentia absoluta repugnet talem vitationem non esse donum Dei illam donantis , & facientis, ut homo eandem vitationem faciat ; in quo exprimitur munus proprium auxilij efficacis. Sed prædicta collatio auxiliorum efficacium nequit non esse, post peccatum Adæ, gratia specialis , imò & specialissima: ergò. Prob. minor. Gratia illa , quæ necessariò superat vires morales hominis iustificati ex parte actus , ad quem datur , est gratia specialis; quod si vehementèr superet , erit gratia specialissima; sed talis esset collatio &c. ad nunquam peccare venialitèr respectivè ad naturam de se defectibilem , & sæpissimè provocatam intus , & extra , ad peccandum venialitèr ; præsertim cum ad hoc sufficiat imperfecta libertas : ergò cum post peccatum Adæ, liberum hominis arbitrium maneat his defectibus involutum, &c.

13 Confirm.

Confirm. Homo iustus , cui Deus conferret gratiam ad nunquam venialitèr peccandum ; vel perprius extingueret , aut ligaret in eo fomitem peccati , aut non ? Si primum , necessariò interveniret gratia specialis extinctionis , aut ligaminis , ut de se constat ; licet hæc non sufficeret sine gratia efficaci. Si secundum , esset maior gratia specialis ; siquidem , quod natura infirma , & debilis , sæpissimèque agitata ad malum , nunquam , adhùc levitèr deficiat , est sine dubio maximum donum , & opus miraculosum ; utpotè opus proprium hominis perfectè integri , & sani,

& insuper excedens terminos providentiæ generalis intra ordinem gratiæ, quam exercet Deus circa omnes homines; & etiam specialis, quam exercet circa prædestinatos: ergò.

2. Pars conclusionis prob. ex dictis in notabilibus. Speciale privilegium ex terminis dicit exceptionem à lege communi. Unde si in Deo deficeret decretum, aut lex generalis, permittendi in pluribus hominibus peccare aliquando venialiter, tùnc gratia ad talem vitationem non esset speciale privilegium. Sed attenta potentia Dei absoluta potest Deus decernere conferre pluribus hominibus gratiam efficacem ad nunquam peccandum venialiter, & eam omnibus offerre, ut est certum: ergo. Explicatur hoc. Ratio gratiæ specialis, & ratio specialis privilegij, non dicuntur ad invicem; stat enim speciale privilegium absque gratia speciali, & è converso. Si enim Deus ex lege communi decerneret negare auxilium efficax ad opus honestum facile; eius elicientia esset in aliquo homine particulari dependens ab speciali privilegio; quia contra, aut præter legem communem; non tamen esset gratia specialis: cum non excederet vires morales, aut expeditas ex parte liberi arbitrij. Si autem Deus decerneret dare gratiam efficacem ad victoriam gravis tentationis ex lege communi, aut vitare omnia læthalia; gratia, per quam Deus hoc donaret, esset specialis; utpotè ad opus arduum, excedens vires arbitrij debilis, & infirmi; & tamen non diceretur privilegium speciale ob rationem datam: ergò cum attenta potentia absoluta posset Deus &c.

13 Probatur quòad 2. part. Explicat.

Contra 2. partem conclusionis argues. Iuxta Tridentin. *nullus sine speciali privilegio potest vitare omnia peccata venialia.* Sed hæc verba intelligenda sunt de potentia etiam Dei absoluta: ergò repugnat &c. Prob. minor 1. Nàm sequeretur posse in aliquo casu, estò rarissimo, contingere, ut homo vitaret peccata venialia sine speciali privilegio: quòd communitèr impugnatur, ab omnibus contra Vega talia asserentem, de quo Illustrissimus Godoy hic §. 3. Secundo: quia verba Tridentin. asserentis, *hominem iustum non posse perseverare sine auxilio speciali, & magno munere perseverantiæ*, exponuntur etiam relatè ad potentiam absolutam Dei, ita ut perseverare sine tali auxilio, & munere, repugnet necessario. 3. Verba Tridentin. asserentis, *hominem sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, & adiutorio, non posse credere, proùt oportet &c.* intelliguntur etiam respectivè ad potentiam Dei absolutam: ergò idem dicendum de impotentia ad vitanda venialia sine speciali privilegio; vel dicendum excessisse Illustrissim. Godoy; dum loco citato ait, *oppositum continere suspectam doctrinam.*

14 Sess. 6. canon. 23. Arguitur contra 2. part.

Sess. 6. canon 22. & 23.

Sess. 6. canon. 3.

Respond. Quod si nomine *privilegij* intelligatur solum favor, aut gratia specialis; imò, & specialissima: argumentum non militat contra conclusionem: cum in prima parte illius id ipsum ex professò sit à nobis probatum. Si autem *privilegium* accipiatur strictè, proùt dicit favorem excipientem aliquem à lege communi; sic argumentum rectè procedit, sed non probat efficacitèr. Ad 1. probationem Respond. Magist. Vega impugnari ab Illustrissimo Godoy; eo quod pro eodem accipiat *speciale privilegium, ac gratiam specialem*; cum solum adstruat in homine impotentiam moralem ad nunquam peccandum venialiter; quæ impotentia ab ipso explicatur, per hoc quod nunquam, aut solum rarissimè oppositum eveniet. Ad alias probationes Respond. concedendo illas, si verba Concilij intelligantur de speciali privilegio latè accepto, non autem strictè accepto. Ratio discriminis constat ex probat. conclusionis; unde Concilium loquitur suppositâ communi providentia relinquendi in iustis fomitem concupiscentiæ, & etiam ex Scriptura asserenti *nullum sine aliquo*

15 Solutio.

Ad 1. probat. min.

Ad alias prob.

Iob 14.

quo peccato vivere. His enim suppositis, necesse est speciale privilegium. Inspiratio vero, & donum perseverantiæ requiruntur ex natura rei, & etiam essentialitèr, de quo alibi. Nec opportet verba Concilij intelligi semper per ordinem ad potentiam absolutam; sicuti, nec illa Ad Hebræos 11 Pauli, *sine fide impossibile est &c.* sic debent intelligi.

§. V.

Explicatur qualis sit impotentia, quæ datur ad nunquam peccandum venialitèr.

16 DUb.6.de victoria gravis tentationis fusè notavimns non esse idem * hominem solum esse impotentem moraliter vincere gravem tentationem sine gratia speciali; ac sine huiusmodi gratia esse impotentem moralitèr;*hoc secundum est verum; primum vero apertè falsum; cum hæc propositio * existit victoria sine gratia speciali* sit ex terminis repugnans. Idem dicendum circa gratiam specialem ad diligendum Deum Authorem naturæ, & diutinam legis naturæ observationem; circa quem modum loquendi aliquos, etsi optimi ingenij, hallucinatos video. In conclusionibus antecedentibus probatum relinquimus ad vitationem omnis peccati venialis requiri omnimoda necessitate gratiam specialissimam, ita ut repugnet ex terminis hæc propositio: *Existit vitatio omnis venialis sine gratia speciali*; per quam probationem excluditur modus dicendi M. Vega, & omnium, qui dixerint hominem iustum solum gaudere impotentia morali, aut etiam physica, ad vitandum omne peccatum veniale sine gratia speciali. Si autem aliqui dixerint huiusmodi gratiam specialem solum requiri moralitèr: quærendum est ab eis, an ly *moralitèr* appellet supra requiri; & tunc impugnandi sunt, sicuti impugnatur M. Vega; si autem ly *moralitèr* appellet supra modum, quo influit in talem vitationem; licet omninò necessariò requiratur; tunc nihil dicũr, quod apertè contradicat Tridentino, & alijs PP. cum sit alterius loci disputare; An auxilia gratiæ, quibus Deus facit, ut faciamus; solum moralitèr; an etiam physicè effectivè determinent liberum arbitrium, ut faciat.

Nota.

Hinc constat in præsenti solum indagari de sufficientia, quàm iusti habent ex communibus auxilijs gratiæ ad vitanda omnia venialia; An, scilicèt, habeant veram sufficientiam physicam; & solum sint impotentes moralitèr ob vehementem difficultatem, & debilitatem virium ad talem vitationem? In hoc puncto PP. Salmant. Mag. Martinez, Zumel, Ferre asserunt talem impotentiam esse physicam. Sed quia impotentia physica ad aliquem actum duplicitèr contingere valet (ut cum M. Boliv. Subdubio antecedenti notavimus) vel propter defectum virtutis contentivæ illius; vel quia talis virtus intrinsecè continens actum, est impedita pluribus obstaculis in auferibilibus, & aliunde cum eis nequit coexistere actus; certum nobis videtur talem impotentiam non esse physicam primo modo. Ratio est: Nàm tota collectio actuum, quibus omnia venialia vitantur, continetur intrinsecè in voluntate præventa auxilijs gratiæ datis ex providentia genetali; Nàm voluntas cum eis est potens ad actus sincathegorematicè infinitos. Idem de vitatione venialium circa præcepta naturalia; voluntas enim præventa cognitione malitię venialium continet omnem actualitatem intrinsecam actuum naturalium. Cui accedit donum integritatis subijcientis appetitum rationi non dare voluntari, aut appetitui, aliquam virtutem physicè activam, sed solum frenare appetitum, nè motibus inordinatis prę veniat rationem: ergò talis impotentia non est propter defectum virtutis, ita ut in se non contineat actualitatem physicam actuum, quibus venialia vitantur. Deniquè: Nàm si Deus quoties urgeret aliqua tentatio ad peccandum venialitèr; præveniret voluntatem sua gratia efficaci, ut ei resisteret; absdubiò talis homo nunquam peccaret venialitèr. Sed repugnat Deum sua gratia efficaci facere, ut voluntas operetur actum, vel collectionem actuum, quos physicè in-

17 In quo sensu procedat cõclus.

Sententiæ Aliquor.

Duplex impotentia physica.

Non est talis ob defectum tontinen ciæ. 1.

Vid. subdubiũ de victor. tẽtationis.

Secundo.

trinsecè in sua virtute non continet: ergò signum certissimum est dari sufficientiam physicam ad talem vitationem; naturalem; in ordine ad venialia legi naturæ opposita; supernaturalem per auxilia gratiæ concessa iustis, in ordine ad vitanda venialia opposita actibus supernaturalibus.

18 Unde solum remanet difficultas de impotentia secundo modo; sicuti homo ligatus catenis dicitur physicè impotens ambulationem, aut ignis non applicatus ad comburendum. Dicimus adhùc in hoc sensu talem impotentiam non esse dicendam Physicam. Probatur considerando impedimenta ad vitationem; hæc enim sunt fomes peccati seminarium innumerabilium motuum adversus rationem; & impotentia, ut homo sit in continua præmeditatione ad resistendum prædictis motibus. Nùnc sic: sed huiusmodi impedimenta non reddunt physicè impossibilem vitationem omnis venialis per auxilia gratiæ sufficientis datæ ex vi providentiæ generalis circa iustos: ergò. Prob. min. Licet in potestate hominis physica non sit ligatio, aut extinctio fomitis; proindèque; quod non insurgant motus inordinati, est tamen in eius potestate physica per auxilia gratiæ habere illam præmeditationem, & advertentiam, quæ requiritur ut possit vitare omnia venialia: ergò. Prob. aut. Talis præmeditatio requisita non debet esse continua sine interruptione; sed solum, quando occurrit aliquis pravus motus ex parte appetitus, vel cogitatio suadens sine advertentia; attamen oportet, quòd non excludat omnẽ advertentiam, sive consensum ex imperfecta libertate. Sed habere huiusmodi præmeditationem non est physicè impossibile per vires gratiæ: ergò. Prob. min. 1. Talis præmeditatio continetur physicè in auxilijs gratiæ, & ad illam habendam excitat imperfecta cognitio malitiæ peccati venialis, si ipse homo velit attendere. 2. Nàm quod voluntas obscurè, & quasi imperfectè cognoscat honestatem vitationis; & vivaciùs, sive cum maiori impetu proponatur utilitas physica reperta in peccato venialis; hic tamen modus proponendi non necessitat voluntatem ad peccandum venialitèr, sed potest in vi illius cognitionis, estò confusæ, se cohibere, & ad perfectiorem cognitionem eiusdem malitiæ pervenire. Unde solum erit maxima difficultas, & maximus labor; non vero impossibilitas physica.

Probatur quod non est talis in 2. sensu.

Sent. negat. cum Serna, Boliv & Ill. Godoy.

19 Confirm. Certum est in homine quovis modo peccante venialitèr prælucere cognitionem malitiæ; aliter enim non esset ei voluntaria: licet talis cognitio sit confusa, & imperfecta, ut contingit in motibus inordinatis appetitus; cognitio vero alliciens sit intensa, & valdè efficax. Certum est etiam, quòd ratione talis cognitionis estò imperfectæ, potest vitari talis malitia; licet cum difficultate provenienti ex defectu perfectæ cognitionis, & perfecti dominij, & ex prævalentia cogitationis pravæ. Nàm ubi est minùs de libertate, & cognitione, est minor potestas, & dominium. Ulteriùs certum est, quòd esto plena advertentia det vires ad vitandum peccatum, tùm mortale, tùm veniale; non tamen dat vitationem: cum illa stante possit voluntas peccare. Ex his sic argumentor. Quòd gratia sufficiens data iustis non præbeat vires ad plenè advertendum, quoties insurgunt motus inordinati, non probat, quòd deficiat aliquid physicè requisitum ad non consentiendum prædictis motibus. Tùm quia solùm deficit maior advertentia ex parte rationis: hæc autem erit maioi expeditio potestatis, non tamen virtus simpliciter requisita. Tùm quia quævis cognitio malitiæ estò imperfecta, sufficit ad simplicitèr illam reijciendam; malum enim, ut tale, est obiectum fugæ: ergò licèt auxilia communia gratiæ non præbeant sufficientiam ad plenam advertentiam, hoc quoties insurgunt motus inordinati, non probat defectum physicę potestatis ad eis resistendum. Sed, ut efficacia huius rationis

Confirm. ratio.

appareat.

(*)

§. VI.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

20 OBijcies 1. ex PP. Salm. & Alijs. Gratia, quæ datur iustis, non ligat, aut extinguit fomitem peccati: ergò nec dat vires sufficientes ad vitanda omnia venialia. Prob. conseq. Plus est vitare omnia venialia non ligato, aut extincto fomite, quàm illum ligare; cum iuxta omnes, tàm continuata victoria, & absque ullo defectu etiã levi foret maius miraculum: ergò. Confirm. 1. Eò ipso, quòd appetitus non sit ligatus, aut extinctus, sed expeditus, & effrænis, petit connaturaliter exire in actus inordinatos saltim venialiter: ergò, quòd Deus huiusmodi actus non permittat est gratia specialis facta homini iusto non habenti appetitum sensitivum ligatum, aut extinctum in ordine ad malum. Atqui si homo iustus haberet sufficientes vires ad vitanda omnia venialia, non fieret ei gratia specialis in eorum vitatione: ergò. Confirm. 2. Eò homo in statu innocentiæ poterat vitare per longum tempus omnia venialia, quia in illo appetitus erat perfectè subditus rationi: ergò ab oppositio; ubi deest talis subiectio, deficit similis potestas. Sed auxilia communia gratiæ non præbent iusto, nec possunt dare talem plenam subiectionem: ergò nec sufficientiam ad vitanda omnia venialia.

Arg. 1.

Conf. 1.

Secundò.

Hæc tamen parum urgent; nec 21 satis opportune adducuntur; cum non distinguat arguens inter præbere vires physicas, aut vires morales. Et insuper; quia etiam probant hominem iustum esse physicè impotentẽ ad vitanda omnia venialia impotentia consistenti in defectu virtutis, & continentiæ activæ actuum, quibus omnia venialia vitari possunt; quod est planè falsum. 1. Prob. non urget: Nàm hæc consequentia: *Gratia non præbens sufficientiam ad minus, nequit illam præbere ad maius*; tenet verum de maiori, & minori intra eundem ordinem; ligatio autem fomitis, & elicientia actuum, quibus vitantur omnia venialia, sunt beneficia diversæ lineæ: undè stat optimè auxilia collata, & præparata iustis, dare sufficientiam ad nunquam peccandum, & non habere activitatem ad ligationem, vel extinctionem fomitis. Præterea. Nàm plus est perseverare in bono usque in finem, quàm habere fomitem ligatum; & tamen illud est iustis possibile, non tamen hoc. Similiter. Collectio auxilium efficacium esset efficax ad vitationem omnium venialium, & tamen non esset talis, imò nec sufficiens ad ligationem fomitis; estò huiusmodi ligatio sit minus donum, quam esset illud. Si quæras: quodnam ex his esset maius donum? Resp. Ligationem, aut extinctionem esse maioris potentiæ; hoc autem maioris misericordiæ.

Solutio.

Ad 1. confir. Resp. Quòd illa so- 22 lùm probat hominem iustum non habere vires sufficientes moraliter expeditas ex vi auxiliorum gratiæ ad vitationem omnis venialis; siquidem solùm sufficientiæ moraliter expeditæ ad agendum non fit gratia specialis quod reducatur ad actum; & hoc solùm aliquando. Nàm pluries, aut semper non deficere in recta operatione, naturam, estò sufficientem moraliter, mutabilem verò, & inconstantem, est gratia specialis. Ad 2. Resp. 1. ex illa probari: hominem iustum non habere sufficientiam virium ad diù vitandum omnia peccata læthalia ex vi auxiliorum, quæ communiter dispensatur à Deo iustis; siquidem iuxta D. Thom. hic ar. 4. *Eo homo poterat in statu innocentiæ vitare omnia læthalia, quia in eo appetitus erat perfectè subditus rationi.* Undè sicuti talis subiectio, estò esset causa sufficiens ad diù observanda mandata; quia tamen non erat causa adæquata; non probatur hominem iustificatum carere sufficientia virium ad dictam observantiam; ita dicendum pro præsenti casu. Eadem instantia fieri potest pro dilectione naturali Dei super omnia; ad quam iuxta D. Th. hic ar. 3. homo innocens non indigebat gratia speciali ob integritatẽ status, & tamen iustus non integer gaudet sufficientia ad illam. * Resp. 2. hominẽ in statu integritatis habere sufficientiã virtutũ, tàm physicam, quàm moralem, ad nunquã pec-

Ad 1. confirm.

Ad 2. Resp. 1.

* Iuxta Salmant. etiã non iustific. Secundò.

peccandum venialiter, propter magnam facilitatem non peccandi, ut asserit P. Aug. de correpț. cap. 12. Qua propter deficienti iniustis dono integritatis deficit potestas moralis, non vero physica, uti debet dici de facultate ad perseverandum.

23 2. Obijc. Si gratia generalitèr iustis concessa, & oblata, non præbet sufficientiam virium physicam, ut homo plenè advertat, quoties urgent aliqui motus inordinati, aut pravæ cogitationes; nequit physicè vitare omnia venialia, scilicèt, ex imperfecta libertate commissa; sed ita res se habet: ergò. Min. videtur D. Thom. hic art. 8. dicentis: *Ratio non potest esse semper pervigil ad huiusmodi motus vitandos.* Et q. 24. de Verit. a. 12. ubi ponit pro casu huius impotentiæ *varias mentis humanæ occupationes, & quietem necessariam*; cumque gratia sufficiens non excludat hæc, non excludit impedientia plenam advertentiam circa mala, quæ ita frequenter occurrunt. Maior vero prob. defectus plenæ advertentiæ est defectus cognitionis perfectæ circa malitiam, aut bonitatem obiecti; defectus autem talis cognitionis est defectus dominij, & libertatis; cum dominium voluntatis originem trahat ex cognitione; defectus autem dominij est defectus potestatis, & facultatis. Tùm sic: sed defectus dominij in voluntate proveniens ex defectu cognitionis est defectus physicę potestatis; cum cognitio estò solùm influat moraliter; voluntas tamen sine illa est physicè impotens operari, ut est certum: ergò de primo ad ultimum infertur, defectum plenæ advertentiæ circa plura venialia reddere voluntatem physicè impotentem omnia vitare; cum talis defectus non sit auferibilis per auxilia communia gratiæ. Explicatur hoc: voluntas præventa cognitione perfecta boni est physicè potentior ad illius amorem se ipsa, ut præventa cognitione remissa, sive imperfecta; ut videtur certum: ergó præventa cognitione perfectè proponenti malitiam obiecti est physicè potentior illud fugere: ergò defectus huius cognitionis, est defectus potestatis physicę ad eius fugam: ergò cum ad ferè innumerabilia venialia vitanda, scilicèt, illa, quæ ex subreptione appetitus, & quasi sine libertate committuntur, voluntas hominis iustificati patiatur defectum huius plenæ cognitionis, dicendum ad eorum vitationem deesse ei potestatem physicam; non propter defectum continentiæ, sed quia non potest à se excludere talem defectum plenæ advertentiæ.

Arguitur 2. ex M. Ferre.

Explicat.

24 Admitto libenter gratiam auxiliantem communiter concessam iustis non dare vires physicas, ut homo plenè advertat circa omnia operabilia consona rationi, vel ei dissona, propter innumeras huius vitæ occupationes, ut loquitur D. Thom. ex hoc tamen non sequitur voluntatem esse physicè impotentem vitare omnia venialia ex imperfecta libertate commissa. Ratio est. Nàm aliud est deficere aliquam potestatem, vel maiorem potestatem physicam ad aliquod exercitium; aliud deficere omnem potestatem, ut de se est clarum. Fateor voluntatem præventam cognitione perfecta malitiæ venialis obiecti, esse magis potentem physicè illud vitare, quam si tantum cognitione imperfecta sit præventa. Cæterum cum sit innegabile, etiam sic præventam posse physicè, estò cum difficultate, peccatum veniale vitare (aliter enim non peccaret) planè infertur impotentiam, ut plenè advertat, solùm inferre in voluntate non esse potestatem physicam plenam, & perfectam ad vitanda omnia peccata venialia; secus vero diminutam, & imperfectam. Nec amplius convincunt probationes supra adductæ. Quàm doctrinam traddit, & illustrat Sap. M. Bolivar hic num. 24. & 27.

25 Objicies 3. Iuxta D. Tho. in 2. dist. 28. q. 1. ar. 2. *aliter homo est impotens ad vitanda omnia venialia, atque ad vitanda mortalia.* Sed ad vitanda omnia peccata mortalia est impotens moraliter propter vehementem difficultatem: ergò impotentia ad vitanda omnia venialia est physica, & non tantum moralis. Confirm. 1. Nàm si impotentia ad vitanda omnia venialia non esset physica, sed tantum moralis, votum de nunquam peccando venialiter esset validum, sicuti est validum

Arguitur 1.

Confir. 1

dum votum nunquam peccandi mortaliter, & lex prohibens omnia venialia collectivè, quod nequit dici.

Secundò. 2. Nàm impotentia ad vitanda venialia oritur ex aliquo defectu physico, scilicèt, ex defectu perfectæ subiectionis appetitus ad rationem: ergò est

Tertiò. impotentia physica. 3. Hominem nunquam peccare venialiter non ligato, nec extincto fomite peccati, esset magnum miraculum, ut est certum: imò etiam de Ang. Doct. qui nunquam pestiferæ superbiæ persensit stimulum; canit Ecclesia * fuisse munus gratiæ Dei vincentis, quodvis miraculum. *Sed opus valde miraculosum est supra posse, tàm morale, quàm physicum, gratiæ auxiliantis à Deo concessæ ex generali providentia: ergò.

26 Ad 1. Resp. intra genus potentiæ moralis dari magis, & minus.

Ad 1. Respond. Deinde adest ulterior disparitas. Nàm homo iustificatus habet plenam potentiam physicam ad vitanda omnia mortalia; cum habeat plenam libertatem, sine qua non peccat mortaliter. Peccatum autem veniale; cum possit committi absque plena deliberatione, potentia physica ad omnia vitanda non est perfecta, sed imperfecta ex defectu perfecti dominij, & libertatis. Ad 1. confirm. Resp. negando sequelam: Nàm de re moraliter in summo gradu impossibili, & ad quã homo non habet à Deo gratiam præparatam, non potest fieri votum validum: quia obligat sub mortali; lex autem obligat sub veniali, *& sic prohibetur vitatio omnium venialium. Inordine ad vitanda omnia mortalia habet homo, licet non ex viribus proprijs, ex vi gratiæ præparatæ à Deo omni petenti illam, possibilitr moralem, non vero ad venialia: ideòque votum de nunquam læthaliter peccando, est validum. Nàm talis vitatio, vel est possibilis moraliter iustis per auxilia communia gratiæ, vel potest reddi possibilis moraliter, obtinendo à Deo gratiam præparatam pro tali vitatione. Hac etiam ratione potest homo firmiter proponere nunquã læthaliter peccare; non autem nunquam venialiter peccare. Ad 2. dist. añs. oritur ex aliquo defectu physico impedienti physicè aliquod principium per se requisitum ad vitationem omnium venialium, neg. añs. Non sic impedienti, licet vehementissimè retardanti, conc. añs. & neg. conseq. Principia enim per se necessario requisita physicè ad vitationem omnis venialis sunt voluntas, & auxilia gratiæ, ex quibus consurgit in voluntate continentia physica; & cognitio malitiæ estò imperfecta, ad fugienda venialia; quæ principia permanent in homine non habenti appetitum perfectè subditum rationi. Argumentum instari potest in potestate ad victoriam gravis tentationis, quę solùm dicitur impotentia moralis; licèt orta ex non subiectione appetitus ad rationem. Ad 3. diximus subdub. añi. in simili, ad quem locum remittimus lectorem. Deindè, ut rectè advertit M. Boliv. hic n. 27. impossibilitas, ut inter tot homines, & occasiones, non veniant scandala, tantum est moralis; & tamen oppositum non contingeret absque miraculo; & hoc quidem: quia excederet communem providentiam, & solitum cursum operandi convenientem individuis defectibilibus inter tot occasiones peccandi.

Ad 2.

Aut potest.

Ad 3.

Hinc illa propositio: *nequit dari in voluntate creatura ex vi generalis providentiæ sufficientia physica ad vitationem, quæ est opus miraculosum.* Instatur 1. insufficientia data omnibus hominibus collectivè sumptis, ad hoc ut nullũ eveniat scandalum; & tamen hoc esset miraculum. Deindè distingui debet inter opus de se, sive intrinsecæ miraculosum; & inter opus, quod dicitur tale, propter aliqua gravissima impedimenta, vi quorum excedit solitum, & regulatè cursum operandi ex providentia Dei. Certum est vitationem omnis peccati venialis non esse opus miraculosum in 1. sensu; siquidem homo conditus in statu naturæ integræ, in quo nullum fuit miraculum, potuit sine gratia speciali dante expeditionem vitare omnia venialia, ut hic a. 8. docet S. D. Quapropter modo solùm esset miraculum propter rebellionem appetitus; & quia homo nequit esse continuo pervigil ad resistendum motibus inordinatis; ita ut, nec ex imperfecta libertate ulli con-

27 Quædam propositiones exponit.

De varietate miraculi. vide dub. 1. n. 92.

Aliæ duæ explicât. consentiat. Ex his in forma distinguo hanc propositionem : *vitatio omnis venialis est opus miraculosum de se, sive quòad intrinseca*, neg. *ratione impedimentorum, quæ contraximus ex peccato originali ; & propter ordinem stabilitum à divina providentia*, conc. *similiter distinguo aliam propositionem : ex vi gratiæ auxiliantis concessæ per providentiam Dei, nequit dari sufficientia ad opus miraculosum* 1. modo conced. miraculosum 2. modo: subdisting. *sufficientia moralis*, conc. *physica : iterum subdistinguo: physica reducenda in actum ex vi providentiæ generalis*, conc. *reducenda in actum ex vi providentiæ specialis, & specialissimæ*, neg. Solutio constat ex dictis.

28 Advertendum tamen in opere miraculoso, quòd sit actus voluntatis uti est vitatio omnis venialis, estò sit concedendum creaturam concurrere per modum causæ principalis ad substantiam talis operis ; non tamen sic debet concedi in ordine ad id, in quo splendet ratio miraculi. Sit exemplum in raptu Divi Pauli ad videndum Deum ; visio enim illa fuit ab intellectu illius lumine gloriæ illustrato, ut à causa principali, iuxta communem Thom. sensum ; attamen non sic processit ab illo quantum ad id, quod habuit talis visio de miraculosa ; scilicèt, fieri ab homine viventi vita mortali. Vitatio omnis venialis, cum sit collectio plurium actum vitalium, deberet à voluntate creata, ut à causa principali procedere ; cæterum non sic procederet, quantum ad id, quod in illa resplendet de miraculo ; scilicèt, dari in sensu composito non extinctionis fomitis peccati ; aut cum sola gratia sufficienti non danti plenam advertentiam circa omnia agibilia. Undè cum ista à Deo procederent ; ab illo proveniret principaliter id, quod in tali vitatione appareret miraculosum.

Nota.

29 Sed dices. Ex hac doctrina sequitur gratiam specialem requisitam ad vitanda omnia venialia, solùm consistere in collectione auxiliorum efficacium ; cum iuxta superius dicta, ex vi providentiæ generalis dentur iustis auxilia, quibus, quòad sufficientiam virium possunt illa vitare. Resp. neg. sequel. Cum oppositum doceatur à Trident. illis verbis : *Iustum sine speciali privilegio omnia venialia vitare non posse*, quæ verba propriè debent accipi pro potentia etiam antecedenti. Ad prob. in contra Resp. nos solùm concessisse iustis ex vi providentiæ generalis sufficientiam physicam, imperfectā tamen; non vero ullā sufficientiam moralem ; sed potius vehementem impossibilitatem moralem ad talem vitationem ; quà non sublata nequit dari prudens spes, aut firmum propositum numquam venialiter peccandi. Sed instat M. Ferre. Si vitatio omnis venialis est physicè possibilis ; cur recurrit S. D. * ad hoc quòd singula possunt vitari ; ut homini imputentur ad culpam ? Resp. S. D. eumdem recursum traddere pro vitatione omnium mortalium in non iustificato; cum tamen illa sit anteced: physicè possibilis longo tempore circa præcepta legis naturæ. Licèt ergò prima sit physicè possibilis, est tamen imperfecta ; & cum necessitate vaga ad aliquod ; ideòque ob suavitatē Dei legislatoris recurrit S. D. ad libertatē moralem prò singulis.

Can. 23.

Instabis cum Ferre.

*

Hic ar. 8. Resp.

Nec ex hac doctrina inferas; quòd si in iusto solùm ponimus, secundùm præsentes, quas habet vires, impossibilitatem moralem ; poterit accidere, in aliquo casu, ut sine gratia speciali vitet omne peccatum veniale. Non inquam inferas. Nàm cum hæc impossibilitas sit anteced. & ex parte actus primi ; nunquam reducetur ad actum sine gratia speciali. Si enim loquamur de gratia donanti actualem vitationem, nec per potentiam absolutam fieri valet, ut vitetur actu omne veniale sine illa : cum dare actum potentiæ omnino impotenti moraliter, sit ex terminis gratia specialis. Si vero loquamur de gratia speciali danti posse in actu 1. moraliter, semper est gratia specialis : cum hæc solùm possit consistere, vel in ligatione, aut extinctione fomitis; vel illo manente; donando, ut homo sit in cōtinua præmeditatione boni, ut nec inadvertentèr feratur in malum. Hinc non percipio ; quo motivo PP. Salm. asserunt Illust. Godoy * tuentem solum impossibilitatem moralem ad-

30

Instant. Salm.

Resp.

ad prædictã vitationem sentire; posse aliquando, licèt raro, evenire, ut homo vitet sine gratia speciali omne peccatum veniale * Cum hoc, & expresse impugnetur ab ipso Illust. agenti contra M. Vega §. 3. & illatio sit nulla; non aliter, ac si inferas: *Impossibilitas, ut non eveniant scandala, solum est moralis: ergò aliquando contingere poterit, ut sine providentia speciali non eveniant* Similiter: *impotentia, ut homo graves tentationes per aliquod tempus vincat solum est moralis: ergò aliquando evenire poterit, ut sine gratia speciali eas vincat.*

* Vindicatur Illust. Godoy.

31 Sed adhùc non quiescès; Nàm videtur falsum; sensum propositionis Trident. *Homo sine speciali privilegio, nequit vitare omnia venialia*; esse sequentem: *homo non potest potentia morali sine speciali privilegio vitare &c.* cũ enim impotentia moralis sit potentia involuta pluribus difficultatibus; non videtur dignum tanto Conc. solùm definire, quod homo sine speciali privilegio habet gravissimam difficultatem ad vitanda omnia venialia. Eadem replica fieri potest de eadem propositione S. D. hic ar. 8. asserentis: *non potest homo &c.* Dicere enim, quod non potest potentia moraliter expedita, videtur loquutio parum digna tanto Doct. Resp. quod propositio Trident. potest duobus modis exponi; vel ita, ut ly *sine speciali privilegio, appellet supra vitare*; vel ita, ut appellet supra ly *potest*. Si 1. modo accipiatur, iam diximus supra tale speciale privilegium; vel gratiam specialem, requiri necessariò ad nunquam peccandum venialiter. Si autem appellet supra ly *potest*. Resp. Concilium negasse homini omnẽ possibilitatem moralem; adeò tamen gravem, ut sine miraculo nequeat contingere vitatio omnium venialium. Quemadmodum ex necessitate morali, ut veniant scandala, talis connexio sequitur; ut oppositum non nisi miraculosè evenire valeat. Et hæc 1. acceptio videtur propria mens Concilij; cum intendat exprimere infirmitatem liberi arbitrij post lapsum Adæ ad nunquam peccandum venialiter. Nec obstat probatio in contra. Nàm licet sit omnibus nota gravissima difficultas ad nunquam peccandum venialiter attenta providentia ordinaria; non tamen est omnibus notum, quod prædicta difficultas sit adeò gravis, ut sine miraculo, & sine speciali privilegio, oppositum nequeat contingere. Per quod constat ad instantiam factam pro propositione S.D.

Iterum instabis.

Resp.

Hinc constat gratiam specialẽ requisitã ex parte actus primi, ut homo sit moraliter potens ad nunquam peccandum venialiter connaturaliter loquendo esse ligationem, aut extinctionem fomitis; dùm enim homo sic intelligitur à Deo privilegiatus, est potens moraliter, cum auxilijs gratiæ dantibus sufficientiam ad actus supernaturales, nunquam venialiter peccare. Hæc tamen gratia non sufficit se sola, quòad effectum; nisi etiam quoties occurrit vitare aliquod peccatum veniale ex obiecto, Deus conferat gratiam efficacem, ut illud vitetur. Dixi connaturaliter loquendo; Nàm etiam non ligato, aut extincto fomite, poterat Deus alio modo constituere voluntatẽ cum plena sufficientia ad non peccandum; si scilicèt, daret ei talem illustrationem, ut quoties insurgeret motus inordinatus, plenè adverteret eius malitiam, ut nec ex imperfecta libertate peccaret. Sed hoc esset extraordinarius modus, & includens plures favores speciales, in tot continuatis illustrationibus respectu hominis patientis varios insultus appetitus obnubilantes de se rationem.

32 In quo stet gratia specialis.

Denique obijc. Homo tenetur vitare omnia peccata venialia, etiam collective sumpta; sed nemo tenetur ad impossibile: ergò possibile est hominem &c. Mai. prob. 1. Nàm qui tenetur vitare hoc peccatum veniale, & hoc, & hoc &c. tenetur vitare omnia collectivè; cum ascensus collectivus fiat per terminos copulatim sumptos. Sed homo tenetur vitare hoc, & hoc &c. cum peccata venialia hoc modo numerata, sint mala: ergò. 2. Nàm licèt ad vitanda omnia peccata venialia collectivè non teneatur homo primariò, & ex vi alicuius præcepti specialis dictantis signatè talem vitationem; secus tamen loquendo de obligatione consequuta ad omnia præcepta particularia simul sump-

33 Arg. probans non esse impossibil. talem vitat.

sumpta, ut supra diximus dub. antec. circa obligationem vitandi omnia læthalia collectivè sumpta: ergò.

34 Omissa solutione M. Ferre negantis cum PP. Salm. obligationem vitandi omnia venialia collectivè; cuius oppositum satis efficaciter suadent probationes argumenti. Resp. dist. min. nemo tenetur ad impossibile physicè tale, conc. min. Ad impossibile moraliter, subdist. Impossibile, prout hic, & nunc occurrit observandum, conc. Possibile tamen moraliter, prout hic, & nunc occurrit, neg. min. & conseq. Fatemur hominem ab omnibus præceptis particularibus prohibentibus singula venialia, ut simul sumptis, teneri ex consequenti ad nunquam peccandum. Attamen, cum talis collectio non urgeat in uno, vel altero instanti, sed in plurimis instantibus, & occasionibus: nunquam verificatur, quod homo teneatur hic, & nunc, vitare aliquid ipsi impossibile. Sed potius aliquid moraliter possibile, scilicèt, illud peccatum, quod hic, & nunc occurrit. Pro quo vide dicta subdub. antec.

Resp. Nec credo eos negare obligat. ex cō seq:

35 Sed dices 1. Hanc eandem solutionem posse traddi, etiam si tota collectio esset physicè impossibilis vitari: ergò distinctio tradita est inutilis. 2. Necessitas physica vaga ad committendum aliquod peccatum mortale, non admittitur frequenter à Theol. ergò similiter, nec debet admitti necessitas vaga moralis ad aliquod peccatum mortale; ita ut oppositum sine miraculo nequeat contingere: ergò nec similis necessitas moralis vaga ad peccandum venialiter. Sed hoc opponitur cum immediatè dictis: ergò inconsequenter procedimus. Resp. neg. sequel. Licèt enim talis impossibilitas physica non præiudicaret libertati vitandi, quodlibet in particulari: præiudicaret tamen suavitati Dei in præcipiendo; cuius mandatum suave est, & onus leve; & insuper: quia videtur satis durum hominem teneri, adhùc ex consequenti, ad aliquid physicè ipsi impossibile, sive sit tale propter defectum continentiæ activæ; sive propter aliquod impedimentum physicum. Ad 2. ex hoc ipso Resp. Deum non posse sub læthali præcipere collectionem aliquam, quæ vel non sit possibilis moraliter; vel saltim non offeratur à Deo possibilitas moralis pro illa sub conditione orationis &c. secùs tamen de præcepto sub veniali. Ratio disparitatis est. Nàm præceptum obligans sub mortali, est grave onus, secùs autem obligans sub veniali; undè licèt 1. modo nequeat Deus obligare hominem ad collectionem, quæ, vel non sit de facto possibilis homini, vel à Deo offerantur auxilia pro tali possibilitate morali, bene tamen 2. modo; cum præceptum obligans sub veniali sit leve, & inducens reatum pœnæ temporalis sub conditione transgressionis. De quo M. Boliv. dub. 14. à n. 6. & nos dub. seq. probabimus hac ratione omni homini iusto conferri, vel offerri à Deo, potestatem moralem ad perseverandum. Restabat agere de vitatione venialium pro statu innoc: sed de hoc infra. *Et hæc de hoc dub. applic. littera Mag. ubi præced.*

Instabis 1 Secundò.

Respond. ad 1.

Ad 2.



DU-

DUBIUM XIV.

AN HOMO IN GRATIA CONSTITUTUS indigeat speciali auxilio gratiæ ad perseverandum?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA.

N. 1 PRimò notandum cum D. Thom. hic ar. 10. perseverantiam tripliciter accipi. 1. prout significat habitum laudabilem, per quem voluntas firmiter stat, nè removeatur à bono rationis propter irruentes tristitias: quemadmodum per habitum laudabilem continentiæ firmatur, nè declinet à bono rationis propter irruentes delectationes. De quibus agit Div. Thom. hac 1. 2. q. 58. ar. 3. & 2.2. q. 187. & q. 145. ar. 3. Necessitatem horum habituum probat Ang. Præc. loco ex 1. 2. ad 2. sequenti discursu. Operatio procedens active à duabus potentijs nequit esse perfecta, nisi utraque potentia perficiatur per debitum habitum; sicut non sequitur perfecta actio agentis per instrumētū, si hoc non sit bene dispositum, quantumcumque principale agens sit perfectum. Sed operatio appetitus sensitivi dependet etiam à ratione, ut dirigente, & à voluntate, ut moventi: ergò ut talis operatio sit perfecta, oportet rationem rectificari per prudentiam; & voluntatem per habitus, quibus rectè se habeat circa delectabilia, & tristabilia, ut possint rectè illam imperare. Notat tamen ibidem Ang. M. huiusmodi habitus non habere actu rationem virtutis, sed tantum esse quandam inchoationem illius; quia virtus propriè dicta datur ad actum, qui consummatur in eadem potentia: moderatio autem tristitiæ, vel delectationis, solùm consummatur in appetitu sensitivo, non autem in voluntate, in qua sunt prædicti habitus. Qua ratione habitus piæ affectionis determinantis intellectum ad credendum fide divina, etsi sit habitus laudabilis, non tamen habet propriam rationem virtutis, ut communiter tuentur Theologi.

Primò.

Perséver. triplicit: accipit. 1.

De hoc Salmant. tract. de virt. disp. 2. dub. 3.

2. Accipitur perseverantia pro virtute, per quam homo firmiter proponit perseverare in bono usque in finem. De qua virtute agit expresse S. D. 2.2. q. cit. ubi ar. 1. probat esse specialem virtutem sequenti ratione. *Ubi occurrit specialis ratio difficultatis, vel boni, ibi est specialis virtus; sed diù insistere in continuatione boni operis circa alias virtutes, habet specialem difficultatem, & specialem rationem boni: ergò ad hoc, ut homo velit, & intendat huiusmodi continuationem, requiritur specialis virtus, quæ alia esse nequit nisi perseverantia.* Min. quoad utranque partem est manifesta, siquidem diù insistere in elicientia actuum Religiosis, fidei, spei, & importat specialem difficultatem propter inconstantiam voluntatis; & etiam specialem conformitatem cum recta ratione; qua de causa continuatio in bono laudabilior est, quam elicientia actus ab illa præscindens. Notandum cum eodem Ang. M. ibi in solut. ad 3. quod diù permanere in bono, sive in exercitio alicuius virtutis, dupliciter potest com-

2

Secunda acceptio.

Qualiter continuatio in bono pertineat ad persever.

pa-

parari ad agentem; vel ita, ut talis persistentia se habeat, ut conditio, aut circunstantia actus; vel ita ut se habeat, tanquam ratio per se intenta. 1. modo accepta continuatio in bono, spectat ad eandem virtutem, à qua elicitur actus honestus; 2. vero modo pertinet, & specificat virtutem perseverantiæ. Ut videre est in magnanimitate respicienti magnitudinem in opere cuiusvis virtutis; talis enim magnitudo, sive excellentia actus honesti, sumpta per modum conditionis pertinet ad eandem virtutem, ad quam pertinet actus. Undè per charitatem elicitur actus dilectionis, & etiam excellentia ipsi conveniens. At vero si talis magnitudo accipiatur, ut ratio signatè intenta, sic expectat ad magnanimitatem, cuius proprius actus est *velle magnepere, & excellenter, operari in materia cuiusvis virtutis.**

Magnitudo hic est idem, ac Heroicitas.

* Ita S. D. 2.2.q.29. ar.4.

3. Accipitur perseverantia pro continuatione in bono gratiæ, & observationis legis divinæ, usque ad finem vitæ. Si enim aliquis diù permaneat in gratia Dei; eam tamen amittat ante mortem propter ruinam in peccatum; in dicto casu illa perseverantia non est talis simpliciter, sed tantum secundùm quid. Quemadmodum Miles non dicitur simpliciter perseverare in exercitio militari, nisi perveniendo usque ad finem certaminis, & consummationem operis. Ita D. Tho. 2.2. q.137. ar.1. ad 2. Hinc provenit ad donum perseverantiæ, parum referre, quòd à tempore iustificationis, usque ad mortem intercedat breve, aut brevissimum tempus; similiterque quod interveniant plura, aut pauciora præcepta.

3

Tertia acceptio.

Hanc vocat M. P. perlev: téporal:

His prænotatis pro aliquali notitia doctrinæ Ang. Præc. certum est, dubium non procedere de perseverantia 1. & 2. modo accepta. Siquidem virtus perseverantiæ, & similiter perseverantia sumpta pro habitu laudabili firmanti voluntatem contra irruentes tristitias, committantur infusionem gratiæ; proindeque ad perseverantiam in dicto sensu non indiget homo iustus auxilio speciali. Idem dicendum de actibus correspondentibus prædictis virtutibus, tanquam ab ipsi elicitivè proveni-

4

Noto 2.

entibus. Ratio est: Nàm actus proprius, & elicitivè procedens à virtute perseverantiæ, est propositum firmum, & efficax continuandi in bono virtutis ex motivo honestatis resplendentis in ipsa continuatione boni; sed ad huiusmodi actum non requiritur gratia specialis, de qua in præs. Cum voluntas ratione virtutis perseverantiæ sit inclinata, & expedita, quantum est ex parte sui, ad elicientiam talis actus: ergò. Dixi, non requiri gratiam specialem, de qua in præs. Nàm si nomine gratiæ specialis intelligatur auxilium gratiæ dispensatum à Deo ad actum nimis arduum, & in cuius elicientia experitur voluntas magnam difficultatem propter actualem urgentiam tentationis; vel quia saltim obiectivè includit talis actus victoriam plurium difficultatum; in hoc sensu non renuam concedere exigere gratiam specialem. Quemadmodum ob rationem insinuatam affirmat Illust. Godoy, & alij, actum charitatis non posse elici sine gratia speciali adhùc intra ordinem supernaturalem gratiæ. Undè alia specialitas gratiæ est, de qua agitur in præs. quæ meritò dicitur Antonomasticè gratia specialis; quemadmodum donum perseverantiæ in dicto sensu dicitur magnum donum Dei iuxta doctr. Trid. Dub. igitur procedit de perseverantia actuali in 3. sensu accepta pro ipsa continuatione boni ab instanti iustificationis usque ad finem vitæ. Et quamvis huiusmodi continuatio possit dici actus virtutis perseverantiæ; erit tamen actus exterior, sive ab illa imperative procedens.

5

Noto 3.

3. Notandum. Perseverantiam in dicto sensu posse accipi; vel *activè* pro auxilio Dei, & operatione faciente hominem perseverare; vel *passivè immediatè* pro ipsis actibus, quibus gratia conservatur; propter adimpletionem legis divinæ iuxta Trid. sess. 6.can.34. vel *passivè ultimatè, & in facto esse*, pro ipsa coniunctione passiva gratiæ cum morte. Et quamvis perseverantia 1. & 2. modo sumpta sit donum Dei; cum ab ipso gratiosè operanti proveniant nostræ operationes, & etiam auxilia, quibus Deus fa-

facit, ut nos honestè operemur (qua ratione iuxta Magn. Par. approbante Tridentino, tanta est benignitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt dona ipsius) attamen diverso modo denominatur homo perseverans à perseverantia activè accepta, ac à perseverantia passivè sumpta; illa enim denominatur homo perseverans causalitèr, & extrinsecè; formalitèr vero, & intrinsecè à perseverantia passivè sumpta. Prima enim unicè procedit à Deo liberè ipsam donanti. Secunda vero procedit etiam à creatura elicienti actus, quibus conservatur gratia, & ex consequenti aliquatenus influenti in ipsam coniunctionem gratiæ cum fine vitæ. Prima importat collectionem auxiliorum efficacium; quæ à Deo conferuntur pro adimpletione legis à primo instanti iustificationis usque ad ultimum vitæ. 2. vero importat collectionem talium actuum, & ex consequenti intrinsecam permanentiam gratiæ pro pluribus instantibus.

Sess. 6. c. 16.

De alia perseverantia infra dicemus.

§. 6 Denique notandum, quod cum vita æterna sit infallibiliter promissa à Deo perseverantibus usque in finem, & solum sic perseverantibus, ut constat ex illo Matth. 10. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: manifestè sequitur perseverantiam sic acceptam, esse effectum prædestinationis. Cumque prædestinatio iuxta omnes sit providentia specialissima intra ordinem gratiæ; planè infertur talem perseverantiam provenire ex providentia specialissima Dei; facta etiam comparatione ad providentiam, secundùm quam Deus homines iustificat. Sed ex hoc notabili apud omnes certò; videtur non manere locum quæstioni; vel saltim posse cum facilitate resolvi sequenti discursu: * *Id, quod est effectus proprius specialissimæ providentiæ Dei; Specialissimæ*, inquam, facta etiam comparatione ad providentiam, secundum quam Deus homines iustificat, requirit pro sui existentia auxilium speciale gratiæ Dei; sed sic se habet perseverantia usque ad finem vitæ: utpotè effectus prius, & convertibiliter se habens cum prædestinatione, ut ex dictis constat: ergò. * Nec hic discursus instari potest in substantia prædestinati, & auxilijs gratiæ, quæ dicuntur etiam effectus prædestinationis in electis; cum tamen omnia illa possint ex providentia generali procedere. Siquidem adest manifesta disparitas; cum bona recensita sint tantùm effectus imperati; perseverantia vero sit effectus elicitus prædestinationis, de quo alibi in proprio tract.

Noto ult.

Instatur contr. illud.

Ratione supra adducta utitur Magist. Ferre, ut probet perseverantiam esse donum speciale; eaque reipsa, etsi non verbis, utuntur PP. Salmanticens. ferè per totum dub. quia nimirùm ad perseveradum in bono necesse est gratiam infundi homini a Deo ex intentione efficaci prædestinativa ad vitam æternam; imò etiam asserunt, donum perseverantiæ in gratia habituali hoc modo accepta, consistere; cumque in collatione gratiæ cum hac intentione interveniat Dei specialis providentia: fit consequens donum perseverantiæ in omnibus tàm adultis, quàm parvulis, ex speciali providentia Dei provenire. Fateor hanc rationem non esse mihi efficacem ex toto (etsi de facto efficacitèr probet intentum) 1. Quia non invenitur in Div. Thoma locis, quibus expresè diffusè agit de auxilio speciali per se requisito ad perseverandum; cumque prædicta ratio sit de se pervia, nullatenus lateret mentem Angelici Præceptoris. 2. Quia quæstio non procedit per se primo de dono perseverantiæ sumpto pro coniunctione gratiæ cum morte in Adultis; sed pro auxilio requisito ad talem coniunctionem, ut constat ex terminis, sub quibus proponitur à Divo Thoma, & quibus utuntur Concil. dùm dicunt nos orare pro auxilio ad perseverandum. Auxilium autem, & adiutorium, quod Sancti implorare debent, ut in bono perseverent, non respicit solum ipsam gratiam habitualem coniunctam cum morte, sed aliquid ipsam præcedens, & causans.

7

Non placet dictū Aliq.

Arauf. c. 20 Trid. can. 22.

Propter hæc, & alia ab AA. excogitata in præſ. dub. eius reſolutio reddita eſt difficillima; cum tamen Angelicus Magiſter illam mira brevitate, & perſpicuitate tradiderit. Igitur illius veſtigijs inhærentes mentem eiuſdem circa præſentem difficultatem exponere conabimur.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Perſeverantia in formali coniunctione gratiæ cum morte conſiſtens, eſt donum ſpeciale, & ex providentia ſpeciali intra ordinem gratiæ, proveniens.

8 CONcluſio comprehendit perſeverantiam etiam parvulorum decedentium cum Baptiſmo, & ſimilitèr amentium toto tempore ſuæ vitæ, eſtque communis inter Theologos, & probatur ex Magn. Par. Aug. lib. de bono perſev. ferè per tot. & cap. 17. dicenti: *Videte, quàm ſit alienum à veritate, negare donum Dei eſſe perſeverantiam uſque in finem huius vitæ; cùm vitæ huic, quando voluerit, ipſe det finem: quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeverare uſque in finem. Sed mirabilior largitas bonitatis Dei eſt, quòd etiam parvulis datur hæc gratia.* Conſonat authoritat. Tridentin. ſeſsion. 6. cap. 13. ubi loquens de perſeverrantia appellat illam *magnum Dei donum, quod aliundè haberi non poteſt, niſi à Deo, quì poteſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeverantèr ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere.* Quæ verba ſpecialitatem doni intra ordinem gratiæ expreſsè denotant. Videatur Illuſtriſsim. Alvarez de auxilijs diſput. 103. & Illuſtriſ. Godoy hic diſp. 47. Plura alia teſtim. SS. PP. adducens.

Prob. ex M.P.

Ex Trid.

1. Ratio eſt. Perſeverantia 9 ſumpta pro coniunctione gratiæ cum morte, eſt donum Dei, ita proprium prædeſtinatis, ut nulli alteri convenire poſsit; ſed quod ita eſt effectus proprius prædeſtinationis, eſt ſpeciale donum, & beneficium Dei; cum prædeſtinatio ſit providentia ſpecialiſsima ordinis ſupernaturalis, utpotè includens ſpecialem amorem amicabilem ex parte Dei: ergò. Mai. conſtat ex Magn. Par. Auguſt. pluribus in locis; præſertim de dono perſeverantiæ cap. 8. ubi inquit: *Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perſeverantia uſquè in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſsimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum verò non: Nàm ſi fuiſſent ex nobis*, ait, *unus prædeſtinatorum*, Ioann. 1. cap. 2. *manſiſſent utique nobiſcum. Non erant ex eis, quia non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi. Non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui univerſa operatur: Nàm ſi ex illis eſſent, & cum illis ſine dubio manſiſſent.* Eandem expoſitionem tradit Div. Thom. ad locum citatum dicens: *Sed non erant ex nobis prædeſtinatione, & electione: Nàm ſi hoc modo fuiſſent, permanſiſſent utique nobiſcum, id eſt, finalitèr manſiſſent in conſortio fidei, vel fidelium.*

Hoc probat ratio M. Ferre §. antec. adducta.

Prob. 1.

2. Ratio eſt. Id, quod ita eſt 10 donum Dei, ut non ſit in libera poteſtate hominis etiam iuſti, eſt ſpeciale donum Dei; ſed huiuſmodi eſt coniunctio gratię habitualis cum morte: ergò donum perſeverantiæ in prædicta coniunctione conſiſtens &c. Min. conſtat ex illis verbis Aug. ſupra relatis: *Videte quam ſit alienum &c. cum vitæ huic, quando voluerit ipſe Deus, det finem.* Sed, quod ita dependet à Dei voluntate, ut ponatur in re, quando, & quomodo ipſe voluerit &c. non eſt in libera poteſtate hominis iuſti: ergò. Deindè: quod homini exiſtenti in gratia eveniat mors, non eſt in eius poteſtate, ſed Dei, qui eſt Dominus vitæ, & mortis. Sed eventus mortis pro caſu gratiæ eſt gratiam coniungi cum morte: ergò coniunctio &c. 11

Reſpond. quædam, impugn.

Si dicas; quod licet non ſit in poteſtate hominis iuſti eventus mortis; poteſt tamen hic provenire ex cau-

causis naturalibus; cumque iustificatio ex generali providentia supernaturali provenire valeat, coniunctum gratiæ, & mortis non requirit per se
Impugn. providentiam specialem. Contra est: Nàm licet mors secundùm se proveniat à causis naturalibus; ut tamen coniuncta cum gratia, solum à Deo, qui est Dominus vitæ, & mortis, provenire valet propter dependentiam à prædestinatione. Stat enim duo extrema secundùm se sumpta non exigere specialem providentiam Dei, & tamē coniunctionem utriusque illam exigere; sive, quod existat unum extremum in consortio alterius. Hac ratione, etsi ex providentia generali proveniat hominem gravitèr tentari, similitèrque virtuosè operari; secùs tamen coniungere virtuosam operationem cum gravi tentatione. Sicut igitur hæc coniunctio propter magnam difficultatem, provenit ex gratia speciali; ita coniunctio mortis cum gratia ratione infallibilis connexionis, quam habet cum gloria: iuxta illud Matth. 10. *Qui autem perseveraverit &c.* requirit specialem Dei gratiam, & providentiam specialissimam.

§. III.

Solvuntur aliqua argumenta.

12 OBijcies 1. Beneficium debitum gratiæ habituali non est donum speciale respectu hominis iustificati; sed huiusmodi est gratiam coniungi cum morte: ergò licet talis coniunctio respectivè ad naturam hominis sit gratia specialis &c.
Arg. 1.
1. Probatio min. Min. prob. 1. Formæ secundùm se, & ex propria ratione inamissibili, debetur conservatio, & perseverantia; licet non debeatur ratione subiecti. Sed gratia, & charitas sunt formæ inamissibiles secundùm se, & ex propria ratione, & solum amissibiles
Secunda. ratione subiecti, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 24. a. 11. ergo. 2. Quia gratia ex se ordinatur ad operationem, debetur ipsi auxilium supernaturale ad operandum aliquando: ergò quia est de se forma inamissibilis, debetur ei concursus, ut non deficiat, sed per-
Tertia. severet in aliquibus subiectis. 3. Gratiæ habituali debetur gloria; cum constituat homines filios Dei, & hæredes Regni gloriæ; proindèque tribuit illis ius ad gloriam per modum hæreditatis: ergò etiam debetur ipsi perseverantia usque in finem. Prob. conseq. Nàm cui debetur finis, debetur etiam medium necessarium ad eius assequutionem; sed perseverantia est medium necessarium ad consequutionem gloriæ: ergò. 4. De ratione veræ
Quarta. amicitiæ est firmitas, & permanentia; sed gratia est amicitia hominis cum Deo: ergò ei debetur firmitas, & permanentia. Sed non firmitas, & permanentia cum exclusione sui, usque ad instans mortis: ergò etiam debetur
Ultima. ipsi pro casu mortis. Denique. Nàm dicere gratię habituali non deberi pro casu, quo homo post iustificationē duret per spacium unius diei v.g. eandem durationem, videtur prorsùs voluntarium, & valdè deprimens dignitatem gratiæ; quæ quidem pensanda est secundùm sibi intrinseca, & independentèr ab eventu mortis.

Resp. Argumentum solum pro- 13
bare gratiæ habituali deberi permanentiam in essendo pro aliquo tempore indefinitè sumpto; quod libentèr
Respond. fatemur, & efficacissimè suadetur ex ipsa providentia generali, secundùm quam Deus homines etiam reprobos iustificat; quibus non fit beneficium strictè speciale, conferendo ipsis auxilia efficacia ad apimplenda pro aliquo tempore Dei mandata; & ex consequenti, quod gratia perseveret in ipsis pro aliqua duratione. Quod vero gratia coniungatur cum morte, per quam homo redditur extra statum viæ, & manet cum iure infallibili, ut Deus nunquam ei permittat peccatum, sed accipiat coronam gloriæ, à qua redditur omninò impeccabilis; in hoc, inquam, apparet specialissimus favor, & dilectio Dei tot dona sic morienti præparantis. Unde in tali coniunctione nō est consideranda mors, ut ita dicam, *Galenicè*, aut *Physicè*, *Philosophicè*, sed *Theologicè*, & moraliter, quatenùs se habet, ut terminus huius viæ, & secundùm quam, si homo benè operatus fuerit, recipiet mercedem vitæ æternæ; si verò male, ignem æternum.

Ad 1. prob. constat ex dictis. Nàm
14 licet debeatur gratiæ perseverantia aliqua, sumpta pro permanentia in essendo pro aliquo tempore; non tamen permanentia, de qua in præsenti, scilicèt, pro coniunctione cum morte. Unde claritatis gratia dist. mai. Formę inamissibili, & inamissibiliter informanti, conc. mai. Amissibiliter informanti, subdist. Debetur aliqua perseverantia, conc. Perseverantia usque ad finem vitæ subiecti, quod informat, neg. mai. & cum eadem minor. dist. neg. conseq. Providentia enim Dei, & attendit naturas rerum, & modum proprium earum; qua ratione dicitur unicuique providere iuxta modum suum. Si igitur modus, secundùm quem gratia informat subiectum in statu viæ, est amissibilis propter vertibilitatem subiecti de bono in malum; absdubiò excedit suavitatem providentiæ general. iustific. conservare gratiæ sine illa interruptione; eamque collocare in statu, in quo amplius nequeat amitti, uti est status mortis. Ad 2. retorqueo probation. Etsi virtuti de se ordinatæ ad operandum debeatur auxilium, ut aliquotiès reducatur ad actum; non tamen debetur auxilium ad diù operandum; multòque minùs auxilium, ut reducatur ad actum, post quem nequeat per actum contrarium amitti: ergò licet formæ de se inamissibili debeatur concursus, ut perseveret in essendo indefinitè; non tamen debetur concursus, ut ponatur in statu, in quo, nec ratione sui, nec ratione subiecti, possit amitti; sed talis est coniunctio
15 gratiæ cum morte: ergò.

Ad 1. minoris probationē.

Ad 2.

Ad 3. Resp. Gratiæ deberi gloriam non absolutè, sed sub conditione perseverantiæ usque ad mortem; hæc autem perseverantia non debetur, dùm existit in subiecto facile vertibili de bono in malum. Sicut enim homini ratione gratiæ debetur gloria per modum hæreditatis, ita ratione meritorum debetur ipsi gloria, & eius augmentum per modum coronæ; & tamen iuxta Tridentinum session. 6. canon. 32. *Homo bonis operibus, quæ ab ipso per Dei gratiam, & Iesu-Christi meritum fiunt, solum meretur assequutionem gloriæ, si in gratia decesserit*: ergo idem dicendum de debito gloriæ per modum hæreditat. Ratio est: Nàm alia est consideratio gratiæ habitualis in statu viæ, & Patriæ; licet enim in utroque statu trahat hominem ad participationem formalem naturæ divinæ; at vero in statu viæ; utpotè non habens plenam perfectionem; trahitur ipsa quòad, esse ad conditionem mutabilitatis subiecti: in Patria vero propter eius consummationem, trahit subiectum, ut æternè spiritualiter vivat. Ad 4. Resp. Amicitiæ in subiecto facilè mobili de bono in malum, & de amico in inimicum, deberi solum permanentiam pro aliquo tempore, non tamen permanentiam continuatam usque in finem. Ad ult. Resp. neg. assumpt. Non enim deprimit dignitatem gratiæ, quod in sui duratione dependeat ab aliquo, in quo iuxta providentiam Dei inflexibiliter connectitur cum gloria; cumque huiusmodi sit eventus mortis ex suppositione, quod gratia existat; ideò non derogat dignitati gratiæ, quod pro coniunctione cum fine vitæ hominis, dependeat ex speciali providentia prædestinativa Dei.

Ad 4. & ultim.

16 Obijc. 2. & replicabis contra dicta. Coniunctio gratiæ habitualis cum morte non pertinet per se ad providentiam specialem Dei prędestinantis: ergò ex hac ratione non probatur illam esse donum speciale Dei. Añs. prob. 1. Coniunctio gratiæ cum morte est complexū partim naturale, partim supernaturale; sed si per se proveniret ex providentia speciali prædestinativa Dei, esset adæquatè supernaturale; tùm quia exigeret per se causam supernaturalem; tùm quia prædestinatio, ut ex eius definitione constat, est præparatio gratiæ supernaturalis: ergò. 2. Potest Deus decernere non conferre gloriam homini decedenti in gratia; cum perseverantia non connectatur essentialiter cum gloria: ergò cōiunctio gratiæ cum morte non petit per se &c. 3. Id, cuius oppositum esset miraculum, est debitum attenta providentia generali Dei; sed quòd in omnibus adultis iustificatis, & similiter in om-

Arg. 1.

Prob. 1. anteced.

Secundò.

omnibus parvulis baptizatis decedentibus ante usum rationis, gratia non coniungeretur cum morte, esset miraculum: ergò ex vi providentiæ generalis potest dari coniunctio gratiæ cum morte.

17 Resp. neg. anteced. Ad eius 1. prob. Resp. Illam etiam probare, prædictam coniunctionem non spectare ad providentiam generalem supernaturalem, secundùm quam Deus iustificat impium. Deindè complexum ex humanitate, & Deitate in Persona Christi unitis, est partim naturale, partim supernaturale per essentiam, & tamen illud ortum duxit ex providentia specialissima in supremo gradu. Quare distinguere oportet inter effectus per se spectantes ad providentiam supernaturalem, qualis est prædestinatio. Alij enim sunt simpliciter, & incomplexi, v. g. vocatio efficax ad ultimum actum adimpletivum præcepti. Consummatio gratiæ &c. & isti dicuntur, & sunt entitativè supernaturales. Alij sunt complexi, & in coniunctione duorum ad vitam æternam efficacitèr conducenti consistentes; uti est perseverantia in homine; & ut isti per se pendeant à providentia specialis ordinis gratiæ, sufficit coniunctionem esse supernaturalem.

Ad 1. antec. prob.

18 Ad 2. Resp. concesso antecedenti respectivè ad aliam providentiam possibilem, neg. conseq. Nàm ad rationem effectus per se talis sufficit ex natura rei dependere à causa illum producenti. Aliter enim nulla causa efficiens creata per se influeret in proprios effectus; cum isti possint absolutè à solo Deo produci. Deinde; ut perseverantia sit donum speciale intra ordinem gratiæ, sufficit illam de facto non donari, nisi unicè ex imperio prædestinationis, & solis prædestinatis; cum hoc ipso pendeat à providentia specialissima. Quod vero de facto sic contingat, constat ex M.P. ubi supra asserente: *Quòd si aliquis perseverat usque in finem, absdubiò est de numero prædestinatorum.* Et iterùm: *Quòd si aliquis est prædestinatus, infallibilitèr perseverabit usque in finem.* Ad ultimum nego maiorem; quemadmodum non foret miraculum, quòd attenta sola providentia generali nullus reipsa salvaretur. Pro quo videant. Thom. tractat. de prædestinatione, tuentes sine illa nullum posse salvari.

Ad 2.

Ad ult.

Si autem inquiras: *An casu, quo Deus decerneret non dare gloriam decedentibus in gratia; perseverantia foret gratia specialis?* Resp. affirmative: Nàm in Adultis præcederet observatio continuata mandatorum, ad quam requiritur gratia specialis. Rursùs: quia estò sic perseverantes non consequerentur gloriam; essent tamen immobiles in bono; cum iuxta doctrinam Sanct. Doct. *Anima post mortem corporis sit inflexibilis*; quare ad minùs ex intentione talis immobilitatis in bono procederet coniunctio gratiæ cum morte. Deindè: quia cum gratia, & habitus supernaturales ipsam committantes, non forent tùnc otiosi, credendum est Deum fore continuò ab ipsis diligendum, & contemplandum; in quibus omnibus splendet providentia aliqua specialis supra illam, qua iustificat homines in via. Si iterùm inquiras, quid dicendum, si admittatur electionem ad merita, & perseverantiã fuisse ante electionem ad gloriam? Resp. 1. Oppositum expressè doceri à Mag. Par. & D. Thom. unde nihil de tali falsitate curandũ. 2. dicend. Etiam tùnc perseverantiam esse gratiã specialem, quia per illam voluntas redditur immobilis in bono; quod superat exigentiam gratiæ in natura mutabili, de quo S. D. 3. cont. Gent. cap. 155.

19 Cuidam quæsito Resp.

Q. 24. de Verit. art. 11.

Alteri fit satis.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Donum finalis perseverantiæ, ita est speciale beneficium Dei, ut non sit in potestate hominis iusti; estò sit in potestate illius non ponere obicem conservationi gratiæ.

20 CUm non sit in potestate parvulorum decedentium in gratia coniunctio gratiæ cum morte, in qua dixi consistere donum formalis perseverantiæ commune omnib. prædestinatis. Cõclusio solum procedit de perseverantia adultorum; quæ eo fine proponitur, ut meliùs dignoscatur ratio

Prob. ex S. D.

tio proprijssima doni perseverantiæ in Adultis,& doctrina S.D. pro præsenti assumpto clare percipiatur, & ab aliquibus obiectionibus liberetur. Div. Thom. quæst. 24. de Verit. art. 13. sic habet: *Respondeo dicendum, quòd aliud est dicere, posse abstinere à peccato, & posse perseverare usque ad finem vitæ abstinendo à peccato. Cùm enim dicitur, aliquis posse abstinere à peccato, potentia fertur super aliquid negativum, scilicèt, non peccare. Sed cùm dicitur, iste potest perseverare &c. potentia fertur ad aliquid affirmativum, ut scilicèt, aliquis ponat se in tali statu, quod peccatum in eo esse non possit.* Ubi Ang. Mag. ponit discrimen inter hæc duo, scilicèt, *posse non peccare, & posse perseverare usque in finem in non peccando.* Ex qua doctrina liquet contrapositionem duarum partium conclusionis haberi expressè in illo. Prosequitur Ang. Mag. ad examinandum, quidnam ex his sit in potestate liberi arbitrij? Et affirmat de primo sequentia: *Et hoc potest quilibet in gratia existens, loquendo de peccato mortali.* De secundo sic habet: *Hoc autem non cadit sub potestate liberi arbitrij, & ideò homo causa perseverantiæ sibi esse non potest, sed necesse habet perseverantiam à Deo petere.* Ubi distinctis terminis utraque pars conclusionis continetur. Et ad 3. *Perseverantia pròut est circunstantia quædam virtutis designans permanentiam usque in finem, non est in potestate habentis gratiam.*

Convincitur.

21 PP. Salm. hic num. 236. asserunt esse suppositionem communem apud omnes Catholicos: *Iustum per auxilia, vel recepta, vel oblata à Deo, habere potest item ad perseverandum usque in finem.* Quam suppositionem probant aliquibus testim. Concil. & D. Thom. de quibus infra. Objciunt contra se num. sequenti testim. Ang. Mag. supra adductum; pro cuius solutione plura dicunt, etsi non satis pervia, ut eius doctrinæ non adversentur. Primo S. Doct. in primis verbis huius dicti: *Aliud est posse non peccare; aliud posse perseverare usque in finem in abstinentia à peccato.* Loqui de posse abstinere à peccato divisim, & pròut singula præcepta occurrunt; at vero in secundis verbis, loqui de posse non peccare vitando omnia peccata collectivè, & sine restrictione ad determinatum tempus; sed potiùs cum extensione usque ad mortem, quovis tempore eveniat. Quia ergò iustus ex vi gratiæ sanctificantis habet potestatem ad vitanda diutiùs omnia peccata; ad servandum tamen collectivè omnia mandata usque in finem, indiget ulteriori auxilio gratiæ specialis; ideò concedit S. Doct. *Quòd existens in gratia potest non peccare; secus tamen, quòd possit perseverare usque in finem.* Undè claritatis gratia ad mentem horum PP. dicendum, sensum Div. Thom. esse sequentem: *Homo iustus sine speciali auxilio potest abstinere à peccato divisivè: sed quia sine hoc speciali auxilio nequit omnia, aut diutiùs vitare; ideò perseverantia non est in potestate hominis iusti.*

Resp. PP. Salm.

22 Sed antequàm ad alia transeamus; hæc expositio videtur voluntaria. 1. Quia nullum Textum D. Thom. afferunt, ut probent Sanct. Doct. in illis verbis: *Posse abstinere à peccato*, loqui de vitatione peccatorum divisivè, & per aliquod tempus; in illis autem: *Perserverare usque in finem in abstinentia peccati*, loqui de vitatione omnium collective, & sine restrictione ad aliquod tempus. 2. Eò asserit Div. Thom. inter duo relata adesse discrimen; quia in 1. *potentia fertur super aliquid negativum, scilicèt, non peccare.* In 2. verò *potentia fertur super quid affirmativum; scilicèt, se constituere in statu, in quo peccatum esse non possit.* Sed vitatio peccatorum divisivè, & vitatio eorundem collectivè etiam usque ad tempus mortis, non differunt penès negativum, & affirmativum; siquidem, qui vitat singula peccata, adimplendo præcepta affirmativa, pròut occurrunt, ponit aliquid affirmativum; si vero talia præcepta sint negativa, sufficienter adimplentur per aliquid negativum: Quod idem accidit vitando omnia peccata collectivè: ergò.

Impug. 1

Secundo.

Ly negativum iuxta S.D. est non peccar. Quid ergò?

23 3. Impugnatur talis expositio, probando in illis verbis: *homo in gratia constitutus potest non peccare*, loqui S. D. de carentia peccati per longum tem-

Tertio.

tempus, & etiam collectivè. Est enim expressum in D. Thom. tùm 1. 2. q. 109. ar. 8. tùm q. 24. de Ver. a. 12. in qua testimonium ar. 13. adductum invenitur: hominem etiam existentem in peccato posse singula peccata divisivè sumpta, & etiam per aliquod tempus vitare. Qua ratione salvat imputari ad culpam fractionem legis requirentis necessariò gratiam habitualem, ut collectivè observandæ: ergò cum D. Thom. asserat hominem iam in gratia constitutum posse non peccare, loquitur de potentia ad non peccandum, non solùm divisivè, & pro aliquo tempore; sed etiam collectivè, & longo tempore. Ulterius. Nàm dùm sermo fit de homine iustificato in ordine ad vitanda peccata, non debet accipi gratia iustificationis seclusis auxilijs ei debitis, vel oblatis à Deo ex generali providentia, sed simul cum eis. Cum enim gratia sit natura ordinis supernaturalis, reddensque hominem simpliciter perfectum, & rectificatum in ordine ad Deum, ut possit, & supernaturaliter operari, & vitam æternam promereri; ex consequenti debentur ipsi gratiæ plura auxilia ad hoc, ut in tali dignitate, & elevatione; homo possit se ipsum conservare. Ergò illa verba: *Homo in gratia constitutus potest non peccare*, voluntariè restringuntur ad vitationem peccati divisivè, & pro aliquo tempore.

24 Secundum discrimen ab his AA. statutum inter posse non peccare, & perseverare sine peccato usque in finem: ex quibus primum est in potestate liberi arbitrij, non vero secundum: Quia, videlicèt, ad primum non indiget homo speciali auxilio, benè vero ad secundum. Reijcitur 1. ex dictis; siquidem, ut dubio 11. probatum relinqui hominem etiam iustificatum indigere speciali auxilio efficaci donanti observationem totius legis collectivè, & per longum tempus; eo quod, licet per gratiam homo sanetur quantum ad mentem, remaneat tamen infectio, & corruptio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati; ideòque indiget operatione Spiritus Sancti ipsum moventi, & protegenti; verba sunt Div. Thomæ hac 1. 2. q. 109. a. 9. & 10. & tamen propter hoc nequit dici; hominem iustificatum non habere in sua potestate convenienti ei ratione gratiæ, vitare omne peccatum: ergò quod homo indigeat speciali auxilio efficaci, ut perseveret in bono usque ad finem vitæ, non est sufficiens ratio, ut verificetur illa propositio D. Thomæ, scilicèt: *Huiusmodi perseverantiam non esse sub potestate liberi arbitrij.*

Aliud discrim. ab eis traditum reijcitur.

25 Si dicas cum eisdem D. Thomam non negare perseverantiam esse sub potestate antecedenti hominis iustificati, sed sub potestate consequenti. Cumque talis potestas consequens habeatur ex vi auxilij specialis; ideò subsistit discrimen inter abstinere à peccato, & perseverare usque in finem in carentia peccati. Contra est 1. Quia etiam ad rectè diù operandum homo, estò iustificatus, indiget speciali auxilio ipsum dirigente, & protegente contra tentationum impulsus; & tamen propter huiusmodi indigentiam dici non potest * non esse sub potestate liberi arbitrij iustificati, rectè vivere, vel nunquam peccare. * 2. Probatur Div. Thom. non loqui de potestate consequenti præcisè. Sic enim habet * dū dicitur: iste homo potest perseverare in abstinentia à peccato usque ad finem vitæ, potentia fertur super aliquid affirmativum, scilicèt, ut aliquis ponat se in statu, in quo non possit peccare. E contra vero; dùm dicitur, iste homo potest non peccare, potentia fertur super aliquid negativum. * Sed in his secundis verbis loquitur de potentia antecedenti: ergò in primis verbis loquitur etiam de simili potentia. Urgeo. Homo iustificatus non habet potentiam consequentem, nec antecedentem ad terminum in illa non contentum; cum potentia antecedens dicatur respectu termini antecedentèr possibilis; sed hominem se ponere in statu, in quo non potest peccare, non continetur intra virtutem ipsius, etiam ut iustificati; hoc enim est idem, ac facere se impeccabilem, * quod unicè potest præstari à Deo: ergò nec sub potestate consequenti, nec sub antecedenti hominis, cadit illud affirmativum,

Quædam Resp. reijcitur 1.

Secundo.

Urgetur.

* Iuxta S. D. supra.

de quo loquitur Sanct. Doct. Hinc evanescit motivum PP. Salmant. ut probent D. Thomam loqui de potestate consequenti ad perseverandum: *Eo quod* (inquiunt) *D. Thomas non dixit, ut possit se ponere in statu, in quo non possit peccare; sed ut ponat se. Quod pertinet ad potentiam consequentem.* Evanescit inquam: Nàm ly *ponat se* describitur à D. Thoma ut terminus affirmativus, supra quem fertur potentia. Unde potiùs infertur ex prædictis verbis D. Thomam loqui de potentia antecedenti. Quemadmodùm, si quis de aliquo affirmante: *se posse diligere Deum* (in qua propositi. ly *potest* appellat supra dilectionem egredientem à volunt.) malè inferret dicens: in illa fieri sermonē de potentia consequenti, & non de antecedenti: eo quod non dicitur, quòd ly *potest* fertur supra posse ponere dilectionem.

§. V.

In quo probatur rationibus deductis ex Author. 1. pars conclusionis.

26 PRima ratio fundatur in doctrina D. Thom. Tùm loco cit. Tum hic 1. 2. q: 114. a. 9. & clariùs 3. cont. Gent. cap. 155. ubi Sanct. Doct. asserit perseverantiam usque in finem non solum dicere non peccare coniunctum cum fine vitæ, sed etiam quandam impotentiam peccandi, sive immobilitatem in bono. Ex quibus sic arg. Esto sub potestate liberi arbitrij hominis iustificati sint actus, quibus homo vitat omne peccatum usque ad finem vitæ; secùs tamen impotentia aliqua ad non peccandum; sed donum perseverantiæ dicit non solum primum, sed etiam secundū iuxta dicta à S. D: ergò donum perseverantiæ non cadit sub potestate liberi arbitrij, etiam in homine iustificato. Mai. in qua est difficultas, prob. A natura mutabili de bono in malum nequit provenire positiva immobilitas in bono; sed talis est natura hominis iustificati: ergò. Urgetur. Etsi Deus prædeterminet voluntatem hominis iustificati, ut observet præceptum in instanti *A*, & similiter prædeterminet ipsum, ut servet præceptum in instanti *B*, & sic de singulis usque ad finem vitæ; ab his auxilijs non confertur voluntati, ut se faciat immobilem in bono, sed ut non moveatur de bono in malum. Huius ratio est; quia prædeterminatio solum reducit ad actum id, quod in eius potestate continetur: ergò cum perseverantia non solum dicat continuationem in bono, quæ fieri potest per iterationem actuum virtutis, sed etiam quandam immobilitatē, & impotentiam ad peccandum, planè infertur eam non contineri sub libero arbitrio, etiam ut prædeterminato à Deo: proindèque talem immobilitatem provenire unicè ex ipsis auxilijs, ut collatis ex intentione efficaci glorificandi hominem; aut coniunct. mortis cum gratia. Cumque illa dari ex hac intentione, non sit in potestate hominis; nec ipsum donum perseverantiæ est in eius potestate.

Prob. ex S. D.

Urgetur.

27 Confirm. ex Div. Thom. 2. 2. quæst. 137. art. 4. ubi loquens de perseverantia, proùt dicit continuationem in bono usque ad finem, sic habet: *Cum liberum arbitrium sit de se vertibile, non subest potestati illius etiam reparati per gratiam, ut se immobilitet in bono, licet sit in potestate eius, quod hoc eligat.* Ubi duo tradit Sanct. Doct. scilicet, perseverantiæ donum dicere immobilitatem in bono; & rursùs: hanc non cadere sub potestate arbitrij etiam grati; quia gratia non aufert ab illo mutabilitatem de bono in malum. Ex qua doctrina reijcitur solutio asserens talem perseverantiam posse cadere sub potestate arbitrij adiuti auxilio efficaci simul cum gratia habituali; licet non cum sola gratia. Reijcitur, inquam: Nàm eo probat S. D. persever. non cadere sub potestate arbitrij etiam per gratiam reparati, quia hæc non aufert vertibilitatem de bono in malum. Sed hoc ipsum verificatur de auxilio efficaci, ad quemcumque actum: Nàm etsi infallibiliter determinet ad bonum pro illo instanti, non tamen pro alijs: ergò sentit non cadere sub arbitrij potestate, etsi adiuti gratia efficaci.

Confir. 1.

Quædam solut reij citur.

28 2. Estò homo iustus egeat auxilio speciali ad perseverandum, non

Confir 2.

non propter hoc dici valet perseverantiam non esse sub eius potestate; tùm quia etiam ad diù observandum totam legem indiget gratia speciali; & similiter ad vincendas plures graves tentationes; quin propter hoc dicatur, aut inveniatur dictum à Div. Thom. illarum victoriam non esse sub potestate arbitrij, etiam per gratiam reparati. Ratio est: Nàm vere est sub potestate arbitrij, id cuius omissio imputatur ad culpam; sed stat aliquid requirere gratiam specialem ad sui existentiam, & eius omissionem imputari ad culpam: ergò. Si fortè dicatur D. Thom. solùm negare perseverantiam existere sub potestate arbitrij, potestate, inquam, consequenti. Contra est 1. Nàm si est sub potestate antecedenti; talis locutio esset falsa; sicuti esset falsum, salutem æternam non esse sub potestate hominis iusti non prædestinati. 2. Nàm in eo sensu negat executionem perseverantiæ esse in potestate iusti, quo concedit esse electionem actuum conducentium ad perseverandum; sed isti sunt in potestate antecedenti ex vi gratiæ sanctificantis; Nàm ad posse consequenter, etiam requiritur auxilium efficax: ergò.

Si dicas.

Contra est 1.

29 Ut solidius efficacia rationis antec: appareat; supponimus cum D. Thom. locis citatis perseverantiam, de qua in præsenti, dicere immobilitatem liberi arbitrij in bono; sic 3.contr.gent. cap. 155. *Hoc autem requiritur ad perseverantiam, ut scilicet voluntas in bono immobiliter permaneat.* Nota ly *immobiliter* supra *permaneat*: quod denotat, quandam infallibilitatem, & impotentiam saltim consequentem ad peccandum. Hanc doctrinam sumpsit Ang. Doct. ex M. P. lib. de correct.& gratia cap. 12. ubi loquens de dono perseverantiæ, ut homines perseverent usque in finem, sic habet: *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; ut quamvis infirma non deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur, & paulo post: fortissimo (scilicet Adamo) dimisit, atque permisit facere, quod vellet: infirmis autem servavit, ut ipso donante, quod bonum est, invictissimè vellent, & hoc donum deserere invictissimè nollent.* Ex quibus constat donum perseverantiæ non dicere præcisè continuationem in bono; sed immobilitatem, & insuperabilitatem ad huiusmodi continuationem. Undè sicuti prædestinatio non solum facit, ut homines salventur; sed etiam ponit quamdam certitudinem, ac infallibilitatem ad consequutionē salutis, ut ex eius definitione constat; ita donum perseverantiæ actualis ex prædestinatione per se procedens, ponit immobilitatem, & certitudinem ordinis, ut homo perseveret usque in finem in abstinentia à peccato. Consequenter ad hæc M. P. cap 6. de don. persever. asserit perseverantiam usque in finem non posse ab aliquo amitti: *quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam, quod posset amitti?*

Aliter formatur ratio M. P.

Hoc est de adiutorioquo

Duplex certitudo 1. præscient: 2. ordin: & caussic q. 6. de ver. ar. 3.

Ex hac doctrina illustrata à PP. Salm. sic formo rationem à priori. Donum perseverantiæ in actu 2. dicit necessariò immobilitatem in continuatione boni ab instanti ultimæ iustificationis usque ad mortem; sed huiusmodi immobilitas non cadit sub potestate liberi arbitrij hominis, etiam reparati per gratiam: ergò perseverantia actualis quòad effectum affirmativum &c. Mai. constat ex dictis, & min. prob. 1. Non cadit sub potestate liberi arbitrij mutabilis, & vertibilis de bono in malum, immobilitas, ut permaneat in bono: cum immobilitas non contineatur in mutabilitate. Sed liberum hominis arbitrium, etiam si sit reparatum per gratiam, manet vertibile, & mutabile de bono in malum: ergò. 2. Talis immobilitas ad permanendum in bono, vel proveniret à libero arbitrio reparato per gratiam, ut se exercenti per hunc, vel illum actum in particulari; vel proveniret ab omnibus actibus elicitis usque ad finem vitæ, ut simùl sumptis? Neutrum potest dici: ergò prædicta immobilitas in bono &c. Min. Quòad 1. part. prob. Tùm quia nullus actus semper durat: proindèque ab illo nequit provenire permanere immobiliter in bono. Tùm quia post quemliber actum perfectissimum elicitum à iusto, potest Deus permittere peccatum, & multotiès permittit: ergò

30

Proponitur in forma.

gò nullus actus liberi arbitij reddit hominem immobilem in continuatione boni. Quòad 2. sic prob. Actus liberi arbitrij eliciti ab homine iusto, usque ad finem vitæ non sunt simul, sed invicem sibi succedentes : ergò ab eis, ut simul sumptis, nequit talis immobilitas provenire.

31 Confirm. Id cadit sub potestate liberi arbitrij hominis, quod voluntas eius volendo facere potest ; atqui voluntas hominis reparati per gratiam nequit volendo facere, ut id quod vult ut bonum, immobiliter velit: ergò sub potestate hominis non cadit immobiliter permanere in bono; proindeque nec perseverantia usque in finem quòad effectum positivum. Maior constat, & minor efficac. suadetur. Nequit voluntas facere, ut se immobiliter in bono pro alijs instantibus media volitione, quæ ex specie est vertibilis in malum, & aliundè non connectitur cum eo, quod pro instantibus sequentibus voluntas prorumpat in actus tendentes in bonum ; sed quælibet volitio creata honesta, & elicita ab homine reparato per gratiam, est huiusmodi: ergò &c. Ratio, & confirmatio fere de verbo ad verbum habentur apud D. Thom. loco citato ex contra gent. num. 3. & 4. Et quamvis ibi probet contra Pelagium necessitatem auxilij gratiæ ad perseverandum in bono ; eius tamen rationes probant similiter de homine reparato per gratiam : cum adhùc maneat eius liberum arbitrium vertibile de bono in malum, & immobilitas in bono nequeat provenire ab actibus hominis iustificati, nec divisive, nec simul sumptis, ut ex probat. adducta constat.

32 1. Dices rationem solùm probare de voluntate hominis iusti destituta auxilijs efficacibus, à quibus immobiliter, & indeclinabiliter determinatur ; ut permaneat in bono: secùs tamè de illa, ut prædictis auxilijs munita. Contra est 1. Voluntas ratione auxilij efficacis, licèt determine tur indeclinabiliter in bonum pro instanti existentiæ talis auxilij, non tamen determinatur, ut permaneat immobiliter in continuatione boni pro alijs instantibus, & usque ad finem vitæ ; atqui donum perseverantiæ finalis dicit huiusmodi immobilitatem ad permanendum in bono ; ut vidimus suprà ex D. Thom. & insuper: quia de habenti donum perseverantiæ verificatur *infallibiliter illū nunquā peccaturum* : ergo donum perseverantiæ non cadit sub potestate liberi arbitrij, etiam cum auxilio efficaci ad permanendum in bono. 2. Voluntas ratione auxilij efficacis determinatur infallibiliter, ut velit bonum; sed tamē, ut velit iuxta modum proprium ipsius voluntatis ; ut sæpè docet D. Thom. asserens *Deum omnia movere iuxta modum proprium uniuscumque rei.* Sed quod voluntas humana, etiam reparata per gratiam, se habeat immobiliter in bono electo in posterum, & pro alijs instantibus, non est conforme modo verstibilitatis ipsius: ergò.

Prima solutio. Reijcitur 1.

Confirm.

Secundò.

33 Explicatur hoc. Etsi Deus prædeterminet voluntatem hominis iusti, ut observet præceptum in instanti A. & similiter prædeterminet ipsam, ut observet præceptum pro instanti *B*, & sic de singulis usque in finem vitæ ; ex hoc solum infertur per huiusmodi auxilia voluntatem non moveri de bono in malum ; secùs tamen esse immobilem de bono in malum. Ratio est : quia prædeterminato solùm reducit de actu 1. ad actum 2. id, quod in potestate voluntatis pro priori continetur : ergò cum in voluntate mutabili de bono in malum pro diversis instantibus, non contineatur immobilitas in bono pro eisdem ; clarè infertur à voluntate etiam munita auxilijs prædeterminantibus, non provenire immobilitatem in bono : sed unicè ab ipsis auxilijs, ut dispensatis à Deo ex intentione efficaci salvandi hominem, cui præbet donum perseverantiæ; aut ex decreto efficaci dandi ei tale donum.

Explicat.

34 Dices 2. Talem immobilitatem provenire à libertate hominis iustificati, ut præventa collectione omnium auxiliorum efficacium usque ad finem vitæ : cum de prædicta voluntate verificetur esse immobilem in bono. Contra est 1. quia hoc est impugnare rationem D. Tho. ubi supra probantis immobilitatem in bono non posse provenire ab omnibus motibus li-

Secunda impugn. 1.

liberi arbitrij simul sumptis; quia videlicet prædicti motus non sunt simul, sed sibi invicem succedunt. Siquidem doctrina huius solutionis potest facile applicari prædictis motibus honestis.

Secundo. 2. & detegitur æquivocatio, quæ in hoc puncto evenire potest. Licet enim continuatio per aliquod tempus, utpotè ens successivum, coalescat ex omnibus actibus virtutum successive se habentibus; nec ante ultimum actum verificetur existere adæquatè prædictam continuationem; attamen immobilitas, & certitudo ordinis ad talē continuationem nequit à prædictis actibus provenire. Ratio est; Nàm ante completionem existentiæ talium actuum verificatur, quod *homo, nec in hoc instanti, nec in instantibus sequentibus usque ad mortem peccabit*: ergo cum donum perseverantiæ sit talis conditionis, ut de homine accipiente illud, verificetur de præsenti, quod *neque peccat*, neque *peccabit usque in finem vitæ*; prædictum donum, sive immobilitas ad continuationem in bono virtutis, non provenit ab actibus honestis liberi arbitrij, nec divisive, nec simul sumptis, etiam ut supponentibus auxilia efficacia pro ipsorum elicientia. Explic. hoc in homine rectè ambulante per spacium; in cuius de ambulatione decem passus elicit. Licet enim continuatio illorum consistat in omnibus gressibus simul sumptis, ui cuius ante ultimum non verificatur existentia talis continuationis; in nullo tamen instanti verificatur potentiam deambulativā illius esse immobilem ad rectè gradiendum; nec similiter talis immobilitas verificatur, dùm perficit ultimum gressum: ergò si donum perseverantiæ, non solum dicit continuationem plurimū actuum virtutis usque in finem vitæ, sed etiam *immobilitatem, indeclinabilitatem, & invictissimam fortitudinem* ad talem continuationem, ut vidimus ex doctrina D. Thom. & M. P. manifestè sequitur, illud haberi independenter à libertate nostræ voluntatis.

Explicat.

(o)

§. VI.

Solvuntur argumenta contra 1. partem, & præcipuam.

OBijcies 1. ex Trident. sess. 6. can. 22. sic definienti: *Siquis dixerit hominem iustificatum sine speciali auxilio in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Sed id, quod possumus cum divino auxilio, est in nostra potestate: ergò perseverantia usque in finem &c. Huic accedunt plura testim. ex Concilijs, SS. PP. & D. Thom. asserentibus: *Omnibus iustis conferri, vel offerri* auxilia, quibus possint usque in finem perseverare. Proindeque videtur innegabile sub potestate liberi arbitrij reparati per gratiam esse perseverantiam usque in finem. Resp. explicando prædictum testim. & alia similia, de perseverantia, quoad effectum negativum non ponendi obicem gratiæ eliciendo actus liberos, quibus homo adimplet præcepta usque in finem; sub hac enim consideratione libenter concedimus cum D. Thom. perseverantiam contineri sub potestate arbitrij reparati per gratiam. Sed quia perseverantia finalis, proùt distinguitur à non finali, ultra huiusmodi actus liberos, duo dicit. Et immobilitatem ad continuationem in bono usque ad mortem, & simul coniunctionem gratiæ cum illa; quorum neutrum est in potestate liberi arbitrij, quamvis perfectissimum actum eliciat: ideò perseverantia quoad effectum positivum non est sub potestate eiusdem liberi arbitij. Hanc expositionem esse legitimam suadeo 1. ex eo, quod loquens de munere perseverantiæ c. 13. de quo dictum est, * *qui perseveraverit, salus erit*, affirmat non aliunde *haberi posse, nisi à Deo*, quæ locutio non esset in rigore vera, si etiam talis perseverantia esset sub potestate liberi arbitrij; ut patet à simili in alijs actibus supernaturalibus sub arbitrio hominis iusti contentis. 2. Nàm idem Concilium postquam dixit: *Omnes iustificatos firmissimam spem debere concipere de consecutione muneris perseverantiæ*, sic prosequitur red-

35

Arguit. 1

Solutio.

Prob. veritas explic. 1.

*

Matth. c. 10.

Secundo.

reddens rationem : *Deus enim, nisi gratiæ illius defuerint, sicut cæpit opus bonum; ita perficiet, operans in eis velle, & perficere pro bona voluntate*, ubi Concilium duo ponit: unum spectans ad liberum arbitrium hominis iustificati in illis verbis: *nisi illius gratiæ defuerint*, quæ formalissimè explicant non ponere obicem gratiæ; aliud verò unicè spectans ad libertatem Dei illud conferentis, pro sua misericordia cui vult; scilicèt, *sicut Deus cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle in nobis &c.* Hæc meditare, & percipies distinctionem traditam à D. Thom. & in præsenti propugnatam, contineri in verbis Tridentin. Per quæ constat ad alia testim.

36 Arguit. 2. Obijcies 2. Homini iustificato non solum imputatur ponere obicem conservationi gratiæ; sed etiam non perseverantia usque ad finem, quòad illius positivum. Siquidem imputatur illi non consequi salutem æternam, ad quam requiritur perseverantia quòad positivum illius: ergò cum nemini imputetur id, quod non est sub illius potestate; dicendum perseverantiam quòad utrumque effectum &c. Urget. 1. In potestate arbitrij hominis iustificati est impedire perseverantiam finalem, quòad effectum positivum; cum sit in potestate illius peccare, per quod impeditur huiusmodi perseverantia: ergò in eius potestate est non impedire illam. Sed non impedire perseverantiam usque in finem quòad positivum, est illam existere: ergò existentia illius est in potestate hominis iusti. Urget. 2. Id, quod offertur homini conferendum sub aliqua conditione sibi libera, & vi cuius potest illud impetrare, est in eius potestate; sed huiusmodi est perseverantia quòad effectum positivum: ut patet ex illis verbis Trident. *Deus enim nisi gratiæ defuerint &c.* & insuper: est innegabile tale donum esse à nobis impetrabile, cum iuxta M. P. illud petamus in oratione Dominica ferè in omn: petitionibus: ergò.

Urget. 1.

Urget. 2.

De bono perever: c. 3 & sequent.

37 Prima solut. Resp. Illust. Godoy homini solum imputari non perseverantiam quòad effectum negativum; scilicet, non ponendi obicem gratiæ adimplendo Dei præcepta; secus quòad positivum coniunct: mortis cum gratia, quod solum est in libertate Dei iuxta M. P. Resp. 2. conc. antec. neg. conseq. Pro quo notandum, quod dum negamus perseverantiam quóad positivum illius esse in potestate liberi arbitrij hominis iusti, loquimur de potestate directa, quatenùs homo media sua volitione potest activè coniungere gratiam cum morte; aut se reddere immobilem in bono. Si autem sermo sit de potestate indirecta, & ex consequenti quatenùs scilicet potest ponere aliquid, ad cuius existentiam possit accipere à Deo perseverantiam; in hoc sensu libenter concedimus illã esse in libertate hominis. Attamen hoc solùm verificatur obiective, & ut terminus acquiribilis media oratiõ vero per modum exercitij. Undè sicuti homini imputatur privatio gloriæ; quia scilicèt, eius assecutio est sub illius potestate modo immediatè dicto: ita dicendum de perseverantia quòad effectum positivum. Quare claritatis gratia, dist. mai. Imputatur homini ad culpam non habere perseverantiam &c. culpa consistenti in carentia illius, neg. mai. Culpa consistenti in positione peccati impedientis illius receptionem, conc. mai. & cum eadem min. dist. neg. consequ. Intellectam de continentia sub potestate arbitrij directa, & adhùc indirecta per modum exercitij. Ad 1. urg. Resp. Optimè componi esse in potestate libera alicuius impedire aliquod extremum, & non esse in eius libertate determinate existentiam sui contradictorij: ut videre est in Petro pro sua libertate potenti impedire, quod videatur à Paulo, & non potente determinare, quod sit visus à Paulo: ergò quamvis homo possit impedire coniunctionem gratiæ, & legis adimpletionem, cum morte, non sequitur posse illam determinare. Nec ex quo sit liber ad non impediendum, sequitur esse liberum ad perseverantiæ positionẽ; quia estò ad non impeditionem sequatur collatio, hæc tamen est unicè à Deo offerente illam, si homo non desit gratiæ Dei. Undè non impedire perseverantiæ donum, est illud existere, connexive, non vero formaliter; & rursus est tale connexive; non re

Secunda, & verior.

Respons. in forma.

Ad 1. urgent.

ex

Ad 2. latè ad eandem causam, sed ad aliam. De quo plura alibi. Ad 2. urg. constat ex immediate dictis iuxta duplicem modum, quo aliquid contineri valet sub potestate liberi arbitrij.

38 Obijcies 3. Donum perseverantiæ, quòad positivum, consistit in coniunctione gratiæ, & legis adimpletione, cum morte; sed talis coniunctio
Arguit. 3. est in potestate arbitrij hominis iusti: ergò. Prob. min. 1. In potestate hominis iusti, est non coniungere gra-
Prob. minor. 1. tiam cum morte, cum sit in eius potestate peccare, per quod impeditur talis coniunctio: ergò etiam est in eius potestate coniungere gratiam, & legis adimpletionem, cum morte. Consequ. patet; quia si in potestate arbitrij
Secundò. est coniungere unũ extremũ, etiam est illius contradictorium. 2. Coniunctio gratiæ cum morte est quodam complexum dicens conservationem gratiæ, & eventum mortis; sed conservatio gratiæ est in potestate arbitrij iuxta Trident. sess. 6. can. definiens *per bona opera gratiam augeri, atque conservari*: ergò etiam coniunctio gratiæ cum morte. Probatur conseq. Ut existentia alicuius complexi sit in potestate alicuius, sufficit ponere pro sua libertate unam partem complexi; hac enim ratione homo libere coniungit consensum cum gratia prædeterminanti; cum libere ei cooperetur: ergò si conservatio gratiæ &c.

Resp. neg. min. & instо eius 1.
39 probat. *in mea enim libertate est non coexistere in eodem spacio cum Paulo: ergò etiam est in mea libertate coexistere cum illo*, quod est falsum; Nam
Resp. si Paulus nolit, etsi ego velim, non dabitur talis coexistentia. Ratio est. Quia non coniungi gratiam cum morte dupliciter evenire potest; vel per defectum gratiæ adveniente morte; vel per defectum mortis, etiam existente gratia. Coniunctio autem dicit utrumque simul; scilicèt, existentiam gratiæ, & eventum mortis: cumque hoc dicat plusquam primum; non bene arguitur de uno ad alterum; utpotè à minus ad magis. Nec obstat, quod debet esse in potestate hominis contradictorium non coniunctionis, quod est coniunctio. Nàm solùm est in potestate illius contradictorium, secundùm quod non coniunctio dicit carentiam gratiæ. Ex quo solùm infertur in potestate eiusdem esse aliquomodo conservationem gratiæ. Quod est dicere; contradictorium coniunctionis cum gratia inadæquatè sumptum, est in potestate liberi arbitrij; non vero adæquate. Ad 2. Resp. Ponere aliquam
Ad 2. partem complexi de se indifferentem ad coniunctionem cum altera parte eiusdem, non esse determinate existentiam complexi; cumque huiusmodi sit conservatio gratiæ: siquidem Deus quando vult, imponit finem vitæ, ut homo moriatur in gratia: ideò liberum arbitrium hominis per bona opera conservans gratiam non coniungit activè illam cum morte.

40 Obijcies 4. Perseverantia actualis quoad positivum in adultis, dicit
Arguit. 4. continuationem in bono virtutis usque in finem; sed homo habet in sua potestate huiusmodi continuationem: ergò. Prob. min. Continuatio in bono virtutis usq; in finem est collectio omniũ actuum, quibus præcepta adimplẽtur; sed talis collectio est in libertate hominis iusti; cum sint omnes actus liberi simul sumpti: ergò. Conf. 1.
Conf. 1. Voluntas hominis iusti præventa auxilijs efficacibus usque ad mortem, est voluntas permanens immobiliter in bono virtutis: ergò cum perseverantia finalis sit permanentia immobilis in bono virtutis; hæc cadit sub potestate voluntatis, ut præventę auxilijs efficacibus ad actus adimpletivos præcepti. Prob. añs. Voluntas infallibiliter, & indeclinabiliter determinata ad bonum virtutis, est voluntas permanens immobiliter in illo. Sed sic se habet voluntas hominis iusti præventa auxilijs efficacibus ab
Explicat. intrinseco iuxta Thomistas: ergò. Explicatur. Pone ab instanti, in quo homo fuit iustificatus, usque ad mortem intervenire septem instantia temporis, in quibus urgeant aliqua præcepta, & quod Deus in omnibus illis conferat gratiam prædeterminantem: in hoc, inquam, casu; quis negare potest sub potestate voluntatis sic prædeterminatæ, esse immobiliter permanere in bono, & pariter coniunctionem gratiæ cum morte? 2. De homine, de
Conf. 2. quo

quo verificatur, quod *nunquam peccabit*, verificatur, quod perseverabit positive in bono usque ad mortem. Sed de homine iusto, simul cum gratia efficaci, quoties urgeat præceptum verificatur quod *nunquam peccabit*, ut constat: ergo verificatur quod perseverabit: ergo si 1. est in eius potestate, etiam 2.

41 Resp. Dixim: in antec. perseverantiæ donum dicere, nedum permanentiam in bono; sed etiam immobilitatem, & quandam certitudinem infallibilem ad sic permanendum, ut constat ex testim. D. Tho. & M. P. undè quamvis permanentia in bono virtutis sit in potestate arbitrij hominis iusti; si tamen non sit sub eius potestate *immobilitas*, *& infallibilitas*, ut sic permaneat usque ad mortem; non erit in eius potestate donum perseverantiæ. Assignetur ergò, perquem actum, & in quo instanti, homo redditur immobilis ad continuationem in bono virtutis usque ad mortem? cum quolibet actu virtutis posito, maneat homo cum contingentia, ut in instanti sequenti peccet, ut sæpè contingit. Quod sic confirm. ex Trid. cap. 13. sic loquenti de tali dono: *Quod aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet.* Præmenda sunt enim illa verba: *ut perseveranter stet.* Cum enim iuxta S. D. 2.2.q.183.a1.1. *status* undè dicitur aliquid *stare*, significet quandam immobilem permanentiam rei addita quiete, aliquid speciale voluit nobis innotescere Concil. dùm ait: Deum donare munus persever. non solum *statuendo, eum, qui stat, ut stet*; *sed perseveranter*; hoc est cum *immobilitate*, *& certitudine ordinis*, ut non cadat; sed in gratia permaneat. Quapropter dist. mai. cit continuationem in bono præcisè, neg. mai. & simul immobilitatem, & infallibilem certitudinem ad sic permanendum, conc. mai. & cum eadem min. dist. neg. conseq. Sicut enim hominem esse prædestinatum non est præcisè illum salvari; sed certissimè ordinari ad salutem; ita suo modo dicendum de perseverantiæ dono. Hinc dicendum hominem per collectionem omnium actuum, quibus adimplevit præcepta, verificare hanc propositionē: *numquam recessit, nec transijt à bono in malum: non tamen hanc: ille fuit immobilis, aut invertibilis de bono in malum*, in quo, stat actu perseverare; immobilis, inquam, consequenter: quia persev: donum non tollit posse peccare.

Solutio in forma.

42 Ad 1. confirm. Ad 1. confirm. neg. mai. in sensu statim ex licando. Pro quo nota dupliciter posse aliquid provenire à gratia prædeterminanti voluntatem: vel ut ab efficienti, ut voluntas faciat; vel ut à causa formali. Quod 1. modo provenit ab illa, cadit sub arbitrio voluntatis, eo quod talis gratia facit, ut voluntas faciat: non tamen quod 2. modo provenit ab ipsa. Hac ratione etsi consensus à gratia efficaci proveniens contineatur sub libertate voluntatis; secus tamen voluntatem eadem gratia præveniri, aut determinari. Consequenter ad hæc dicendum: voluntatem immobiliter permanere in bono virtutis, non provenire activè ab illa etiam prævenia auxilijs efficacibus. Ratio est: quia voluntas ratione gratiæ efficacis, etsi immobiliter determinetur, non tamen, ut vellit effective immobiliter bonum; cū illud velit cum contingentia; ita ut postquāvult, ab illo recedere valeat. Ut autem perseverantia caderet sub arbitrio voluntatis, erat necesse, ut immobiliter determinaretur ad bonum, & insuper; ita determinaretur, ut per ipsam volitionem redderetur immobilis in posterum in bono; Nàm iuxta M. P. *illud dicitur esse in nostra protestare, quod cum volumus facimus, & cum nolumus non facimus.* *.

De spirit: & littera, cap 31.

* Ly facimus concursū activum de notat.

Undè claritatis gratia, dist. mai. Permanet immobiliter in bono: immobilitate cadente sub eius electione, & ab ea provenienti, neg. mai. immobilitate non sic cadente, sed provenienti in transitive à gratia prædetermin: vel directo, conc. mai. Ut autē perseverantia esset in potestate volū tatis, requiritur posse ab illa provenire actum huiusmodi tendentiæ: *vollo per volitionem efficacem boni honesti reddere me ipsam immobilem in bono*: quod quidem repugnat eius vertibilitati. Si quæras, cur *requiratur immobilitatem provenire ab ipsa voluntate*; ut

43 Solutio in forma.

Cuidam quæ ista fit satis.

ut donum perseverantiæ cadat sub eius libertate? Resp. hoc contingere; quia perseverantia non dicit præcisè voluntatem agi *immobiliter*; sed etiam agi, ut *immobiliter velit*, ex quibus primum provenit à gratia prædeterminanti? 2. vero, vel à gratia habituali, vel à gratia prædeterminanti, ut collata à Deo ex intentione efficaci dandi gloriam. Sed quia videtur difficile voluntatem determinari immobiliter ad permanendum in bono, adhuc ex vi collectionis auxiliorum efficacium: Nàm revera unum auxilium non habet connexionem cum altero; tutius est accipere prædictam collectionem, ut concatenatam in decreto glorię, aut coniungendi gratiã cum morte, ut dictũ sit verum relatè ad omnem providentiam Dei. Per quæ constat ad explic. ibi subiunctam; cui etiam occurri potest sequenti exemplo. Sub potestate hominis prædestinati cadit consequtio salutis æternæ, non tamen cadit sub illa *certissimè*, sive *infallibiliter* salvari; talis enim certitudo, ut omnimod: efficacię, & præscientiæ unicè provenit à prædestinatione. Undè sicuti prædestinatus certissimè, & invictissimè præordinatur, ut consequatur vitam æternam; sed eam de se consequitur contingenter, & vincibiliter, ita dicendum de immobili determinatione, ut voluntas permaneat in bono. Sicut ergò prædestinatio non est in potestate voluntatis; ita nec donum perseverantiæ; nec similiter donum confirmationis in gratia.

Ad explicat.

44 Objc. 5. & replicabis. Sub potestate voluntatis cadit veritas huius propositionis, *iste homo nunquam peccabit*: ergò cadit sub eius potestate se constituere in statu incompossibili cum peccato futuro, in quo consistit donum perseverantiæ. Conseq. patet: Nàm istę propositiones *hic homo numquam peccabit*, *hic homo aliquando peccabit*, sunt contradictoriæ: proindeque veritas unius pugnat cum veritate alterius. Antecedens, in quo est difficultas, prob. 1. de homine, qui decessit in gratia, verificatur: *iste homo nec peccat*, *in hoc instanti*, *nec in alio*, *ab instanti ultimo*, *in quo fuit iustificatus*: ergò tempore antecedẽti erat verũ dicere *iste homo nunquam peccabit*. Siquidem veritas propositionis de futuro iuxta Dialect: mensuratur penes veritatem de in esse tempore sequenti: ergò cum sub potestate arbitrij sit verificare hanc propositionẽ iuxta doctrinam D. Tho. in antecedentibus relatam; etiam est in eius potestate &c.

Arguit. 5

Antec. prob. 1.

Secundò. 2. Sub potestate hominis iusti est id, ad cuius positionem Deus confert auxilia sufficientia; sed Deus homini iusto confert huiusmodi auxilia, ut numquam peccet, sive non ponat aliquando obicem gratiæ, ut vidimus ex D. Thom. ergò in potestate hominis iusti est numquam peccare. Sed nunquam peccare est status incompossibilis cum peccato etiam futuro; cum nunquam peccare excludat peccatum pro omni tempore: ergò de primo ad ultimum infertur esse in potestate hominis constitui in statu incomponibili cum peccato etiam futuro, in quo consistit perseverantia.

45 Resp. neg. antec. Omnis enim propositio de futuro vera dicit de præsenti determinationem, ut prædicatum existat tempore sequenti, ut latissimè prob. à Thomistis tract. de scientia libera Dei: qua ratione non intellecto in Deo ab æterno efficaci decreto producendi Anti Christum suo tempore, hæc propositio Anti-Christus erit, nequit esse vera ab æterno. Igitur ut hæc propositio, *iste homo nunquam peccabit*, sit vera necesse est dari in instanti, in quo profertur aliquam immobilem determinationem, ut peccatum deficiat pro alijs instantibus usque ad mortem. Huiusmodi determinatio nequit provenire ab aliquo voluntatis actu estò perfectissimo; cum post elicientiam illius possit peccare in instanti sequenti. Nec obstat 1. prob. Nàm etsi veritas propositionis de futuro mensuretur extrinsecè a veritate propositionis de inesse, non tamen intrinsecè; cum hoc verificativum sit determinatio existens de præsenti, ut connexa cum veritate propositionis de inesse pro tempore sequenti. De quo ubi supra. Ad 2. prob. conc. 1. conseq. neg. min. subsumptam: cuius falsitas constat in homine non beato; licèt iusto per totam æternitatem; & cui Deus nunquam

Resp.

Ad 1. probat.

Ad 2.

quam permitteret peccatum, de quo verificaretur, quod *nunquam peccat*, quin verificaretur esse in statu incompossibili cum peccato futuro: qui status requiritur ad donum perseverantiæ, utpotè dicens in sui ratione immobilem perseverantiam, in bono, & indeclinabilitatem ab ipso.

46 Dices 1. Homo iustus tenetur perseverare usque ad mortem, ut constat ex illo Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad*
Instab. 1. *mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et cap. 3. *Tene quod habes, nè alius accipiat coronam tuam.* Sed nemo tenetur ad id, quod non est sub eius potestate: ergò. 2. Iuxta S. D. 2. 2. q. 37. ar. 4.
Secundo. *Potestati liberi arbitrij non subest, quod se immobilitet in bono; licet sit in eius potestate, quod hoc eligat.* Sed electio tolùm est eorum, quæ sunt in nostra potestate, ut expressè docet 1. 2. q. 13. ar. 4. ergò immobiliter stare in bono cadit sub potestate liberi arbi-
Ad 1. Resp. trij. Ad 1. constat ex dictis in solut. ad 1. arg. Obligatio enim, quæ datur ad perseverandum terminatur ad actus liberos adimpletivos legis usque in finem; non tamen ad coniunctionem gratiæ cũ morte; estò hæc ad eorum elicientiam consequatur; cum dare finem vitæ, quando adest gratia,
Ad 2. tolùm sit à Deo. Ne pariter tenetur ut se reddat immobilem in bono ob eandem rationem: unde perseverantia utroque modo accepta non subest libero arbitrio, etti per gratiam reparato. S. D. ibi asserere nostram sententiam; cum perseverantia consistat in tali immobilitate. Electio autem de qua ibi loquitur, est actus elicitus à virtute perseverantiæ; scilicèt, propositum firmum eliciendi actus virtutum usque ad finem, quoties urget præceptum: quare solum executio eorum erit in potestate arbitrij; non vero, quòd ex Dei misericordia ad eorum existentiã consequitur. Quia ergò etiam executio talium actuum pendet ex speciali gratia superaddita proposito; ideò dicit: *plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio.* Quod si velis electionem terminari ad ipsam perseverantiam in actu talem; solùm potest admitti electio imperfecta pro desiderio habendi illã à Deo respectu cuius illa se habet, ut obiectum, in quo sensu dicitur Deut. 26. *Dominum tuum elegisti, ut hodie sit tibi Deus.*

Quæres. Cur ut perseverantia sit in potestate liberi arbitrij non sufficit, quod immobiliter perseveret in bono, sed insuper, quod homo *se* immobiliter, & *se ipsum* faciat perseverantem in bono? Resp. hoc expresse affirmari à D. Thom. 2. 2. q. 137. ar. 4. dicente: *Cum liberum arbitrium de se sit vertibile, non subest potestati liberi arbitrij, etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat.* Et q. 24 de verit. ar. 13. *Cum dicitur iste potest perseverare &c. Potentia fertur ad aliquid affirmativum, ut scilicet ponat se in tali statu, ut peccatum in eo esse non possit:* & paulo post. *Homo per actum liberi arbitrij non posset facere se perseverare, nisi se impeccabilem faceret, ad quod virtus eius non se extendit; & ideo causa perseverantiæ sibi esse non potest.* Quo nihil manifestius.

47 Cuidam quæ vos fit satis.

48 Obijc. ult. Sub potestate liberi arbitrij hominis est se reddere immobilem in malo per impenitentiam finalem: ergò sub potestate illius, ut reparati per gratiam erit &c. Sed hoc arg. solvitur à D. Tho. 2. 2. q. 237. ar. 4. ad 3. dicendum: *Quod homo per se potest cadere in peccatum, sed non potest per se surgere à peccato sine auxilio gratiæ: & ideo ex hoc ipso, quod homo cadit in peccatum, quantum de se est facit se in peccato perseverante, nisi gratia Dei liberetur; non autem ex hoc quod facit bonum facit se perseverantem in bono, quia de se potens est peccare, & ideo ad hoc indiget auxilio gratiæ.* Solutionis doctrinam invenies illustratã ab eodem S. D. hac 1. 2. q. 87. ar. 1. probante peccatum læthale inducere deordinationem irreparabilem, nisi Deus gratuito peccatori misereatur.
Arguit. ultimo.
Resp. ex D. Thom
Si dicas: sicuti est unicè in potestate Dei imponere finem vitæ homini existenti in gratia; ita est unicè in eius potestati imponere finem vitæ homini existenti in peccato: ergò si hoc non obstante imperseverantia finalis est in potestate peccatoris &c. Respond. Non ideò præcisse perseverantiam finalem esse extra libertatem iusti, quia unicè est in potestate Dei, imponere finem vitæ; sed etiam; quia in
Instabis.
Resp.
ra-

tatione iustitiæ, cum qua existit homo, non datur connexio intrinseca, & ex natura ipsius gratiæ, ad moriendum in gratia quovis tempore contingat illũ mori. Oppositum autẽ accidit in peccatore, attenta dignitate, & exigentia peccati læthalis secundùm id, quod ab intrinseco, & ex natura rei convenit ipsi.

§. VII.

In quo explicatur, quando communicatur iusto hoc donum perseverantiæ; & qualitèr possit à Deo impetrari.

49

1. Diffic. Proponitur arg.

RAtio dubit. est. Si immobilitas voluntatis in bono esset bonum perseverãtiæ; cum illa iuxta dicta communicetur iustis in via, etiam ipsis cõcederetur persev. donum; sed hoc est falsum: ergò talis immobilitas non est verum donum &c. Pr. min. 1. Nequit

Min. pr. 1

affirmari de homine iusto ante mortẽ, etsi multo tempore maneat in iustitia; *quod ille iam perseveravit in bono*: ergò nequit dici ante mortem accepisse donum perseverantiæ. Cons. pat. Nàm effectus proprius huius doni est reddere

Secundo.

hominem actu perseverantem, & non solum potentem perseverare. 2. De homine, quandiù vertibilis est de bono in malum, nequit dici perseverare immobilitèr in bono; sed talis omnis iustus ante mortem: ergò. 3. ex Magn. Par. lib. de dono persev. cap. 1. dicente: *Donum Dei est perseverantia, qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur: itaque utrũquisque hoc munus acceperit, quandiù hanc vitam ducit, incertum est.* Ergò ante finem vitæ non datur &c.

Ult.

Ult. Omnis iustus tenetur petere à Deo perseverantiam; sed nemo petit, quod habet: ergò.

50

Datur persever. quæ est donũ viæ. Prob.

Propter hæc motiva iudicant aliqui neminem accipere à Deo peseverantiæ donum, nisi in instanti mortis. Sed oppositum tuendum iuxta doct. S. D. locis sæpè citatis; ubi expressè affirmat immobilitatem voluntatis ad standũ in bono, & ad nunquam de cæterò peccandum, esse etiam donum perseverãtiæ, & propterea non esse in potestate arbitrij etiam reparati pet gratiã. Rursùs audiendus S. D. 1. 2. q. 109. a. 2. Sic enim ait: *Cùm homo habeat lib. arb. flexibile ad bonum, & ad malum: Dupliciter potest aliquid perseverantiam in bono obtinere à Deo. Uno quidèm modo per hoc, quòd liberum arbitrium determinatur ad bonum per gratiam consummatam, quod erit in gloria. Alio modo ex parte motionis divinæ, quæ hominem inclinat ad bonum usque ad finem.* Ex qua doct. infert. *Primam perseverantiam cadere sub merito, non autem secundam.* Deinde: S. D. 2. 2. q. 137. a. 1. ubi sibi objicit testim. citat. ex M. P. ait ad 2. *Et secundùm hoc Aug. accipit perseverantiã pro actu perseverantiæ consummato.* Non ergò negat immobilitatem ad bonum esse etiam persev. donum.

Ex S. D. constat.

Secundo.

51

Tertio ex M. P.

3. Iuxta M. P. de correct. & grat. c. 12. Adiutorium perseverantiæ est duplex, aliud *sine quo*, aliud *quo*. Primum fuit in Adamo innocenti; secundum conceditur per gratiam Christi Sanctis prædestinatis. Tantum quippè Spiritu S. accẽditur voluntas eorum, ut ideò possint; quia sic volunt: ideò sic velint; quia Deus operatur, ut velint. Sed *adiutorium quo* perseverantiæ est verè perseverantiæ donum, & in via conceſſum; cum talia adiutoria gratiæ ad statum viæ spectent; & in eodem statu verificatur Deum operari in prædest. invictissimè, & inclinabilitèr velle bonum, & nolle illud deserere: ergò negari nequit dari verum Deum perseverantiæ in via; non quidẽ, ut SS. in via maneant; sed ut certissimè, & immobilitèr perveniant ad Patriam. Breviùs. Gratia, qua subvenitur infirmitati voluntatis humanæ, ut insuperabilitèr, & indeclinabilitèr, & invictissimè velit bonum; & qua non nisi perseverans fit; est verum donum perseverantiæ; sed hæc gratia sic subveniens infirmitati, ut inter tot tentationes non deficiat, datur in via, ut patet: ergò. Res est mihi clara ex M. P. Quod si in illo desideres *hoc nomen donum perseverantiæ*, audi illum ibid. *Maior quippè libertas est necessaria adversùs tot, & tantas tentationes dono perseverantiæ munita, atque firmata &c. ut vincatur hic mundus. Hoc SS. martyria docuerunt &c.*

De bono persev. c. 6. refert. Pelag im pugn. gratiam persev. inamissibil.

52

Solutio.

Concedim. ergò hoc perseverantiæ donũ conferri homini iusto ante mortem,

tem, licet compleatur extrinsecè, sive consummetur per instans mortis; tale donum iuxta frequentẽ sensum Thom. consistit in gratia sanctificanti, & auxilijs efficacibus, ut à Deo datis ex intentione efficaci coniungendi illam cum morte, & cum gloria. Quę omnia verificantur dari ante mortem. Ad 1. min. pr. Resp. Quod licet de homine iusto verificari nequeat ante mortem perseverare, completè consummatè: verificatur tamen actu, quod permanebit in bono usque ad mortem; quod sufficit, ut sit verum accepisse à Deo ante mortem aliquod donum perseverãtiæ, cum acceperit à Deo donum, quo infallibiliter stabit. Ad 2. Resp. Effectum huius doni esse reddere voluntatem immobilẽ, & indeclinabiliter determinatam, ut eliciat bonum, & nolit malum, & hoc verificatur ante mortem. Verum quidem est tale donum, sumptum materialiter, scil. pro actibus continuatis virtutũ, quoties urget præceptũ, non dari completè, nisi dùm ultimus elicitur: qua ratione potest dici ens successivum; attamen ut diximus de formali dicit immobilitatem iã explicatam; quæ existit, & communicatur à Deo ante mortem. Simile videre licet in Dono confirmat. in gratia, cuius effectus nõ verificatur completè existere usque ad mortem; & tamen prædictum donum multotiès conceditur, & fuit concessum longo tempore ante mortem, ut videre est in Apostolis die Sancto Pentecostes. Distingue ergò inter effectum doni perseverantiæ, quasi effectivè ab illo procedentem, & inter effectum formalẽ eiusdem: hæc enim consistit in reddere hominem iustum immobilem, sive immobiliter determinatum ad permanendum in bono usque ad mortem: quæ quidem denominatio verificatur ab instanti, in quo Deus iustificat hominem ex intentione efficaci coniungendi gratiam cum morte &c.

Ad 1. prob.

Ad 2.

54 Ad 2. Resp. Quod licet cum dono perseverantiæ stet vertibilitas, sive potestas añs. ad peccandum; non tamen potestas conseq. quemadmodum, cum prædetermin. ad amorem stat potestas añs. ad illius carentiam, simul cum necessitate conseq. ad amandum. Est tamẽ discrimẽ in eo, quod prędetermin. ad amorem, estò reddat impossibilem consequentèr illius carentiam pro tali instanti, nõ tamen prò sequentibus: donum vero perseverantiæ, ita immobilitat voluntatem in bono, ut excludat potestatem conseq. ad oppositum sine limitatione, & per totum statum vitæ, quod supereſt. Ad testim. M. P. constat ex exposit. illius traditæ à D. Th. sup. Ad ult. Resp. Perseverantiam, quam à Deo poscimus, esse, Tùm conniunctionem gratiæ cum morte, Tùm etiam continuationem actuum virtutis, & auxiliorum efficacium ad servanda præcepta usque in finem vitæ. Unde estò immobilitas ad nunquam peccandum nõ sit obiectum directum orationis; benè tamen aliquid, quod necessariò includitur, & connotatur ab illa. De hoc iterùm difficult. sequenti.

Hac dist: Suar. cap. 9. n. 12. rectè exponit S. D.

Ad ult.

Cum iuxta doct. Trid. c. 13. sess. 6. omnes adulti sperare teneantur perseverantiæ munus, illudque orationibus, pijsque exercitijs virtutum obtinere valeant. Non videtur hoc posse subsistere, si aliunde non sit in potestate arbitrij, illud acquirere. Nec valet si dicatur; hoc solum probare esse obiectivè moraliter, adiuncta pramissione Dei, in nostra potestate; quia illud possumus impetrare; secùs autem illud esse sub potestate activa; & qua voluntas possit activè ponere coniunctionẽ gratiæ cum morte; aut se immobilem cõstituere in bono: ut sic omnis perseverãtia comprehendatur. Nàm cont. est 1. Ut solutio sit vera necesse est ponere Deum esse, quantum est ex se, paratũ conferre tale donum. Hoc est falsum: ergò. Pr. min. 2. Qui efficacitèr est determinatus ad non conferendum aliquod donum; non potest dici paratus ad illud conferendum; sed Deus est ab æterno efficacitèr determinatus ad non conferendum his, scilic. quibus in tempore illud non confert: ergò nequit dici esse paratum dare donum perseverantiæ omnibus iustis. 2. Eatenùs Deus esset paratus conferre tale donum, ut sic imputaretur ad culpam õnibus illocarentibus; quia videl. Deus voluntati añti. vult omnes homines salvos fieri. Sed ex vi huius voluntatis non est paratus dare donum perseverantiæ: ergò. Prob. min. Ex vi prædictæ voluntatis Deus solum est paratus tribue-

55 Secunda difficultas pro obtentione perſev.

Prima ratio dubit.

Secunda.

buere homini auxilia sufficientia, ut possint salvari; non vero efficacia, quibus infallibiliter salventur; hoc enim est proprium voluntatis prædestinativæ, ut ex illius definitione constat. Sed donum perseverantiæ est, vel includit auxilium efficax infallibiliter donans actualem perseverantiam, & ex consequenti consequutionem salutis æternæ: ergò ex vi præd. voluntatis &c.

55 Tertiò. 3. Si Deus esset paratus ad conferendum omnibus donum perseverantiæ, non esset inscrutabile à nobis scire, cùr Deus ex duobus iustis *uni det perseverantiam, non vero alteri*; siquidē possemus dicere hoc provenire, quia *unus facit quod potuit, rectè operando, & piè petendo, quod poterat; alter vero non*. Sed hoc est contra D. Aug. lib. de corr. & grat. c. 8. & de don. persev. c. 9. recurrētē ad inscrutabilia iudicia Dei: ergò. 4. Quo nō est paratus ad id, quod est causa per se, & necessariò requisita ad collationem doni perseverantiæ, nequit dici esse paratus conferre tale donum; sed prædestinatio est causa per se, & necessariò requisita, ut existat donum perseverantiæ iuxta dicta in antec. in communi sensu Thomist. ergò cum Deus non sit paratus prædestinare omnes ad vitam æternam, nequit esse paratus conferre omnibus iustis donum perseverantiæ. Ex his potest ultetiùs probari, non esse in potestate omnium hominum consequi salutem æternam. Qui non habet in sua potestate etiā in gratia cōstitutus, medium necessariò requisitum ad eius cōsequutionem, non habet in sua potestate consequi salutem æternam; sed huiusmodi est donum perseverantiæ, quod iuxta à nobis dicta aliundè haberi non potest, nisi à Deo liberè illud communicanti, cui vult: ergò non rectè percipitur sub potestate hominis iusti esse cōsequutionem vitæ æternæ.

Quarto.

Aliud argum.

Respond. Argum. difficilimum pro plurib. concernentibus necessitatem gratiæ prædest. & prædefinitionis divinæ: unde æquè urget, si gratia intrinsecè efficax requiritur ad actus salutares. Siquidem illa non est in potestate lib. arb. iuxta communem sensum AA. illam propugnantium; cum tamen hoc non obstante sit in potestate lib. arb. ratione gratiæ sufficientis ponere actum salutarem, & carentiam peccati. Idem contingit in prædestinatione necessariò requisita ad consequutionem vitæ æternæ; cum tamen non sit in potestate hominis iuxta Apost. ad Rom. c. 9. *Cuius vult misereatur, & quem vult indurat*. Hac de causa hæretici arguebant contra M. P. ex prædestinatione, & gratia efficaci ab ipso propugnata independenter ab usu lib. arb. induci desperationem, & fatalem necessitatem in hominibus. Poterat enim quis apud se dicere: *Si non sum prædestinatus, quidquid fecero damnabor; si vero sum prædestinatus, quidquid fecero salvabor*. Unde sicut his non obstantibus M. P. semper steterit in tuenda prædestinatione necessariò requisita ad consequutionem vitæ æternæ, & omninò antecedenti usum liberi arbitrij, recurrendo semper ad inscrutabilia iudicia Dei; ita dicendum est à nobis in præsenti.

De bono persev. c. 15.

56 Sustinetur sol. tradita. Resp. solutione data, quæ roboratur. 1. Quia Deus omnes iustos admonet, ut petant perseverantiæ donum ab ipso, dùm scil. omnes admonet, & præcepit orationem Dominicam, in qua petimus donum perseverantiæ iuxta doct. D. Ciprian. approbatam à M. P. D. Thom. & alijs PP. Hæc autem admonitio, sive præceptum, non haberet locum, si Deus nō esset paratus illud tribuere, quia ut ait M. P. ad Secundinum c. 29. *Non utique nos hortaretur Deus ut peteremus, nisi dare vellet*. 2. Quia ut Deus sit paratus dare donum perseverantiæ omnibus, sufficit quod velit ipsum dare voluntate inefficaci, aut conditionata, scilic. si per homines non steterit; hæc autem voluntas existit in Deo iuxta communem sensum Theolog. Huiusmodi voluntati innititur Concil. Trid. ut suadeat omnes iustos debere firmissimam spem consequendi donum perseverantiæ, in Dei auxilio reponere; dū ita profert: *Deus enim nisi ipsi gratiæ suæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet*, in quibus continetur dari in Deo voluntatem conditionatam, vel quasi talem, perficiendi opera bona iusti per donum perseverantiæ, si scil. iusti petendo &c. eius gratiæ non defuerint. Hoc supposito. Ad 1. probat. disting. maior. Nequit esse paratus præparatione efficaci,

Ad 2. pr. min.

caci, conc. mai. Præparatione inefficaci, sive orta ex voluntate inefficaci illud conferendi, neg. mai. & conc. min. dist. cons. eod. modo. Sicut enim Deus est efficacitèr determinatus non conferre gloriam his, quos in tempore non glorificat, sed ab æterno illos excluſit à gloria; ita similitèr est determinatus, ut ipsis non conferat donum perseverantiæ. Si ergò cum prædicta determinatione efficaci Deus est paratus dare eis gloriam, propter voluntatem antec. salvandi omnes homines: ita dicendū de persev. cum velle inefficacitèr, & nolle efficacitèr idem donum, non opponantur inter se. An autem volitio inefficax, & conditionata conferendi aliquod donum, ut sit seria, & prudens; debeat poni in signo priori ante decretum absolutum efficax non conferendi tale bonum, & non purificandi conditionem, sub qua offertur? agitur de hoc à Thom. circa decreta absoluta subiectivè, & obiectivè conditionata.

57 Ad 2. Ad 2. conc. min. neg. illius prob. Aliud enim est, quod Deus ex vi voluntatis antec. salvandi omnes homines confert: aliud vero, quod offert. Similitèr aliud est, quod ex vi eiusdem voluntatis vult efficacitèr, aliud quod vult inefficacitèr. Licet enim per voluntatem antec. Deus solum conferat auxilia sufficientia ad consequtionem gloriæ. Offert tamen illius collationem; siquidem illam vult inefficacitèr dare omnibus hominibus. Cum ergò ex vi huius voluntatis velit Deus, licet inefficacitèr, dare omnibus iustis donum perseverantiæ, meritò dicitur paratus inefficacitèr ad conferendum illud, si homines faciant, quod in se est, petendo &c. ut docet, & exhortatur Concil. Trid. sess. 6. cap. 13.

58 Ad 3. Ad 3. Resp. Instantiam posse duplici ex cap. formari. 1. loquendo de perseverantia, ut efficacitèr intenta à Deo ab æterno. 2. ut in tempore à Deo donata: in 1. sensu semper recurrendum est ad inscrutabilia iudicia Dei: *Cur uni detur perseverantia; alteri vero non?* Cum enim illa sit effectus proprius prædestinationis ad gloriā; & hęc sit ante omnem præviſionem meritorum ex sola Dei libertate proveniens; non est assignare aliquam rationem præter Dei libertrimam voluntatem, ut decreverit unum ex duobus iustis perseverare usque in finem, alterum vero non. Si vero sermo sit de perseverantia 2. modo accepta, adhùc distinguere oportet; scil. de illa (quæ iuxta dicta datur in via) quòad effectum negativum præcisè, vel etiam quoad effectum positivum. Si 1. modo adhuc remanet inscrutabile à nobis, cùr uni detur perseverantia, alteri vero non? Siquidem; quod Deus conferat uni auxilia efficacia ad orandum, & non ponendum obicem gratiæ, pendet ex libera Dei voluntate. Si autem sermo sit de perseverantia sumpta quòad effectum positivum; adhuc etiam remanet inscrutabilis prædict. discretio, eo quod à solo Deo provenit reddere voluntatem immobilitèr determinatam ad bonum. Et licet ad hoc donum sit in nobis aliqua dispositio, ut Deus illud conferat; radix tamen, & principium ponendi huiusmodi dispositionem est voluntas Dei sic disponentis.

59 Si autem loquamur de perseverantia extra statum viæ in coniunctione gratiæ cum morte consummata per gloriam, consistenti: dicimus posse assignari rationem, ut uni non detur, scil. obex peccati; non tamen, ut alteri detur. Hinc inferes, in quo sensu debeat concedi donū perseverantiæ esse à nobis impetrabile media oratione (ad quam ex præcepto tenemur) & similitèr medijs pijs exercitijs, ad quæ exhortamur; & in quo sensu impetrari nequeat. Si enim perseverantia sumatur, proùt includit totam collectionem auxiliorum ab ultima iustificatione usque ad coniunctionem gratiæ cum morte; proùt sic nequit à nobis impetrari; aut etiam de congruo promereri; cum ipsa oratio supponat auxilium gratiæ ad orandum. Si autem sumatur pro coniunctione gratiæ cum morte, & aliquib. auxilijs, sic cadit sub impetratione, & eam firmitèr sperare debemus iuxta doctr. Trid. Cum proùt sic dependeat ab actibus nostri arbitrij influentibus in illius consequtionem moraliter, & dispositivè. De quo Serna apud Mag. Ferre tractat. de merito iusti art. 9. Illatio ex dictis.

60 Ad 4. Ad 4. Resp. 1. illam instando in collatione gloriæ, quam Deus ex vi Resp. dup.

vi voluntatis antecedentis ſalvandi omnes homines paratus eſt illam dare; quæ quidem eſt effectus proprius, & proprijſsimus prędeſtinationis, cum tamen Deus non ſit paratus omnes homines prædeſtinare. Reſp. 2. Hoc adeſſe diſcrimen inter velle efficaciter aliquod donum, & velle illud inefficaciter. Nàm 1. voluntas reſpicit illud cum omnibus circunſtantijs, & ſub ordine, quæ dicit ad omnes cauſas. 2. vero reſpicit illud, aut ſecundùm ſe, aut ſaltim non cum reſpectu, quem dicit ad omnes cauſas, & circunſtantias pro illius exiſtentia. Ex quo provenit, quod ut Deus ſit paratus præparatione inefficaci dare omnibus iuſtis donum perſeverantiæ, non oportet, ut ſit paratus illos prædeſtinare; ſed ſufficit eſſe paratum dare eis auxilia, ut illud deprecentur à Deo; à qua deprecatione, & perſeverantia in ipſa, proveniret tanquam à diſpoſitione, & cauſa impetratoria. Eſt inſuper alia ratio diſcriminis: quia nimirùm prædeſtinatio ſignificat actum divinum in Deo ab æterno exiſtentem; collatio vero doni perſeverantiæ denotat aliquid temporale; & ideo cum præparatio Dei reſpiciat aliquid futurum in tempore ponendum, nequit dici Deum eſſe paratum ad prædeſtinandum, benè vero ad complendum donum perſeverantiæ.

§. VIII.

ULTIMA CONCLUSIO.

Auxilia dantia poteſtatem moralem ad perſeverandum ſaltim offeruntur à Deo omnibus iuſtis; ſuntque gratia ſpecialis, ultra quæ requiritur etiam auxilium efficax obtinens, veram rationem gratiæ ſpecialis.

61 CONcluſio procedit de perſeverantia quoad effectum negativum non ponendi obicem conſequutioni gratiæ; quod ſit per actus adimplentes omnia præcepta obligantia uſque ad mortem. Procedit ſimiliter de adultis iuſtificatis perſeverantibus in gratia per longum tempus, in quo neceſſe eſt occurrere plura præcepta, pluresque tentationes graves, & occaſiones peccandi, ex quibus ſimul cũ alijs incitamentis ad peccandum, conſurgit impotentia moralis, in vehementi difficultate conſiſtens, ad perſeverandum in bono uſque in finem. Nàm licet gratia habitualis ſanet animã quãtum ad mentem, mundando ea à macula peccati, remanet tamen infectio, & corruptio ſecundùm carnem; vi cuius appetitus repugnat rationi, manetque in intellectu debilitas ad proponẽdum bonum honeſtum cum maiori convenientia præ bono delectabili: & hoc; vel quia intellectus non penetrat, aut rectè ponderat convenientias boni honeſti; vel quia impeditur poſitivè à pravis inclinationibus appetitus ſenſitivi obnubilantibus ipſum.

Nota.

62 Hinc conſtat, auxilia conferentia poteſtatem antec. moralem ad perſeverandum nil aliud eſſe quam auxilia removentia impedimenta recenſita, proindèque conſiſtere in ſanctis cogitationibus manifeſtantibus convenientias boni honeſti, & in pijs affectionibus, etiam ſubitis, & indeliberatis, quibus voluntas inclinatur ad bonum, & retrahitur à malo; quæ communiter appellantur inſpirationes divinæ ad gratiam excitantem pertinẽtes. Huiuſmodi ſufficientia moralis nõ eſt perfectè, & ſimpliciter talis, cum nec ſanet perfectè vulnera ex peccato originali contracta, nec præbeat permanentem expeditionem ad perſeverandum in bono. Videmus enim iuſtos multotiès experiri graviſsimas difficultates in perſeverantia virtutis. Quapropter prædict. auxilia dicuntur dare potentiam moralem; quatenùs roborant moraliter vires, tùm intellectus, tùm voluntatis, ut non deficiat inter tot adverſitates, & tentationes. Sic ſe gerit Deus cum iuſtis, proſpera adverſis permiſcens, eos præveniẽdo in benedictionibus dulcedinis, ut ſic firmati, muniti, & roborati, ad opera quantumvis ardua promptiores reddantur; qua ratione talis gratia, etſi ſit ſanans, & medicinalis, ſolum eſt ſecundùm quid, & tranſeuntèr talis.

Illatio ex dictis.

63 His ſuppoſitis 1. pars concluſionis, quę eſt communis prob. ex Concil. Arauſ. can. ult. dicente: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, ut*

Prob. 1. pars ex Concil.

ut accepta per Baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & operante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Et ex Tridentin. sess.6. cap.11. *Qui sunt filij Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt eum ut ipse testatur, servant sermonem eius, quod utique cum divino auxilio præstare possunt.* Ex quibus sic arg. 1. Id solum dicitur absolutè possibile in materia morali, & sub præcepto gravi obliganti, quod est moraliter possibile: ergò si iuxta testimonia relata permanere in observatione legis usque in finē; est absolutè possibile iustificatis cùm auxilio Dei, ex vi illius accipiunt; si orent, tùm posse Physicum, tū posse morale. 2. Potestas ad perseverandū in bono cum auxilio Dei, attribuitur specialiter iustis in testimonijs relatis; sed potestas præcisè physica ad vitanda omnia peccata læthalia, convenit etiam peccatoribus fidelibus: ergò iustis concedenda est potestas etiam moralis; non quia hæc omnibus detur, sed quia omnibus offertur, si illam à Deo frequentèr petant; & pijs operibus illam à Deo impetrare voluerint.

64 Ratio est. Omnes iusti inexcusabiliter tenentur ad non ponendum obicem conservationi gratiæ usque ad mortem: ergò hoc est ipsis possibile moraliter per auxilia gratiæ eis à Deo collata, vel oblata. Prob. conseq. Nequit Deus attenta suavitate suæ providentiæ obligare inexcusabiliter hominem iustum sibi specialiter, & tanquam filium adoptivum dilectum, ad observationem collectionis ei moraliter impossibilem. Cum enim peccatum læthale sit gravissimum malum inducens reatum pœnæ æternæ; videtur nimis rigidum obligare filios suæ dilectionis sub læthali, ad positionem termini moraliter impossibilis. Hoc enim suadet illud Matth. 11. *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve*, & illud Psalm. 93. *Qui fingis laborem præcepto*: ergò &c.

Prob. ratione.

65 Dices iuxta D. Th. q.24. de Ver. a. 13. Homo existens in gratia potest se abstinere ab omni peccato, licet non possit se immobilitare in bono; sed nulla est ratio, ut loquatur D. Th. solum de potentia physica, & non de potentia morali: ergò ex vi actualis gratiæ omni alio se excluso &c. Confirm. ex ipso Ang. P. hac 1.2. q.109. a.1. ubi ait: *Homo in statu gratiæ habitualis potest se abstinere à peccato læthali, quod in ratione consistit, non autem ab omni veniali, propter corruptionem inferioris appetitus*: ergò cum homo iustus habeat potentiam physicam ad nunquā peccare venialiter, ut salvetur discrimen positum à D. Thom. dicendum; hominem iustum ratione gratiæ habitualis, & donorum, esse potentem moraliter nunquam peccare læthaliter.

Arg.1.

Confirm.

Resp. 1. Iustum ratione gratiæ habitualis donorum Spiritus S. & virtutum infusarum, continere omnes actus supernaturales, quibus adimplentur omnia præcepta divina; sed quia hæc dona, estò sanent hominem quantum ad mentem, non tamen sanant appetitum à fomite concupiscentiæ, nec similiter auferunt debilit. intellectus ad præferendum bonum honestum, quotiès urget præceptum: ex quibus, & alijs incitamentis ad peccandum, cōsurgit impossibilitas moralis ad non peccandum longo tempore: ideò ex vi gratiæ habitualis non habetur potentia moralis ad perseverandum in bono. Ex quo constat discrimen inter potestatem ad permanendum positivè in bono usque in finem vitæ; & ad vitādum omnia venialia: siquidem ad primum homo iustus non habet potestatem adhuc physicā; cum donum perseverantiæ unicè effectivè proveniat à Deo. Ad nunquam vero peccare venialiter, solum habet potentiam physicam imperfectam; cum peccatum veniale possit committi ex imperfecta deliberatione. De quo dub. antec.

66

Solutio.

Ad confirm.

Resp. 2. Hanc propositionem *homo ratione gratiæ habitualis est potens moraliter nunquam peccare mortaliter*, duplicem sensum admittere: primum formalem, & immediatum; ita ut potestas moralis immediata habeatur intransitivè ratione gratiæ, virtutum infusarum, & auxiliorum gratiæ, quæ debentur ex vi providentiæ generalis hominibus iustificatis. Secundus vero sensus est virtualis, & mediatus; quatenùs ratione gratiæ, & auxiliorum, quæ ipsi debentur; potest

67

Alia solutio.

est homo iustus acquirere talem potestatem sub conditione orationis &c. à Deo oblatam. Hæc potestas dicitur absolutè talis, & sufficiens ad imputabilitatem, ut videre est in eo, qui pro sua libertate adquirere potest Breviarium v.g. ad recitandum. Hoc supposit. D. Th. exponendus est de potestate absoluta, & de morali mediata, quatenùs homo per gratiã reparatus, potest acquirere media oratione, potestatem immediatam moralem ad nunquam peccandum. Conclusio autem nostra procedit de potestate immediata morali.

68 Advertendum tamen, quod dùm negamus iusto ratione gratiæ habitualis potestatem moralem ad nunquam peccandum; non propter hoc
Adver. 1. concedimus necessitatem moralem ut aliquando mortaliter peccet; sicuti est necessarium, aliquãdo evenire scandala &c. Nàm prædicta impotentia moralis solum sistit in gravi difficultate propter debilitatem arbitrij ex parte intellectus, & pugnam ex parte appetitus ad semper rectè operandum. Sed quia hanc difficultatem, & alias similes, frequentissimè superat Dei misericordia iustis præparata: ideò negamus necess. moralem in iusto ad aliquando peccandum læthaliter, adhuc
Secundò. secundùm præsentes, quas habet vires, ut docet Trident. sess. 6. can. 8. 2. advertendum immeritò à M. Ferre, & alijs, citari pro opposita sua M. Medina, & Ferrariens. Ille enim solum statuit sequentem conclusionem ordine 3. *Gratia habitualis, & auxilium ab ipsa procedens, est sufficiens in suo genere, ad hoc ut possit perseverare, quæ doctrina habetur in D. Thom. hic ad 3. sequentibus verbis. Nùnc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulteriùs eis datur donum, quo perseverent.* * Cum igitur præd. Mag. non loquatur expressè de potestate mora-
* Quam sta tuit etiam Cayet. ibi ab eod. cit. li superiùs explicata; sicut nec ipse Ang. Mag. non facilè percipitur; cùr doctrina ab ipso proposita debeat intelligi de omni sufficientia tàm physica, quam morali. Præsertim quia illa restrictio *in suo genere* meritò accipit expositionem denotantem sufficientiam physicam.

2. Pars conclusionis intellecta de specialitate gratiæ, tàm respectivè ad naturam hominis, quàm ad gratiam habitualem, proùt confertur in hoc statu. Prob. Gratia habitualis licet sanet hominem quantum ad mentem; non tamen sanat illum, quòad corruptionem carnis, & debilitatem intellectus, in dirigendo voluntatem, ut docet Sanct. Doct. hic art. 8. ex authoritate Apostoli: ergò gratia habitualis, proùt confertur homini in præsenti statu, nec dat potestatem moralem ad vitanda omnia peccata usque ad mortem, nec talis potestas moralis est ipsi debita. Prob. conseq. quòad ult. part. Si auxilia, quibus habetur potestas moralis ad vitanda peccata, essent debita gratiæ, esset debitum ipsi sanare infirmitatem ex parte appetitus, removere obscuritatem ex parte intellectus, & alia impedimenta, ex quibus consurgit impotentia moralis: ergò si gratia proùt in hoc statu non sanat infirmitatem prædictam, nec removet alia impedimenta (ut glorioſior appareat triumphus in certamine contra concupiscentias carnis) non est debita gratiæ potestas moralis &c. 69 Probatur 2. pars.

3. Pars intellecta universaliter de omnibus adultis iustificatis probat. ex Concilio Arausic. cap. 10. dicente: *Adiutorium etiam renatis petendum est, ut ad finem bonum possint pervenire, & in bono perseverare.* Et ex Trid. sess. 6. can. 22. his verbis: *Si quis dixerit hominem iustific. sine speciali auxilio in accepta iustitia posse perseverare, vel cum eo non posse, anathema sit.* Quæ propositio cùm sit indefinita, & doctrinalis, æquivalet universali, cumque ex parte subiecti illius ponatur *homo iustificatus*, clarè deducitur auxilium efficax ad perseverandum esse gratiam specialem facta comparatione etiam respectivè ad gratiam. 2. suadetur ex communi praxi omnium iustorum, iuxta quam instantèr petimus à Deo, ut maximum, & speciale beneficium, auxilium efficax ad perseverandum, ut constat ex oratione Dominica, cuius ferè omnes petitiones ad impetrandum auxilium perseverantiæ collimant. Ex qua oratione, & modo illius, deducitur tale au- 70 Probatur 3. pars.

xilium esse non solum donum gratiæ Dei, sed etiam adhùc specialissimum intra ordinem gratiæ. Denique; quia prædictum auxilium efficax est effectus prædestinationis convertibiliter se habens cum illa: quapropter solum prædestinatis confertur; cum igitur prædestinatio sit providentia specialis intra ordinem gratiæ; paritèr & prædictum auxilium inter dona specialia gratiæ numerari debet.

Ultimo.

71

Hinc constat auxilium efficax ad perseverandum usque in finem, etiam in eo, qui post iustificationem brevi tempore moritur, aut cui nullum præceptum, aut facilè adimpletione, urget; esse gratiam specialem. Ratio est. 1. quia prædictum auxilium confertur ex intentione efficaci glorificandi iustum sic decedentem è vita. 2. quia in prædicto casu semper intervenit gratia specialis divinæ protectionis removentis gravem tentationem, & alia incitamenta ad peccandum, ut docet Sanct. Doct. 3. contra Gentes cap. 155. ex doctrina M. P. Aug. homil. 23. his verbis: *Hoc tibi dicit Deus tuus, regebam te mihi, ut non committeres adulterium; suasor defuit, ut suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuerũt, ut hæc deessent, ego feci; agnosce ergò gratiam eius, cui debes, & non amitte &c.* ubi auxilium divinæ protectionis, quo Deus removet occasiones peccandi, declarat. De adultis vero, in quibus post ultimam iustificationem intercedit notabile spacium vitæ: clariùs percipitur auxilium efficax ad perseverandum esse gratiam specialem. Tùm quia frequentèr occurrunt plura præcepta difficillima observatione; ut sunt præcepta de actibus virtutum Theologicarum. Tùm quia in dicto casu occurrunt plures tentationes, vel ex subreptione appetitus provenientes, vel ex suggestione Dæmonis: ad quorum victoriã necesse est muniri gratia speciali Dei. Unde deduces aliquã perseverantiam pro formali esse eiusdẽ rationis in omnibus, tàm adultis, quàm parvulis; cum formaliter importet conIunctionem gratiæ cum morte ex intentione efficaci glorificationis imperata. Cæterũ præsuppositivè importare aliquam diversitatem in prædestinatis. Nàm in his, qui decedunt sine usu rationis, solum importat providentiam Dei specialem, vi cuius ita omnia disponuntur, ut mors accedat antequam gratia possit amitti; in alijs vero importat collationem auxiliorum efficacium, vel ad vitanda peccata, & separandas tentationes longo tempore, vel ad persistendum in gratia per opera de se facilia, illo tempore, in quo ex speciali Dei providentia mors debet evenire.

Aliqua diversit. in perseverãtibus.

Hic continet doctrin. S D. a. 9.

Ex dictis in hoc dubio colliges donum perseverantiæ actualis posse accipi; vel pro coniunctione gratiæ cum morte; vel pro immobilitate ad persistendum in bono usque in finem vitæ; vel pro auxilio efficaci ad elicientiam actuũ, quibus adimplẽtur omnia præcepta usque ad finem vitæ. 1. donum perseverantiæ dicitur, & est perfectè, & complete tale, solumque confertur in instanti, in quo iustus moritur in gratia. 2. donum perseverantiæ est proprium viatoris, conferturque homini ante mortem, * ut de se constat; licèt compleatur, & consumetur per coniunctionem gratiæ cum morte. 3. quod propriè vocatur perseverantia causalis, * quia adiuvat efficaciter ad actus, quibus usque in finem perseveratur; etiam confertur ante mortem. Ex quibus donum, sive munus ultimum perseverantiæ, solùm convenit dono constitenti in coniunctione gratiæ cum morte consummatæ per gloriam. Adiutorium vero, sive speciale auxilium ad perseverandum, ut loquuntur Trident. & Araus. proprie verificatur de gratia auxilianti, munita gratia prædeterminanti ad elicientiam actuum, quibus præcepta urgentia usque in finem vitæ adimplentur. Omnia igitur dona perseverantiæ in sensu superius explicato sunt dona gratiæ specialis etiam respective ad gratiam sanctificantem; cũ pluribus detur gratia, non vero ulla perseverantia usque in finem. Si dicas. Homo sine speciali auxilio gratiæ potest habere propositum efficax perseverandi usque in finem; cum tale propositum sit actus proprius virtutis: ergò etiam sine speciali auxilio potest perseverare usque in finem. Conseq. patet. Quia quando executio rei est mo-

72

Illatio ex dictis.

Triplex persev.

* Sic Aug. de concept. cap. 7. illis verbis: quem fortis &c

* Hæc est talis quo ad effectũ negativũ.

Si instes.

moraliter impossibilis, etiam intentio efficax illius gaudet eadem impossibilitate: ergò è converso &c. Resp. ex dictis dub. 8. à n. 28. conc. antec. neg. conseq. Nàm in executione rei possunt occurrere, & fortius, plura impedimenta, quæ in intentione efficaci non ita occurrunt; undè potest requiri gratia specialissima pro executione, nõ vero pro intentione efficaci eiusdem. Quare argumentum solum probat de intentione efficaci concepta in vi auxiliorum, quæ de præsenti habentur, & ab intendente efficaciter finem, possunt sortiri suum effectum: secus vero de intentione efficaci concepta in vi præparationis divinæ omnipotentiæ ad auxiliandum efficaciter intendentẽ finem, si petat à Deo gratiam efficacem pro executione illius, & sic se habet propositum efficax elicitum à iustis nunquam peccandi moraliter.

Solutio.

Et hæc de hoc dubio applicanda litteræ Mag. ubi præcedens.

***

DUBIUM XV.

AN HOMO IN STATV INNOcentiæ indiguisset speciali gratia ad perseverandum in bono usque ad finem viæ?

§. I.

SUPPONUNTUR ALIQUA.

N. 1 Primo.

PRimo supponendum est, perseverantiam Adami acceptã, non solum pro observatione divinæ legis longo tempore; sed etiam pro coniunctione gratię sanctificantis cum fine viæ (tùnc enim iusti vivi raperẽtur ad Cœlum, quando placeret Deo) non fuisse in potestate illius, etiam ut iustificati per gratiam; in potestate, inquam, directa, & activa, quasi ipse per suum liberum exercicium posset coniungere gratiam cum fine viæ. Ratio constat ex dictis dub. antec. ubi idem probavimus de homine iustificato post lapsum. Si enim iuxta M. P. quia in solius potestate Dei est imponere finem vitæ homini iustificato post lapsum, non est in eius potestate donum perseverantiæ; cum etiam Deus, quando sibi placeret, imponeret finem viæ omnibus iustificatis in statu innocentiæ, & antequam laberentur in peccatum; sequitur donum perseverantiæ in dicta coniunctione consistens, non esse in potestate arbitrij innocentis.

2 Illatio ex dictis dubio ant.

Consequentèr etiam ad hæc dicendum perseverantiam quòad effectum positivum consistentem in immobilitate ad permanendum in bono usque in finem viæ, non potuisse provenire à libertate Adami, etiam ut elevati per gratiam. Ratio est: Adamus quantumcũque perfectè operaretur in quolibet instanti innocentiæ, adhùc remaneret peccabilis, & vertibilis de bono in malum pro alijs instantibus; & ideò per nullum exercitium, quantumvis perfectum, poterat reddere se immobilem ad perseverandum in bono tempore sequenti. Videantur dicta circa hoc dub. anteced. Ex quibus

constat auxilium collatum Adamo ad perseverandum usque in finem esse auxilium speciale, si consideretur, ut collatum à Deo, ex intentione efficaci illum glorificandi: siquidem prædestinatio, etiam supposito statu innocentiæ, foret providentia specialis; proindeque auxilium efficaciter conducens ad gloriæ consequtionem, & imperatum ex tali prædestinatione, esset pariter gratia specialis. Unde dub. procedit de auxilio requisito ad perseverandum usque in finem viæ, quantum ad abstinentiam ab omni peccato. Hoc accideret eliciendo actus tendentes ad obiecta de se ardua, & difficilia; ut videre est in elicientia actus fidei, spei, charitatis, magnanimitatis, & similium. Nec in dicto statu aliquoties deficeret victoria gravis tentationis circa elicientiam aliquorum actuum. Nàm, etsi perfectio illius excluderet tentationem ab interiori concupiscentia provenientem, non tamen illã, quæ proveniret ex Diaboli suggestione, uti de facto fuit tentatus, dùm erat innocens. Dicere autem quantum tempus pertransiret, sive interveniret, inter perseverantiam Adami, & illius glorificationem: ad solùm Deum spectat, & cuius nescientia nobis parum obest pro præsent. dub.

3 Secundo.

2. Supponendum: Adamum ad actualem perseverantiam ultra auxilia gratiæ sufficientis, indigere Dei cooperatione producenti in ipso actus virtutum, quibus adimplendo præcepta, perseveraret. Ratio est: Nàm omne opus salutare fit immediatè à Deo illud operanti, ut constat ex illo Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, & ex illo Pauli: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Sed quia huiusmodi operatio immediatè influens in actus virtutum imperatos à volitione perseverandi, spectat ad gratiam cooperantem, sicuti, & velle ad gratiam operantem; hinc sumit initium diversitas opinionum circa necessitatem gratiæ adiuvantis *ut quo* ad perseverandum in bono. Qui enim senserit auxilium *quo* ad facere imperatum ex volitione unicè consistere in ipso velle efficaci, tenetur asserere ultrà *auxilium quo requisitum* ad velle imperans in Adamo perseverantiam in bono, non requiri ulteriorem gratiam adiuvantem, sive prædeterminantem, ad perseverandum distinctam ab ipso velle. Nàm etsi requiratur etiam influxus immediatus Dei in omne opus salutare, ille nõ spectat ad concursum prævium Dei; sed simultaneum. Qui autem oppositum senserit, ut facimus, & nos * tenentur ponere duplicem gratiam adiuvantem *ut quo*, & prædeterminantem, ad voluntarie perseverandum in bono distinctam realiter ab ipso velle: unam scilicèt, per quam Deus operatur, ut homo velit, & imperet actus virtutum: alteram vero, per quam immediatè applicat, & determinat voluntatem iam prævolentem, ut eliciat actus virtutum, in quibus consistit actualis perseverantia.

* De hoc tom. seq.

Ad Philip. 2.

Ob hæc habenda est præ oculis 4 distinctio inter velle, & facere, pluries tradita à M.P. *& de qua agit D.Tho. 1. 2. q. 111. ar. 2. Nè ex distinctione inter velle, & perseverare in bono, similis necessitas ulterioris gratiæ adiuvantis ad ipsam actualem perseverantiam distinctæ à velle, eadem certitudine deducatur. Undè etsi A. infra citand. fateatur Adamum indiguisse gratia Dei adiuvantis, & operantis in Adamo velle perseverare, negat tamen ultra illam requiri ulterius auxilium distinctum ab ipso velle, ut actualiter perseveraret. Deindè notandum doctrinam pro perseverantia Adami in statu innocentiæ posse applicari Angelis bonis pro illorum perseverantia. Tùm propter aliqua testimonia M. P. in quibus ferè eodem modo loquitur de perseverantia Adami, & Angelorum. Tùm propter summam facilitatem, qua Adamus pollebat in statu innocentiæ ad non peccandum; propter quam vivebat, ut alter Angelus.

* Aliud est velle; aliud facere de grat. & lib. c. 15. & 16. de grat. Christi sæpè.

Nota.

Ultim. Supponimus Adamum 5 habuisse veram potestatem, veramque sufficientiam per Dei gratiam, ut perseveraret in statu innocentiæ. Ita exprosse M.P. de corrept. & grat. cap. 11. *Posset ergò Adamus permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset per-*

perseveranter bonum tenere, quod vellet. Consonat D. Thom. 2. 2. q. 137. ar. 4. plenè sequens doctrinam D. Aug. Hæc Plena sufficientia, perfectaque libertas ad perseverandum in bono fuit in Adamo per gratiam habitualem, per virtutes infusas, & dona Spiritus Sancti à gratia dimanantia, & per auxilia spectantia, tùm ad intellectum, tùm etiam ad eius voluntatem (& ut pluribus placet) per subitas inspirationes amoris, & cognitionis, inclinantes illius voluntatem, ut per exercitium virtutum in bono perseveraret. Hęc omnia utpotè in sub iecto perfectè sano absque aliqua rebellione adversus spiritum reddebant illum proximè, & expedite potentem tàm physicè, quàm moraliter perseverare in bono.

Moraliter hic per manent. & excessum, denotat.

6 In hoc puncto plura dicuntur à SS. M. Manso, huius Universitatis iubari præclaro, Doctrinę, atque Religionis, egregijs dotibus ornato, in suo erudito, ac ingenioso tom. 1. quæ etsi acumine plena sint; revera tamen mihi difficultatem ingerunt. Quapropter sequentes communem doctrinā Thomistarū, qui semper pro viribus ad intelligendam mentem M. P. & D. Thom. laboraverunt, illam pro posse nostro explicabimus, & ab aliquibus impugnationibus contra ipsam, tuebimur.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Adamus fuit potens potentia proxima, omnino expedita ad perseverandum in bono; non tamen fuit potens potentia consequenti.

7 PRima pars est omnino certa apud omnes Theologos, & expresse tradita a M. P. de corrept. & grat. cap. 11. dicenti: *Tunc ergò dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippè eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat, & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergò permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset.* Ubi expresse concedit Adamum habuisse adiutorium *sine quo* ad perseverandum, quod est adiutorium sufficientiæ, & potestatis. Idem expresse docet D. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 10. & 2. 2. q. 137. ar. 4. ad 2. Quod autem talis potestas fuerit omnino expedita, constat ex ipso M. P. cap. 12. ubi supra dicenti: *Adamum habuisse bene vivendi, & perseverandi magnam facilitatem.* Cui consonat D. Thom. ubi proximè per hæc verba: 1. *homini datum est, ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem præberet.* Sed potestas ad aliquod exercitium cum magna facilitate ad illud, est omnino expedita, hoc est, tàm physicè, quàm moraliter: ergò talis fuit potestas in Adamo &c. Undè ab opposito in hominibus, etiam iustificatis, post lapsum Adæ, talis potestas ad perseverandum non adest; tùm propter vulnus ignorantiæ in intellectu, & vulnus malitiæ in voluntate: tùm propter rebellionem appetitus ad rationem, ex quibus consurgit gravis difficultas ad perseverandum in bono.

Prob. 1. pars ex M.P.

Ex M. P. & D. Th.

8 2. pars mihi videtur etiam certa, nisi sit litigium de voce, aut definitio potentiæ consequentis proùt differt à potentia antecedenti improprie accipiatur. Ratio est: Potentia consequens dicitur relativè ad id, quod est consequenter possibile; sed perseverantia in innocentia non fuit Adamo consequenter possibilis: ergò non habuit potentiam consequentem &c. Prob. min. 1. Nullum bonum creatum est consequenter possibile sine decreto efficaci Dei producentis illud; Nàm eatenus aliquid dicitur consequenter possibile, quatenùs attentis omnibus circunstantijspro eius existentia requisitis, existere potest: ergò cū in Deo non extiterit decretum efficax donandi Adamo perseverantiam &c. 2. & explic. hoc. Deficiente causa necessariò requisita, & à priori, ad existentiam effectus, nequit iste dici possibilis consequenter. Ratio est, quia id, quod necessariò ex aliqua suppositione deficit, est consequenter impossibile; ut est certum, nisi ludamus ter-

Talis potentia nō fuit consequens.

Contra M. Manso

Prob. minor. 1.

Secundo.

terminis. Sed perseverantia non extitit in Adamo, deficiente pro priori decreto efficaci donandi ei velle perseverare; quod decretum necessariò, & à priori requiritur, ut perseveraret: ergò talis perseverantia fuit impossibilis consequentèr Adamo. 3. & urgentius. Nequit perseverantia in bono esse Adamo consequenter possibilis, & quod Deo sit impossibile consequenter donare illam Adamo, cum iuxta M. P. *Si illam habuisset, illam accepisset à Deo, & si illam accepisset, Deus illam donasset, & persev.* Tùm quia alias magis fuisset in potestate Adæ perseverantia, quam Dei. Sed Deo fuit impossibile consequenter donare perseverantiam Adamo; tùm ratione carentiæ decreti prædefinientis talem perseverantiam; tùm ratione decreti permittendi Adamo peccatum, & denegandi ei vocationem congruam: ergò talis perseverantia nequit &c.

Tertiò.

De correct. & grat. c. 9.

9 Efficacia huius probat. desumitur ex D. Thom. 1. p. q. 19. ar. 6. Ubi explicat quid sit voluntas antecedens, & consequens in Deo, & qua ratione Deus antecedenter velit salutem omnium hominum, & voluntate consequenti, velit aliquos reprobare. * Ait enim salutem omnium duplicem considerationem habere; 1. quatenùs est finis ultimus creaturæ rationalis ex Dei ordinat. præscriptus: 2. vero; quatenùs consideratur, vel ex parte hominis circunstantia indignitatis ad gloriam ratione peccati; vel quatenùs per salutem omnium hominum impeditur in Deo ostensio divinæ iustitiæ punitivæ. Si 1. modo consideretur, sic est volita à Deo; secùs autem, si 2. modo consideretur. Et quia consideratio salutis omnium hominum secundùm se est prior consideratione eiusdem salutis, ut affectæ aliquibus circunstantijs, ideò volitio illius 1. modo dicitur voluntas antecedens; 2. vero modo consequens erga aliquos tantum. * Ex qua mirabili doctrina constat illud bonum dici volitum à Deo consequenter, quod est volitum inspectis omnib: circūstantijs, & illud esse volitum antecedenter, quod est volitum præcisive ab illis: ergò similiter dicendum de possibilitate; nimirum: illud esse possibile antecedenter, quod est possibile secundùm se, hoc est, attenta sufficientia, & virtute voluntatis in actu 1. illud vero esse possibile consequenter voluntati, quod omnibus circunstantijs attentis; tàm intrinsecis, quàm extrinsecis, est ipsi possibile. Cumque una ex his pro perseverantia libera in Adamo, sit decretum prædefinitivum, & operatio Dei eam causans; dùm hæc deficiunt in Deo, solùm remanet antecedenter possibilis.

Confirm. ex D. Th.

Sensus doctr. S. D.

10 2. Prob. ex M. P. de gratia, & lib. arb. cap. 17. dicenti: *Sine Deo operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus.* In quibus fatenti M. laudato, intelligit M. P. gratiam prædeterminantem, per quam Deus operatur in nobis velle, & gratiam cooperantem, per quam suppositò in nobis velle, facit nobiscum nostrum facere. Hoc suppositò sic arg. Adamus non habuit potentiam consequentem ad velle perseverare: ergò nec ad ipsam perseverantiam, quæ aliter existere non poterat, nisi imperata ex velle. Prob. añs. Adamus non habuit gratiam efficacem, per quam Deus fuerit operatus in illo velle perseverare, ut est certum; sed hoc ipso non fuit potens saltim potentia consequenti ad velle perseverare; cum iuxta M. P. *sine Deo operante in nobis velle, ad pietatis opera non valeamus*: ergò. Brevius: sine gratia operante iuxta M. P. nihil valemus ad velle pium; sicuti sine cooperante, nihil valemus ad facere pium. Vel ergò ita nihil valemus, ut careamus potestate antecedenti, vel saltim potestate consequenti? 1. nequit dici, alias deficiente gratia efficaci ad velle, periret nostra libertas. Undè dicendum 2. ergò cum in Adamo non fuerit gratia operans in eo velle perseverare, non fuit potens potestate consequenti ad tale velle. Eadem ponderatio fieri potest ex illo de peccatorum meritis cap. 18. *Sine Deo excitante, atque adiuvante, nihil possumus*: & ex illo de corrept. & grat. cap. 12. ubi agens de adiutorio *quo* ad perseverandum, affirmat *sine hoc dono non solum non posse hominem perseverare; verum tali dono hominem non fieri, nisi perseverantem.* At qui ly *non pos-*

Prob. 2. ex doctr. M. P.

Ratio pro ponit.

Breviter.

possumus nequit intelligi de potentia antecedenti: ergò intelligi debet de potentia consequenti. Cum igitur tale adiutorium *quo* non fuerit in Adamo, nec gratia adiuvans ad velle perseverare; non fuit in ipso potentia consequens ad perseverandum. Rursus. In Adamo solùm fuit adiutorium *sine quo* ad perseverandum. Sed hoc non reddit perseverantiam possibilem consequenter: ergò. Prob. min. Iuxta M.P. ubi immed. *Alimenta (quæ sunt adiutorium sine quo advivendum) non consequenter faciunt, ut homo vivat, sed tamen sine illis vivere non potest.* Nota ly *consequenter*: ergò.

11 Urgetur ad hominem.

Hoc ipsum urgeri potest ex doctrina huius A. asserentis perseverantiam Adami fuisse dependentem à velle, velle autem ab actione Dei illud causanti, actionem Dei à consensu negativo præstito vocationi congruæ, & huiusmodi consensum ortū ducere à vocatione prævisa, ut congrua, quam Deus unicè pro suo libito negat, vel concedit. Ex quibus constat, quod, ut Adamus cum effectu perseveraret, duo deberent præcedere ex parte Dei; scilicèt, collatio vocationis congruæ, & actio producens velle perseverare; & alia duo ex parte Adami, scilicèt, consensus negativus, & ipsa volitio perseverandi; ita tamen, ut collatio vocationis congruæ sit radix, & fundamentum perseverantiæ, & totius progressus salutaris in Adamo. Nunc sic argum. Implicat potentia conseq: ad perseverandum, dùm deficit, quod est radix, & fundamentum necessariò requisitum ad perseverandum; cum potentia consequēs, vel sit potentia cō iuncta cum actu, vel immediatè infallibiliter coniungibilis cum ipso. Sed Adamus non habuit vocationem congruam ad perseverandum, quæ iuxta dicta est principium, & radix ad perseverare: ergò non habuit potentiam consequentem &c. Dicere autem Adamum potuisse per orationem acquirere vocationem congruā: hoc solùm probat poteſtatem antecedentem ad perseverandum: & rursus solum probat huiusmodi poteſtatem non esse adhùc immediatè reducendam in actum per ipsam perseverantiam; sed 1. per acquisitionem vocationis congruæ: 2. per consensum negativum ei præstitum; 3. per volitionem perseverandi; 4. & ultimo per ipsam perseverantiam. Vide, quā distans fuerit in præsenti providentia potentia perseverandi in Adamo ab ipsa actuali perseverantia: & clarè constabit; immerito dici de Adamo habuisse potentiam consequentem ad perseverandum; cum potius non habuerit potentiam antecedentem immediatè determinabilem, aut reducibilem per ipsam perseverantiam iuxta doctrinam præfati A. Undè claritatis gratia sic iterum arguo. Subiectum, cui est necessaria necessitate consequētię carētia perseverantiæ, non est potens consequenter ad illam; alias duo contradictoria essent simul vera. Sed subiecto incongruenter vocato ad perseverantiam, qualis fuit Adamus, est necessaria necessitate conseq: carentia perseverantiæ; cum inter utrumque detur infallibilis connexio: ergò.

Quædam Resp præcluditur.

Denique. Illud dicitur propriè possibile potentia consequenti, quod est possibile in sensu composito, ut communiter dicitur à Theologis; qua ratione, etsi Reprobo, sit antecedenter possibilis salus æterna, scilicèt, in sensu diviso reprobationis, non tamen dicitur possibilis consequenter, hoc est, in sensu composito reprobationis. Sed Adamo incongruenter vocato ad perseverandum est impossibilis perseverantia in sensu composito talis vocationis, ut est certum: ergò est impossibilis impossibilitate conseq: estò sit possibilis antecedenter; scilicèt, in sensu diviso talis vocationis; vel unicè factibili à Deo, vel etiam factibili ab Adamo, acquirendo per orationem vocationem congruam, vel consentiēdo negative, impediendo incongruam. De quo non curo.

12 Alia probat.

Sed dices iuxta M. P. *Adamus potuit perseverare in bono, si vellet*; ita de correct. & gratia cap. 11. & 12. Sed hæc locutio denotat habuisse nedum potentiam antecedentem, sed etiam consequentem: alioquin nihil speciale de illo diceret præ iustis post lapsum: ergò. Confirm. Potentia sume facilis ad perseverandum est nedum

13 Motiva in contra 1.

Confirm.

dum antecedens, sed etiam consequens; aliàs prædestinati, qui modo gaudent potestate antecedenti ad perseverandum, gauderent eadem facilitate, quod est absurdum. Sed talis fuit potestas Adami iuxta M. P. ubi supra sic dicentem. *Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignæ tantæ bonitati, & facilitati bene vivendi, & perseverandi committeretur arbitrio*: ergò ut salvetur discrimen inter utrumque statum, dicendum potentiam perseverandi in Adamo fuisse consequentem.

14 In primis ex hac propositione: *Adamus potuit perseverare, si vellet*, non infertur habuisse potentiam consequentem ad perseverantiam. 1. Nàm iuxta Trident. sess. 6. can. 4. *Liberum arbitrium à Deo (efficaciter) motum, & excitatum, libereque assentiens Deo excitanti, potest dissentire, si velit.* Sed liberũ arbitriũ sic excitatum, sicque consentiens, nequit potentia consequenti dissentiri; cum his suppositis sit necessaria necessitate consequentiæ carentia dissensus: ergò. 2. *Nàm Deus potest convertere Dæmonum voluntates in bonum, si vellet; cum sit omnipotens*; & tamen ex hoc non probatur habere potentiam consequentem ad talem conversionem; tùm quia non conversio dæmonum est Deo necessaria consequenter, scilicèt, ex suppositione decreti non convertendi illos. Tùm quia Dei omnipotentia est determinata efficacitèr ad non convertendum dæmones, cum qua determinatione talis conversio non est consequenter possibilis. 3. Iuxta M. P. de spirit. & litt. cap. 31. *Hoc quisque in potestate arbitrij habere dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit.* Sed potestas libera ex se non dicit posse consequenter: ergò. Alia exempla infra dabimus.

Resp. ostendendo inefficaci illius. 1.

Secundo.

Sic M. P.

15 Undè ex tali loquutione solùm infertur Adamum habuisse potestatem antecedentem summa facilitatè præditam ad perseverandum; qua ratione fuit potentia antecedens nedum Physica, sed etiam moralis, hoc est, absque ullo impedimento, & resistentia appetitus ad rationem; quæquidem potestas moralis antecedens, & ita expedita, non adest iustis post lapsum Adami. Ita M. Bolivar dub. ultim. de necessitate gratiæ num. 63. Per quæ constat ad confirmationem. Quod si propter hæc dicatur potestatem Adami fuisse potestatem consequentem: dicimus talem acceptionem esse impropriam iuxta superius stabilita. Aliàs prædeterminatus ad actum oppositum actui facili v. g. actui subveniendi Parenti indigenti, esset potens consequenter ad illum. Hinc non satis consequenter asserit præd. A. q. 2. §. 2. n. 17. *§. Iam vero*, & q. 5. n. 18. Adamum habuisse potentiam consequentem ad perseverandum. Ibi enim arguit contra M. *Laffosse* asserentem Adamum ad perseverandum non eguisse gratia efficaci, sed solum decreto efficaci, arguit, inquam, dicens: *iuxta hanc sententiam non esse dicendum Adamum habuisse potentiam consequentem ad perseverandum; eo quod in omnium sententia pro potentia consequenti requiritur gratia efficax intrinsece, vel extrinsece talis: deficiente autem tali decreto, uti defuit Adamo, gratia ipsi collata nullatenùs fuit efficax.* Hæc autem probatio efficacissimè probat contra ipsum M. ut de se patet, cum gratia intrinsece efficax, quæ iuxta ipsum est actio Dei causans velle perseverare, non fuerit in Deo. Hac de causa (ni fallor) tom. 2. fol. 80. ait: *Potentia consequens est potentia efficax, & coniuncta cum effectu*: ergò cum potentia ad perseverandum in Adam &c.

Resp. directe.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Hæc propositio: Adamus non indiguit auxilio efficaci gratiæ ad perseverandum in bono, est penitus falsa, & aliena à mente D. Augusti.

16 ITa communiter Thomistæ, inter quos videndus Illust. Alvarez de auxilijs disp. 106. concl. 2. M. Lemos lib. 4. tract. ult. cap. 1. & 2. P. Suarez lib. 10. de grat. cap. 9. asserens

Est communis.

rens esse communem omnium Theologorum. P. Vazquez tom. 1. in 1. 2. disp. 197. ubi n. 9. ait hanc conclusionem continere doctrinam in Ecclesia Dei definitam, & à PP. traditam. P. Ripalda tom. 2. disp. 111. sect. 6. n. 50. M. Gonet tract. de grat. disp. 1. art. 8. §. 5. Notandum conclusionē loqui de auxilio non ad posse, sed ad actu, & re ipsa perseverandum per diuturnam elicientiam actuum naturalium, & supernaturalium usque ad finem viæ. Similiter conclusio præscindit ab eo, quod tale auxilium sit speciale, vel non intra ordinem gratiæ; in hoc enim aliqualiter discriminantur Theologi, pro quo videri possunt Illustr. Godoy, M. Ferre de necessit. gratiæ ad perseverandum in statu innocentiæ. Nec tandem vim facimus in eo quod sit ab intrinseco efficax.

17 1. Pars prob. 1. ex Arausic. cap. 19. sic dicente: *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adiuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei non possit custodire salutem, quam accepit: quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Ubi docet Adamum ad persev. eguisse gratia ita adiuvanti, ut re ipsa persev. quæ differt in munere à gratia, quatenùs fuit sufficiens ad perseverandum. Nec valet dicere Concilium per gratiam Dei, eiusque adiutorium intelligere dona habitualia, & habitus infusos collatos Adamo; non vero gratiam actualem donantem ipsi actu perseverare. Non inquam valet. Nàm Concilium supponens cum Parentem accepisse à Deo salutem per gratiam habitualem, & alia dona; ut constat ex illis verbis: *Salutem, quam accepit*; postmodum docet: *hanc salutem, quam accepit, non potuisse custodire sine gratia, & adiutorio Dei*: ergo manifeste distinguitur à Concilio inter salutem habitam ab Adamo per dona habitualia, & inter gratiam, sina qua prædicta salus custoditi non poterat. Sed hæc gratia non erat alia habitualis, ut est certum; nec gratia donans præcisè posse perseverare; cum hæc sufficientia ipsi conveniret vi gratiæ habitualis virtutum, & auxil: eis connàtur: ergò erat gratia actualis

Prob. Author. 1. pars.

Quædam responsio

Reijcitur

faciens, ut Adamus cum effectu custodiret salutem actu perseverando in bono. Videantur AA. cit. evasionem prædictam refutantes.

18 2. Pars prob. (& consequenter etiam prima) ex M. P. in enchiridio cap. 106. ubi loquens de homine in statu innocentiæ hæc habet: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio fuerat constitutum, non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberū arbitriū, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium præberetur.* Et postmodum: *homo in Paradyso ad se occidendum relinquendo iustitiam, idoneus erat per voluntatem: at autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuvaret.* Et lib. 22. de Civit. Dei cap. 9. loquens de Angelis affirmat: quosdam sua libertate cecidisse; alios *vero amplius adiutos perseverasse.* Idemque adiutorium requiri in primo homine, ut perseveraret in bono, in quo incæpit; colligitur ex ipso P. M. lib. 14. de Civit. Dei cap. 27. per hæc verba: *Bene vivere sine adiutorio Dei, etiam in Paradyso, non erat in potestate hominis.* Et rursus: *Primus homo sic erat institutus, ut si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret, meritum bonum habens in voluntate recta divinitus adiuta; malum vero in deserente Deum voluntate perversa.* Et lib. de natura, & gratia cap. 26. ubi docens: *Hominem plenissimè iustificatum non posse diù bene vivere, nisi æternæ iustitiæ luce divinitus adiutum*; hanc doctrinam etiam extendit ad hominem in statu innocentiæ cap. 48. per hæc verba: *Nàm & ibi esset adiutorium Dei, & tanquam lumen solis oculis, quo adiuti se videant.* Et cap. 11. de correct. & grat. *Adamus, ut bonum reciperet, gratia non egebat, quia nondum perdiderat; ut autem in bono permaneret, egebat adiutorio gratiæ.* Denique videndus lib. de gratia Christi fere per totum probans contra Pelagium *ultra adiutorium possibilitatis, dari adiutorium voluntatis, & actionis per gratiam Dei ad opera salutaria.* Quæ omnia clare indicant sequentem propositionem esse alienam à mente M. P. scilic: *Adamus, ut perseveraret in bono, non egebat gratia Dei adiu-*

Prob. 2. pars. ex testim. §. D. 1.

Secundū.

Tertium.

Quartum

Quintum

Sextum.

van-

vanti: Consonat S.D. q. 27. de verit. ar. 5. ad 3. *Magis tunc poterat homo stare per se ipsum: quam nunc possint habentes gratiam, quamvis etiam tunc indigeret divina providentia dirigente, & adiuvante. Et* * *auxilio Dei conservantis.*

* Hic: ar. 8.

Prob. idem assumpt. rationibus Theologicis

19

1. Ut Adamus diù perseveraret in bono, necesse erat, ut Deus in eo exercitia salutaria operaretur, à quibus proveniret perseverantia actualis, ut constat ex illo: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* * Sed Deum sic operari in Adamo talia opera salutaria, est Deum per auxilium suæ gratiæ illum adiuvare, ut perseveraret in bono: ergò Adamus indigebat gratia Dei adiuvanti ad perseverandum. 2. Adamus in statu innocentiæ tenebatur orare Deum pro perseverantia diuturna in bono, ut colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 94. ar. 4. ad 1. Sed si non indigeret auxilio dante illi actualem perseverantiam, talis oratio esset superflua, iuxta illud M. P. *Quis orat pro eo, quod Deo non donante, habet in sua potestate?* cursus: *oratio est clarissima gratiæ testificat:* ergò &c. 3. Adamus si perseveraſſet in bono, teneretur agere gratias Deo, non solùm, quia potuit perseverare, sed etiam, quia de facto perseveraſſet. Sed nova gratiarū actio non habet locum, nisi adsit nova gratia: ut docet M. P. epist. 107. ad Vitalem: ergò. Aliæ rationes videri possunt in AA. relatis.

Prob. ratione 1.

Ad Phil. 2.

* Utiq: sua, ut exponit S.D. Anſ. Alijq: PP.

Secunda ratio.

De bono perſever: c. 2. Tertia.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

20

ARguit Janſenius ex aliquibus testim. D. Aug. 1. habetur lib. de bono perſever. cap. 7. ubi ait: *Qui non infertur in tentationem, nō discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt; fuerat autem in homine, antequam caderet.* Sed non discedere à Deo, seù non vinci à tentatione, est idem, ac perseverare in bono: ergò talis perseverantia fuit in viribus liberi arbitrij pro statu innocentiæ; qualiter nunc non est pro statu lapsus. Sed hoc ipso non indiguit auxilio efficaci Adamus ad perseverandum: uti modo indigent iusti: ergò. 2. habetur ibidem per hæc verba: *Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad Deum, & non recedat ab illo.* Sed hominem sic accedere, & non recedere à Deo, est perseverare in bono: ergò talis perseverantia post lapsum Adæ habetur per gratiam Dei efficacem: ergò, ut salvetur discrimen in statu innocentiæ, dicendum Adamum tali gratia non indiguisse, ut perseveraret in bono.

Arguit. 1. Author. M.P.

Aliud testim.

3. Habetur de correct. & grat. cap. 11. ubi loquens de bonis Angelis, ait: *Angeli Sancti steterunt per idem liber. arbitr. per quod alij ceciderunt: qui si permansissent; huius mansionis debitam mercedem recepissent.* Ex quibus constat, Angelos bonos non indiguisse alia gratia ad perseverandum in bono præter gratiam sufficientem: aliàs non stetissent per idem lib. arb. per quod alij ceciderunt: ergò cum eadē sit ratio de perseverātia hominis pro statu innocentiæ simili statui Angelico ob summam facilitatem non peccandi &c. Et cap. 10. ibid. *Quapropter salubritèr confitemur, quod rectissimè credimus, scilicèt, Deum sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium; deindè, quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.* Hinc constat Deum habuisse diversam providentiam circa Angelos, & homines, cum primum creati sunt, ac habuit post peccatum Adæ; hoc enim denotant illæ particulæ *prius, & deinde.* Sed si in natura innocenti, ultrà auxilium sufficiens, esset necessarium aliud auxilium ad perseverandum in bono, Deus non aliter ordinasset vitam hominū post lapsum Adæ, ac ante; cum in hoc statu sit necessarium utrū que auxilium: ergò.

21

Tertium.

Quartum.

Vel aliter: *Deus ita ordinavit vitam hominum in primo statu, & vitam Angelorum, ut in eo ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; sicuti & post lapsum, quid posset suæ gratiæ beneficium.* Sed si, ut Adamus in bono perseveraret (idem de Angelis) requireret auxilium efficax, in illo primo statu ostenderet etiam Deus, quid

22

Aliter pō derartur 4. testim.

quid posset suæ gratiæ beneficium:
Quintum ergò ut salvetur discrimen &c. 5. & præcipuum habetur ibidem cap. 11. per hæc verba: *Ille* (scilicèt Adamus) *non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et rursùs: *Quis me liberabit de corpore mortis huius &c.* Sed Sancti post lapsum in testimon. adductis implorant gratiam efficacem ad perseverandum in iustitia accepta: ergò contra Magn. Par. asseritur etiam in natura innocenti fuisse necessarium auxilium efficax ad perseverandum in bono.

23 Nec valet dicere, tale auxilium non esse necessarium naturæ innocenti, ut fatetur, qualiter nunc est
Quædam expos. ad 5 testim. reijcitur. necessarium naturæ lapsæ; & in hoc stat discrimen assignatum à M.P. Non, inquam, valet. 1. Etenim Augustinus absolutè negat tale auxilium, sive adiutorium, fuisse necessarium Adamo; sed quod non sit necessarium uno titulo, si tamen fuit alio titulo necessarium, falsò dicitur Adamum tali adiutorio non egusse: ergò dicendum gratiam efficacem non fuisse necessariam Adamo, nec titulo infirmi-
Secundo. tatis, nec titulo perseverantiæ. 2. Auxilium efficax requisitum, vel ad salutaritèr agendum, vel ad perseverandum in bono non potest negari à Deo, nisi in pœnam præcedentis peccati; non enim alicui potest imputari ad culpam omissio actus, si inculpabilitèr caret illo, quod necessariò requiritur ad actum; sed ante primum peccatum tale auxilium fuisset negatum Adamo: ergò illo non egut. Audiatur in confirmationem præcedentium Mag. P. lib. 3. hipognosticon: *Respondemus, neminem posse per se, id est, ver liberum arbitrium implere, quod velit, nisi Protboplastum, solùm potuisse; cùm voluntas liberi arbitrij fuisset sana ante culpam*: Ergo iuxta M. P. natura innocens ad perseverandum in bono, adimplendo secundùm quòd vellet, ulteriori gratia non egebat, sed per se hoc exequi poterat.

24. His, & alijs, quæ causa brevitatis omittimus, movetur M.Lassos-
Resp. ad 1. testim. to Augustin. ut neget Adamum in statu innocentiæ indiguisse auxilio efficaci ad perseverandum in bono; in quam opinionem inclinat etiam Curiel de necessitate gratiæ dub. 2. §. 4. Discriminatur tamen à Jansenio in eo, quod requirit decretum ab intrinseco efficax pro omni actu salutari elicito in quocumque statu. De omnibus his videri possunt AA. supra relati, latè illa exponentes. Unde, ut ad alia transeamus, brevitèr illa solvemus. Ad 1. Respond. prænotando ex communi Theolog. doctrina. auth. & ratione fundata; quod licèt tàm Adamus innocens, quàm omnes iustificati post lapsum illius possint perseverare in iustitia accepta; adest tamen discrimen, scilicèt, quod Adamus fuit potens perseverare, potentia antecedenti, nedùm physica, sed etiam morali, & expedita ratione doni integritatis subijcientis partem superiorem animæ Deo, & partem inferiorem superiori, prohibendo, scilicèt, omnem rebellionem, seu motum inordinatum concupiscentiæ: qua de causa iuxta Mag. P. fuit præditus magna facilitate non peccandi. Oppositum autem contingit etiam in iustificatis post lapsum Adæ, propter rebellionem appetitus ad rationem, ex qua pullulant plures tentationes retardantes perseverantiam in bono ob pronitatē appetitus sensitivi ad bona delectabilia, de quo D.Th. 1. 2. q. 109. a. 10. & 2. 2. q. 137. a. 4. Hac de causa cōmunitèr dicitur post lapsum Adæ requiri maius, & specialius auxilium gratiæ ad perseverandum, quam in statu innocentiæ.

Hoc notato Resp. M.P. ibi in tali 25
testim. comparare liber. arbitrium in statu innocentię ad ipsum post lapsum Adæ, quantum ad sufficientiā ad perseverandum in bono; quia nimirum in tali statu per gratiam habitualem, per donum integritatis, & auxilia communia gratię erat potens potentia tàm physica, quàm morali perfectè tali, ut perseveraret; at vero post lapsum etiā si adsit gratia habitualis sanans animam quantum ad ad mentem, & auxilia communia intra ordinem gratię, remanet homo cū impotentia morali ad perseverādum propter corruptionem

carnis. Unde ly *omninò in viribus lib. arb.* denotat omnem modum potentiæ actis. scil. tàm physicæ, quàm moralis, ob magnam facilitatem non peccandi; quæ quidem, quia deficit in iustificatis post lapsũ Adami, ideò M.P. statuit discrimen ad perseverandum in utroque statu. Ex quibus in forma dist. min. Si Adamus indigeret &c. perseverare non esset omninò quòad sufficientiam in viribus illius, neg. min. Omninò quòad sufficientiam, & efficaciam, conc. min. & neg. donseq.

26 2. Testim. debet etiam explicari à M. Laffosse. Nàm etsi neget fuisse necessariam Adamo gratiam efficacem, ut non discederet à Deo, sed accederet ad ipsum, observando omnia præcepta tàm naturalia, quàm supernaturalia; concedit tamen ad actus fidei, spei, & charitatis, fuisse necessariam gratiam sufficientem; cum oppositum sit Pelagianum: & tamen testim. M. P. nobis obiectum, si solum inspiciatur secundum verba, omnem gratiam videtur excludere à statu innocentiæ. Unde quod ipse respondeat, & nos paritèr respondebimus. Vera ergò intelligentia illius est, quod quamvis, tàm in statu innocentiæ, quàm post lapsum, sit necessaria gratia efficax, ut homo accedat ad Deum, & non recedat ab illo: quia tamen post lapsum est gratia specialissima, & ex meritis Christi, ut Redemptoris; & insuper est gratia reparans, roboransque infirmitatem naturæ, quibus muneribus non gaudebat gratia efficax pro statu innocentiæ; ideò propter hos titulos speciales dixit M. P. *Ad gratiam Dei pertinere, quod homo post lapsum Adæ non recedat ab illo.* Unde contrapositio à M.P. descripta inter utrumque statum non est absoluta, & quòad substantiam necessitatis gratiæ efficacis, sed respectiva, & quo ad munera aliqua, quibus nùnc gaudet gratia efficax ad perseverandum.

Ad 2.

27 Ad 3. Resp. (Supponendo illa verba: *Angeli Sancti steterunt per idem lib. arb. quo alij Angeli ceciderunt*, non intelligi de lib. arb. viribus proprijs, & sine gratia sufficienti considerato; hoc enim est Pelagianum) Mag. Par. in illis loqui de lib. arb. adiuto, saltim gratia sufficienti. *Cum iuxta ipsum* de correct. c. 8. *voluntas non libertate consequitur gratiã, sed gratia libertatem.* Sed hinc insurgit difficultas solvenda etiã à M. Laffosse (cuius est argum.) dùm nimium vult præmere verba M. P. Nàm etsi Angeli mali fuerint adiuti gratia sufficienti ad perseverandum, sicuti & Angeli Sancti; attamen mali non ceciderunt per lib. arb. ut adiutum gratia sufficienti; cum tamen Sancti steterint per lib. arb. ut sic formaliter adiutum. Siquidem velle perseverare est effectus procedens per se à gratia sufficienti, secùs autem nolle perseverare. Quomodo ergò dicitur Angelos Sanct. alijs cadentibus per lib. arb. stetisse per idẽ lib. arb? Quandoquidẽ Sancti steterunt per lib. arb. ut liberũ libertate gratiæ; mali vero per arbitrium solius naturæ, non libertate gratiæ, causantis defectum perseverantiæ.

28 Quod si dicat, hoc solum diversificare influxum libertatis provenientis à gratia; non vero variare existentiam libertatis in utrisque ad perseverandum: benè quidem, & ex quo sic infero: ergò cum gratia efficax donans velle perseverare, sit extra essentiam potestatis, & libertatis ad perseverandum (ut modo supponi debet) stabit optimè Angelos stetisse per idem lib. arb. per quod alij ceciderunt, & quod talis perseverantia fuerit in eis effectus gratiæ efficacis, quæ non fuit Angelis cadentibus.

29 Unde claritatis gratia explico M. P. Per idem lib. arb. ampliùs adiutum, conc. Non ampliùs adiutum, neg. Explicatio est eiusdem M.P. 12. de Civit. Dei c. 9. dicentis: *Illis mala voluntate cadentibus, isti ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt, unde nunquam se cassuros certissimè scirent.* Hoc autem ampliùs adiutorium nequit esse ipsa beatitudo; aliàs sensus esset ineptus, scil. *Angelis collata est beatitudo, qua ad beatitudinem pervenirent.* Nec similiter tale adiutoriũ potest esse maius auxilium intra ordinem gratiæ sufficientis; quandoquidem Lucifer, & alij Angeli superiores maiori gratia habituali præditi iuxta doct. D. Th. 1. p. q. 62. a. 6. non steterunt. Restat ergò, ut Magn. Par. intelligendus sit de ampliori adiutorio *quo*, sive gratia efficaci. Quæ quidem, cum ad signum

po-

potestatis, & libertatis ad perseverandum non pertineat; non diversificat libertatem arbitrij in cadente, & stante. Eodem modo exponendus est S. Prosper. ep. ad Ruffin. fol. mihi 361. ubi eandem locutionem tradit. Solutio est M. Ferre tract. de gratia §. 18. n. 142. quem sequitur Illust. Castell.

30 Ad 4. Resp. cum præd. Illust. tract. de leg. & grat. q. 5. sect. 2. §. 6. per ly *prius*, & *deindè* non comparare M. P. gratiam status innocentiæ cum gratia medicinali collata post lapsum Adami: sed tantum comparare statum viatoris per meritum, aut demeritum, cum statu termini per collationē præmij, & inflictionem pœnæ. Deus enim prius ordinavit, ut homo, & omnes Angeli adiuti sua gratia liberè mererentur, cum posse ad demer: deinde in Angelis, qui steterunt, sed magis adiuti ostend. gratiæ benefic. illorum merita præmiando: & in his, qui ceciderunt, voluit ostendere *suæ iustitiæ iudicium*, eorum demerita puniendo. Constat hæc expositio ex his, quæ subdit: *Si homo factus sine vitio per ipsum liber. arbitr. stetisset, profectò acciperet meritò huius permansionis beatitudinis plenitudinem, qua & Angeli sunt beati. Quia verò deseruit Deum, iustum iudicium expertus est, ut cum tota stirpe sua damnaretur.*

Ita Div Thom 1. p. q. 95. a. 2. ad 3. ubi exponit M. P. in simili:

Ex quibus liquet diversitatem ordinationis divinæ circa viam Angelorum, & hominum, consistere in eo, quod Deus dispositi prius, dare eis potestatem, ut mererentur potentes demereri; & postmodum disposuit in eos, qui meruerunt, ostendere suæ gratiæ beneficium (gratię, inquam, in radice) conferendo beatitudinem; & in eos, qui peccaverunt, exercere suæ iustitiæ iudicium, illos damnando. Videatur hic Illust. Doct. acerrimè propugnans hanc expositionem esse mentem M. P. ubi etiam liberat Mag. Gonet à tepida impugnatione facta à M. Contenson. Ex quibus etiam constat ad alia, quæ novissimè objicit contra eundem Gonet M. Manso q. 5. §. 2. n. 20. tom. 1.

31

Ad 5. (admisso M. P. ibi loqui de adiutorio *quo* ad perseverandum, super quod fusè infrà) Resp. solutione tradita, quam P. Ripal. approbat cum

32 Ad 5.

alijs Doctoribus: scilicèt, Adamum non indiguisse auxilio efficaci donante perseverantiam per victoriam tentationum appetitus contra spiritum propugnantis; sicuti de factò indigent Sancti, quantumvis plenissimè iustificati. Nec constat M. P. absolutè pronunciasse, Adamum non eguisse tali adiutorio; proindèque non solum excludere necessitatem auxilij efficacis donantis perseverantiam media victoria tentationum, sed etiam in sensu absoluto. Non inquam obstat: Nàm M. P. non dixit absolutè, Adamum tali adiutorio non eguisse, sed cum addito, videlicèt: *Eò, quòd implorant Sancti, dùm dicunt: Video aliam legem &c.* Hoc autem non est adiutorium *quo* utcumque acceptum, sed adiutorium donans victoriam contra concupiscentiam carnis; cumque ad hanc non fuerit necessarium Adamo; ideò dixit: *Eo adiutorio illum non eguisse.*

Hanc solut. tenetur admittere M. Manso (cuius est instantia) qui q. 5. §. 2. n. 20. illa verba M. P. sup. cit. *Non nisi ad gratiam suam voluit Deus, ut post lapsum pertineret perseverantia in bono*, exponit de gratia Christi Redemptoris, & donante velle fortissimum: qua gratia Adamus non eguit, estò fuerit ei necessaria gratia efficax ad perseverandum. Si ergò ob hoc munus speciale gratiæ post lapsum, dixit M. P. perseverantiam in bono, non nisi ad gratiam Dei pertinere post lapsum: poterit similiter exponi M. P. affirmans Adamum non eguisse adiutorio, quod implorant Sancti; de adiutorio, inquam, vincente carnis concupiscentiam; licèt absolutè, & alio titulo, & cum alio munere, eo opus habuerit.

33

Objicies 2. aliqua testimonia D. Thom. 1. habetur 2. 2. q. 137. art. 4. ubi inquirit: *An homo ad perseverandum indigeat auxilio gratiæ?* Et sic arguit contra se. 2. *Donum gratiæ Christi maius est, quàm nocumentum, quod Adam intulit; sed ante peccatum sic fuit conditus homo, ut posset perseverare per id, quod acceperat, ut dicit Aug. ergò multò magis homo per gratiam Christi reparatus potest perseverare absque auxilio novæ gratiæ.* Cui argum. Resp. *Dicendum, quòd sicut Aug. dicit de corrept. & grat. c. 11. Primo homini datum*

34 Arg. ex S. D.

Ponder. 8

est, non ut perseveraret, sed, ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla carruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem præberet. Super quæ duæ ponderationes fieri possunt. 1. Si D. Thomas sentiret Adamum indiguisse gratia efficaci distincta a sufficienti, ut perseveraret in bono, facilè responderet negando minor. Vel Div. Augustinum exposuisset de potentia antecedenti ad perseverandum; secùs vero de ipsa actuali perseverantia. Neutrum horum fecit: ergò quia sensit Adamum non indiguisse gratia efficaci ad actu perseverare in bono. 2. iuxta ipsum: *Adamo non fuit datum, ut perseveraret, quia nulla corruptio tunc erat in natura, quæ perseverandi difficultatem præberet.* Sed si ad actualem perseverantiam esset necessarium aliud auxilium, præter sufficiens, talis causalis esset falsa, & indigna Angelico Magistro; cum sensus illius esset hic: *Ideò Deus non dedit Adamo auxilium efficax necessarium ad actu perseverandum, quia eius natura erat integra, & sana*: Cum potiùs ipsa sanitas, & integritas esset aliqualis ratio, ut à Deo tale auxilium reciperet: ergò in testimon. adducto negat D. Thomas &c.

Secunda.

Secundum testim. habetur 3. cont. Gent. cap. 160. ubi hæc habet: *Quod autem dictum est in potestate liberi arbitrij esse, nè homo impedimentum gratiæ præstet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit*, id est, in statu iustitiæ originalis, ut ibi exponit Ferrar. Prosequitur D. Thomas: *Si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, non erit omninò in potestate illius nullum impedimentum gratiæ præstare.* Ex quibus sic arg. Pro statu, innocentiæ fuit omninò in viribus liberi arbitrij non præstare impedimentum gratiæ; quod est idem, ac non discedere Deo, & perseverare in bono. Sed si fuisset necessarium auxilium efficax superadditum sufficienti, non fuisset omninò in viribus Adami non præstare impedimentum gratiæ: ut videtur certum: ergò.

35

Secundũ testim. ex eodem.

Ad 1. testim. Resp. Ex illo tantum haberi Adamum potuisse perseverare potentia, nedùm physica, sed etiam morali in magna facilitate consistenti, ut constat ex illis verbis: *Quia tunc nulla erat corruptio in natura, quæ difficultatẽ perseverãdi præstaret.* Quod autem ad actu perseverandum alia gratia non indiguerit, nec levitèr indicavit D. Thomas, quin potiùs oppositum docet expressè q. 27. de Vet. a. 5. ad 3. & 3. cont. Gent. c. 155. pluribus rationibus, quas eruditè explicat M. Gonet tract. de efficac. volunt. disp. 5. a. 7. §. 4. per quæ constat ad 1. ponderationem: Siquidem ibi expresse exponit M. P. de potestate antec. ad perseverandum consistenti in omnimoda facilitate ratione status innocentiæ. Ad 2. Resp. Causalem in instantia positam omninò distare à mente D. Thom. Duo enim docet ibi S.D. 1. *Non esse datum Adamo adiutarium, ut perseveraret.* 2. *Datum esse illi adiutorium, ut posset perseverare.* Ambo sunt expressè etiam in M.P. Postea addit: *Quia nulla corruptio tunc erat, quæ perseverandi difficultatem præberet.* Ex quibus luce clariùs constat ly *quia* non cadere supra 1. dictum, sed supra 2. quasi diceret: *ideò M.P. docuit Adamum potuisse perseverare per lib. arb. quia nulla difficultas erat in eo ex corruptione appetitus proveniens; quæ quidem, quia post lapsum Adæ exitit in natura humana, non dicitur de illa ita posse perseverare in bono per lib. arb. sicuti absolutè affirmatur de natura sana, ac innocenti.**

36

Resp. ad 1.

Ad 2. ponder.

Ad 2. testim. Resp. ly *omninò &c.* solum denotare omnem sufficientiam, scil. tàm physic. quàm moralem in summo ad perseverandum in bono: ideòque Adamus, estò indigeret gratia efficaci illum actu firmanti in bono, non tamen indigebat ulteriori gratia, ut physicè, aut moralitèr posset perseverare in bono. Per quod assignatur ab ipso S.D. discrimen inter statum innocentiæ, & statum reparationis per gratiam Christi; in quo propter corruptionem appetitus, indiget homo gratia speciali donanti ei sufficientiam moralem, licèt imperfectam ad perseverandum in bono.

37

Ad 2. testim.

Obijcies 3. iuxta M.P. de correpț. & grat. cap. 11. & 12. *Adamus po-*

38

Arg. 3.

potuit permanere in iustitia accepta, si voluisset, talisque perseverantia fuit relicta in eius arbitrio. Sed hæc omnia excludunt necessitatem gratiæ efficacis ad actu perseverandum: ergò. Prob. min. Si Adamus indigeret tali gratia, ut perseveraret, sic deberet affirmari de illo: *Adamus potuit permanere in iustitia, si Deus ei gratiam efficacem ad perseverandum donaret*; similitèrque: *Talis perseverantia relicta esset, non in eius arbitrio præcisè, sed in illo, ut adiuto gratia efficaci*; sed istæ propositiones longè distant à propositionibus M. P. immediatè descriptis: ergò. Hoc argumentum etiam probat exclusionem gratiæ efficacis ad salutaritèr operandum in natura lapsa, quod negat Jansenius. Ratio est. Nàm iuxta M. P. de Genesi ad litt. lib. 1. cap. 3.: *Omnes possunt adimplere præcepta, si velint.* Et in Enchirid. cap. 3. *Nec iniustè vult Deus omnes salvos fieri, cum possint salvari, si velint*; ad quam salutem necesse est salutaritèr operari. Unde sicut Aug. per hæc verba non intendit excludere necessitatem gratiæ efficacis ad salutaritèr agendum post lapsum; consentienti Jansenio; sed tantum explicare observationem præceptorum, & salutis æternæ consecutionem contineri sub potestate hominum à Deo gratiosè donata; ita similitèr dicendum de locutionibus S. P. in argum. adductis. Hanc intelligentiam tradit ipse M. P. lib. retract. cap. 10. his verbis: *Quando dixi in lib. de Gen. quod omnes possunt implere præcepta, si velint, nõ existiment Pelag. secundum eos esse dictum: verum enim est, hoc posse si velint, sed præparatur voluntas à Dño. *Hucusq. M. P. Hoc est: Deus est, qui operatur in nobis velle. Conformitèr ad quæ possumus, & nos dicere: quando dixit M. P. Adamum potuisse perseverare, si vellet, non existiment Janseniani secundum eos esse dictum. Verum est hoc potuisse Adamum, si voluisset; sed præparatur voluntas à Domino; hoc est: ut vellet, necesse erat Deum per gratiam suam operari in ipso velle.* Hucusquè M. Gonet ubi sup.

Respond.

Pro discrim. sufficit magna facilitas; quæ tùnc fuit.

39 Similes ergò locutiones solum denotant potestatem, dominium, & sufficientiam ex parte lib. arb. iuxta illud M. P. *Illud est in nostra potestate, quod cum volumus, facimus, & cum nolumus, non facimus.* Similitèrque iuxta illud Concil. Trid. sess. 6. can. 4. *Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, ita assentitur Deo excitanti, ut possit dissentire si velit.* Et illud Evangel. Lucæ c. 5. *Domine, si vis, potes me mundare:* Et his similia; quæ omnia non excludunt indigentiam, tùm ulterioris gratiæ, tùm ulterioris determinationis ex parte Dei, ut infallibitèr eveniant; sed tantum denotant illa esse constituta sub dominio, & potestate liberi arbitrij. Videatur Illust. Castell de lib. arb. disp. 3. q. 1. sect. 4.

Confirm. exemplis solutio.

40 Ad 1. min. prob. Resp. Quod cum velle perseverare fuerit in potestate Adami, non veto gratia operans tale velle; ideò M. P. intendens exprimere libertatem, quam habuit ad perseverandum, non dixit: quod potuit permanere, si Deus daret ei gratiam efficacem, ut perseveraret; sed *si ipse vellet, in bono perseveraret.* Nec indigentia gratiæ efficacis obstat, ut perseverantia fuerit relicta in lib. arb. Adæ. Nàm solum fuit relicta in eo, tanquam secundo agenti, & secundo determinanti, proindèque indigenti auxilio Dei moventis, & applicantis ipsum ad perseverandum.

41 Objic. 4. Si Adamus indiguisset gratia efficaci, ut in iustitia accepta perseveraret, debuisset orare à Deo talem gratiam; præsertim, ut vinceret tentationem serpentis; sed hoc est contra M. P. ergò. Prob. min. ex lib. 6. oper. imperfect. cap. 5. ubi M. P. ad illa verba: *Et nè nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, hæc habet: *Quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum, priùs quam natura esset vitiata; non posceretur orando, sed agendo potiùs teneretur*: ergò. Urgetur iuxta M. P. *Quid stultiùs quàm orare pro eo, quod quis habet in sua potestate?* Atqui iuxta ipsum perseverantia in bono fuit in potestate Adæ; & iuxta D. Thom. fuit omninò in viribus lib. arb. ergo. Resp. Quòd cũ iuxta veritatem, & authorit. Gelasij Adamus debuisset orare, ut non intraret in tentationem. Exponendus est M. P. de oratione in his verbis contenta: *Libera nos à malo*: Hoc est, à fomite peccati, ut aliqui exponunt super Matth. c. 6. Ut quid enim Adamus innocens

Objic. 4.

Solutio.

Deum orasset, ut liberaret à fomite peccati; si nullum vitium erat in eo? Attamen debebat orare illis verbis: *Et nè nos inducas in tentationem ex suggestione Diaboli provenientem*; & rursùs illis verbis: *Adiutor meus esto Domine, nè derelinquas me.* Quæ oratio sufficit ad ostendendam necessitatem gratiæ efficacis pro victoria tentationis, & pro perseverantia in bono. Sic M. Manso q. 5. n. 53. Ad urg. Resp. illud M.P. frustra: *Quis orat &c.* intelligendum esse de eo, quod ita plenè est in potestate, ut ulteriori adiutorio prævenienti non indigeat: qua ratione evidenter convincit contra Pelag. ex illorum doctrina sequi inutilitatem orationis; siquidem iuxta ipsos semèl, atque homo accipiat à Deo adiutorium possibilitatis ad benèvelle, & agere, non indiget alio adiutorio voluntatis, & actionis, per quod fiat, ut benè velit, & benè agat. Videatur Illust. Castell. de lib. arb. disp. 2. q. 3. à n. 431. & 497.

Pſal. 26.

Ad urg.

42 Ultimò arguit.

Obijcies. Si Adamus eguisset gratia efficaci, ut perseveraret, Deus ei talem gratiam non denegasset. Consequens est falsum iuxta AA. illam propugnantes: ergò. Prob. mai. Nequit Deus denegare gratiam requisitam ad benè operandum, vel vitandum peccatum, nisi in pœnã peccati; aliter enim priùs Deus desereret hominem, quam desereretur ab illo; cuius oppositum docet M. P. 4. confes. cap. 9. & alibi; constatque ex Trid. sess. 6. cap. 11. dicenti: *Deus sua gratia semèl iustificatos non deserit, nisi priùs deseratur ab eis*: ergò cum ante primum peccatum Adæ non præcesserit aliud, Deus non negasset ei gratiam efficacem, ut non peccando perseveraret; si aliundè talis gratia esset necessaria. De hoc argum. latè agemus tract. de gratia ab intrinseco efficaci, ubi illud planè solvemus, latèque probabimus, Deum absque ulla culpa præcedenti ex parte hominis posse ob suum dominium negare gratiam efficacem ad vitationem peccati; hancque providentiam exercuisse circa Adamum, & Angelos desertores. Nec oppositum docent M. P. & Trident. cum iuxta aliquos exponantur de desertione ob privationem gratiæ habitualis; & iuxta alios; etiam de desertione per negationem gratiæ sufficientis ob præcedẽtia peccata. Quod si tibi placeat sententia plurium Thomist. tuentium gratiam efficacem negatam fuisse Adamo in pœnam peccati, non præcedentis, sed committantis propter mutuam causalitatem inter illud, & privationem gratiæ; satis probabilitèr occurres argumento; pro quo plura dicemus Deo dante. Quapropter in omnium Thomistarum sententia pervia est solutio argumenti.

Resp.

Ad testimon.

Et hæc de hoc dub. applic. litt.

Mag. in 2. dist. 19. 20. 24. & 28.

DU-

DUBIUM XVI.

VTRVM, VT ADAMVS ACTV perseveraret in statu innocentiæ foret necessarium adiutorium quo realitèr distinctum ab adiutorio quo ad velle perseverare?

§. I.

SENSVS DVBII, ET ASSERTVM QVODDAM REFERTVR.

N. 1 CUm ex dictis dubio antec. demonstratum sit contra Jansenium ex mente Conciliorum, & M. P. Adamum ad perseverandum in iustitia eguisse auxilio gratiæ efficacis, saltim in munere à gratia sufficienti distincto, & præscindo ab eo, quod sit ab intrinseco, vel ab extrinseco efficax Ispecialis, aut nō (in quo sensu Vazq. & Suar. appellant sententiam orthodoxam, & ab omnibus Theologis, uno, vel altero antiquiori excepto, defensatam) M. Manso q. 3. §. 2. & q. 5. §. 4. & q. 8. §. 3. Subtiliter distinguens inter velle perseverare, & ipsam actualem perseverantiam, tanquam inter actum imperantem, & imperatum, asserit *Adamum solum indiguisse ad perseverandum adiutorio efficaci (de quo asserit esse gratiam prædeterminantem) per quod Deus donaret immediatè velle perseverare; quin ultra illud foret necessarium aliud auxilium *quo* donans immediatè actualē perseverantiam.* In quo modo dicendi expressè fatetur se discedere à frequenti Thom. sententia asserentium ultra auxilium efficax requisitum, ut Adamus vellet perseverare; necessariò requiri aliud auxilium efficax distinctum à velle, donans immediatè actu perseverare. Ex quibus iam innotescit titulus dubij inquirentis de unitate, vel dualitate gratiæ adiuvantis, ut Adamus reipsa, & cum effectu perseveraret. Constat etiam prædictum dubium solum exagitari posse inter opinionem prædicti Magistri, & eos, qui communem Thomistarum sententiam amplectuntur.

Nota 1.

Tomo 1.

Opinio quædam.

2 Sed priùs quam ad difficiliora transeamus; notandum prædictum Magistrum q. 3. §. 2. n. 6. postquam dixit auxilium efficax poni à Thomistis, ut necessarium ad perseverantiam Adami in statu innocentiæ; in statu autem naturæ lapsæ, poni ab eisdem necessarium, non solum ad perseverandum; sed etiam, ut sanetur infirmitas ex peccato origin. contracta sequens profert iudicium de tali asserto: *Si sermo sit de necessarijs ad perseverandum in statu innocentiæ, tale discrimen est expressè contra M. P. contra Ang. Præc. ac plenè evertit doctrinam de gratia ab utroque traditam.* Contra hoc dictum ab inexpectato prolatum.

Secundo.

Assertum refertur.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

3 HÆc propositio, ut iacet: *Dicere Adamo fuisse necessarium auxilium efficax ad perseverandum, opponitur doctrinæ M. P. & Angel. Præcept. plenèque evertit doctrinam de gratia ab utroque traditam,* * *est propositio apertè falsa, & inconsequentèr à suo A. prolata, & expressè contra utrumque*

1. Pars. Falsa est propos. præfat. M

Sanct. Dect. * 1. pars conclusionis prob. facilè ex dictis. Nàm Concilium Arausic. (fatente ipso Magistro q. 2. n. 15. §. *Argumentum hoc*) expressè affirmat Adamum indiguisse gratia efficaci, & auxilio *quo* ad perseverandum: ergò proferre hanc propositionem, scilicèt: *Si sermo sit de necessarijs ad perseverandum, ponere Adamum indiguisse gratia efficaci, ut perseveraret, opponitur expressè &c.* est proferre propositionem omninò falsam. Ad idem faciunt plura testim. M.P. supra adducta,

Vide iter: n. 9.

in quibus expressè docet, *Adamum eguisse ulteriori adiutorio gratiæ ad perseverandum*: ergò asserere Thom. ponentes necessitatem gratiæ efficacis, ut

2. Pars. Procedit inconseq.

Adamus perseveraret, manifestè oppo nitur M. P. est apertè &c. Quod etiam talis propositio, ut iacet, sit prolata à prædicto Magistro inconsequentèr ad alia ab ipso dicta prob. Nàm q. 2. n. 16. deducit ex D. Fulgentio hanc conclusionem, & sub his terminis: *ergò gratia efficax custodivit Angelos, & perseverantes fecit.* Sed hæc eadem conclusio ponitur à Thomistis: ergò asserere de illa, *ut iacet*, esse contra M. P. inconsequentèr dicitur ab illo.

Urgetur.

Urgetur hæc propositio: *Adamo non fuisset necessarium adiutorium quo gratiæ Dei, ut in iustitia perseveraret*, prout iacet, est propositio Jansenij, & ab omnibus ferè Theologis, ut omninò falsa impugnatur, & etiam ab ipso Magistro: * ergò propositio contradictoria tuenda est ut vera, scilicèt: *Adamus indiguit gratia efficaci, sive adiutorio quo, ut perseveraret in iustitia* ergò asserere de prædicta propositione ut iacet, illam expressè opponi M. P. &c. est falsò, & inconsequentèr dictum.

* Q. 5. §. 4. Exponit, qualiter sit vera.

4 Quod autem propositio affirmans *Adamo fuisse necessarium auxilium efficax, ut perseveraret*, sub his terminis præcisè non sit propositio everters doctrinam de gratia traditam à M. P. & D. Thom. prob. considerando prærogativas, & munera gratiæ efficacis ad pers. Perseverantia in iustitia conveniret Adamo, Deo gratiosè donante illam; cum esset maximum beneficium; sed hocipso talis perseverantia conveniret Adamo per gratiã efficacem: ergò dependentia pers. à gratia efficaci pro statu innocentiæ non evertit munus proprium gratiæ efficacis. Prob. min. Deus non donavit Adamo actualem perseverantiam; alias perseveraffet. Sed donavit gratiam sufficientem ad perseverandum: ergò si Adamus habuisset perseverantiam Deo donante illam per gratiam suam, talis perseverantia conveniret ipsi per gratiam efficacem Dei. Conseq. patet à sufficienti enumeratione. 2. Si Adamus perseveraret in iustitia, mereretur vitam æternam per talem perseverantiam, ut expressè asserit M.P. loquens de perseverantia bonorum Angelorum. Sed asserere non esse necessariam gratiam efficacem ad merendum actu vitam æternam, evertit doctrinam gratiæ, eiusque proprium munus: ergò asserere Adamo non fuisse necessariam gratiam efficacem, ut perseveraret, evertit &c. 3. Adamus tenebatur orare Deum pro perseverantia, eique gratias agere, si illam à Deo acciperet; ut fatetur præd. M. & testimonium Gelasij supra adductum confirmat; sed oratio, & gratiarum actio non habet locum, nisi adsit ex parte Dei gratia efficax largiens nobis quod petimus, & pro quo gratias agimus: * ergò asserere ex his motivis fuisse necessariam Adamo gratiam efficacem ad perseverandum, potius est stabilire doctrinam traditam à D. Aug. & Thom. de gratia, eiusque prærrogativas extollere, quam illam evertere.

Secundo.

De corr. & grat. c. 10.

Tertio.

* Sic M. P. epist. 107 ad Vit.

5 Sed dices. Sententia communis Thomistarum ponit necessaria duo adiutoria gratiæ, ut Adamus perseveraret in statu innocentiæ; unum donans immediatè velle perseverare; alterum donans immediatè ipsam perseverantiam; hoc autem asserere opponitur doctrinæ M. P. & D. Thom. qui solùm requirunt ad actualem perseverantiam in Adamo unicum auxilium efficax donans immediatè velle perseverare, & mediatè actualem perseverantiam. In hoc enim sensu accepta, & explicata sententia Thomistarum circa necessitatem gratiæ efficacis ad perseverandum in statu innocentiæ, videtur habere veritatem dictum præd. Mag. absq ue eo, quod ul-

Pr. 3. pars Doctrin. Thomist in hoc nõ opponit. M.P. & D. Primo.

Respons. quæ adhiberi potest.

ullam notam falsitatis, aut inconsequentiæ incurrat. Ita deducitur ex ipso q.5. §.4.

6 Sed in primis 1. assertum á præd. Mag. q.3. §.2. n.6. prout ab ipso proponitur,& ad eo rigidè describitur,est penitus falsum, ut ex dictis manifestè convincitur; quod fuit assumptum a nobis probandū. Sed admisso in sensu dicto debere intelligi sentent: Thom: &in eodem ab ipso impugnari;de quo ferè nihil invenitur in eis,dico prędic tū M.non debuisse asserere: *Adamo non fuisse necessarium* iuxta M.P. *adiutorium gratiæ, ut perseveraret; quin potius oppositum debebat affirmare.* Probat.assumpt. Qui sine gratia adiuvāti *ut quo* nequit ponere añs.connexum à priori per veram causalitatem cum consequenti, nequit sine tali gratia ponere consequens. Sed ad velle perseverare fuit necessaria Adamo gratia adiuvāte *ut quo*; quod quidem velle cōnecti tur modo dicto cum perseverantia actuali: ergò ut Adamus actu perseverare, fuit necessaria grati a efficax&c: ergò falso pronuntiatur Adamum indigere gratia adiuvanti ad actu perseverandum opponi M.P. Si aliundè illa fuit necessaria ad velle perseverare. Mai. prob. exemplis 1. Qui sine auxilio Dei efficaciter moventis nequit velle credere; quod quidē sequitur infallibiliter ad velle; nequit sine tali auxilio credere. 2. quia *facere* salutariter, sequitur modo dicto ad *velle facere*, & homo indiget adiutorio gratię Dei, ut *velit facere*, cum omni veritate affirmatur de homine: *sine adiutorio gratiæ Dei non posse salutariter facere*; ut constat ex illo Ioan. *Sine me nihil potestis facere*, & ex illo Aug. de correct. cap. 2. *Sine gratia Dei nullum prorsus bonum faciunt homines, sive cogitando, sive orando, sive quidquam aliud boni faciendo.* 3. Quia ad perseverantiam usque in finem sequitur infallibiliter vita æterna; & ad talem perseverantiam requiritur gratia Dei specialissima; absolutè, & cum omni rigore affirmatur: homini esse necessariam specialissimam gratiam Dei, ut re ipsa salvetur; & oppositum est ad minus temerarium assertum. Ex quibus clarè probata manet veritas illius maioris.

Impugn. 1.

Reijcitur 2. ut insufficiens.

Primo.

Mai. prob & exemplis 1.

Secundō.

Cap. 15.

Tertio.

Adest etiam in favorem huius asserti Ang. Mag. 3. contra gent. 149. ubi probat hominem *indigere gratia Dei ad salutariter operandum: quia videlicet, requiritur cognitio supernaturalis, & quæ sit ex gratia Dei, ad sic operandum.* Quasi diceret in forma: *Homo nequit salutariter operari sine cognitione supernaturali; sed talis cognitio nequit haberi, nisi ex gratia Dei: ergò homo indiget gratia Dei ad salutariter operandum.* Quid quæso oportunius ad proferendum in veritate, & proprietate sermonis: Adamum eguisse adiutorio gratiæ Dei ad perseverandum, si indigebat tali gratia, ut vellet perseverare. Consonat M.P. probans hominem non posse credere sine Dei gratia, ferè sequēti discursu: *Nemo potest credere, nisi prius cogitet esse credendum; sed iuxta Apostolum, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed hoc habetur ex gratia Dei: ergò nemo potest credere sine gratia Dei.* Ita de de prædestin. SS. cap. 2. 7

Reijcit. 2. & dicta robor. ex S. D.

Ex his constat, quod, etsi Adamus solùm indiguisset auxilio efficaci ad velle perseverare; non debet affirmari absolutè, & sub his terminis sequens propositio: *Adamo non fuit necessarium auxilium efficax, ut perseveraret in bono*; quin potius propositio contradictoria debet absolutè affirmari. Constat hoc ex immediatè dictis; si enim benè valet: *nequit homo credere, quin cogitet, & velit credere; sed homo nequit cogitare; aut velle credere sine adiutorio gratiæ Dei: ergò sine tali adiutorio nequit homo credere:* Cur non idem dicendum de sequenti discursu: *Nequit Adamus perseverare in bono, quin velit perseverare* (ut tu ipse fateris) *sed volitio perseverandi in Adamo conveniret ei per gratiam Dei adiuvantem: ergò ut Adamus perseveraſſet in bono, indigebat adiutorio gratiæ Dei*: ergò etiam admisso Adamo fuisse tantum necessarium unicum auxilium *quo* ad perseverandum; & quòd sententia affirmans fuisse necessarium duplex auxilium *quo* sit falsa, non propterea debet proferri, aut sustineri propositio supra relata: *si sermo sit de necessarijs &c.* Dicta sufficiant pro ostensione falsitatis propositionis supra 8

Ex doctr. M. Par. oppositū infertur.

pra

pra descriptæ, & aliarum, in quibus sæpissimè profertur *Adamum non eguisse auxilio efficaci ad perseverandum*; in re enim adeò gravi, & materiam fidei concernenti, oportet etiam in modo loquendi à doctrina Jansenij in hoc puncto fere ab omnibus Theologis oppugnata, licèt non damnata, recedere.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Adamus indiguit auxilio efficaci, per quod Deus donaret ipsi immediatè actualem perseverantiam, ut distinctam à velle.

9 SUpponimus velle perseverare forè tunc adiutorium ad perverandum; ut etiã expressè docet M. P. de voluntate efficaci, & robusta ad faciendum mandata; per quam Deus modo nos adiuvat, ut faciamus, & persev. Negamus tamen fore unicũ auxiliũ, & adiutorium. Hoc notato. Prob. 1. ex testim. M. P. dub. antec. concluſ. 2. relatis, in quibus continentur istæ propositiones: *Vt Adamus retineret iustitiam, necessarium erat Dei adiutorium. Vt Adamus maneret in bono, egebat adiutorio gratiæ Dei. Bene vivere sine adiutorio Dei (etiam in Paradyso) non erat in eius potestate. Vt Adamus maneret in vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuvaret.* Sed exponere prædictas propositiones de adiutorio donante, tantum mediatè actualem perseverantiam in sua causa, hoc est *in velle perseverare*; videtur voluntarium, & contra sensum proprium illarum: ergò fatendum est Adamum indiguisse adiutorio gratiæ Dei donantis ipsi immediatè actualem perseverantiam. Urget. hoc ex illa propositione *parum erat velle &c.* ubi M. P. affirmat ultra velle perseverare, fuisse Adamo necessarium adiutorium gratiæ, quo fieret perseverans; quod quidem non haberet locũ, nisi illud immediatè donaret ipsam perseverantiam. Prob. 2. ex D. Ans. de casu Diaboli c. 2. ubi loquens de Angelis, ait: *Quod si bonus Angelus habuit perseverantiam in bono, illam accepit à Deo.* Et M. P. *super Psalm. 70. affirmat illud D. Paul. *Quid habes, quod non accepisti; etiam verificari de Adamo, & de Angelis.* Sed ex his verbis probant S. P. Concilia omnes actus bonos fieri à nobis Deo donante, atque adiuvante: ergò. Rursùs, de correct. & grat. cap. 12. sic explicat adiutorium *quo* ad illam: *Donum, quo fit perseverantia, propter quam datur; & quo homo non fit, nisi perseverans.* Sed gratia cooperans, per quàm Deus donaret Adamo M. perseverantiam (ut asserit præfatus) esset huiusmodi, ut patet: ergò.

Prob. Author. M. P.

Iuxta Adversˢ. non sufficit, quod fit ex gratia; sed ex auxilio, & adiutorio

Urget.

* De prædc. 3. fatetur fuisse ex illo cõvictũ, ut crederet fidem esse ex gratia Dei.

Ex quibus sic arg. Si Adamus perseveraret in bono, accepisset à Deo immediatè per gratiam eius actu persever: ergò Deus immediatè eam sic donasset Adamo. Sed Deum donare immediatè Adamo per gratiam suam actu perseverare est illum immediatè efficacitèr adiuvare *ut quo* ad hoc, ut perseveret: ergò Adamus ad actu perseverandum indigebat adiutorio Dei donanti immediatè ipsi actualem perseverantiam. Confirm. Ut Adamus perseveraret in bono, necesse erat, quod Deus prius immediatè operaretur in illo actualem persever: faciendo, ut perseveraret; cum illa esset maximum bonum, & meritum, *& in omni bono opere prius Deus facit; deindè nos facimus: quia facit, ut faciamus.* Sed Deum immediatè prius operari in Adamo actualem perseverantiam, est prævie donare immediatè illam: ergò Adamus indigebat prævio concursu Dei donantis immediatè actualem perseverantiam. Sed talis concursus prævius utpotè gratuitus, & liberalis, & à gratia excitanti apertè distinctus, pertinet ad gratiam Dei adiuvantem; ergò Adamus, ut actu perseveraret &c.

10 Prima ratio.

Confirm.

* Sic Aug. cap Ioan. tract. 72.

* Fatetur grat: cooperant: esse præoperantem.

Prob. 2. à priori. Perseverantia actualis in Adamo pro statu innocentiæ, ultra velle perseverare, necessariò actu includebat diuturnam observationem omnium præceptorum, tàm naturalium, quàm supernaturalium; proindèque talis perseverantia coalescebat ex actibus fidei, spei, charitatis, Religionis, timoris, & his similium. Sed, ut Adamus se exerceret pluriès, & quotiès instaret

11 Ratione prob. 2.

præ-

præceptum, per actum fidei, dilectionis &c. indigebat adiutorio Dei immediatè donantis ipsi credere, diligere &c. ergò cum tale adiutorium sit etiam gratia, indigebat gratia adiuvanti donanti velle, ultra ipsam actualem perseverantiam. Min. videtur certa, tùm ex illo Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Tùm ex illo Ioan. c. 3. *Non potest homo quidquam accipere, nisi ei fuerit datum de Cœlo.* Et rursus ex illo Trid. desumpto ex M. P. *Tanta est benignitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt dona ipsius.* Cumque innegabile sit prædictos actus virtutum esse dona immediata Dei: innegabile pariter est ad eorum elicientiam requiri concursum gratuitum Dei immediatè illa donantis. Cumque insuper, quidquid Deus gratuito donat, donet per gratiam suam: prædicti actus non poterant elici ab Adamo sine gratia Dei donanti ipsos immediatè. At qui talis gratia, & erat efficax, utpotè immediatè connexa cum actibus, & erat gratia adiuvans, utpotè à gratia excitanti distincta: ergò fatendum est Adamum ad actualem perseverantiam superadditam ad velle, indigere adiutorio gratiæ Dei donantis immediatè talem perseverantiam.

Sess. 6. cp. 16.

12 Sed dices; quod estò Deus immediatè operaretur in Adamo actualem perseverantiam in diuturno exercitio virtutum supernaturalium consistentem; proindeque Deus per talem operationem immediatè donaret ei actualem perseverantiam; talis operatio esset gratia cooperans, non verò gratia operans; quæ solùm dispensatur à Deo ad 1. velle, non vero ad actus imperatos ex illo; ut expressè docet M. P. & ex ipso Ang. M. 1. 2. q. 111. ar. 2. Unde talis gratia etsi efficax, & præoperans actualem perseverantiam, non est auxilium *quo* Augustinianum, & de *quo* est præsens litigium: hoc enim est concursus Dei prævius, sive prædeterminans; operatio autem Dei causans immediatè actualem perseverantiam imperatam ex velle, non est concursus prævius; sed simultaneus, de quo non est præsens litigium. Tota hæc doctrina videtur tradita à M. P. lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. & 17.

Respons.

Hæc tamen solutio non satisfacit rationi propositæ, nec conclusioni, ut à nobis supra descripta manet, opponitur. Non enim in præsenti contendimus gratiam efficacem donantem immediatè actualem perseverantiam in exercitio virtutum consistentem, debere dici gratiam prædeterminantem ad illam (de hoc enim infra agemus) sed solum prædictam gratiâ vere, & proprie auxiliari, adiuvare voluntatem Adami, ut re ipsa perseveraret. Constat hoc ex terminis, quibus proposita manet conclusio. Licèt autem actio Dei, ut immediatè præoperans in Adamo actualem perseverantiam, non posset dici prædeterminans voluntatem, utpotè supponens in ipsa volitionem perseverandi; attamen esset proprie gratia adiuvans. Assumpt. prob. ex D. Thom. 1. 2. q. 111. ar. 2. ubi expressè docet in corp. art. & ad 1. *Deum per gratiam cooperantem adiuvare ad actum exteriorem interius confirmando voluntatem in bono, & exterius facultatem bene operandi præbendo.* Consonat M. P. ubi supra dicens: *Sine Deo operante, ut velimus; vel cooperante, cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus.* Quid clariùs pro munere adiutorij in gratia Dei cooperante ad pie, & salutariter operandum? *In idem facit illud, quod sæpè petimus à Deo, dicentes: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adiuvando prosequere*; ubi ad prosecutionem bonorum operum Dei adiutorium exposcimus.

13 Reicitur 1. Permittit. Secundo. * Quid enim est gratia valens; nisi adiuvans?

Ratio etiam idem convincit efficaciter. Ideò gratia Dei operans adiuvat nos, ut velimus, quia per illam Deus operatur in nobis velle; sed per eandem actionem, quatenus est gratia cooperans, operatur Deus in nobis facere: ergó proùt est gratia cooperans, est verum adiutorium ad facere. Confirm. 1. Id, per quod Deus propriè movet voluntatem ad actum imperatum ex velle, est vere, & propriè adiutorium Dei ad elicientiam talis actus; sed per gratiam Dei cooperantem Deus gratuito movet voluntatem ad elicientiam actus imperati ex volitione finis; ut expressè affirmat D. Thom. loco ubi supra, & mihi est certum; quando actus impe-

14 Tertio:

ra-

ratus est actus voluntatis; ut est pia affectio ad credere sperare;& pariter,actus iustitiæ,&Religionis,ad quos tenebatur Adamus,ut perseverat: ergò per gratiam cooperantem &c. Mai. videtur innegabilis; Nàm Deus sic movens voluntatem, subvenit indigentiæ illius, ipsam actuando, & robando, ut finem præintentum perducat ad actum. Sed id, per quod Deus subvenit indigentiæ, & necessitati voluntatis, ipsam actuando, & roborando, ut agat est propriè auxilium,& adiutorium Dei; ut ex ipsa vocis significatione patet: ergò. Hac ratione M. P. lib. de gratia Christi fere per totum probat contra Pelagium fatendum esse per gratiam Dei haberi in nobis *adiutorium voluntatis*, *& actionis*, hoc est gratiam Dei adiuvare nos, & ut velimus, & ut benè operemur. Pro quo facit illud D. Pauli *Dominus, qui incepit, ipse perficiet*; & illud: *Vobis datum est pro Christo non solum, ut credatis in eum, verum ut pro illo patiamini*; in quo iuxta M. P. significatur perseverantia in bono. Sed dicta sufficiant in re meo videri manifesta.

Ad Phil. 1.

Ad Phil. 2.

De bono persev. c. 2.

15 Nec obstat, quod si gratia Dei cooperans, hoc est actio Dei, ut immediatè præoperans actualem perseverantiam supponentem iam velle, est concursus Dei simultaneus, nequit dici cum proprietate gratia adiuvans voluntatem ad perseverandum; cum iuxta Thomistas concursus Dei simultaneus non sit verum adiutorium ad velle, aut ad facere. Non inquam obstat; tùm propter immediatè dicta. Tùm quia, etsi sit simultaneus concursus respectivè ad voluntatē, ut prę volentem libere perseverare; est tamen concursus præveniens per modum causæ respectivè ad liberam perseverantiam, & ad ipsam voluntatem, ut eam exercitè elicientem. Quod si Thomistæ negant concursui simultaneo, ut ponitur à Jesuitis, rationem veri auxilij, & adiutorij; ideò est, quia talis concursus est ipsa actio creaturæ, ut indivisim à Deo procedens; nihil autem potest esse verum auxilium, verumque adiutorium ad se ipsum; vel respectu illius, quod non prævenit, ut vera causa, aut motio voluntatis ad illius productionem. Cumque oppositum contingat in gratia Dei cooperanti respectivè ad actualem perseverantiam supponentem velle; obtinet propriè rationem adiutorij, per quod Deus donat immediatè actu perseverare in bono.

De hoc infra.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Prædicta gratia donans Adamo immediate actualem perseverantiam, esset gratia prædeterminans, & adiutorium quo *Augustinianum.*

16 OPpositum huius conclusionis quòad utramque partem tenet M. Prælaud. tom. 1. q. 8. §. 3. Tùm tom. 2. q. 8. à n. 58. ubi aliqua de novo superaddit. Sentit enim gratiã Dei consistere in actione immanenti ipsius, ut virtualiter productiva rerum ad extra. Quatenùs prædicta actio consideratur, ut operan in nobis 1. velle liberum; à quo cæteri actus imperantur; dicitur gratia operans; eadem autem actio ut productiva est actuum subsequentium ad 1. velle, dicitur, & est gratia cooperans. Et quamvis actio Dei, ut productiva actus subsecuti ad 1. velle sit gratia præoperans; cum præcedat per modum causæ actum, quem producit; non tamen dicitur gratia prædeterminans, nec gratia subiectivè movens, aut applicans voluntatem ad elicientiam actus imperati. Rationem huius assignat ex eo, quod gratia prædeterminans est illa, quæ præcedit,&non supponit in voluntate liberã determinationem illius; atqui actio Dei, ut præoperans actum imperatum ex 1. velle libero, supponit in ipsa liberam determinationē ad actum imperatum, scilicèt, ipsum velle. Igitur talis actio estò sit præoperatio, non tamen est prædeterminatio ad actum imperatum ex 1. velle; sive talis actus sit etiam elicitus à voluntate, sive ab aliqua potentia exteriori. Hinc consequenter affirmat actionem Dei, ut productivam actus imperati, non esse concursum actualem prævium,

Explicat. opinio contraria

vium, sed concursum Dei simultaneum; cum per talem actionem Deus, & volũtas creata iam determinata per 1. volitionem liberam, simul natura, & in eodem signo, causent efficienter actum imperatum. Quod si ab eo quæras; quænam sit gratia prædeterminans, & auxilium quo adiuvans voluntatem ad elicientiam actus imperati ex 1. velle? Respondet loco cit. Talem prædeterminationem consistere in ipso velle libero, à quo cæteri actus imperantur; non quidem quatenùs tale velle procedit effective à voluntate creata, sed quatenus procedit à Deo operanti illud.

Gratia prædet. ad 1. velle liber. est actio Dei illud oper:

Prædet: ad facere est volitio illud imperans.

17 Ratio huius doctrinæ est. Nàm gratia prædeterminans, & auxilium *quo* ad actus imperatos est id, per quod Deus facit nos illos facere; at qui huiusmodi est 1. volitio libera efficaciter imperans actus subsecutos ad illam; iuxta illud M. P. de gratia, & lib. arb. cap. 15. *Oret homo, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad adimplenda mandata: sic quippe adiuvatur, ut faciat, quod iubetur.* Igitur gratia prædeterminans ad facere, quodcumque illud sit, imperatum ex 1. velle; similiterque auxilium *quo* Augustinianum ad facere, consistit in ipso velle. Ex his doctrinis generalibus infert gratiam prædeterminantem Adamum ad actualem perseverantiam in diuturno exercitio virtutum supernaturalium consistentem, utpotè imperatam ex 1. volitione libera, per quàm vellet perseverare in bono; consistere in tali volitione. Et estò ad elicientiam prædictorum actuum indigeret Adamus actione Dei immediatè causanti prædictos actus; quia tamen talis actio supponebat pro priori voluntatem Adami determinatam ad eorum elicientiam per volitionem liberam habitam ex vi gratię operantis; ideo talis actio Dei non est gratia prædeterminans, sed gratia Dei cooperantis, & simultaneè concurrentis cum voluntate Adæ ad actualem perseverantiam. Ex his liquet mens huius A. circa præsens quæsitum.

Gratia ad iuvans ad facere.

18 Ferè totam hanc doctrinam alibi latè impugnavimus probantes ex M. P. & D. Thom. rationibusque ex ipsis deductis, gratiam Dei, ut cooperantem esse gratiam prædeterminantem ad actus imperatos ex 1. velle libero, nisi litigium sit de voce. Undè ex his, quæ Deo dante, tom. 4. in lucem proferemus, facilè erit, quasi in compendio, eisdem fundamentis 1. partem concl. probare. Gratia à solo Deo, ab intrinseco efficax, & aliundè movens voluntatem ad actualem perseverantiam in bono per realem præcedentiam, & infallibilem connexionem causalitatis cum illa est, gratia prædeterminans voluntatem ad actu perseverandum in bono; sed huiusmodi est actio immanens Dei, ut efficiens immediatè in Adamo actualem perseverantiam in bono: ergò talis actio, qua Adamus indigebat ad actu perseverandum in bono, esset gratia prædeterminans. Mai. est certa apud omnes Thom. iuxta quos idem est *physica prædeterminatio*, ac *physica præmotio*, si sit ad actus liberos. Min. vero quo ad motionem prob. 1. ex D. Th. hac 1. 2. q. 111. ar. 2. ubi expresse appellat gratiam Dei cooperantem, *Dei gratuitam motionem ad elicientiam actus imperati*, & gratiam operantem *illam, qua Deus movet mentem humanam ad 1. velle.* (Undè nescio, cur prædictus M. affirmet gratiam Dei cooperantem esse adiutorium Dei *cooperantis per simultaneum concursum, non vero adiutorium Dei moventis voluntatem ad actum imperatum.*) Sed actio Dei, ut causans in Adamo actualem perseverantiam est gratia Dei cooperans: ergò talis actio est gratia ab intrinseco efficax, & movens voluntatem Adami ad actu perseverandum. 2. Ratione. Gratia illa quæ per efficaciam sibi intrinsecam delineaphysica, reducit immediatè voluntatem de posse facere ad actu facere, est gratia subiectivè movens voluntatem ad agendum; sed Deus per gratiam cooperantem modo dicto reducit voluntatem de posse facere actum imperatum ad actù ipsum facere: ergò gratia cooperans &c. Mai. constat ex D. Thom. 1. 2. q. 9. ar. 1. ubi motionem ex parte *subiecti* appellat *motionem quoad exercitium*, sive *quo ad usum*; eamque distinguit à motione *quoad specificationem*, sive *ex parte obiecti*.

Per gratiam coo per: Deus movet propriè volunt. 1.

Ita à nu. 3 1. q. 8.

Prob. 1. pars.

Exem-

Exemplum 1. ponit in voluntate per imperium movente subiective reliquas potentias ad operandum. 2. autem in intellectu media propositione boni movente voluntatem. Min. vero prob. Quidquid bonum est in voluntate suppositâ 1. volitione libera finis; est effectus gratiæ Dei cooperantis; sed voluntatem transire de posse elicere actum imperatum salutarem ad actu illum elicere, est aliquid bonum supponens 1. volitionem liberam finis: ergò Deus per gratiam cooperantem &c.

20 3. & explicat. hoc; supponamus Adamum in instanti *A.* v. g. voluisse perseverare in bono, & in instanti *C.* Explicat. instare præceptum actus spei. Quo supposito sic argum. Actio Dei, ut cooperantis, donaret immediatè volũtati Adami, quod adimpleret præceptum eliciendo actum spei: sed hoc ipso actio Dei, ut cooperantis, est vera motio subiectiva voluntatis ad elicientiam actus spei: ergò cum aliundè præcedat, & actum spei, & voluntatem, ut active influentem in ipsum, erit vera præmotio voluntatis ad agendum. Mai. in primis prob. Voluntatem Adami activè principiare actum spei, licut, & adimplere præceptum, haberetur immediatè ab ipso Deo, tanquàm ab A. immediatè operante omne bonũ; sed actio Dei, ut operantis, non influit immediatè in actum imperatum, sed in imperantem; ut est certum, traditurque expresse à S. D. in 2. d. 26. ubi ait: *Gratia operans* (scilicèt actualis) *dicitur, pro causat voluntatis actum: & cooperans: prout causat exteriorem actum, in quo voluntas completur per perseverantiam*: ergò quod voluntas principiet activè &c. Min. etiam prob. Actualis, & immediata reductio voluntatis de posse active principiare actum spei ad actu ipsum principiare, est vera, & immediata motio voluntatis: *movere enim* iuxta S. D. sup. q. 9. a. 1. *est reducere aliquid de potentia in actum.* Sed non motione quòad specificationem, aut ex parte obiecti se tenenti; multoque minùs potest dici motio moralis: ergò est vera motio subiectiva, & physica voluntatis ad agendum.

21 Confirm. Deum immutare physicè voluntatem de non eliciente actum imperatum, ad actu illum elicere, est Deũ subiectivè movere voluntatẽ; sed Deus per gratiam cooperantem sicimmutat immediatè voluntatem de non eliciente actum imperatum ad actu illum elicere: ergò. Prob. min. Deus immediatè immutat Physicè voluntatem de non eliciente actum imperatum, ad actu illũelicere ratione illius Doni, quod immediatè physicè excludit à voluntate non elicientiam actus; sed hæc non elicientia solum immediatè excluditur per elicientiam actus imperati, quæ est effectus Physicus immediatus gratiæ cooperantis: ergò. Urgetur. Gratia illa, per quàm volũtas, ut productiva actus imperati, Urgetur. est in manu Domini, est gratia, per quã Deus immed: movet, vertit, flectit, & inclinat subiective voluntatẽ ad elicientiam actus imperati, ut constat ex illo Prob. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud.* Sed voluntas, ut productiva actus imperati, est in manu Domini, ut influentis per gratiam cooperantem: ergò Deus per talem gratiam immediatè movet &c. Min. videtur certâ: tùm quia voluntas, ut productiva actus imperati, est immediatè in manu Dei; cum ille sit supremus, & immediatus Dominus voluntatis sub omni ratione, sub qua est active rectè, & meritorie operans; sed prout sic non est immediatè in manu Dei per gratiam operantem ipsius; cum hæc solùm dispensetur immediatè ad velle: ergò. Tùm quia voluntas eatenus, ut productiva actus salutaris imperati, est in manu Domini, quatenùs Deus habet plenissimã, & omnipotentissimam potestatem, per quam donet actum salutarem imperatum; sed huiusmodi plenissima potestas includit gratiam cooperantem, per quam perficit, quod volendo incæpit: ergò.

Confirm. pro eadẽ motione

22 Hinc urgeo 2. Movere voluntatem motione subiectiva, aut ex parte subiecti, est iuxta S. D. hac 1. 2. q. Urget. 2. 9. movere quòad usum; uti autem est applicare activè ad operationẽ; & maximè si fiat per imperium, ut contingit in voluntate relatè ad alias potentias. Sed voluntatem, ut elicientem actum imperatũ, esse sub Dominio Dei coo-

per-

perantis est quòad actum imperatum subdi eius imperio, à quo accipit applicationem formalem consistentem
Prob. 2. pars 1. in ipso actu. 2. vero pars. Scilicèt, talem gratiam subsequutam ad velle, & præcedentem actualem perseverantiam, esse adiutorium *quo*, sive Augustinianum, prob. 1. ex dictis pro 1. parte. Gratia ita adiuvans voluntatem, ut eam subiectivè, sive quòad usum, moveat ad facere, est auxilium *quo* ad facere; cum sit auxilium faciens, ut voluntas faciat; sed gratia Dei cooperans ita adiuvat voluntatem, ut vere subiective moveat ipsam ad elicientiam actus imperati, ut verbis expressis docet S. D. supra: ergò talis gratia est auxilium *quo* ad
Secundo. facere. 2. Adiutorium *quo* ad perseverandum est iuxta M P. *quo efficitur perseverantia, propter quam quam datur*: & item: *per quod ipsa perseverantia donatur; ita ut per hoc adiutorium hominet, non nisi perseverantes sint.* Ita de correct. cap. 12. Sed de gratia ut cooperante, & præoperante actus, quibus Adamus perseveraret in bono; verificatur cum proprietate *per ipsam effici perseverantiam, propter quam datur*; & esse Donum, *per quod ita donatur perseverantia, ut Adamus non nisi perseverans esset*; ut est certum: ergò talis gratia est adiutorium *quo*
Urgetur. pers. edoctum à M. P. Urg. Licèt actio increata Dei, ut operans in Adamo velle perseverare; & ipsum velle, sit adiutorium *quo* ad perseverandum; quis negare poterit; si non maiori cum proprietate; saltim cum æquali; quod per gratiam cooperantem, & præcedentem, ut causam immediatam talis perseverantiæ, *effici perseverantiam, eam donari, & per illam, non nisi perseverantem fieri*? ut patet à simili de actu voluntatis, quo quis reflexe vellet diligere, sperare; relatè ad actus directos: ergò.
Tertio. 3. M.P. de grat. & lib. arb. cap. 15. Docens optimè componi Deum præcipere homini, ut servet eius mandata; & quòd per gratiam suam donet ipsi ut illa faciat: sibi obijcit sequens arg. *Quare iubet; si ipse daturus est? quare dat; si homo factus us est?* Resp. *Nisi quia dat, quòd iubet; cum adiuvat, ut faciat, cui iubet.* Supponamus Adamo fuisse præceptum de actibus fidei, spei &c. quibus proficeret perseverandi in bono; estò antecedèntèr se exerceret per velle perseverare. Nunc sic arguo. Tunc Deus adiuvat, ut faciat homo, cui iubet dùm dat, quòd iubet; sed in dicto casu innegabile est Deum propriè dare, id quòd iubet, dùm per gratiam cooperantem supponentem velle efficit immediate actum fidei, spei cadentem sub præcepto Dei: ergò per talem gratiam iuxta M. P. adiuvat, ut faciat homo, cui iubet. Nec recursus ad concursum simultaneum prodest. 1. quia simultaneus relatè estò fit ad voluntatem, ut iã volentem: non vero, ut libere elicientem actum præceptum. 2. quia est prævius ordine naturæ, & cum reali distinctione ab ipso actu imperato iuxta doctrinam Advers.

Idẽ prob. 1. ex D.Th. hic q. 111. ar. 2. ubi gratiam cooperantem ait esse illam *per quàm Deus adiuvat voluntatem ad actum imperatum, & interius confirmando illam in bono, & exterius facultatem operandi ei præbendo.* Quod probat ex M. P. de gratia, & lib. arb. Sed gratia, quæ iuxta D. Thom. est adiuvans, est adiuvans in sensu Aug. ergò. Rursus sol. ad 3. in quo sibi obijcit, *quòd cooperari pertinet ad agens secunda, & inferius; proindeque non posse attribui gratiæ Dei.* Resp. * Quod cooperari dicitur non solùm, sicut secundarium agens principali agenti, sed sicut adiuvans ad præsuppositum finem; & ideó præsuppositio fine (videlicèt in sui amore) consequ: est, ut gratia cooperetur. * Sed loquendo adhuc his terminis *facere bonum, & perseverare in bono post velle*; hæc provenire à gratia cooperanti, est expressum in S.D. hic q. 111. ar. 3. Postquàm enim dixit gratiam prævenientem esse gratiam operantem; cooperantem vero esse subsequentem. Iuxta illud M. P. *Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, nè frustra velit.* Subdit: sunt autem quinque effectus gratiæ, *in anima 1. ut sanetur. 2. ut bonũ velit 3. ut bonũ quod vult, efficaciter operetur 4. ut in bono perseveret, & ideò gratia, ut causans 1. effectum dicitur prævenire respectu 2. & prout causat 2. dicitur subseq: respectu 1.* Et sic de

23 Ex D.Th. 1.

Secundo.

alijs & q. 27. de ver. ar. 5. ad 1. * gratia cooperans (sumpta ex parte doni collati) dicitur secundum quod in libero arbitrio operatur, motum eius causando, & exterioris actus executionem expediendo, & perseverantiam præbendo; in quibus omnibus aliquid agit liberum arbitrium. * Denique super Psal. 22. litt. C. ad illa verba: *Misericordia eius subsequetur me*, hæc habet S.D. *Utraque misericordia Dei præveniens, & subsequens est necessaria: præveniens, quia inspirat animum: subsequens, quia iuvat, ut efficiatus*: ergo cum gratia subsequens iuxta ipsum sit idem, quod gratia cooperans, hæc est verum adiutorium ad facere. Dicta sufficiant. Latiùs agemus tract. de grat. cooperante.

§. V.

Solvuntur argum. prob. gratiam cooperantem, nec movere, nec prædeterminare voluntatem.

24 OMnia motiva, quibus prædictus M. ingeniosè contendit probare gratiam cooperantem non esse prædeterminantem ad actus imperatos ex 1. velle libero, manent alibi soluta ex sugestu. Sed quia tom. 2. doctrinaliter addit aliqua placet sub forma argumenti claritatis gratia illa proponere 1. est. Ideò gratia cooperans moveret subiectivè, & effectivè voluntatem ad actus imperatos (proindeque esset physica prædeterminatio, & præmotio ad illos) quia per illam Deus effectivè producit actus imperatos, qui sunt determinatio formalis voluntatis; sed hæc ratio nihil probat: ergò gratia cooperans non est gratia &c. Pro min. probat. supponendum Thom. defendentes concursum simultaneum Dei ad omnes actiones, & effectus creaturarum, docere de mente P. Aug. & D. Tho. Deum ad extra omnia operari per actionem secum identificatam: quo supposito sic inquam prob. min. 1. Deus simultaneè per actionem secum identificatam producit effectivè calefactionem ignis v. g. & tamen Deus per talem actionem non dicitur movere subiectivè, & effectivè ignem ad calefaciendum; alias talis actio Dei non esset concursus simultaneus, sed prævius, & physicè prædeterminativus: ergò ex quo Deus per gratiam cooperantem &c. 2. & explicatur efficacia probat. Quemadmodum gratia cooperans consistens in actione immanenti Dei præcedit per modum causæ actum imperatum, & cum ipso infallibiliter connectitur: pariter actio immanens Dei, per quam simultaneè concurrit ad calefactionem ignis, præcedit ipsam per modum causæ, & cum ea infallibiliter connectitur. Sed hoc non obstante talis actio non est physica prædeterminatio ignis ad calefaciendum; esto sit præoperatio eiusdem calefactionis: ergò pariter dicendum de gratia cooperanti in ordine actus imperatos; nimirum; illam esse gratiam præoperantem, non tamen prædeterminantem. Prob. 3. Angelus in 1. instanti sui esse effectivè, & elicitivè produxit actum 1. liberum, qui est determinatio formalis suæ libertatis; & tamen iuxta communem Thom. sensum Angelus non se movit ad illum subiectivè, & applicative: ergò ex quo Deus per gratiam cooperantem causet effective actum imperatum, qui est determinatio formalis voluntatis, non probatur Deum per gratiam cooperantem movere subiective, & applicative, voluntatem ad illius elicientiam.

Arguit. 1 contra motionē grat. cooperant.

1. prob. min.

Secunda.

Tertia.

25 Inefficacia huius argumenti clarè constabit, si annotentur diligenter testim. & rationes, quibus conclusionem probavimus. Verum enim est ex terminis loquendo; unum agens producere actionem alterius non esse prævie influere in illud, nec ipsum movere subiective ex parte agentis. Patet hoc, tùm ex probatione argumenti; tùm ex omnibus causis simultaneè concurrentibus per eandem actionem, ex quibus licèt una sit causa actionis alterius; non tamen est causa movens, aut causa faciens, ut altera operetur. Attamen si agens producens actionem alterius agentis; ita illam producat, ut per prius moveat ipsum, illudque adiuvet donando ipsi, non solum operationem, sed etiam

Solutio.

hoc,

hoc, quod est active influere in illam, absdubiò concursus talis agentis est prævius, & physicè præmovens ad operandum; ut nobis videtur certum: cũ talis concursus actualis non sit per se 1. in actionem causæ, sed in causam.

26 Gratia autem cooperans non utcumque est productio actus imperati, sed est gratuita motio voluntatis eiusque adiutorium, ut active producat actum imperatum. Ita expressè D. Thom. 1.2. q. 112. ar. 2. & 3. ubi pro effectu gratiæ cooperantis assignat: *Voluntatem efficaciter operari, & exequi finem prævolitum, & in bono perseverare.* In quibus verbis non tolùm denotatur electionem, & usum mediorum, esse effectum gratiæ cooperantis; verum & ipsam voluntatem, ut activè principiantem tales actus esse effectum eiusdem gratiæ. Ad modum, quo gratia operans non tantum respicit pro effectu sui volitionem finis; sed etiam hoc, quod est voluntatem active influere in prædictam volitionem: cum hoc sit bonum ex Dei dominio proveniens. Undè sicuti hac ratione talis gratia est concursus prævius in voluntatem ut volentem finem; ita gratia cooperans est concursus prævius, & physica præmotio in voluntatem, ut progredientem ad executionem finis intenti. Si hæc diligentèr notentur, argumenti inefficacia clarè constabit, sicuti & solutio ad illius prob. Ex his in form. dist. mai. Præcisè; quia per illam producit Deus actus imperatos voluntatis, neg. mai. Quia per illam gratuitò movet, adiuvatque voluntatem, ut producat actum imperatum, conc. mai. & cum eadem minor. dist. neg. conseq. Rationem distinctionis habes ex D. Thoma, ubi supr. Et insuper inquiri potest; à qua gratia Dei voluntas accipiat ut causa immediatè sibi donanti, totum hoc: *Activè producere actum imperatum salutarem?* Volitio enim finis, utpotè realitèr distincta à Deo, & etiam ab ipsa voluntate activè proveniens, nequit denominare Deum immediatè donantem prædictæ voluntati activè principiare suum actum. Per quæ constat ad 1. prob.

Solut. in forma.

27 Ad 2. Ad 2. constat ratio discriminis. Cum enim voluntas Angeli ante 1. actum liberum non fuerit in actu virtuali completo, non potuit se movere activè, & applicativè ad illius elicientiam; benè tamen ad secundum actum opposita de causa. Deus autem est agens continens in actu eminentiali completo non solum primum velle voluntatis creatæ, sed etiam omnes actus, qui ex illo imperantur. Unde, sicuti per gratiam operantem non solum producit primum velle, sed etiam movet voluntatem, ut idem velle producat; ita per gratiam cooperantem nedum efficit actum imperatum, sed etiam efficit immediatè, quod voluntas illum tanquam causa secunda, & secundum movens, ipsum efficiat. Si ergò propter primum gratia operans est concursus prævius ad velle; ob secundum, gratia cooperans erit concursus prævius ad facere.

28 2. Arg. Gratia illa, per quam Deus simultaneè concurrit cum voluntate, non est gratia prædeterminans voluntatẽ, ut de se videtur certum. Sed Deus per gratiam cooperantem simultaneè concurrit cum voluntate ad facere; ut constat ex M. P. in illis verbis: *Cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur*: ergò. Nec valet dicere gratiam cooperantẽ esse concursum simultaneum relatè ad voluntatem ut imperantem; secùs tamen relatè ad voluntatem, ut obedientem in elicientia actus imperati. Non inquam valet. Ideò actio Dei, ut causans amorẽ proximi imperatum ex amore Dei v. g. est cooperans relatè ad voluntatem ut imperantem; quia supponit amorẽ Dei, qui est determinatio voluntatis imperantis; sed idem amor Dei est etiam determinatio effectiva voluntatis, ut obedientis per elicientiam amoris proximi: ergò talis actio nedùm est concursus Dei cooperantis, & simultaneè influentis relatè ad voluntatem imperantem, sed etiam relatè ad ipsam, ut obedientem, & exequentem.

Arguit. 2. prob. nõ esse prædeterm.

Si dicatur

Impugnatur.

29 Aliter, & clariùs. Quia actio Dei non causat amorem proximi, nisi cum voluntate imperãte, est cooperans relatè ad amorem Dei, per quem imperat; sed non causat talem amorem, nisi etiam cum voluntate obediente: ergò est etiam coope-

Aliter pond. eadem impugnat.

rans &c. Prob. min. Talis actio non causat amorem proximi, nisi cum voluntate subiectivè determinata per amorem Dei imperantem; sed voluntas sic determinata subiectivè, est voluntas obediens: ergò.

30 Confir. 1. Confirm. 1. Gratia prædeterminans est gratia præcedens omnem determinationem subiectivam, & effectivam voluntatis; sed gratia cooperãs, per quam Deus causat actum imperatum, non est huiusmodi; cum supponat pro priori voluntatem determinatam per intentionem finis, quæ est determinatio subiectiva, & effectiva ad actum imperatum: ergò. Mai. videtur certa. Tùm quia aliàs non esset prædeterminatio, sed postdeterminatio. Tùm quia de ratione gratiæ prædeterminantis est tollere indifferentiam suspensionis in voluntate, & perficere indifferentiam potestatis, & dominij. Sed gratia supponens in voluntate determinationem subiectivam, & effectivã ad actum imperatũ, nequit tollere indifferentiam suspensionis ab illa; cum eam supponat ablatam: ergò. Explic. hoc in voluntate movẽte imperio suo potentias executivas ad agendum iuxta illud M.P. 8. Confes. c. 9. *Imperat animus, ut moveatur manus; & tanta est facilitas, ut vix ab obedientia discernatur imperium.* Actio Dei ut causans motum manus, estò sit prœoperatio rationc causalitatis, non tamen est prædeterminatio ad talem motum; & hoc videl. quia supponit imperium volũtatis, quo determinatur effectivè indifferentia manus ad motum. Atqui amor Dei v. g. imperans amorem proximi, est determinatio effectiva, & applicativa voluntatis ad amorem proximi, ut est innegabile: ergò actio Dei ut causans amorem proximi, quæ est gratia cooperans, estò sit præoperatio amoris proximi; nõ tamẽ prædeterminatio voluntatis ad illũ.

Explicat.

31 Confir. 2. 2. Defumitur à paritate causarum naturalium. Sic se habet amor in nostra voluntate relatè ad facere; sicuti se habent in inanimatis inclinationes sequutę ad earum formas naturales, relatè ad proprias operationes, iuxta illud M.P. *Amor meus pondus meum &c.* Atqui estò Deus cum causis inanimatis effectivè producat earũ operationes, talis actio Dei, quamvis sit præoperatio, non est prædeterminatio; cum prędictæ causę sint antecedenter ad illam determinatę ad proprios motus: ergò pariter &c. Idem argum. formari potest in brutis, in quibus inclinatio appetitus sensitivi illorum operationes præcedens, & causans, obtinet rationẽ motionis, & determinationis ad agere: ideòque activus concursus Dei in ipsorum operationes, estò sit simultaneus, non tamen prævius.

32 Solutio tradita sustinetur Resp. solutione ibi data. Ad 1. impug. dist. mai. Quia supponit amorem, & insuper; quia non facit, ut voluntas velit, conc. mai. Præcisè, quia supponit amorem, neg. mai. & dist. min. Supponit determinationem effectivam, quę se tenet ex parte ipsius voluntatis, conc. min. Quæ se tenet ex parte ipsius Dei, neg. min. & cons. Voluntas enim per amorem finis etiam se movet, & determinat effectivè ad electionem mediorum; attamen hoc habet in suo ordine, & tanquã 2. movens particulare: quapropter indiget ulteriori motione, & determinatione Dei moventis ipsam per modum 1. & universalis motoris. Solut. est D. Th. 1. 2. q. 9. a. 4. ad 3. Unde, ex quo amor Dei v. g. sit motio; & determinatio, per quam voluntas, ut agens 2. se movet ad amorem proximi, non tollitur indigentia ulterioris gratiæ, per quam Deus immediatè moveat, & applicet eandem voluntatem ad amorẽ proximi, & pariter ipsa voluntas subordinetur immediatè Deo ut 1. agenti in activa elicientia prędicti amoris. Ad aliam formam arg. dist. min. Gratia cooperans non causat amorem proximi, nisi cum voluntate obediente, faciendo illã esse obedientem, conc. min. Supponendo illam obedientẽ, neg. min. & cons. Ad pr. in cont. Resp. Quod volũtas determinata subiectivè per amorem Dei ad amorem proximi est obediens inchoativè, non tamen formaliter, usque dùm adiuta gratia cooperanti prorumpit in elicientiam amoris proximi.

Ad aliam formam.

33 Ad 1. confirm. Ad 1. conf. neg. mai. propter ly *omnem*. Physica enim prædeterminatio, sive præmotio ponitur à Thom. ad salvandã in omni causa creata subordin. immediatam ad Deum in operando; & ut sub eius dominio immediato contineantur omnes operationes creatæ; est enim

enim dominium facultas utendi; uti autem est applicatio rei ad operationem, sive motum. Cum igitur voluntas adhuc supposito amore finis subordinetur immediatè Deo in elicientia actuum subsequentium; istique cadant sub dominio immediato ipsius, indiget pro eorum elicientia concursu Dei prædeterminanti, aut prę moventi, per quem ultimatè, & completè; activitas ad elicientiam actuum imperatorum reducatur de otio in actum.

34 Licet ergò prædicta motio sit prædeterminatio relatè ad volitionem finis, est tamen prædeterminatio relatè ad voluntatem ut eligentem. Ad modum, quo gratia dispensata ad facere imperatum ex velle, est Dei misericordia subsequens nostrū velle; verè tamen præveniens, & donans ipsum facere; ut docet D. Thom. ubi supra art. 3. Quam doctrinam ipse M. tenetur admittere; cum iuxta ipsum amor efficax finis sit prædeterminatio ad facere; & tamen si comparetur ad gratiam operantem ipsum, non est prædeterminatio, sed post determinatio. Ad prob. in cont. neg. mai. Prædeterminatio enim ponitur, nedùm ut auferat indifferētiam suspensionis, sed etiam propter motiva immediatè adducta, & ut omnia agentia creata, utpotè moventia 2. moveantur immediatè à Deo ut 1. motore. Ponitur etiam ad tollēdam indifferentiam potentialitatis, & contingentiæ in omni causa creata; eo quod non est actus purus, sed actus admixtus potentialitati in ordine ad suam operationem; & unumquodque in tantum sit mobile, in quantum est in potentia. Hæc autem mobilitas, quē motorem respicere potest; nisi 1. actum, qui est Deus? Præsertim: quia hæc indifferentia convenit voluntati supposito amore finis relatè ad actus imperatos. Videatur M. Lemos tom. 3. p. 1. tract. 1. per totum; neque enim fas est in his rebus adeò notis vetsatis in D. Thom. immorari. Nota pro uberiori clarit. Quod potentia executiva in nobis, & est mobilis à voluntate creata, & à Deo; ideòque gaudet duplici indifferētia per ordinē ad duo movētia. Per velle efficax determinat voluntas 1. indifferētiam, & eam tollit, non vero 2. & ideò post velle, requirit prædeterminari immediatè à Deo.

35 Ad urgent. neg. minor. propter eius claram falsitatem. Et quidem mirum est, ut voluntas creata imperet, & determinet immediatè manum v. g. ut moveatur; & quod Deus immediatè imperio suæ omnipotentiæ, & virtutis, non moveat efficacissimè manum ad eundem motum. Sive, quod idem est: * motum manus cadere sub dominio immediato voluntatis creatæ, & non sub dominio immediato Dei. * Quod si ita cadit, utique immediatè determinatur à Deo: proindèque motio cooperans, per quam Deus immediatissimè efficit, & motum manus, & simul, quod manus moveatur, erit vera determinatio ad illum.

36 2. Confirmat. continet doctrinam penitus falsam, & à nullo *prædeterminante* (quem viderim) hucusque traditam. Videatur Magist. Lemos ubi supr. cap. 5. 7. 8. & 9. ubi de mente Magn. Par. D. Thom. & Catheciśm. Romani ibidem fol. 34. efficacissimè probat concursum Dei prævium in causas naturales realitèr superadditum earum formis, & inclinationibus innatis ad operandum. Pro D. Thom. sufficiat pronùnc illud decantatissimum testimonium ex quæst. 3. de potentia art. 7. ubi affirmat: *Deum esse causam omnis motus, & operationis procedentis à causa creata (etiam naturali) non solum quia producit formas, easque conservat in esse, sed etiam in quantum eas movet, & applicat ad operandum, sicuti artifex dicitur causa incisionis cultelli, in quantum ipsum movet, & applicat ad incidendum: in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis, sed applicatio virtutis ad agendum.* Videatur etiam 1. 2. quæst. 109. art. 1. ubi affirmat: *Nullam creaturam quantumvis perfectam posse exire in operationem, nisi ulteriùs moveatur à Deo.* Super quæ ait M. Lemos: *Hic D. Th. luce clariùs tradit concursum prævium Dei in causas naturales earum formis superadditum.* Alia innumera ibi inveniet studiosus lector. Id, quod addit de determinatione ad agendum per inclinationem innatam causarum

Confirm.

naturalium nihil probat, cum solum sit determinatio quòad specificationē, & in actu 1. non vero determinatio efficax, & quòad exercitium; aliàs ignisBabilonicus fuisset physicè prę motus à Deo ad comburendum Pueros. Quod si dicatur ita fuisse: dicemus illam esse præmotionem noviter propugnatam, & de qua hucusque post controversiam ita acerrimè exagitatam inter Theologos, nulla extat memoria.

§. VI.

In quo doctrina eiusdem SS. M. refertur, & impugnatur.

37 Doctrina refertur.

ADvertendum 1. quid affirmet prędict. M. dùm docet amorem efficacem finis esse unicam prædeterminationem ad reliquos actus. Etenim tom. 2. q. 8. n. 24. & 28. & prę cipuè à n. 55. asserit, quod licet talis amor sit prædeterminatio ad omnes actus subsequutos, non tamen exercet tale munus prædeterminationis, nisi in suo loco, & signo. Nàm sicut finis est causa movens voluntatem ad omnes actus; sed 1. movet ad amorem finis, 2. ad deliberandum de medijs; deindè ad electionem medij determinati; postea vero ad imperium, & usum &c. qui actus non simùl, sed successivè procedunt à voluntate: sic dicendum de amore finis, ut movente subiectivè ad actus subsequentes. Eadem enim est ratio utriusque cum solo discrimine: quia motio finis est *moralis*, & *obiectiva*; motio amoris finis est *physica*, & *subiectiva*.

38 Probat illam ratione.

Accedit etiam ratio specialis. Nàm voluntas nequit moveri subiectivè, nisi sit dispositа per consensum negativum gratiæ morali; sed gratiæ morales non movent obiectivè ad omnes actus simul, sed successivè: ergo nec motio physica per 1. amorem finis est ad omnes actus simul, sed successivè eo ordine, quem inter se servant actus ipsi voluntatis. Hinc asserit, quod intentio efficax finis solum imperat intellectui pro tali signo propositionem mediorum. Post tale signum existunt in illo cognitiones moraliter allicientes voluntatem ad electionem medij determinati; quibus si negativè consentiat, tùnc amor finis movet subiectivè voluntatem ad electionem: secùs autem, si negativè dissentit, & sic de reliquis actibus. Nec huic doctrinæ obstat, quod intentio efficax finis est prędeterminatio ad electionem, usum, & omnes actus subsequentes, proindèque videtur debere poni infallibiliter connexa cum ipsis. Non inquam obstat. Nàm in tali signo solum est prædeterminatio *signata*, & materialiter ad reliquos actus; non vero *exercita*, & *formaliter*, quòad munus, scil. determinandi, nisi post consensum negativum præstitū vocationi morali allicienti ad electionem v.g. Nàm quemadmodum actio Dei, ut formaliter prædeterminat voluntatem ad velle, non intelligitur ut talis, nisi in signo sequenti ad consensum negativum; ideòque quòad munus prædeterminationis à tali consensu dependet; idem dicendum de intentione finis, quatenùs est prædeterminatio ad actus subsequentes ad velle. Consequenter ad hanc doctrinā affirmat omnes Angelos per amorem Dei in 1. instanti fuisse prædeterminatos à Deo ad facere pro 2. instanti; attamen talis amor in 1. instanti fuit prędeterminatio *signata*, non vero *exercita*, & quòad munus determinandi ad perseverantiam in amore sancto. Hoc enim munus habuit in signo sequenti, pro quo Angeli boni consentientes priùs motioni Dei morali; per ipsum amorem prædeterminati sunt ad perseverandum in bono. Mali vero dissentientes in signo sequenti Deo moraliter allicięti ad perseverandum, abiecerunt amorem sanctum: ideòque non fuit prædeterminatio exercita ad perseverandum in bono.

Cuidam instantiæ occurrit.

Hæc ad longum retuli, ut efficacitèr impugnetur opinio prædicti M. asserentis auxilium *quo* Augustinianum, sive *prædeterminationem* ad actus subsequutos ad 1. velle liberum efficax finis, consistere in ipsa volitione, quatenùs procedit à Deo; & negantis gratiam Dei, ut cooperantem, & præoperantē prædictos actus, esse gratiam prædeterminantem, sive moventem subiectivè voluntatem ad illorum elicientiam. Et quidem 1. apparet parùm perceptibilis, & minùs usitata distinc-

35 Impugn. 1.

tinctio prædetermination.*materialitèr*, & *formalitèr talis*, sive prædeterminationis *signatæ*, & *exercitæ*. Nàm nomine prædeterminationis communitèr intelligitur motio ab intrinseco efficax: proindèque motio, in qua efficacia causalitatis, & determinationis ad actum non differt, nec separatur ab illius intrinseca entitate. Vel aliter. Nequit motio quòad sibi intrinseca coniungibilis cum actu, & carentia actus, dici cum proprietate prædeterminatio ad actum. Sed intentio finis talis est iuxta doctrinam supra relatam: ergò immeritò dicitur esse gratiam prædeterminantem ad actus subsecutos.

Secundo. 2. Nàm expresè opponitur D. Thom. q. 10. 1. 2. a. 4. ubi docet: *Quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur, licet non sit impossibile simplicitèr.* In quo testimonio loqui D. Thom. de motione prædetermin. aut prævia ad quemcumque actū probant efficacitèr Thom. Atqui expresè affirmat in sensu composito existentiæ motionis præviæ ad actum non posse ullatenùs dari carentiam illius: ergò implicat amorem finis de se coniungibilem cum carentia electionis &c. dici motionem Dei præviā ad illos. 3.

Tertio. Physica prædeterminatio hoc nomine digna, supponit, & est quasi causalitas voluntatis Dei efficacis, in cuius virtute movet, & determinat causas creatas ad operādum: ergò implicat Deum prædeterminare ad actum, quem non vult efficacitèr existere. Sed cum intentione finis habita in 1. signo stat Deum nolle efficacitèr existere reliquos actus (ut fatetur A. citat.) ergò in vi illius non dicitur propriè Deum prædeterminare ad reliquos actus. Explicatur hoc. Talis in-

Explicat. tentio secundum sibi intrinseca non est efficax in actu 2. ad reliquos actus, efficacia (inquam) absoluta; quare ad summum erit efficax in actu 1. & solum conditionatè in actu 2. scil. si voluntas liberè consentiat negativè gratiæ allicienti ad electionem, vel usum. Sed talis efficacia non est prędeterminativa actus, nec ratione illius participat summam efficaciam divinæ voluntatis, quę talis est unicè in actu secundo: ergò &c.

Quod etiam nequeat dici talis intentio finis auxilium, sive adiutorium *quo* ad facere, proùt tale adiutorium describitur à M.P. Prob. 1. Nàm iuxta ipsum de grat. & corr. c. 12. adiutorium *quo* ad facere, sive ad perseverare, est id, quo efficitur, ut voluntas infallibilitèr faciat, sive perseveret. Cōstat hoc ex eius diffinitione, scil. *quo fit, propter quod datur*. Quòd M.P. loquatur de infallibili connexione, patet exēplo beatitudinis ab ipso adducto: *Quæ cū data fuerit homini, continuò sit beatus.* Deindè adiutorium illud, per quod homo non est nisi perseverans, connectitur infallibilitèr cum actuali perseverantia. Sed tale est adiutorium *quo* ad perseverandum iuxta M. P. ibid: ergò. 3.

Tertio. Adiutorium *quo* est iuxta M. P. *gratia illa, qua voluntas humana indeclinabilitèr, & insuperabilitèr agitur, ita ut quāvis infirma non deficiat, nec adversitate aliqua vincatur.* Sic ibi: ergò.

Rursus: Nàm adiutorium *quo* voluntatis, & actionis, de quo fuit controversia inter M.P. & Pelag. *Tale est, ut non sit in homine, nisi quando benè vult, & benè agit.* Ita expresè lib. de gratia Christ. c. 47. Ex quibus, & alijs, manifestè constat de ratione auxilij, sive adiutorij *quo* esse infallibilitèr connecti cum eo, ad quod est eiusmodi auxilium, sive adiutorium. Si igitur intentio finis non sic connectitur cum actibus subsequentibus ipsam; qua ratione poterit propriè loquendo dici auxilium *quo* ad eosdem actus descriptum à M. P? Quod si fiat recursus ad distinctionē auxilij *quo* materialitèr, & formalitèr; prętereāquod videtur impropria locutio; est insuper parū congrua doctr. M.P. Si enim detur licentia hac, & alia simili distinctione, exponere eius dicta: nihil firmum habebitur in illius doctrina adversus errores hæreticorum, ut ex illa convincantur.

Displicet insupèr prædicta doctrina: quia in illa concedit Angelos desertores fuisse physicè prædeterminatos à Deo, ut perseverarent in bono. Similitèrque concedit, aut concedere debet, Adamum, in quo per aliquod tempus fuit volitio sancta, & intentio perseverandi in bono per observantiam mandatorum, habuisse à Deo, nedùm adiutorium *sine quo*, sed

40 Prædicta intentio non est auxilium quo. 1.

Secundo.

41 Quarto.

42 Alio ex capit. impugn. 1.

etiam adiutorium *quo Auguſtinianum*, ut perſeveraret. Quę omnia ſunt apertè falſa, & contra M. P. & inſuper à nullo Theol. Scholaſt. conceſſa. Quod ſi velis prædictam loquutionem mitigare per diſtinctionem ſupra traditam; erit impropriè loqui, & cum maiori proprietate loquendo, erit affirmare prædictam intentionem finis, & volitionem perſeverādi in bono reduci ad adiutorium *ſine quo* ad facere, & perſeverare. Sic enim definitur à M.P. ibi: *Sine quo aliquid non fit; aut perſever. nec tamen cum illo fit, aut perſeverat, qui ſi voluerit, poteſt nō perſeverare.* Quę omnia quadrant intentioni finis in ordine ad actus ſubſequentes, & ad perſeverandum in bono.

43 Secundo. 2. Ob inconſequentiam doctrinæ ad dicta circà præſens dubium. Eo enim affirmat voluntatem intendentem efficacitèr finem non egere concurſu Dei prævio, & prædeterminanti ad actus ſubſequentes, ſed ſolum concurſu Dei cooperantis, qui eſt ſimultaneus; quia voluntas iam ſupponitur liberè determinata, & ablata illius indifferentia ad reliquos actus ſubſequentes. Sed oppoſitum huius expreſsè docet in præſenti dùm aſſerit: poſt intentionem finis voluntatem præveniri gratijs moralibus indifferentèr allicientibus ipſam ad electionem, & reliquos actus; ita ut ſi eis conſentiat negativè, primus amor finis moveat ſubiectivè, & ſit prædeterminatio ad illos; ſecùs autem, ſi negativè diſſentiat, ut rem probavit eventus in Angelis deſertoribus: ergò. Hæc dicta ſi parumpèr conſiderentur, facilè quis percipiet, quam determinationem, & ablationem indifferentiæ attribuat prædict. Magiſt. voluntati ex vi intentionis finis, ut ratione illius affirmet voluntatem iam eſſe phyſicè prædeterminatam; ideòque non indigere concurſu ulteriori Dei prædeterminantis.

44 Tertio. Diſplicet 3. Quia cum loco relato affirmet amorem ſanctum, quo Angeli perſeverarunt in 2. inſtanti, fuiſſe entitativè eundem amorem cum amore 1. inſtantis cum ſolo diſcrimine penès 1. eſſe, & illius continuationem; & aliunde talis amor ſit iuxa ipſum phyſica prędeterm. ad ſui continuationem; ſequitur, quod amor ut exiſtens in 2. inſtanti poſt conſenſum negativum præſtitum vocationi morali in tali inſtanti, fuerit gratia prædeterminans exercita ad ſui continuationem; cumque amor, ut exiſtens in tali ſigno 2. inſtantis, ſit amor continuatus: ipſa continuatio amoris erit phyſica prædeterminatio voluntatis ad ſeipſam. Quæ omnia ſunt aliena à munere *prædeterminationis* prędecēdtis ordine reali naturæ id, ad quod prædeterminat ob realem cauſalitatem. Et inſupèr eſt, contra rationē adiutorij *quo* ad perſeverandum, de quo aſſerit M.P. eſſe id, *quo fit, quo efficitur, & quo agitur, ut voluntas perſeveret.* Ex quibus locutionibus probat præd. M. tom. 1. q. 4. §. 2. cont. Aliquos AA. Soc. nomine talis adiutorij non intelligi ipſam perſeverantiam actualem, ſed aliquid realitèr ab ipſa diſtinctum, realiterque præcedens per modum cauſæ.

45 Occurritur motivo A. 1. Reſtat ſolvere ea, quæ in ſui favorem retulimus initio huius §. Fatemur enim intentionem finis determinare ſubiectivè voluntatem ad reliquos actus, ſicuti; & finem, ipſam movere obiectivè. Attamen cum de ratione motionis prædeterminantis, & auxilij *quo* deſcripti à M.P. ſit infallibilis connexio cum termino ad quem prædeterminat; aliàs non eſſet motio ab intrinſeco efficax; & ex dictis, & conceſsis ab ipſo Magiſtro, conſtet talem intentionem huiuſmodi connexione non gaudere, negamus ipſi rationem motionis prædeterminantis. Neque adhùc admiſſo intentionem efficacem finis ex natura rei connecti cum electione, & uſu (uti contingit, quando finis non eſt conſequibilis, niſi per unicum medium) non propter hoc, inquam, debemus concedere illam eſſe prædeterminationem phyſicam, eſtò ſit auxilium ad electionem. 1. Quia non connectitur Metaphyſicè talis intentio cum electione, uti ex communi ſenſu Theolog. docet Ill. Caſtell diſp. 2. q 3. n. 477. & P. Ripalda tom. 2. diſp. 106. n. 64.

Secundo. 2. Quia talis connexio ſolum conducit, ut voluntas quatenùs electiva eſt, ſubordinetur ſibi ipſi, quatenùs eſt intentiva. Quare, ut quatenùs electiva eſt, ſubordinetur immediatè Deo

in

in agendo, eique subijciatur, ut supremo Domino electionis, usus, &c. indiget motione prædeterminante se habenti quasi causalitas illius participans efficaciam divinæ voluntatis, & omnipotentiæ. 3. Quia ut vidimus ex D. Thom. sup. q. 9. a. 4. ad 3. intentio finis elicita à voluntate, est id, quo voluntas se movet proximè, & immediatè; sed intra ordinem creatum; ad electionem, & ad reliqnos actus. Unde non tollit, quin præter illam moveatur à Deo immediatè alia motione 1. agẽtis, & motoris universalis. Paritas de gubern. ex S. D. 1. p. q. 103. a. 5. ad 3.

46 Si dicas, intentionem efficacem finis, ut continuatam determinare voluntatem ad electionem, & reliquos actus; licet non consideratam quoad 1. sui esse; proindèque sub tali consideratione posse dici prædeterminationem physicam. Resp. etiam admittendo connexionem infallibilem, neg. assumpt. Tùm propter immediatè dicta. Tùm, & præcipuè, quia hoc est apertè contradicere opinioni, quam tuetur de gratia cooperanti. Ratio est manifesta: Nàm primus effectus gratiæ cooperantis, est confirmare voluntatem in intentione finis: ita D. Thom. 1.2. q. 111. a. 2. per hæc verba: *Et quia ad actum exteriorem Deus nos adiuvat, & interiùs confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exteriùs, facultatem operandi præbendo; ideò respectu huiusmodi actus dicitur gratia cooperans.* De quo eruditè M. Lemos lib. 4. p. 1. tract. 8. cap. 8. Si igitur talis intentio ut continuata, & confirmata, est prædeterminatio ad electionem, & reliquos actus, ut vult replica; manifestè sequitur gratiam cooperantem non esse concursum simultaneum, sed prævium ad facere; imò & prævium ad id, quod prævè determinat ad facere, scilic. intẽtio ut continuata, quod negat opinio contraria. Cum autem iuxta D. Thom. ibid. a. 3. gratia cooperans habeat pro 2. effectu movere voluntatem ad positionem mediorũ consecutionem finis prævoliti; manifestè sequitur ex illius doctrina gratiam cooperantem esse gratiam physicè præmoventem, tùm voluntatem ad perseverãtiam in intentione finis; tùm ad reliquos actus pro eius consecutione; liceti etiam quatenùs simul cum voluntate effectivè influit in actus recensitos dicatur simultaneè cum ipsa influens; uti dicitur de motione prædeterminanti ad velle 1. ut alibi ex communi sensu Thom. dicemus.

Instabis.

Supereſt probare adiutorium necessarium Adamo ad actualem perseverantiam consistentem in diuturno exercitio virtutum, esse realitèr distinctum ab adiutorio, quo indigebat ad velle. Sed hoc facilè constabit, si gratia operans, & cooperans, non consistant in actione increata Dei, sed in gratuita motione prævia, quæ sit gratuitus effectus divinę voluntatis; uti ex professò alibi probabimus; Tùm authorit; Tùm ratione. Sufficiat pronùnc testim. S. D. q. 27 de Ver. a. 5. ad 1. ubi loquens de gratia actuali operanti, & cooperanti sumpta pro dono, sic ait: *Operans gratia dicitur respectu illius effectus, quem sola non efficit, sed cum lib. arb. cooperante. Gratia cooperans dicitur secundum quod in lib. arb. operatur motum eius causando, & exterioris actus executionem expediendo, & perseverantiam præbendo; & sic constat, quod aliud est gratia operans, & gratia cooperans.* In simplicissima autem operatione Dei ex parte sui non est propriè *aliud*, & *aliud*. Rursùs. Nàm immediatè subdit S. D. dicens: *Rationem gratiæ operantis, & cooperantis in gratia habituali non esse aliud, & aliud per essentiam: sed eadem gratia est operãs &c.* Quatenùs est forma sanctificans, & cooperans, ut est principium operis *meritorij*. Quæ quidem contrapositio manifestè convincit distinctionem realem essentialem inter gratiam actualem operantem, & cooperantem. Sed maximè etiam notandum S. D. expressè in testimon. adductis attribuere *gratiæ actuali cooperanti præbere voluntati perseverantiam in bono*; non autem gratiæ operanti, aut velle producto per illam: quod est nostra sententia. Et addit *gratiam cooperantem operari in libero arbitrio*; quæ verba concursum prævium, & non purè simultaneum iuxta Thom. significant:

47

Ex S. D. q. 3. de potent. a. 7.
& 1. p. q. 105. a. 5.
& alibi.

§. VII.

Solvuntur aliqua leviora argumenta.

48 DUplici via argui potest ad probandum Adamum non eguisse auxilio *quo* dante ipsi actualem perseverantiam distincto ab auxilio efficaci, quo vellet perseverare; vel probando auxilium *quo* ad facere, sicuti & ad omnem actum imperatum ex velle libero, consistere in ipso velle; vel probando directè gratiam Dei cooperantem, per quam Deus operaretur in Adamo actualem perseverantiam, non esse gratiam adiuvantem ut *quo*, sive subiectivè moventem voluntatem ad actu perseverare; quia nimirùm talis gratia est unicè concursus simultaneus Dei, non vero prævius: de quo procedit præsens quæsitum. Si igitur hac duplici via utendo, impugnetur nostra sententia; directè, & cum distinctione adversus illam fiet processus; secùs autem si absque hac distinctione fiat argumentum contendens probare sequentem propositionem: *Adamus non eguit adiutorio quo, sive gratia efficaci, ad actualem perseverantiam in bono.* Ratio huius est. Nàm hæc propositio ut iacet, est Jansenij, & ab omnibus ferè Theologis reiecta, & cuius falsitatem dub. añti. probavimus. At vero; si probetur Adamum eguisse auxilio efficaci ad velle perseverare, non tamen alio auxilio quo donanti immediatè actualem perseverantiam propter motiva insinuata; in hoc sensu proponitur opinio prælaudati Magistri, ut longè distans à propositione Jansenij, & paritèr recedens à communi doctrina Thomistarum, tuentium Adamum eguisse duplici auxilio *quo*, sive gratia prædeterminanti, ut perseveraret; unò, scilicèt, ut vellet, & altero, ut perseveraret. Hæc dixi, quia prædictus Magist. ut probet suam opinionem, sæpissimè utitur argumentis directè sic concludentibus: *ergò Adamus non indigebat adiutorio Dei efficaci, ut perseveraret in bono.* Quæ quidem conclusio ut iacet, & est absolutè falsa, & contra testim. M. P. in initio dubij anteced. citata, nec in hoc sensu tuetur ab illo.

Notandũ. Argum. 2 modis posse formari.

Hinc sequens argumentum depromptum ex M. P. de correp. & gratia cap. 11. scilicèt: *Adamus non opus habebat ad perseverandum illo adiutorio, quod implorant Sancti; sed isti indigent adiutorio efficaci ad perseverandum: ergò illo non indigebat Adamus;* non est directè ad propositum. Siquidem probat nullatenùs fuisse necessarium auxilium *quo* in Adamo, ut perseveraret, quod in præsenti supponimus esse falsum: & nobiscum consentit præd. Mag. solum negans esse necessarium auxilium donans immediatè perseverantiam, & distinctum ab auxilio, quo vellet perseverare. Quod ut manifestiùs fiat, sic eformo simile argumentum: *Adamus non opus habebat eo adiutorio, quod modo implorant Sancti; sed isti implorant adiutorium quo Deus operetur in ipsis velle perseverare: ergò tale adiutorio non indigebat Adamus.* Quæ conclusio apertè negatur à prædicto Magistro, ut inefficacitèr deducta ex testimon. M. P.

49 Primo arguit.

Respond.

Eodem defectu laborat sequens argum. iuxta M. P. (quem sequitur D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 160.) *Antequam caderet Adamus, fuit omninò in viribus lib. arb. non discedere à Deo;* quod est idem, ac perseverare in bono. Ita de dono persev. cap. 3. Sed si Adamus indigeret auxilio donanti ipsi immediatè actualem perseverantiam, prædicta propositio esset falsa: ergò tali adiutorio non eguit Adamus. Hoc enim argumentum nedùm probat Adamum non eguisse adiutorio *quo* ad perseverandum cum illa restrictione *immediatè*, sed etiam absolutè, & sine illa; qua ratione ad hoc probandum illo utitur Jansenius, & M. Laffosse, ut vidimus dub. añti. Unde sic retorqueo illud: *In viribus lib. arb. Adami fuit omninò velle, ad quod sequeretur efficacitèr perseverantia in bono, quod modo non est post lapsum*: ergò Adamus non egebat adiutorio quo, ut vellet perseverare.

50 Secundo arguit.

Solutio.

Eodem pede claudicat 3. argum. iuxta M. P. *Adamus innocens erat in magna facilitate non peccandi; proindèque perseverandi in bono: ergò non indigebat gratia efficaci immediatè dante*

51 Tertium argum.

te perseverare: conseq. patet; *Nàm gratia efficax datur ob difficultatem operis.* Hoc enim probat Adamum non eguisse auxilium *quo*, ut vellet perseverare; Nàm huiusmodi velle erat etiam facillimum Adamo summa pace fruenti, & nulla rixa adversus se ipsum turbato. Deindè falsum est gratiam efficacem requiri solùm ob difficultatē operis; sed præcipuè propter immediatam subordinationē creaturæ ad Deum in omni opere bono, & meritorio; ideoque in Angelis, Christo D. & Beatissima Virgine summa facilitate præditis, ut Deum super omnia libere diligerent &c. auxilium quo fuit eis necessarium; idem de beatis in ordine ad suos actus, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 9. ad 1. Idem dicendum de sequenti argumento desumpto ex D. Thom. q. 3. de malo ar. 1. ad 9. dicenti: *Homo in statu naturæ conditæ non indigebat auxilio gratiæ ad peccatum vitandum, licet indigeret auxilio gratiæ ad merendum; quia per hoc, quod naturaliter acceperat, poterat stare*: ergò sentit tale auxilium non esse necessarium Adamo, ut actu perseveraret, licèt indigeret ad velle. Idem, inquam, dicendum; Nàm si quid probat, probat de auxilio requisito, tàm ad velle, quàm ad perseverare. Talis enim distinctio inter velle, & perseverare quòad auxil: *quo* non habet fundam: in S. D. ut in ipso videre est. Deindè probat cōtra arguent: Nàm perseverantia Adami per continuationem actuum supernaturalium, esset meritoria intrinsece, & ratione sui, & merito distincto à velle, siquidem actus spei, religionis, obedientiæ, etsi imperarentur ab aliquo velle reflexo, haberent in se rationem meriti, sicut, & obsequij apud Deum. * Si ergò iuxta D. Thom. indigebat Adamus auxilio gratiæ ad merendum, indigebat illo ad perseverantiam, proùt distinctam à velle. Quapropter D. Thom. ibi loquitur de auxilio gratiæ habitualis: hæc enim est, quæ necessariò requiritur ad meritum vitæ æternæ; illa autem non egebat Adamus ad non peccandum; quamvis indigeret auxilio Dei movētis, & in bono conservantis, ut docet 1. 2. q. 109. ar. 2. & 8. Quia tamē post lapsum homo ad utrumque indiget gratia habituali, ut ipse docet: Tū 1. 2. q. 109. ar. 8. Tùm q. 24. de verit. ar. 12. ideò sublistit discrimen ab ipso descriptum inter statum naturæ corruptæ, & naturæ conditæ, etsi pro utroque necesse sit adiutorium efficax donans non peccare. Pro solutione horum, & aliorum testimoniorum videantur, quæ diximus dub. antec. ubi sunt proposita. Nec te moveat ly *naturaliter* positum à S. D. 1. vel quia loquimur iuxta opinionem, quam etiam ipse (usque ad ult. scriptum) reputavit probabilem de conditione 1. patentis in sola iustitia naturali: vel 2. quia loquitur de observatione præceptorum naturalium; ut facit hic ar. 8. ubi excludit ad illam necessitatem gratiæ habitualis.

Vide pro Angel: S. D. 1. p. q. 62. ar. 2. ad 3.

Quartum

Solutio.

* Sic tom. 1. q 8. §. 3 in fine.

§. VIII.

Solvuntur alia argumenta.

COntra conclusionem directè argues 1. Si Adamo fuisset necessarium auxilium efficax ad perseverandum, illud non fuisset negatum à Deo. Hoc est falsum: ergò. Mai. docetur à D. Thom. q. 1. de malo ar. 4. dicenti: *Privationem omnis boni spiritualis, quo quis potest uti ad bene operandum, non inferri, nisi propter peccatum personale, vel originale*: ergò cum in Adamo innocenti nullum extiterit peccatum, Deus illud non denegasset, si foret necessarium ad perseverandum. Si dicas hoc argumentum probare etiam Adamum non eguisse auxilio Dei operantis in illo velle perseverare: siquidem tale auxilium non fuisset negatum à Deo; cum in eo non præcesserit aliquod peccatum. Resp. & instat 1. Nàm ideò tale auxilium ad velle perseverare fuit negatum Adamo, quia vocatus à Deo, ut bene vellet, & excitatus à Diabolo, ut male vellet, consensit tentationi diaboli, & dissensit suasioni Dei; ut asserit expresse M. P. 11. de Genesi ad litteram cap. 5. dicens: *Nec arbitrandum est, quod esset hominem delecturus iste tentator, nisi præcessisset in animo hominis, quædam ela-*

32

Primum.

Si respondeas.

Contra est.

elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falso præsumpserit, disceret. Ubi propter tumorem superbiæ, & consensum præstitum suasioni diaboli, asserit Deum denegasse auxilium ad bene velle. At vero loquens de perseverantia lib. de correct. & gratia cap.10.& sequentibus, nunquam dicit esse negatam in pœnam suæ culpæ, aut propter impedimentum: ergò adest manifestum discrimen &c.

De hoc argumento late agemus probando Deum ob sui supremam 33 potestatem, & dominium supra gratiam efficacem, & actus ex illa procedentes, posse illam non concedere Respond. nullo culpę defectu ex parte volũtatis creatæ præcedenti; sicque contigisse in Adamo, & Angelis desertoribus. Ad test. Testimonium D. Thom. non probat: quandoquidem loquitur de privatione boni spiritualis, quod est gratia habitualis, vel donum supernaturale se tenens ex parte actus 1. & sufficientiæ ad bene operandum, & consequutionem vitæ æternæ; ut legenti ipsum constabit, & verba ipsius clarè demonstrant; Nàm loquitur de *bono spirituali, quo homo potest uti ad bene agendum.* Gratia autem efficax non est huiusmodi: cum potius ipsa sit, qua Deus active utitur, determinat, & applicat voluntatem ad bene agendũ, ut cuilibet mediocriter instructo est manifestum. Sed omitti non debet Test. M. P. nõ probat consensũ negat. 1. non rectè attribui M. P. in testim. nobis obiecto, illum affirmare auxilium ad velle perseverare fuisse negatum Adamo propter consensum negativum præstitum suasioni diaboli 1. Nàm M.P. asserit illũ fuisse deiectum à diabolo propter elationem comprimendã; quæquid: mentis elatio est idẽ, ac superbia valdè distans à consensu negativo in carentia dissensus negativi, qui etiam est carentia cõsensus consistente iuxta doctrinam præd. M. nisi velit M.P. impropria loquutione usum fuisse. Sed præter dicta, adest Secundo. expressum testimonium D. Tho. q. 7. de malo ar. 7. ad 12. ubi verba M. P. Diligent: not: exponens: *affirmat illam elationem fuisse 1. peccatum hominis, & fuisse peccatum mortale: quia contra Deum superbivit.* Vide, quam longè sit talis elatio à consensu negativo prãvę sugę gest: qui iuxta præd. M. non est in se intrinsecè actu malus moraliter. Rursus. Nàm *elatio* (defacto) *insurgens ideò cõprimenda dicitur* à M. P. *Nè insurgeret; quia Adamus debuit sic se habere, ut elationem subintrare non permitteret.* Ita exponit. ad 15. si autem 1. homo debuit non permittere subintrare talem elationẽ: ergò fuit in se actù mala moraliter, cum esset contra id, ad quod homo tenebat: Vid: S.D. 1.p.q.94.a.1* * Circa elationem Evæ.

3. & principalius; Nàm deiectio hominis per tentatorem, quam 34 præcesit elatio comprimenda iuxta præd. Magistrum fuit 1. velle malum Tertio. in Adamo, & quo 1. peccavit; sed talis expositio est contra D. Thom. ergò nomine elationis non intelligitur consensus negativus ab ipso descriptus. Min. prob. ex D. Thom. ibidem in solut. ad 16. dicend: *Quod deiectio illa (descripta à M. P.) intelligitur secundum actum exterioris peccati, vel etiam secundum amissionem status, quam præcesserit elatio, sicut causa effectum.* Ex quibus constat sensum D. Aug. in prædicto testimonio esse affirmare; quod Adamus non incurrisset peccatum operis comedendo de ligno vetito, nec expertus fuisset miserias consequutas ad privationem iustitiæ originalis, nisi in mente eius priùs præcessisset superba elatio ex diaboli suggestione. Quam expositionem trad dit expresse etiam M. in 2 sent: dist. 22. §. *quod* ex mente M. P. Quæ omnia apertè convincunt per talem elationem non posse intelligi consensum negativum suggestioni diaboli, qui fuerit dispositio, & inchoatio ad peccatum superbiæ in Adamo Hinc nescio, cur dixerit tom. 1. q 5. §. 4. talem consensum esse expresse assertum à M.P. testim. relato.

Argues 2. Adamus ita fuit po- 35 tens perseverare, ut si vellet, perseveraret. Ita M. P. de correct. & grat. 2. Argum. cap. 11. *Posset ergò permanere, si vellet.* Sed hæc verba denotant Adamum non indigere alio auxilio ad perseverandum, præter ipsum velle: ergò non eguit alio auxilio donanti immediatè actu perseverare. Min. prob. Adamum posse perseverare, si vellet, est perseverantiam ipsam depen-

pendere, tanquam à causa infallibiliter connexa, ab ipso velle; sed hoc est ipsum velle esse auxilium ad ipsam perseverantiam: ergò. Urgetur iuxta M. P. ibidem: *Adamus acceperat posse perseverare, si vellet, sed non habuit velle, quod posset; perseveraſſet namque, si habuiſſet*: tùm sic; si ultrà auxilium ad velle, & ipsum velle, foret necessarium aliud auxilium ad perseverandum, non diceret M. P. *Quod si habuiſſet velle, perseveraſſet*; sed diceret; *si habuiſſet velle, & insuper auxilium donans immediatè perseverantiam, utique perseveraſſet*; ut videtur certum: ergo quia sentit M. P. auxilium ad perseverandum non esse distinctum ab ipso velle. De hoc arg. egimus dub. antec. in quo firmavimus authoritate, & exemplis, hanc propositionem: *Adamus potuit perseverare, si vellet*: esse eandem quoad sensum, & ex parte obiecti cum ista: *perseverantia in bono fuit plenè in potestate, & libertate Adami*, iuxta illud M. P. *Illud dicitur esse in nostra potestate, quod si volumus, facimus, si nolumus, non facimus.* At qui hæc consequentia: *Perseverantia in bono fuit plenè moral: in potestate, & libertate Adami: ergò non erat necessarium auxilium quo donans immediatè actualem perseverantiam*, indiget probatione: mihi valdè difficili: ergò idem dicendum de consequentia formata in argumento. Similiter: de homine fideli vehementer excitato ad credendum, verificatur posse credere, si vult, se libere determinando per piam affectionem: quin liceat dicere illum solum indigere *auxilio, & adiutorio quo, & motione divina* immediata ad velle credere; non autem ad ipsum actum fidei. Rursus. *Petrus potest currere si vult, * quin ex hoc inferatur concursum prævium physicum Dei solum terminari immediatè ad velle; non autem ad ipsum motum cursus movendo immediatè potentiam deambulativam.

Urgetur.

Resp. 1.

36 Secundo.

Resp. 2. Quod ex propositione M. P. solum infertur, quod Adami perseverantia erat dependens, & consequuta ad velle; unde tantùm probatur, quod velle perseverare erat auxilium requisitum ad actu perseverare; secus tamen; quod esset unicum auxiliũ, & quòd est proprium Dei, in quo sistit præs. litigium. Ratio 1. est. Nàm perseverantia possibilis Adamo erat perfectè voluntaria, & ideò non tantum exercitè; sed, & signatè, & quasi reflexè volita: proindeque potentia, quæ fuit in illo ad perseverandum, fuit potentia ad perseverantiam ponendam dependenter à velle. * Ratio 2. est. Nàm quod perseverantia Adami esset consequuta ad velle, non tollit; quominus actus virtutum, quibus formaliter in actu 2. perseveraret, essent immediatè sub dominio supremo Dei, & pro quorum elicientia teneretur gratias speciales dare Deo post velle; cum essent nova beneficia, nova libertate, & distincta honestate morali gaudentia; cumque hæc omnia non salventur iuxta principia D. Tho. * sine auxilio immediatè prædeterminanti; ideò subsistit veritas prædictæ propositionis, cum sententia, quam modo propugnamus.

De quo Erud. Ripald. disp. 10. sect. 4.

* Talis est actus virtutis perseverantiæ; quæ fuit in Adam.

* Apud prædeterm.

Ad urg. Resp. 1. instando illam. Nàm ad actualẽ perseverantiam in bono erat necessaria gratia Dei cooperantis, & præoperantis immediatè actu perseverare; ut fatetur præd. M. & tamen illius non facit mentionem M. P. dùm ait, *quod si Adamus habuiſſet velle, perseveraſſet*. Quod si dicatur tale velle connecti cum gratia Dei cooperanti perseverantiam. Hoc idem dicemus, & nos de auxilio *quo* donanti immediatè actu perseverare; cum homini volenti, & conanti ad bene operandum adsit Dei gratia, ut prædeterminando perficiat, quod etiam prædeterminando incæpit. Adest etiam ratio efficax, ut M. P. solum dixerit: *Quod si Adamus vellet perseverare, perseveraſſet*, & non dixerit: *Quod si Adamus vellet perseverare, & Deus dediſſet insuper auxilium quo ad perseverandum, perseveraſſet*. Quia videlicet intentum M. P. erat explicare, & docere, perseverantiam fuisse in potestate Adami; ita ut non perseverare fuerit ex culpa ipsius; cumque ad hoc non sit necessarium exprimere, quod talis perseverantia requirebat aliud auxiliũ quo distinctũ à velle, ideò illius non fecit mentionem in propositione ex ipso relata.

37 Ad urg.

Sed

58 Sed dices. Si ultra velle perseverare, requiritur aliud auxilium *quo* ad actualem perseverantiam, posset Deus stante tali velle negare prædictum auxilium; cum iuxta dicta, sit nova gratia ab intrinseco efficax: ergò falso asserit M. P. *Quod si Adamus voluisset, perseverasset.* Resp. ex doctrina præf. M. tom. 1. q. 8. §. 3. in fine ubi ait *concursum simultaneũ gratiæ cooperantis posse non dispensari à Deo, etiam supposito velle. Ex quo solum probatur, quod talis influxus sit nova gratia, & novum beneficium, pro quo debemus Deo gratias agere.* Hoc idem dicitur à nobis, etiam si talis gratia cooperans sit gratia prædeterminans ad facere; pro qua iuxta M. P. in Enchiridio. cap. 32. etiam supposito velle, Deum exoramus, ut cooperando perficiat, quod operando incæpit. Oratio autem in sententia D. Th. non est primo pro concursu Dei simultaneo, sed prævio moventi voluntatem ad agendum. Hæc dicta sunt, loquendo de potentia absoluta; non autem attenta suavi Dei providentia, iuxta quam Deus volenti bene agere non negat gratiam efficacem ad illud, & huiusmodi connexio, & certitudo, sufficientissima est, ut M. P. prædictam propositionem protulerit.

Instabis.

Solutio.

59 Argues 3. Si Adamus eguisset auxilio *quo* donanti ipsi perseverantiam; nullum esset discrimen inter statum innocentiæ, & statum lapsus quòad necessitatem auxilij *quo* ad perseverandum; sed hoc est contra M. P. de correct. & grat. cap. 11. dicentem: *Adamum non eguisse ad perseverandum eo adiutorio, quod modo implorant Sancti*; quod quidẽ absdub: est gratia efficax immediata ad perseverandum: ergò. Mai. constat. * Nàm post lapsum homo indiget gratia efficaci, & auxilio *quo* ad perseverandum, prout distinguitur à velle perseverare: ergò. Vide solut. dub. ant. n. 32.

Arg. 3.

* Si non arguitur ex opinion: Thom. est contra arguent.

60 Argues 4 Eò Adamus indigeret auxilio *quo* ad perseverandum, quia talis perseverantia esset donum Dei. Sed hæc ratio est inefficax: ergò. Prob. min. Ut perseverantia sit donum Dei, sufficit, quod sit à Deo, ut à 1. causa per gratiam excitantem, & adiuvantem; sed ut perseverantia sit effectus gratiæ excitantis, atque adiuvantis, non requiritur auxilium *quo* donans immediatè illam: ergò. Min. constat. Nàm dummodo perseverantia ponatur dependens à velle, & velle dependeat à gratia excitanti, & adiuvanti, verificatur etiam illam esse effectum eiusdem gratiæ; proindeque Deum per illam, etsi non immediatè, tamen mediatè eã donare; quod sufficit, ut esset donum Dei, & ut Adamus acciperet à Deo, & posse perseverare, & actu perseverare. Hoc argum. si intendat perseverantiam in Adamo fore tantum donum mediatum Dei, rẽ prorsus falsam intendit. Cõstat hoc: quia talis perseverantia consisteret in actibus fidei, charitatis, & eorum continuatione, quoties instaret præceptum; sed huiusmodi actus immediatè donarentur à Deo. Prob. min. 1. Nàm prædicti actus immediatè caderent sub dominio Dei, sicuti, & sub immediata efficientia illius. 2. Prædicti actus essent effectus immediati gratiæ præoperantis illos; quæ est nova gratia, novumque beneficium, pro quo iuxta M. P. in Enchir. cap. 32. homo volens bonũ tenetur orare. 3. Talis perseverãtia in actibus enumeratis consistens, est donum perfectius simpliciter, quam velle, & pro quo speciales gratiæ Deo deberẽtur. 4 Ut alia omittamus: Ratio actus supernaturalis, & meritorij, procedentis à Deo, ut causa immediata gratuito, & liberaliter illum operanti, est ratio proprijssima doni immediati Dei. Undè estò talis perseverantia solum donetur mediatè à Deo in sententia huius A. relatè ad 1. auxilium *quo*, sive ad *gratiam operantem*; non tamen debet absolutè concedi esse donum mediatum Dei. Hoc supposito urgent rationes supra adductæ. Si enim sunt sub dominio immediato Dei; cum huius sit proprium determinare; & uti active his, quibus dominatur; * Deus immediatè determinabit, & applicabit voluntatem ad talium actuum elicientiam. Rursus. Si modo dicto sunt sub dominio Dei, sunt pariter in manu Dei, cuius est vertere, & flectere voluntatem quocumque voluerit. Item. Si quia sunt sub dominio voluntatis, illa active

Arg. 4.

Resp.

Solutio.

Probat: scitu dignæ.

* Patet ex definit: Dominij

tive se movet, & immediatè determinat eorum existentiam quanto magis Deus. Recolantur ibi dicta.

61 Arg. 5. Adiutorium *quo* ut Adamus perseveraret, consistit in illa gratia, per quam Deus faceret Adamum
Arguit. 5. perseverare; sed hæc esset tantum gratia operans velle perseverare, ipsumque velle includens: ergò aliud
Sic Aug. quoad sé sum. auxilium *quo* non foret necessarium. Prob. min. ex M. P. 5. de Civit. Dei cap. 9. dicente: *Sola causa, quæ volens facit, proprie facit; corporales autem causæ magis fiunt, quam faciunt, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates.* Ex quibus sic arguitur: per illam gratiam Deus facit, ut propriè faciamus, per quam facit, ut volentes faciamus; sed gratia supponens velle perseverare, non facit, ut volentes perseveremus: ergò talis gratia non est gratia faciens nos proprie facere. Sed iuxta doctrin: Augustí: auxilium *quo*, sive prædeterminans ad facere, sive perseverare, est illa gratia, qua Deus facit, ut proprie faciamus, sive perseveremus: ergò solum gratia operans causans velle perseverare, est auxilium *quo*, sive gratia prædeterminans, non vero gratia cooperans.

62 Resp. doctrinam M. P. esse eandem cum ea, quam tradit D. Thom. 1.2. q. 1. ar. 2. ubi inter agentia propter finem distinguit, & illa quæ agunt,
Resp. se movendo, & dirigendo in finem mediante consilio, & deliberatione rationis; & illa quæ agunt purè mota, & directa ab alio in finem sibi determinatum, & huiusmodi sunt omnes causæ corporales, & rationis expertes. Supposita igitur identitate doctrinæ utriusque S. D. testim. nobis obiectum non probat gratiam cooperantem actualem perseverātiam in Adamo (idem in nobis) non esse gratiam, per quam Deus faceret, ut Adamus propriè perseveraret. Ratio est mihi (ni fallor) manifesta. Nàm talis
Fundatur sol. doctr. perseverantia non esset pure facere externum omni libertate in se ipso carens; sed consisteret in repetitis actibus charitatis, fidei, obedientiæ &c. Hi autem, cum (etiam si Adamus priùs vellet eos elicere) essent liberi, libertate formali, & immediata: & insuper prærequirentes pro sui elicientia gratias morales excitantes voluntatem, ut per illos se exerceret; absdubiò procederent à voluntate se movente medio consilio, & deliberatione rationis, quod est proprium causæ liberè efficientis, proùt differt à causa corporali. Rursus: cum sit certũ actum fidei requirere piam affectionem voluntatis, ratione cuius nemo credit, nisi volens credere; liquido colligitur etiam supposita volitione perseverandi in Adamo, gratiam operantem in illo velle credere, esse gratiam, qua Deus faceret, ut ille propriè actum fidei faceret.

63 Denique. Nàm cum actus recensiti, sint actus voluntatis, & hæc sit reflexiva supra illos, non fiunt, nisi voluntas velit illos facere. Qua ratione D. Thom. 1.2. q. 16. ar. 4. ad 1. ait: *Quod voluntas, quando eligit, etiam consentit se eligere, & quando consentit, eligit consentire.* Ex quibus in forma distingui potest illa min. Gratia supponens omne velle, conc. min. Aliquod velle, neg. min. & conseq. Dutũ enim apparet dicere voluntatẽ eligentẽ ex intentione finis, non propriè facere, sive non facere se in suo ordine volentem; cum in tali electione maximè resplendeat libertas consistens in agere se determinãdo ad unũ præ alio. Si igitur talis electio est ex gratia Dei cooperantis; per hanc Deus facit, ut volens faciat.

64 Arguit. 6. Ut Adamus, supposita volitione perseverandi, re ipsa perseveraret, solum indigebat gratia cooperanti; sed huiusmodi gratia non Arg. 6. est auxilium *quo*, sive gratia prædeterminans: ergò Adamus ultra auxilium ad velle &c. Mai. constat ex definitione gratiæ cooperantis, tradita à M. P. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 15. *ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*: quam definitionem explicat D. Thom. 1.2. q. 111. ar. 2. & 3. & q. 27. de ver. ar. 5. & in 2. d. 26. q. 1. ar. 5. Min. vero prob. 1. Gratia cooperans 1. probat. minor. est gratia Dei, ut simultanee cum voluntate creata influẽtis; ut patet ex ipsa notione cooperantis; liquidem cooperari est unum simul cum alio operari: ergò gratia cooperans, qua talis

&c.

Secundo. &c. 2. Gratia cooperans est illa, qua Deus nobiscum operatur; ut patet ex verbis M.P. supra adductis. Sed auxilium *quo*, sive gratia prædeterminans non est formaliter gratia, per quam Deus nobiscum operatur; sed qua operatur in nobis, ut operemur; ideòque à propugnantibus illam non est influxus cum causa operante, sed influxus in causam: ergò gratia cooperans &c.

65 Huic argumento, cui præcipue nititur opinio contraria, satis constat solutio ex dictis conclusione 3. De

Solutio. quo latius dicemus tom. 4. probantes gratiam cooperantem esse vere prædeterminantem, & prævie efficaciter moventem subiective voluntatem, tùm ad permanentiam intentionis finis: tùm ad actus procedentes ex tali intentione: quapropter sufficiant pro nunc antea dicta reponere. Videndus

Illustr. Alvar. d. 82. tamen M. Lemos lib. 4. p. 1. tract. 3. cap. 6. ubi hanc probat, & statuit conclusionem. *Ratio gratiæ cooperantis non consistit in hoc, quod simul natura tantum cum arbitrio concurrat.* Constat enim, quod instrumentum cooperatur principali agenti, etiam si priùs natura sit motum ab illo, quàm ipsi cooperetur. Similiter minister cooperatur Domino, dùm eius præceptis obedit; & pariter, qui alium adiuvat ad propositum finem consequendum, non est necesse, quod simul natura adiuvet ad hoc, ut illi cooperetur. Quæ omnia docentur à D. Th. 1.2.q. 111. ar. 2. ad 3. & opusc. 1. c. 23. ubi explicat; quot modis dicitur unum cooperari alteri, & creatura creatori, videlicet: *Sicut servus Do-*

Ad 1. minor. prob *mino, & instrumentum Artifici.* Ex quibus præd. M. sic concludit n. 81. *Igitur attenta voce cooperari, sive Theologice, sive quod maius est, Grammaticaliter; non importatur in ipsa sola simultas naturæ inter duos operantes.* Ex his in forma dist. mai. gratia cooperans est concursus Dei simultaneè præcisse concurrentis, neg. mai. Simultaneè, & simul prævie moventis voluntatem ad actus imperatos ex velle, conc. mai. & permissa, min. neg. conseq. Sicut enim gratia prædeterminans ad velle, iuxta M. Lemos, & Illust. Alvarez (quos in præsenti sequuti sumus) concurrit prævie movendo voluntatem ad elicientiam talis velle, & simul cum ipsa voluntate effective producit idem velle; ita similiter dicendum de gratia cooperanti. Siquidem iuxta expressam doctrinam D. Thom. ita producit actus imperatos ex velle, ut sit gratuita Dei motio adiuvans, & movens voluntatem ad eorum productionem. Quapropter talis gratia sicut à prælaudato M. dicitur cooperans relatè ad voluntatem, & præoperans relatè ad actus imperatos ex velle; ita à nobis dicitur simultaneè influens cum voluntate iam volente efficiendo tales actus; & prævie influens, quatenùs immediate movet ipsam ad illorũ elicientiã ita M.P. dicens. *Volentibus cooperatur.* Ecce cui, & cũ quo cooperat.

66 Ad 2. probationem dist. mai. gratia cooperans est, per quam Deus nobiscum operatur, faciendo, ut nos Ad 2. operemur, & ipsi cooperemur, conc. mai. præcisse, qua Deus nobiscum operatur, neg. mai. & permissa, min. neg. conseq. Solutio constat ex dictis, & etiam exemplis à D. Tho. adductis locis ubi supra citatis. Hæc dicta sunt de gratia cooperanti in cõmuni. Nam loquendo de illa, proùt respicit pro effectu proprio perseverantiam in bono, videtur innegabile iuxta D. Thom. esse gratiam prævie moventem voluntatem ad perseverandum. Etenim q. 27. de verit. ar. 5. ad 1. ait: *Gratia cooperans dicitur secundum quod operatur in libero arbitrio præbendo ei perseverantiam in bono.* Ubi notanda sunt illa verba: *Operatur in libero arbitrio*, quæ concursum prævium, & immediatum in ipsam voluntatem designant. Rursus 1.2.q.111.ar.3. ponit pro effectu gratiæ cooperantis, ut *voluntas bonum, quod vult, efficaciter operetur.* Et insuper: *ut in bono perseveret.* Sed voluntatem efficaciter operari, & perseverare in bono per priùs volito, est voluntatem active influere in facere efficaciter, & in perseverantiãin bono: ergò gratia cooperans habet pro effectu non solum facere, & perseverare; sed etiam quod voluntas sic faciat, & sic perseveret. Sed hoc necessario dicit concursum prævium in ipsam voluntatem; ut

fa-

facientem, & ut perseverantem: ergo gratia cooperans nedum est prævia ad ipsum facere bonũ, & perseverantiam, sed etiam ad ipsam voluntatem, ut hæc omnia facientem, aut producentem.

§. IX.

Argum. ex M. P. probans velle efficax esse in nobis adiutorium quo *ad persever.*

67 Advert. BRevitati consulentes supponimus ex M. P. velle bonum efficax, robustum, invictum, & validũ, esse donũ Dei, quo Deus verè nos adiuvat ad diù servanda eius mandata, & in eorum observatione usque in finem permanere. Testim. pro hac verit. habentur dub. 11. §. 4. Sed quia aliud est prædictum velle esse auxilium, sive adiutorium ad perseverandum; aliud vero esse unicum adiutorium *quo*, & immediatum ad perseverantiam; sive quod in idem reddit; aliud est Deum per talem volitionem nos adiuvare ad faciendum eius mandata; aliud unicè per illud, ut *quo* nos adiuvare: ut directè procedatur contra nostram conclus. contendam prob. tale velle esse adiutorium *quo* perseverãt: ex verbis M. P. maiorique efficacia, qua possim (nè difficultatem evadam) varias probationes proponam.

68 Primo. 1. Quando Christus D. Lucæ 22. Rogavit pro Petro, nè deficeret fides eius, utique rogavit, ut re ipsa, & actu, in fide (proindeque in gratia) perseveraret. Sic M. P. de correct. cap. 8. *Sed dum sic rogavit, nihil aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, & perseverantissimam voluntatem?* ita ibidem: ergò nihil aliud præter huiusmodi voluntatem fortissimam &c. *est adiutorium quo* ad perseverandum. Totus discursus est M. P. Sed gratia prædeterminans ad facere superaddita ad talem volitionem est aliud ab ipsa: ergò, aut falso protulit M. P. dicendo *nihil aliud*; aut sentent: nostra ei opponitur. 2. Adiutorium *quo* perseverantiæ est illud, per quòd ipsa perseverantia donatur; sed hoc unicè fit per velle efficacissimum &c. ergò solũ illud est adiutorium *quo* immediatum persev: Prob. min. Per illud adiutorium Deus donat ipsam perseverantiam, quòd non concessit Adamo fortissimo, & sano; & *infirmis servavit*: sic M. P. ibi cap. 12. *factum est, ut voluntas hominis in valida perseveraret, & voluntas primi hominis fortis, & sana non perseveraverit*: postquæ ait: fortissimo quippe &c. *Sed donum, quòd infirmis servavit fuit, ut ipso donante invictissimè velent bonũ, & invictissimè nollent illud deserere*: ergo per tale velle &c.

69 Tertio. 3. Non solum asserit M. P. quòd si Deus non operetur in nobis velle efficax &c. homo non perseverabit; verum etiam ideò perseverare; quia in eis operatur tale velle; sic enim ait, ibi: *Nec de ipsa persev. boni voluit Deus sanctos suos, nisi in ipso gloriari, qui eis non solum dat adiutorium quale 1. Homini dedit; sed in eis etiam operatur, & velle. Tantum quippe Spirit. Sancti. accenditur voluntas eorum, ut ideo possint* (intellige consequenter) *quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint.* In quo testim. desideratur aliud adiutorium, & gratia ad persever: præter velle. Quarta. 4. Gratia data à Christo Domino, quæ potentior est in secundo Adam, quam fuit gratia data primo Adam, per quam potuit perseverare; est gratia per quàm donatur sanctis ipsa perseverantia; diciturque à M. P. *Adiutorium quo*. Sed hæc gratia dicitur talis, *quia per eam efficitur, ut homo velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatẽ voluntate spiritus vincat*: ergò gratia, qua Deus nos adiuvat ut *quo* ad perseverandũ est velle efficacissimum &c. Ultimò. Ultima. M. P. de grat. & lib. arb. cap. 16. distinguens inter velle servare mandata, & illa facere, & *inter modum, quo Deus utrumque operatur in nobis*; ait: *certum est nos velle, cum volumus; sed ille facit ut velimus, de quo dictum est: præparatur voluntas* Ezech. 36 *à Domino*; & *: Deus est, qui operatur in nobis velle. Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Quod autem per vires efficacissimas intelligat M. P. volitionem robustam, & efficacissimum imperan-

Secundo.

tem

* De quo tom. 4.

tem mandatorum obſervantiam, eſt ſenſus Aliquor. Thom. * & colligitur ex his, quæ ſubdit: *Cum dicit faciam ut faciatis; quid aliud dicit; niſi auferam à vobis cor durum, undè non faciebatis; & dabo cor obediens, unde faciatis.* Ex quib. ſic arguo. Volitio efficax, & robuſta, eſt auxilium *quo* iuxta M. P. Deus facit, ut faciamus, nihilque præter illam ponitur ad talem effectum: ergò volitio efficaciſsima, & invicta perſeverandi exercendo actus virtutum uſque in finem viæ, erit auxilium *quo* Deus facit, ut perſeveremus. Sed hoc eſt *auxilium quo* perſeverantiæ: ergò non datur aliud adiutorium *quo* perſeverantiæ &c. Ex quibus clarè deducitur adiutorium *quo* ut Adamus perſeveraret, fore ipſum velle perſeverare. Si enim in ſanctis prædeſtinatis, eſtò præter gratiã operantem velle fortiſsimum, & invictum &c. neceſſaria ſit gratia cooperans, qua Deus perficiat, & concurrat ad facere actus, quibus perſeveratur; hæc tamen non eſt adiutorium *quo*, ſed ad concurſum ſimultaneum ſpectans; idem dicendum de adiutorio *quo* in Adamo.

70

Si in Ang. Præc. fideliſsimo diſcipulo, ac interpr. M. P. & ex quo desũpſit doctrinam de gratia, eiuſque diviſionib. notentur ſequentes propoſitiones; facilè erit teſtim. obiectis occurrere. 1. propoſitio eſt: *Deus per gratiam cooperantem ſupponentem primum velle movet voluntatem ad alios actus ſubſecutos; licet etiam voluntas ex tali velle ſe moveat ad illos.* 2. *Gratia cooperans ad actum, qui dicitur externus, quia imperatus ex* 1. *velle; eſt gratuita motiõ voluntatis ad illum.* 3. *Per gratiam cooperantem ſupponentẽ velle, Deus adiuvat voluntatem ad reliquos actus ſubſecutos.* 4. *Per eandem gratiam voluntas boni confirmatur in bono, & per illam expeditur executio, præbeturque facultas ad bene operandum.* 5. *Gratia ſubſequens ad velle bonum, quæ eſt, & dicitur gratia cooperans; habet pro effectu proprio voluntatem efficaciter operari boni, quod vult.* 6. *Habet etiam pro effectu; quod voluntas perſeveret in bono: & relate ad hos effectus dicitur gratia præveniens.* 7. *Gratia cooperans operatur in libero arbitrio cauſando motum exteriorem, & perſeverantiam in bono præſtando.* Hinc conſtat talem gratiã *eſſe adiuvantem confirmando voluntatem in velle bonum; eam gratuito movendo, præveniendo, & faciendo, ut efficaciter operetur bonum, quod vult, & in eo perſeveret.* Sed ut Adamus perſeveraret in bono, neceſſaria erat ipſi gratia Dei cooperantis: ergò erat neceſſarium aliud adiutorium *quo* præter gratiam operantem in eo velle; ut patet ex illius definitione.

Comp. Doctr. D Tho. circa gratiã adperiev:

Hic q. 111. a. 2.

Eadem quæſt. ar. 3.

Q. 27. de verit. ar. 5

Hinc deſcendendo ad teſtim. adducta; dicimus illa, in quibus aſſeritur Deũ facere perſeverantes in bono dãdo *invictiſsimã, fortiſsimam, & permanentiſsimam voluntatem*; & ſimiliter: *dando, ut invictiſsimè velint bonum*; non excludere ab adiutorio *quo* gratiam cooperantem; imò eam potius tradit, & docet. Ratio eſt: Nàm gratiam confirmare voluntatem in bono per priùs volitio, eſt habere voluntatem in bono perſeverantiſsimam, invictiſsimam &c. vel clarius: voluntas invicta, & firmiſsima, eſt voluntas firmata, & confirmata in bono. Undè etſi Adamus, & Angeli in 1. inſtanti habuerint charitatem perfectiſsimam, in qua includitur propoſitum efficax nunquam recedendi à bono, non vetificatur habuiſſe prædictam volitionem. Sed iuxta D. Tho. ubi ſupra, effectus proprius gratiæ cooperantis eſt confirmare voluntatem in bono volito per primum velle: ergò Deum facere perſeverare in bono dando voluntatem &c. Hac de cauſa S. D. de correct. cap. 8. ait: *Per gratiam conſequi voluntatem humanam, tùm libertatem ad perſeverandum*; & etiam ut perſeveret, *conſequendo delectabilem perpetuitatem, & fortitudinem.* Hinc illud *nihil aliud* rogavit &c. non excludit, quod oraverit pro gratia cooperanti: imò potius ſi talis permanentia, & invicta voluntas eſt effectus gratiæ cooperis; hæc fuit materia orationis. Quare ſolum excludit, quid quid non præcedit, ut cauſa, aut etiam ſe habet, ut effectus: quod eſt impertinenter ſe habere.

71

Reſpond. ad aliqua teſtim.

Hæc doctrin. firmatur dicta à n. 19. & ſeq.

Sed dices immediatè: ergò adiutorium *quo* perſeverantiæ eſt volun-

72

luntas firmata, & confirmata; sive perseverans in bono: ergò non requiritur aliud adiutorium *quo* ad actu perseverare; in quo sistit præcipuum litigium. Resp. negando consequent. Si enim effectus proprius gratiæ cooperantis esset unicè dicta permanentia saltim virtualis; illatio esset recta, licet non ad mentem *A.* *Oppositū tamen est S.D. designantis ultrà illam pro effectu gratiæ cooper: ipsum facere bonum prius volitum, & insuper perseverare in ipso. Cum ergò ad hos effectus præveniat etiam movendo: adiutorium quo immediatum &c. Sed instab. S.P. solum voluntatem supra descriptam posuit pro auxilio ad ipsam perseverantiam: ergò. In primis antec. est falsum: Nam de gratia cooperanti ait ab illa provenire; quando ita *volumus ut faciamus*, in quo complexo includitur uterque actus, unus imperans, alter imperatus.

Respond.

* Asserit gratiam co oper. esse concursum simultaneū

Alteri occurrit. 1.

73 Rursùs. Voluntatem non velle frustra per gratiam subsequentem 1. velle est illam facere, ut opere perficiat, quòd priùs vult per gratiam prævenientem; sed Deus iuxta Magn. Par. sic segerit per gratiam subsequentem in homine volente bonum: ut exponit Sanct. Doct. art. 3. ergò ponit pro effectu proprio gratiæ cooperantis tùm perseverantiam volitionis imperantis, tùm efficacitèr operari, & perseverare in bono. Huic doctrinæ favet oratio Ecclesiæ dùm ita ait: *Tua nos, quæsumus Domine, gratia, semper præveniat, & sequatur, ac bonis operibus iugitèr præstet esse intentos.* Nàm nos esse bonis operibus iugitèr intentos est esse perseverantes in bono: ergò si illud præstatur ab utraque gratia; ab utraque præstatur perseverantia. Sed gratia subsequens iuxta Mag. Par. & D. Thom. est idem ac cooperans: ergò.

Conformis doct. S.P. in Enchir. 32.

74 Deindè estò Mag. Par. solum explicet auxilium ad perseverare actu per voluntatem firmatam in bono, & in illo perseverantem: quia tamen hæc perseverantia quo ad sui esse consistit in actibus liberis supernaturalibus, & meritorijs; proindèque impotentes fieri sine gratia eos præoperante, & prævemente, ex ipsa natura effectus, ad quem dispensatur auxilium ad firmandam voluntatem, deducitur eam debere committari auxilium efficax, sed prævium ad actus virtutum, sine interruptione; in quo stat ipsa perseverantia. Sicut ergò post primam volitionem, & etiam pro illius confirmatione, & perseverantia saltim virtuali, dantur plures actus supernaturales meritorij, qui sunt Dei dona, invicem succedentes, & in diversis potentijs, & à diversis virtutibus procedentes, tot gratiæ prædeterminantes debent poni inter se ordinatæ, & ad gratiam cooperantem perfectè, & consummatè talem, spectantes.

Tertio.

Ad alia testimonia in quibus Magn. Par. asserit * Deum facere hominem, ut perseverantèr stet; & ut faciat, & impleat eius mandata; quatenùs eis præbet velle efficacissimum, & cor obediens ut faciant, & carnis concupiscentiam voluntate spiritus vincant. *Respond. Illa quòad positivum accepta non officere nostræ sententiæ; cum apertè fateamur talem volitionem esse *adiutorium quo* in suo ordine *ad facere*. Si autem accipiantur ab arg. quòad negativum; ita ut nullum aliud *auxilium quo* requiratur; dicimus quòad hunc sensum non esse de mente illius. Quare claritatis gratia. Explico M. Par. per velle efficacissimum, robustum &c. confirmatum, & perseverans, concedo. Non sic acceptum, nego. Et iterùm subdistinguo. Per velle efficacissimum invictum, perseverans, & concessum à Deo ad actus supernaturales meritorios, & qui etiam sunt immediatè sub dominio Dei, novaque gratia, & beneficium ipsius, conc. Concessum à Deo ad actus his prærogativis carentes, nego. Ratio distinct. constat ex fundatis in utroque S. D. Hinc habetur ultra auxilium *quo* ad intentionem boni, quod est gratia operans, dari alia duo; *unum ad electionem, alterum ad prosequendum efficacitèr media conveniencia ad finē.* Sic S.D. 3. cont. Gent. cap. 92. probarque ex Psalm. 26. *Dominus illumin: Dominus protector.*

75 Ad reliqua test.

Hæc dist. occurri valet omnib. testi.

76 Inferes 1. Quod actualis gratia cooperans ad actus imperatos ex 1. velle, estò sit subsequens ad velle,
Illatio 1. est tamen præveniens, & verè movens voluntatem ad illorum elicientiam. Constat hoc ex D. Thom. loco citat. ex 1. 2. ubi asserit: *Quod in primo velle, voluntas nostra est tantum mota à Deo; at vero in alijs actibus, & se movet, & movetur à Deo.* Cumque iuxta eundem Sanct. Doct. Deus ad prædictos actus concurrat per gratiam cooperantem, liquidò colligitur illam esse gratiam moventem; proindèque prævenientem, tùm actus, tùm voluntatem, ut in actu 2.
Secunda. illos exequentem. Infer. 2. Iuxta nostrã sententiam melius salvari supremum dominium Dei supra actus charitatis, fidei &c. quibus Adamus perseveraret. Ratio est. Nàm Deus iuxta Magn. Par. *Cooperando perficit, quod operando incæpit*; si ergò, quia Deus incipit operando in nobis bonum, ut Sup[illegible]s Dominus, hoc exequitur per gratiam prædeterminantem ad velle; cum etiam sit Supremus Dominus, & magis beneficus in perficiendo; necesse est, ut hoc exequatur per gratiã prædeterminantem perfectiori modo adiuvantem voluntatem, ut perseveraret in bono: cum iuxta S. D. q. 3. de mal. a. 3. causa perficiẽs sit di-
Tertia. rectè movẽs. Inferes 3. Iuxta dicta melius salvari doctr. Trid. sess. 6. cap. 13. asserentis: *Donum perseverantiæ aliunde haberi non posse, nisi à solo Deo.* Quod dictum videtur etiam concedendum de Adamo (casu, quo perseveraſſet) & de Angelis. Nàm in opinione contraria donum perseverantiæ fuit velle perseverare: ergò cum tale velle fuerit activè procedens ab Angelis; dicendum est non solum perseverantiam, sed auxilium *quo* unicum, & donum perseverantiæ fuisse in libertate, sive potestate activa physica Angelorum; & non solum in potestate morali, vel impetratoria. Quod consequens, etsi prælaudatus Mag. concedat q. 5. tom. 1. à n. 33. mihi ingerit maximam difficultatem.

77 Nec minuit difficultatem dicere; tale donum primitus descendere à Deo dante Adamo v. g. vocationem congruam, & ex consequenti operante tale velle per gratiam adiuvantem. Non, inquam, minuit: Nàm etiam ipsum velle fuit hoc modo pendens à Deo; & tamen de Angelis cum proprietate verificatur, *quòd operati sunt velle bonum*, similiterque, *quòd tale velle relictum fuit in eorum arbitrio, & per illud meruerunt*: ergò pariter poterit affirmari cum eadem proprietate, *donum perseverantiæ, sive auxilium quo, fuisse activè ab illis, & in eorum libertate, meruisseque non solùm perseverando, sed etiam per ipsum auxilium quo ad perseverandum*; quæ omnia videntur aliena à Tridentini, & M. P. doctrina. Quare etsi AA. Societ. concedant in potestate arbitrij esse adquirere indirectè auxilium efficax ad perseverandum, quatenus lib. arb. potest determinare Deum, vel ut non conferat auxilium, vel conferat auxilium prævisum efficax; attamen prædict. Mag. absolutè concedit, & concedere debet, donum *quo* perseverantię, utpotè consistens in volitione imperanti perseverantiam, esse perfectè in potestate directa, & activa Adami, & Angelorum.

Distingue inter actus, & auxilũ Dei ad illos.

78 Inferes 4. Tale auxilium requisitum ad actu perseverandum, esse speciale intra ordinem gratiæ: ita communiter Theologi. Ratio est:
Quarta. Nàm specialitas auxilij ex duplici capite provenit; vel ex debilitate, & & infirmitate naturæ; vel ex quo modum proprium operandi creaturæ liberæ excedit. Tale esset auxilium ad perseverandum in Adamo: Nàm cum esset vertibilis de bono in malũ, determinari semper à Deo ad bonum, etiam urgente gravi tentatione, est gratia specialis intra ordinem gratiæ. Rursùs: Nàm, ut benè probat Suarez; quòd Deus conferat semper vocationem prævisam congruam, & nullam incongruam, hoc est, speciale Dei beneficium creaturæ peccabili. Hæc ratio probat de perseverantia, adhuc secundùm quod præcisè dicit continuationem in rectè operando: Nàm de illa, ut est effectus prędestinationis, & pròut coniungitur cum decreto consequendi gloriam; sic certum est, & indubitatum, esse speciale auxilium intra ordinem gratiæ, utpotè ex speciali providentia Dei proveniens.

In-

79 Quinta.

Inferes 5. iuxta noſtram doctrinam apprimè ſalvari illud M. P. 12. de Civit. Dei cap. 9. aſſerentis: *Angelos bonos fuiſſe ampliùs adiutos, ut ad beatitudinem pervenirent.* Quod quidem fuit adiutorium *quo*, ut perſeverarent. Nàm in ſentent. contr. etſi fuerint ampliùs adiuti, quia prædeterm. ut vellent, non tamen, ut reipſa perſeverarent, niſi tantum mediatè. Quinimò; cum in dicta opinione velle connexum cum actu perſeverare, fuerit velle, ut continuatum in ſecundo inſtanti iuxta prædictum Magiſtrum; taliſque continuatio iuxta D. Thom. ſit effectus gratiæ cooperātis; ſequitur unum è duobus, ſcilicèt, aut eos non habuiſſe adiutorium *quo* ad perſeverandum, aut illud fuiſſe adiutorium gratiæ cooperantis, ſi teneatur conſequentia doctrinæ. *Et hæc de hoc dub. applicand. ubi præced.*

DUBIUM XVII.

AN, VT ADAMVS PERSEVERAret in bono, eſſet neceſſaria volitio intrinſecè efficax, fortis, & robuſta, qua vellet perſeverare?

§. I.

SUPPONUNTUR ALIQUA, ET SENSUS DUBII APERITUR;

N. 1 Supponitur. 1.

SUppono 1. *Adamum innocentem pro caſu perſeverantiæ in bono, aliquoties eliciturum volitionem perſeverandi, quæ eſt actus proprius virtutis perſeverantiæ. Huiuſmodi autem volitio non foret neceſſaria per ſe, ſed ſufficeret quælibet alia volitio imperans obſervantiam mandatorum, vel in tali obſervantia incluſſa.* Pro huius prob. notandum propoſitum efficax nunquam diſcedendi à Deo, ſive diù, vel abſque interruptione privativa, rectè operandi in materia cuiuſvis virtutis, poſſe ad diverſas virtutes, ut actum proprium earum pertinere, propter diverſitatem motivi à voluntate amabilis, & ab intellectu propoſiti. Propoſitū enim efficax nunquam diſcedendi à Deo, & obſervandi omnia eius præcepta, ex motivo appreciabilitatis illius ſuper omnia, & propter eius obſequium, eſt actus charitatis. Idem propoſitum obſervandi Dei præcepta, vel ob finem ſatisfaciendi pro offenſis Deo irrogatis; vel ut ius divinum ſervetur omninò illæſſum, uti ſæpè fit à nobis, eſt actus virtutis pœnitentiæ. Quod ſi motivum talis propoſiti ſit honeſtas conformitatis cum præcepto Dei iubentis, non violare illius mandata, ſed rectè operari, quotiès inſtat præceptum; erit actus obedientiæ. Si autem motivum illius ſit aſſequutio beatitudinis, ut futuræ dependenter à perſev: erit actus ſpei. Quapropter propoſitum firmum, & efficax diù rectè operādi in materia cuiuſvis virtutis, propter honeſtatem ſpecialem in tali continuatione repertam, ut ſignatè volitam, eſt actus proprius virtutis perſeverantiæ. Hæc notanda duxi; tùm, ut quidditas virtutis perſeverantiæ nobis duce S. D. innoteſcat; tùm etiam, ut luce ſuæ doctrinę illuſtrati, poſsimus abſque difficultate exercere plures actus diverſarum virtutum ſupernaturalium, & augere in eodem materiali propoſito rationem meriti, & obſequij apud Deum; quod

quidem exercitium valdè conducit ad proficiendum in via perfectionis.

Hoc notato 1. pars probat. 1. quia videtur certum volitionem perseverandi ex motivo immediatè explicato cadere sub præcepto ; cum sit actus virtutis specialis,& iuxta S.D.2. 2.q.104.a.2.*Licet omnes actusvirtutum non cadant sub præcepto ; cadunt tamen actus omnium virtutum.*Et 2.2.q.140. a.2.ad 1.ponit præceptum divinum circa perseverantiam. 2.Quia talis actus plurimum roboris, & fortitudinis præstaret voluntati flexibili Adami etiam innocentis , ut non discederet à Deo. 2. pars prob. Perseverantia in bono pro statu innocentiæ ex parte obiecti per se, & præcisivè ab eo, quòd actus virtutis perseverantiæ sit in præcepto ; nihil aliud dicit, nisi diù elicere actus virtutum , quoties instaret de eis præceptum ; sive tales actus essent de se faciles, ut actus temperantiæ , & aliarum virtutum moralium : sive difficiles ex obiecto , uti sunt actus charitatis , fidei &c. Sed ad elicientiam huiusmodi actuum non requiritur per se volitio supra descripta:ergò. Prob.min. Et sit casus, in quo instaret præceptum charitatis in instanti *A* , & postmodum instaret præceptum spei alio tempore , & sic de reliquis actibus virtutum. Si Adamus nulla alia voluntate, quasi reflexè, & signatè tendenti in continuatam successionem talium actuum, prorumperet immediatè in dilectionem Dei , & in actum spei &c. absdubiò perseveraret in bono ; cum non poneret obicem conservationi gratiæ. Et quidem talitèr perseveraret, ut esset ei talis perseverantia voluntaria ; cum ad hoc sufficiat amare exercitè continuationem in bono cum præviſione;vel si mavis;quod semèl, & à principio , vellet signatè dictam continuationem : ergò.

2

1. Pars prob.

Secunda.

Confirm.Etsi homo postlapsum teneatur ex vi præcepti(dequo non curo) aliquotiès elicere actum perseverantiæ formalis in volitione descripta consistentem; non requiritur necessariò per se , ut diù perseveret ; sufficit enim , ut quotiès existat præceptum eliciendi actum virtutis, se exerceat per illum , per quem ; etsi non signatè , exercitè tamen vult perseverare non ponendo obicem peccati:ergò cum instatu innocentiæ non sit ita difficilis perseverantia in bono, excludenda est necessitas per se &c. Nec pariter necesse erat ponere aliam volitionem,etsi non elicitam à virtute perseverantiæ,sed tamen quasi reflexè imperantem alios actus virtutum, quotiès instaret præceptum illorū sub hac tendentia : *Volo diligere , volo credere Deum , sperare &c.* 1. Quia talis modus reflexionis per actum distinctum potiùs dicit imperfectionem, quàm perfectionem. Unde Deus perfectissimus in amando per ipsum amorem sui vult etiam expresse,& formaliter se amare. Idem contingit in Angelis , tàm respectu actus voluntatis, quàm intellectus. Hac de causa plures AA. Societatis , quos refert , & sequitur P. Aranda in 1. 2. lib. 2. disp. 4. §. 3. Etsi teneant voluntatem signate,& formaliter amare suum actum , negant tamen ad hoc requiri volitionem propriam distinctam. Qui modus dicendi , etsi non sit satis conformis doctrinæ Angel. Mag. respectu voluntatis humanę , maximè post lapsum ; ex illo ostenditur talem volitionem distinctam non fore necessariam , ut Adamus perseveraret voluntariè.

3

Confirm.

Idē prob. de volitione alter: virtutis quotiès instaret præcept.

Hinc apparet , qua ratione dictum sit a Magn. Par. *Adamum potuisse perseverare in bono , si voluisset.* Non quia Magn. Par. iudicaverit fore necessarium , ut si instaret præceptum dilectionis,humilitatis,obedientiæ formalis &c. Adamus ad observantiam talium præceptorum , deberet perprius elicere actum huius tendentiæ , scilicèt : *Volo diligere , volo obedire* ; sed quia cum in eius potestate, & facilitate subiectiva fuerit elicientia cuiusvis actus virtutis , à qua dependebat perseverantia in bono; si voluntariè , & liberè , ut potuit, tales actus exerceret , absdubiò *perseveraſſet , si voluiſſet.* Sit exemplum in observatione præcepti de non comedendo de ligno vetito. Certum est, quod Adamus , si voluisset , perseveraſſet in bono , saltim quantum è si attentà observatione talis præcepti . Et tamen ad hoc non fuit necesse,

4

Exponit: lenius M. P.

cesse, ut ad actum volitionis non comedendi præcederet alia volitio, per quam signatè illũ vellet ex tali motivo. Idem dicendum, dùm instaret præceptum fidei, & aliarum virtutum. Qui actus, utpotè eliciti à voluntate, sunt volitiones signatè tendentes in bonum honestum, & exercitè in circunstantiam non apponendi obicem conservationi gratiæ. Hinc colliges, falsum esse, *quod eatenùs Adamus, quocumque die, & quacumque hora, in qua insurgeret tentatio, poterat illam vincere, si vellet: quia poterat innovare primum velle.* Colligitur, inquam, si sermo sit de volitione signatè tendenti in ipsam victoriam tentationis; propter motiva superiùs adducta. Nàm etsi hoc modo posset velle, non requireretur ad perseverantiam, sed sufficeret se liberè exercere per actum virtutis impugnatum à tentatore. Attamen; nè in hoc sit litigium; admittimus volitionem cum illa tendẽtia signata, aut directa ad perseverandum.

Illatio.

2. Supponendum, quod licet volitio ab intrinseco efficax, hoc est, ex sua tendentia, & connatu, plenè determinans voluntatem ad executionem rei volitæ; quando in eius potestate sunt media requisita pro illa; saltim ex natura rei connectatur cum prædicta assecutione; non tamen est adeò certum: quòd volitio connexa sit intrinsecè, & ex natura sua tendentia efficax: potest enim talis connexio alio ex capite provenire. Patet hoc in voluntate conferendi auxilium prævisum efficax; si talis voluntas non moveatur ex efficacia prævisa. Idem: si Deus promitteret aliquod donum pro desiderio inefficaci illius. Quare dub. procedit de volitione efficaci intrinsecè, sive ex modo tendendi. Hinc; qui dixerit volitionem inefficacem perseverandi intrinsecè talem, fore efficacem quòad effectum, & connexam cum perseverantia; tantum ponet in illa efficaciam extrinsecam ortam ex coniunctione cum perfectione talis status. * In 1. efficacia dantur varij gradus, scilicèt, magna, maior, & maxima; ex quo provenit efficaciam volitionis in uno casu sufficientem ad imperandum; posse esse insufficientem in alio.

5 Secuddo.

6

Opinio quædam refertur, * Tom. 1. q. 5. §. 2.

Prælaudatus Mag. volens statuere discrimen inter statum innocentiæ, & statum lapsus circa auxilium necessarium ad perseverandum, & ad facienda Dei mandata, duo sequentia asserta ponit. * 1. *Natura innocens perseveraret, si vellet, & quocumque velle.* 2. *Natura corrupta, & infirma, non perseverat quocumque velle, sed fortissimo.* Eodem modo discurrit relatè ad facere Dei mandata in utroque statu. *Nàm innocens mandata Dei faceret, si vellet, & quocumque velle. Natura autem infirma non facit Dei mandata, quocumque velle; sed magis, vel minùs forti iuxta difficultatem divini mandati.* Cum autem iuxta ab ipso Magistro quæst. 5. num. 43. & quæst. 8. §. 3. stabilita: velle liberum sit auxilium *quo* ad facere, & ad actus, qui ex ipso imperantur; consequentèr affirmat prædictum velle tam in Adamo, quàm in iustificatis post lapsum, esse auxilium *quo* immediatè donans facere, & perseverare in utroque statu. Hinc iam apparet, in quo conveniant uterque status, & in quo discriminentur in ordine ad perseverandum in bono. Conveniunt quidem, quia in utroque requiritur gratia efficax Dei operantis velle perseverare; quod quidem velle est auxilium *quo* ad actu perseverandum. Discriminantur vero in hoc, quod ad perseverandum in statu innocẽtiæ sufficiebat quodcumque velle, etsi non esset intensum, robustum, & ab intrinseco efficax; at vero post lapsum requiritur ad perseverandum, velle robustum, & efficacissimum. Primum accideret propter summam facilitatem Adami ad perseverandum; ideòque, quodcumque velle, etsi ex specie sua inefficax, & secundum quid, ratione status imperaret efficacitèr perseverantiam in bono; proindèque esset auxilium *quo* ad ipsam perseverantiam. E contra vero: quia post lapsum adest magna difficultas ad perseverandum ratione infirmitatis relictæ ex peccato originali; ideò, ut iusti perseverent in bono, requiritur per modum auxilij *quo* velle, quod sit de se *robustum*, & *efficacis-*

* Aut decret: dan di persev: pro omni velle.

cissimum ad superandam difficultatem in perseverando. In horum probationem plura adducit, tùm authoritate, tùm ratione, satis ingeniosè, ac subtiliter excogitata. Ut autem nostram mentem aperiamus, sit.

§. II.

STATUITUR PRIMA CONCLUSIO.

Adamus innocens potuit habere aliquoties volitionem inefficacem, & inconnexam cum actuali perseverantia.

7 OPpositum tuetur præd. M. q.5.n. 11.17.22. & 39. ubi affimat, *quodcumque velle in Adam imperaturum esse perfectè ipsam perseverantiam.* Sed imperium perfectè imperans, est imperium efficax: ergò sentit quodcumque velle forè efficax, & inferens infallibiliter perseverantiam. Sed oppositum mihi videtur certum; pro quo notandum ex duplici capite posse oriri, ut quis se exerceat per volitionem inefficacem, & inconnexam cum objecto volito; vel propter defectum potestatis ad superanda impedientia volitionem efficacem; vel ex sola libertate hoc pacto volentis. Hoc supposito probatur. Talis volitio non pugnat cum statu innocentiæ: ergò fuit Adamo possibilis. Prob. añs. Talis volitio, nec destrueret statum innocentiæ; nec esset dedecens illum: ergò. 1. pars añtis. constat: Nàm solum peccatum læthale destrueret talem statum; atqui asserere talem volitionem ferè prohibitam Adamo sub læthali, est prorsum voluntarium, & de se satis repugnans: ergò. Urgeo hoc. Volitio ineficax perseverandi est de se honesta moraliter, utpotè habens objectum de se honestum: ergò.

8 2. Pars prob. 1. Nàm ex 1. gratia excitanti, quam admittit præd. M. in tali statu, consequebatur infallibiliter affectus indeliberatus inefficax, & per modum complacentiæ circa bonum supernaturale; si ergò non dedecet statum innocentiæ affectus subitus, & etiam inefficax; cur dedecens erit affectus liber inefficax? 2. Nàm status innocentiæ solum petit pro sui decentia, ut Adã in omni affectu libero innocenter se habeat, hoc est, *ut, nec sibi, nec alijs noceat*; ut ex diffinitione *innocentiæ* tradita à D. Prospero sent. 1. colligitur. Sed in tali affectu inefficaci innocenter modo dicto se gereret Adamus: ergò. 3. Nàm status innocentiæ nequit exigere titulo suæ perfectionis plùs, quam petit status beatitudinis; sed iste admittit plures affectus inefficaces, ut patet in Christo Dño. qui cum posset plura efficacitèr velle, id non est exequutus: ut patet in volitione trãsitus Calicis; in volitione *salutis Iudæ*, & *omnium*; pro quorum salute Crucem, & mortem pertulit: ergò. Idipsum videre est in B. Virgine dolente de morte Filij; proindèque volente, & meritoriè, ipsum vivere; similitèrque volente, ut omnes homines salvi fierent; quę omnia non voluit efficacitèr.

Prob. 2. Nàm in Adam eo omnis volitio perseverandi esset efficax, & perfectè imperans, quia pro tali statu erat magna facilitas ad perseverandum; sed hæc ratio est nulla, quæ sic prob. Nàm in Christo Domino erat potestas facilis salvandi omnes homines, & applicandi sua merita pro eorum efficaci salute; quis hoc neget? Cum omnia dederit Pater in manus eius. Et tamen noluit efficacitèr omnium salutem, sed solum inefficacitèr: ergò. Idem dicendum de potestate, ut evaderet de manibus Iudæorum iuxta illud: *Nemo tollit animam meam*, & illud: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Tandèm. Nàm nulli est, tàm facilis potestas faciendi aliquid, sicuti Deo; & tamen in illo sunt plures volitiones inefficaces sanctissimæ, atque simul laude dignissimæ. 9 Secunda ratio. Ioan. 10. Isaiæ 53.

Sed dices, hæc omnia non probare. Nàm in illo statu nullum esset motivum honestans volitionem inefficacem, sicuti apparet in exemplis adductis. Sed contra est. Nàm motivum sufficiens esset honestas perseverandi absque obligatione se exercendi prosemper* per volitionem efficacem. Rursùs. Nam si Deus revelaret se nolle illũ exerceri per efficacitèr velle persever: sed per alios actus pro aliquo nùnc: tùnc appareret motivum honestum, scil. conformitas cũ divina voluntate, ut ille tantum inefficacitèr vel- 10 * Adhuc conditionatè.

vellet. Deniquè. Perseverantia in bono etiam præcisivè ab existentia in re habita, potuit proponi Adamo, ut libetè honestè amabilis: ergò &c. Añs. prob. Perseverantia in bono potuit proponi Adamo, ut amabilis amore strictè dicto, proùt hic differt à gaudio, & desiderio; cum talis affectus amoris strictè dicti inveniatur in Deo, sitque principium, & origo omnium affectionum voluntatis; de quo D. Thom. 1.2.q.28.a.3.& S.Aug.14.de Civ.cap. 7. sed perseverantia, proùt est obiectum terminans amorem strictè dictum, præscindit ab existentia in re habita, & habenda iuxta D.Th.1.p.q.20. a.1.ergò.

§. III.

Solvuntur argumenta.

11 OBijcies 1. Adamus innocens non poterat velle perseverare volitione imperfectè imperanti perseverantiam; ergò non fuit possibilis volitio inefficax, & inconnexa cum perseverantia. Añs. prob. 1. ex D. Th. 1.2.q. 17.a.5. dicenti: *Voluntatem perfectè non imperare sibi, aut alijs potentijs, ex quo non perfectè ab uno obiecto trahitur; sed mot o ab obiecto contrario fluctuat, & quasi dividitur in duas voluntates. Sed voluntas Adami innocentis non fluctuabat inter affectus contrarios; nec erat tũc aliquid retrahens illam ab imperio efficaci perseverandi*: ergò. Prob. 2. Quod voluntas imperet inefficacitèr, & non sequatur actus im peratus* est aliquod monstruum, & pertinet ad ægritudinem animi; quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus.* Sed in statu innocẽtię nulla erat animi ægritudo, nihilque retardans animum, nè sublevatus assurgeret: ergò in illo fœliciſsimo statu, quodcumque velle imperaret perfectè actualem perseverantiam. Mai. est D. Aug. 8. Confes. c. 2. & min. est eiusdem de corre. & gra. cap. 11.

Arg. 1.

12 Hoc argum. probat, nec in Deo, in Christo Dño. & B. Virgine fuisse affectus inefficaces, ut considerãti patebit. Unde aliud est quærere de causa per se, à qua proveniat, quod voluntas non perfectè imperet; aliud vero inquirere de causa materiali, à qua in nobis id ipsum frequentèr proveniat. 1. causa consistit in eo, quod voluntas non toto conatu, & intentione tendit in bonum; quod quidem provenire potest ob suam libertatem, qua gaudet circa modum tendendi in bonum sibi in praxi possibile. Non enim voluntas necessitatur, ut si vult bonum, illud velit efficacitèr, & omni conatu possibili, ut videre est in Deo, & etiam in nobis, affectu simplicis complacentiæ volentibus plura bona supernaturalia, etsi aliàs sint etiam nobis practicè possibilia. Verum quidem est huiusmodi imperium imperfectũ frequentèr provenire in voluntate, propter dicta motiva illam retardantia, ut velit efficacitèr bonum; ut contingit in gravitèr tentato; & insuper ratione pravæ consuetudinis, & inclinationis ad bona sensibilia. Quando ergò D. Th. & M. P. asserunt imperium imperfectum in volũtate provenire, ex quo ratio fluctuat inter affectus contrarios, & ex prava consuetudine, aut ægritudine animæ, loquuntur de causa materiali, & quæ frequentèr influit, ut voluntas nõ perfectè, & ex toto imperet; non autem de causa formali, & per se requisita ad rationem imperij inefficacis, & inconnexi cum re imperata.

Solutio.

13 Arg. 2. Ubi nulla est difficultas ad faciendum bonum, & vitandum malum, quodcumque velle connectitur cum operatione boni, & vitatione mali; sed Adamus innocens nullam difficultatem habebat ad faciendum bonum, & vitandum malum: ergò. Prob. mai. Ubi nulla est difficultas ad faciẽdum bonum &c. nihil est, quod impediat connexionem volitionis cum operatione boni; quidquid enim impedit agens ad positionem effectus, illud à fortiori reddit difficile ad positionem illius. Sed volitio non impedita, quantum ad connexionem cum re volita, connectitur cum ipsa: ergò. Resp. neg. mai. Cuius falsitatem probatam reliquimus §. añti. Ad eius prob. Resp. Connexionẽ volitionis cum re volita, posse impediri duplicitèr; vel ab extrinseco propter motiva retardantia, & ab ipsa diffic: superabilia; vel ab intrinseco: quia videlicèt voluntas pro sua libertate non ponit in illa conatum,

Secundũ arg.

Solutio.

tum,& ardorem circa consecutionem finis; sicque contingeret in Adamo.

14 Tertium arg.

Argues 3. Adamus tenebatur sub læthali perseverare in bono perseverantia libera, & voluntaria; sed hoc ipso tenebatur ad velle connexum, & inferens perseverantiam: ergò tenebatur ad velle efficacitèr perseverare: ergò si Adamus vellet volitione inefficaci, & inconnexa, perseverare, peccaret læthalitèr; proindèque destrueretur status innocentiæ: ergò Adamo non fuit possibilis volitio inefficax perseverandi coniungibilis cum statu innocentiæ. Confirmat. iuxta Mag.P.de correp.& grat. cap. 11. *Adamus talitèr fuit potens perseverare, si vellet, ut si voluisset, perseveraſſet*; sed si esset possibilis in Adamo volitio inefficax, & inconnexa, etiamsi voluisset, non perseveraſſet: liquidem talis volitio esset vera volitio perseverandi, & inconnexa cum perseverantia: ergò.Argum. solum probat Adamum ex suppositione præcepti,& adimplerionis pers. habiturum esse volitionem efficacem connexam cum perseverantia; non tamen probat, quod non potuit se exercere aliquando per affectum inefficacem circa perseverantiam; cum talis affectus esset honestus, & nullatenùs impediens, sed potius aliqualiter disponens ad velle efficacitèr perseverare.Ad confirmat. Resp. Ad veritatem huius conditionalis: *Si Adamus voluisset, perseveraſſet*, non requiri omnem volitionem connecti cũ perseverantia, sed sufficere; ut aliqua volitio, scilicèt, ab intrinseco efficax, & quæ fuit plenè in eius potestate, sit connexa cum perseverantia. Constat hoc in Christo Domino, de quo verificatur potuisse non mori, si vellet: & potuisse salvare Iudam, si vellet; & tamen volitio, quæ ibi apponitur conditionatè, est volitio efficax determinatè, & non præscindens ab efficaci, vel inefficaci: ergò ex quo Adamus fuerit potens perseverare, si vellet; non infertur, quod casus omnis volitionis perseverantiæ, esset casus perseverandi.

Confirm.

Solutio.

Ad confirm.

15 Quartum arg.

Argues 4. Volitio inefficax perseverandi in Adamo, esset inutilis ad perseverandum: ergò non fuit possibilis Adamo innocenti. Añs.probat. Volitio perseverandi, quæ nec infert perseverantiam, & coniungibilis est cum nolitione efficaci illius, est inutilis ad perseverandum. Sed talis est volitio inefficax perseverandi: cum de ratione volitionis inefficacis, qua talis, sit non connecti cum re volita, & posse coniungi cum nolitione efficaci eiusdem rei: ergò. Confirm. Volitio inefficax perseverandi de se compatitur cum nolitione efficaci perseverandi: ergò. Conseq. prob. Non est decens Adamo volitio coniungibilis cum eo, quòd induceret carentiã perseverantiæ in statu innocentiæ; sed nolitio efficax perseverandi esset, vel ad minùs induceret necessariò carentiam status innocentiæ; cum esset nolitio prava: ergò.Argumentum instatur. Tùm in affectibus supernaturalibus subitis, & per modum simplicis complacentiæ, qui iuxta opinionem contrariam fuerunt in Adamo innocenti, ut quid necessario consecutum ad subitas illustrationes gratiæ. Tùm etiam in amore strictè dicto liberè elicito ab Adamo circa bona supernaturalia; qui quidem amor, proùt differt ab actu intentionis, sive desiderij, & ab actu gaudij, tantum est complacentia voluntatis in re volita. Si ergò hi affectus non fuerunt inutiles in Adamo; idem dicendum de affectu inefficaci ad perseverandum. Utilitas ergò in tali affectu esset, tùm inclinare voluntatem Adæ ad volitionem efficacem; tùm etiam honestas, & libertas se exercendi modo dicto circa obiectum de se honestum absque prohibitione ulla. Ad confirmationem Resp. Volitionem determinatè coniungibilem cum nolitione efficaci, & carentia status innocentiæ, non esse decentem Adamo; secus vero si sit etiam coniungibilis cum volitione efficaci, & ad hanc de se disponat, & inclinet: quamvis propter libertatem,& abusum Adami coniungeretur cum nolitione efficaci perseverandi. Instantia habetur in gratijs moralibus, quæ fuerunt in Adamo, & insuper coniungibilibus cum carentia status innocentiæ.

Confirm.

Solutio.

Nolitio efficax directa esset de se prava, non reflexa.

Ad confirm.

§.IV.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Volitio, qua Adamus efficaciter imperaret perseverantiam in bono, esset actus arduus, egregius, & magnæ perfectionis.

16 ANte probationem conclusionis (quam certam existimo) notandum perseverantiam in bono per continuatam elicientiam actuum virtutum existentium sub præcepto posse dupliciter amari à voluntate: uno modo directè, & signatè; alio modo tantum exercitè; quatenùs persistentia in bono est circunstantia cuiusvis actus virtutis 1. modo accepta, est obiectum virtutis supernaturalis perseverantiæ habentis pro actu sibi proprio propositum diù operandi in materia cuiusvis virtutis, præsertim si adsit præceptum de actu illius. Ita D. Th. 2. 2. q. 137. ar. 1. 2. autem modo accepta, non spectat ad specialem virtutem; sed per eandem virtutem, per quam aliquis pluries se exercet, vult etiam exercitè in tali cõtinuatione perseverare. Undè actus, quo, quis signatè, & directe, proponit diù se exercere in actibus religionis, est actus perseverantiæ; at vero actus, quo, quis tantum exercitè vult talem continuationem, spectat ad ipsam religionem. Patet hoc in magnanimitate, cuius proprius actus est velle eximie, & egregie operari in materia cuiusvis virtutis. Si enim intensio actus fidei, vel religionis v. g. tantum exercitè attingatur; tùnc per eandem fidem, vel religionem, per quam aliquis intensè, & egregrie credit, vel eximie tribuit cultum Deo, vult egregie operari: si autem consideretur, ut signatè volita, & proùt est quodam bonum magnum, sic inspicitur à magnanimitate. Videatur Eminent. Cayet. ubi supra.

Notand.

17 Hoc notato prob. ex D. Thom. loco cit. ar. 1. probanti perseverantiam esse virtutem specialem ex eo, quod omnis actus respiciens specialem honestatem, & in cuius elicientia apparet nova difficultas, requirit specialem virtutem. Sed propositum persistendi in elicientia actuum virtutis, est huiusmodi: ergò esset actus elicitus à virtute perseverantiæ. Minorem quòad 1. partem probat: quia persistere in bono dicit specialem conformitatem cum ratione. Quoad 2. illam sic probat: *In natura mutabili diù persistere in bonis, parvis, & mediocribus, est difficile, in magnis autem difficillimum.* Ita ar. 3. ad 2. Ex his sic argum. Actus respiciens obiectum de se arduum, & difficile, est actus heroicus, & virtutis eximiæ: sed talis esset volitio, qua Adamus directè, & signatè, vellet efficaciter perseverare in bono: ergò esset actus excellens, & virtutis eximiæ. Min. constat ex S. D. siquidem adhùc pro statu innocentiæ Adamus erat naturę mutabilis, & vertibilis de bono in malum; proindèque semper persistere in bonis operibus, tàm mediocribus, quàm magnis, esset ei bonum aliquod de se arduum, & difficile. Confirm. Perseverantia Adami in bono necessariò includeret plures actus virtutum Theologicarum, obedientiæ, timoris reverentialis, magnanimitatis, & insuper victoriam plurium tentationum provenientium ex suggestione diaboli, eius fœlicitati invidentis. Sed hi actus sunt de se ardui, & excellentes: ergò. Confirm. hæc ratio ex D. Tho. 1. p. q. 81. ar. 2. asserentis: *Obiectum proprium irascibilis, sive, proùt spectat ad appetitum sensitivum; sive proùt suo modo convenit voluntati, esse bonum de se arduum, & difficile, per quod differt ab obiecto concupiscibilis.* Tùm sic: actus elicitus à virtute infusa perficienti voluntatem, ut irascibilis est, dicit necessariò esse actum de se arduum, & in arduum tendens. Sed talis volitio esset actus elicitus à virtute perseverantiæ in Adamo innocenti, ut de se constat: ergò cum perseverantiæ virtus sit iuxta D. Tho. in voluntate, quatenùs irascibilis est (eò quod iuxta ipsum est pars fortitudinis) volitio ab illa elicitive proveniens, esset actus egregius, & de se arduus.

Conf. 1.

Secundo.

Prob. ex S. D.

18 Urgetur. Actus firmans voluntatem mutabilem circa bonum excellens, & arduum, necessariò est actus de

Urget.

de se arduus, eximius, sive excellens; sed volitio efficax perseverandi elicita ab Adamo firmaret eius voluntatem circa aliquod bonum arduum, & excellens: ergò. Prob. min. Talis volitio firmaret voluntatem Adami ad continuatam elicientiam (maximè instante præcepto) actuum fidei, spei, dilectionis, magnanimitatis, fortitudinis &c. sed continuatio horum actuum est bonum de se egregium, & excellens: ergò. Min. videtur certa: Nàm permanentia rei, est modus sapiens naturam rei: ergò continuatio, & permanentia in actibus ex se arduis, & excellentibus, est bonum de se arduum, & excellens. Ex his excussa manet solutio dicens prædictum actum non esse difficilem Adamo; cum iuxta M. P. gauderet summa facilitate ad non peccandum. Manet, inquã, excussa: Nàm etsi talis actus non foret difficilis Adamo difficultate provenienti ex repugnatia appetitus ad rationem: foret tamen difficilis, difficultate obiectiva desumpta ex magnitudine operis, sicuti, & ipsi actus imperabiles à tali volitione. Quod sufficit ad excellentiam perfectionis in tali volitione; ut docet D. Thom. 1.2. q. 114. ar. 4. ad 2. *Dicend: quod opus aliquod potest esse difficile dupliciter, uno modo ex magnitudine operis, & sic auget rationem meriti; & sic charitas non minuit laborem, Alio modo ex defectu operantis; & talis labor minuit meritum.* Et 2. 2. q. 155. ar. 4. ar. 2. & alibi.

§. V.

TERTIA, ET PRINCIPALIS conclusio.

Prædicta volitio esset ex specie sua fortis, robusta, & efficacissima; aliterque non posset imperare perseverantiam.

19 PRob. 1. ex ante dictis. Actus imperans efficaciter elicientiam plurium actuum ex specie sua excellentium, & difficilium, est volitio ex specie sua, & intrins. tendentia fortis, robusta, & magna efficacia gaudens; sed huiusmodi esset volitio imperans perseverantiam Adami pro statu innocentiæ: ergò talis volitio &c. Min. constat ex dictis. Nàm talis volitio sæpè imperaret efficaciter actum fidei, spei, dilectionis, & aliarum virtutum, etiam urgenti gravi tentatione per suggestionem. Sed huiusmodi actus sunt ex specie sua ardui, & excellentes, sive difficiles ex magnitudine operis: ergò. Mai. prob. 1. De ratione actus efficaciter imperantis est determinare efficaciter, & superare omnem difficultatem, quæ reperitur in elicientia actus imperati: sed volitio superans difficultates, quæ reperiuntur in elicientia actuum, qui ex specie sua sunt ardui, & difficiles, est volitio intrinsece, & ex specie sua fortis, & robusta: cum superare efficaciter pluries difficultates, sive subiectivas, sive obiectivas, sit proprium fortitudinis, & roboris: ergò. 2. Quidquid perfectionis invenitur in effectu, necessario præexistit in causa movente efficaciter ad illius productionem; sed actus imperati efficaciter ex tali volitione essent propter magnitudinem perfectionis ex specie sua, intrinsece efficaces efficacia, inquam, absoluta, & simpliciter tali: ergò volitio imperans, & movens efficaciter voluntatem ad positionem talium actuum, esset efficax simpliciter, intrinsece, & ex specie sua.

Primaratio.

Quænam virtutes fuerint in Adamo reductæ ad actum; quænam verò non; docet S. D. 1. p. q. 95. ar. 3.

Confirm. ex S. D. 1. 2. q. 51. ar. 3. ubi probat unicum actum virtutis (nisi sit valdè intensus) non posse producere habitum virtutis moralis, seq: discur: De ratione habitus est inclinare permanenter, & perfectè voluntatem ad bonum honestum vincendo illius indifferentiam, per quam se habet diversimodè, & ad multa. Hæc autem indifferentia non vincitur totaliter per unicum actum terminatum ad unicum obiectum, & uno modo se habens. Quare necesse est præcedere plures actus virtutis, per quos vincatur talis indifferentia: nè effectus excedat in perfectione suam causam. Ex qua doctrina sic argum. Quia habitus est inclinatio firma, & permanens voluntatis ad bonum honestum, tollensque eius indifferentiam (quòad specificationem) petit

20 Confirm.

Non meminit repugnant: in appetitu.

pro

pro sui causa repetitionem plurium actuum, in qua virtualiter continetur; nè effectus excedat suam causam. Sed Adamum te ipsa perseverare, est voluntatem illius firmiter, & efficaciter, se determinare ad exercitium plurium actuum virtutis intrinsecè efficacium: ergò causa movens voluntatem ad exercitium illorum, debet in se virtualiter intrinsecè continere omnem illorum efficaciam; nè effectus excedat suam causam, & non utcumque, sed causàcum imperio. Sed volitio imperans perseverantiam in Adamo esset causa illius, & actuum, quibus perseveraret: ergò illa esset intrinsecè; nedum efficax, sed efficacissima: utpotè tollens plures indifferentias voluntatis quo ad exercitium diversarum virtutum.

22 2. Ratio desumitur ex communi doctrina Thom. tuentium ex intentione inefficaci finis non posse oriri electionem mediorum efficacium ad eius consequutionem: quapropter, ut aliquis homo consequatur gloriam, non sufficit in Deo voluntas antecedens salvandi omnes homines, sed requiritur prædestinatio consistens in intentione efficaci intrinsecè dandi gloriam. Quòd probant, & explicant à paritate. Nàm sicut repugnat assensus certus conclusionis sine assensu certo præmissarum; ita repugnat electio medij efficacis absque intentione efficaci finis; qui quidē ita se habet in operabilibus, sicut principia in speculabilibus. Ex qua doctrina sic arguo: voluntatem Adami se exercere sine interruptione per longum tempus per actus virtutum, quoties instaret præceptū, est velle media efficacia ad permanentiā in bono. Sed iuxta immediatè dicta nequit volūtas eligere media efficaciter conducētia ad aliquem finem, nisi præcedat intentio efficax intrinsecè eiusdem finis: ergò ut Adamus sic se exerceret, & eligeret, necesse erat, ut priùs vellet volitione intrinsecè efficaci perseverantiā per modum finis. Explicatur hoc. Eo repugnat intentio de se inefficax finis imperans media efficacia ad ipsum; quia repugnat voluntatem esse magis intrinsecè affectam circa media, quàm circa finem; & insuper: quia omnis efficacia electionis ex efficacia intentionis procedit. Sed hæc omnia æque probant facta comparatione inter volitionem perseverantiæ de se intrinsecè inefficacem, & inter voluntatem efficacem elicendi actus virtutum ad perseverandum in bono, ut de se constat: ergo ex intentione perseverandi intrinsecè inefficaci &c.

Prob. 2.

Explicat.

23 Prob. 3. Evertendo fundamentum opinionis contrariæ. Eo volitio imperans efficaciter perseverantiam in statu innocentiæ, non exigeret efficaciam ipsi convenientem ab intrinseco, & ex sua tendentia; quia in illo statu nulla erat difficultas in perseverando; sed hæc ratio est inefficax: ergò. Prob. min. Dùm dicitur perseverantiā in Adamo non fore difficilem; vel excluditur difficultas etiam obiectiva, desumpta ex magnitudine perfectionis illius; vel solum excluditur difficultas proveniens ex corruptione appetitus, sive ex aliqua inclinatione ad oppositum? 1. nequit dici; 2. non probat talem volitionem non indigere efficacia sibi intrinseca: ergò. 1. pars minoris est certa; aliàs non fuisset in Adamo virtus perseverantiæ, cuius oppositum docet D. Tho. 1. p. q. 95. ar. 3. ad 4. Siquidem virtutes infusæ ad hoc ponuntur, ut tollatur indifferentia, insufficientia, & difficultas obiectiva ex perfectione obiecti desumpta. Quòad 2. vero prob. Nàm in Christo Domino, & in Beatissima Virgine, nulla erat difficultas orta ex aliquo impellenti ad malum, ut se exercerent per actus virtutum: & tamen volitio intrinsecè inefficax non erat sufficiens imperare efficaciter exercitium aliarum virtutum: ergò. Hæc probatio desumpta est ex D. Tho. 1. p. q. 62. ar. 2. in solut. ad 2. ubi distinguit duplicem difficultatem ad operandum bonum supernaturale, scilicèt, obiectivam, propter excessum obiecti; vel subiectivam; propter aliquod impedimentum ex infectione peccati. Subditque Angelos eguisse auxilio gratiæ, ut converterentur in Deum propter 1. difficultatem, licet in eis non fuerit 2. Quæ doctrina accomodari potest ad difficultatem obiectivam convenientem Adamo, tàm in ordine ad perseve-

Tertia prob.

ran-

rantiam ipsam, quam ad actus, quibus perseveraret; ut ex illa probetur volitionem requisitam ad re ipsa perseverandum, forè ab intrinseco, & ex specie sua efficacem, & robustam, utpotè vincentem plures difficultates obiectivas retardantes voluntatem quòad exercitium à diuturnitate rectè operandi.

24 Denique probatur ratione meo videri satis efficaci. Perseverantia in Adamo adstruenda est dependens ab illa volitione, quæ magis congruit perfectioni, tùm ipsius volitionis; tùm status innocentiæ; sed huiusmodi volitio est ab intrinseco fortis, & efficax: ergò. Prob. min. Quòad 1. partem. Volitio illa titulo suæ perfectionis esset actus proprius elicitus à virtute perseverantiæ, quæ extitit in Adamo iuxta D. Tho. 1.p.q.95. ar.3. ad4.& hic a.10.quæ quidē virtus iuxta eundem S. D. 2.2.q.137. ar. 2. habet pro actu proprio propositum firmum perseverandi in exercitio virtutum propter honestatem talis continuationis. Sed hoc ipso talis volitio esset ab intrinseco efficax: ergò. Prob. min. 1. Actus proprius, & principalis cuiuslibet virtutis infusæ petit esse intrinsecè efficax circa suum obiectum; tùm quia ad actus intrinsece imperfectos, & inefficaces, non requiruntur per se virtutes infusæ (immò nec virtutes acquisitæ dantur pro huiusmodi affectibus) ut videre est in virtute charitatis, spei, fidei &c. 2. & à priori. Nàm virtus est dispositio perfecti ad optimum, optimum autem virtutis absdubiò est affectus intrinsece, & simpliciter efficax circa proprium obiectum. 3. quia actus proprius virtutis perseverantiæ in Adamo (sicuti, & cuiusvis alterius virtis) haberet intrinsecè in actu 2. id, quod habet virtus in actu 1. cum sit actualis expressio, & participatio perfectionis virtutis. Sed virtus perseverantiæ etiam in Adamo fuit inclinatio permanens, & intrinsecè in actu 1. firmans, sive immobilitans eius voluntatem, ad perseverandum in bono: ergò volitio, quæ esset actus proprius elicitus à tali virtute, esset tendentia efficax intrinsece, & ex specie sua firmans voluntatem ad perseverandum in bono. Denique. Quia valdè mirum esset, ut actus proprij aliarū virtutum supernaturalium in Adamo innocenti essent affectus simpliciter, & intrinsece efficaces; & hac perfectione careret actus proprius virtutis perseverantiæ, scilicet, velle permanere in bono.

Ultima ratio.

Prob. minor. 1. quòad 1. part.

Secundo.

Quòad 2. vero prob. 1. Nàm operari actum de se inefficacem, & (ut ita dicam) ex se debilē nō congruit naturæ perfectæ, sanæ, & fortissimę, qualis erat natura innocens Adami, cum unaquæque res talem actionem producat, qualis ipsa est: ergò volitio perseverandi de se inefficax, & in connexa &c. 2. Nàm status innocentiæ titulo suæ perfectionis exigeret, ut usus aliarum virtutum esset intensus, & magnæ efficaciæ: ergò idem dicendum de usu virtutis perseverantiæ. 3. Nàm, ex quo pro statu innocentiæ nulla esset difficultas proveniens ex interiori pugna, tùm ad actum virtutis perseverantiæ, tùm ad actus aliarum virtutum, potius suadet volitionem perseverandi debere esse intrinsece valdè efficacem, & robustā. Ratio est: 1. Nàm facilitas operandi in potentia sufficienti per virtutem in gradu perfectissimo; qualiter fuerunt virtutes Adami innocentis ad actus perfectos, & ab intrinseco efficaces; de se suadet existentiam talis affectus, nisi ob libertatem agentis pro suo libito, ut contingit in Deo, & Christo Domino. 2. Nàm videmus quod in Angelis, ubi nulla erat difficultas ad actus virtutum ex interiori pugna proveniens, usus illarum fuit secundum omnem conatum, & efficaciam: ergò ponere perseverantiam Adami fuisse dependentem à volitione de se debili, & inefficaci etiam quòad sufficientiam, nec congruit illius perfectioni, nec dignitati status innocētiæ quòad modū operandi. Doctrina huius probationis deducitur ex S.D. in 2.d.29.&1.p.q.95. ar.4. dicenti: *Opera hominis fore efficaciora ad merendum in statu innocentiæ, quam post peccatum; tum ex parte gratiæ, quæ tùnc copiosior fuisset; tùm ex quantitate absoluta operis, eo quod cum homo esset maioris virtutis, maiora opera fecisset.* Quæ doctrina appli-

25 Secunda pars prę.

Secundo.

Roborantur dicta ex S. D.

ca-

cata volitioni perseverandi, quæ tùnc foret meritoria, & à virtute perseverantiæ procedens, efficaciter suadet illam fore intrinsecè robustam, fortem, & efficacem. Deducitur etiã ex eodem S. D. 1. p. q. 62. ar. 6. ubi docet dona gratiæ fuisse communicata Angelis secundum quantitatem bonorum naturalium; ita ut, qui ordine naturæ fuerunt perfectiores, consequuti sunt dona maiora gratiæ, tàm intellectus, quàm voluntatis. Quod probat 1. *Nàm sicut artifex hoc ipso, quod aliquos lapides polit, & decentius aptat, ad nobiliorem partem domus illos ordinat; ita Deus, qui maiori pulchritudine ornavit aliquos Angelos, illos videtur ordinasse ad maiorem gloriam, & gratiam.* 2. *Nàm Angelus non est compositus ex diversis naturis, ut inclinatio unius impetum alterius retardet, aut impediat, sicut in homine. Quando autem non est aliquid, quod retardet, aut impediat; natura in id secundùm totam suam virtutem movetur: & ideo rationabile est, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, fortius, & efficacius in Deum conversi sunt, proindeque habuerunt plus de gratia, & gloria.*

Nota ex S. D.

26 Ex quibus apparet, quod per se loquendo, & attenta suavitate divinæ providentiæ circa statum innocentiæ, perseverantia Adami fuit dependens à volitione intrinsecè efficaci. Tùm quia talis volitio esset actus proprius elicitus à virtute infusa perseverantiæ. Tùm quia cum in Adamo innocenti nihil esset retardans, aut impediens volitionem perseverandi; sicuti nec actus aliarum virtutum; semel, atque eliceret prædictam volitionem, illam produceret intensam, & absolutè efficacem iuxta immediatè dicta à D. Tho. Tùm quia se exercere per volitionem de se inefficacem, & quasi debilem non congruit naturæ forti, & perfectè sanæ, qualis erat natura Adami. Tùm quia per se loquendo, omnis electio efficax circa media ad finem petit procedere ex intentione intrinsecè efficaci eiusdem finis, estò nulla sit difficultas ad eius consecutionem ex interiori pugna proveniens: si ergò actus aliarum virtutum, quibus consequeretur perseverare in bono, essent intrinsecè efficaces, ut est certum; idem à fortiori dicendum de volitione intentiva perseverandi. Hoc enim modo solidè procedituri; quia iuxta naturas rerum, & suavitatem divinæ providentiæ.

Dicta quasi in compendio traduntur.

27 Hinc colliges, quod si Adamus perseveràsset, hoc haberet à Deo præbendo ei vires efficaces, & intrinsecè fortes, ut perseveraret, scilicet volitionem de se plenè firmantem, & irresistibiliter ex natura rei determinantem ad actus, quibus perseveraret. Cum hoc tamen subsistit discrimen inter talẽ volitionem, & illam, quæ requiritur ad perseverandum post lapsum. Nàm efficacia, & robur requisitum post lapsum, debet esse tale, ut possit superare difficultates nedum provenientes ex diuturnitate rectæ operationis in natura mutabili, sed etiam difficultates provenientes ex continua pugna appetitus adversus rationem; proindeque volitio imperans perseverantiam post lapsum, debet esse efficacissima. Hic autem excessus efficaciæ non tollit, etiam in statu innocentiæ requiri volitionem intrinsecè robustã, & expecie efficacẽ propter motiva adducta. Quemadmodum, quod requiratur charitas perfectissima, & robustissima ad perseverandum per continuam victoriam concupiscentiæ, & etiam sustinendo immania tormenta; non tollit, quod perseverantes absque tanto strepitu tentationum, & quasi placidè finientes vitam, non indigeant amore efficaci Dei ad perseverandum. Undè subsistit planum discrimen prò gratia ad perseverandum in utroque statu: Nàm ubi est *magna, & efficax gratia, relinquitur locus maiori, maximæ, & efficacissimæ.*

Illatio.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

28 OBijcies 1. Ex M. P. de correct. & gratia cap. 11. ubi sæpè repetit hoc assertum: *Adamus potuit perseverare, si vellet.* Item: *acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle, quod posset; perseveraret namque, si ha-*

Arguit. 1.

habuiſſet. Sed ly *velle* non ſignificat *velle* determinatum, & ab intrinſeco efficax: ergò quia ſentit *quodcumque velle* forè ſufficiens ad perſeverandum. Confirm. 1. Quia poſt lapſum requiritur ad perſeverandum velle efficax, & robuſtum; ſemper, atque M. P. loquitur de tali velle affirmat illud debere eſſe *robuſtiſsimum*, & *efficaciſsimum*. De quo plura dub. antec. Ex quibus colligitur 1. Quod M. P. ſentiebat ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ ſufficere quodcumque velle, propter diſcrimen inter perſeverantiam in illo ſtatu, & in ſtatu lapſus. 2. quod motivum, propter quod poſt lapſum requiritur volitio efficax, & robuſta, eſt infirmitas voluntatis ex peccato originali derelicta; cumque hæc minimè eſſet pro ſtatu innocentiæ; dicendum quodcumque velle fore in illo ſufficiens ad perſeverandum. Confirm. 2. Adamus ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ non indigebat illo adiutorio *quo*, ſive gratia, qua modo indigent iuſti ad perſeverandum; ſed iuſti ad perſeverandum indigent volitione efficaciſsima, & robuſta: ergò tali volitione non indigebat Adamus. Mai. eſt M. P. de correct. cap. 11. per hæc verba: *Ille* (ſcilicèt Adamus) *non opus habeat illo adiutorio, quod modo implorant ſancti &c.* Min. etiam eſt expreſſa in eodem M. P. ubi ſup. & lib. de gratia, & lib. arb. cap. 16. & 17. dicenti: *Ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo, faciamus.* Qui ergò *vult facere Dei mandatum, & non poteſt, iàm habet voluntatem bonam, ſed parvam, & invalidam, poterit autem, cum magnam habuerit, & robuſtam.* 3. iuxta M.P. cap. 11. de correct. *Iuſti ad perſeverandum indigent potentiori gratia, etſi non lætiori, qua indigebat Adamus.* Sed ſi iſte indigeret gratia operanti in ipſo velle efficax, intenſum, & robuſtum, tale diſcrimen non ſubſiſteret; cum in utroque ſtatu gratia, & volitio requiſita ad perſeverandum eſſet æquè potens, ſcilicèt volitio ardens, magna, & robuſta: ergò, ut Adamus innocens perſeveraret, ſufficiens erat quodcumque velle.

Confirm. 1.

Vide S. Proſp. lib 2. de vit. cont. c. 2.

Secundo.

Tertio.

29 Reſp. Hanc conſequentiam eſſe inefficacem. Adamus poterat perſeverare, ſi vellet: ergò per quodcumque velle imperaret infallibiliter in illo perſeverantiam. Aſſumpt. prob. Pluribus exemplis. Nàm de Deo affirmatur quod poſt ſalvare omnes homines dæmones convertere, & his ſimilia; ſi velit, iuxta illud: *ſubeſt tibi cum volueris poſſe*; & illud: *non eſt, qui poſsit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreverit ſalvare Iſrael.* Similiter de Chriſto Domino dictum eſt *potuiſſe mundare lepram, ſi vellet: poſſeque non mori, ſi vellet, & poſſe ſalvare quemcumque ſi vellet.* Nec dubitare licet omnia recenſita eſſe Deo, Chriſtoque Domino faciliora, quam fuit facilè Adamo perſeverare in bono. Et tamen ex prædictis locutionibus non licet inferre pro ſalute omnium hominum, pro creatione alterius mundi, pro converſione dæmonum, pro mundatione lepræ, pro liberatione Chriſti de manibus Iudæorum &c. non requiri volitionem intrinſece efficacem, ſed ſufficere, quodcumque velle, ut eſt omnino certum. Rurſus: Nàm iuxta M. P. in Enchirid. cap. 3. *Nec iniuſte Deus vult omnes homines ſalvos fieri, cum poſsint ſalvari, ſi velint.* Et iuxta Concil. Arauſic. cap. 25. *Omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, poſſunt, & debent adimplere quæ ad ſalutem pertinent, ſi fideliter laborare voluerit.* Et tamen ex his inferre non licet, pro ſalute conſequenda ſufficere in nobis quodcumque velle.

Solutio.

Sap. 12. Eſther. 13.

Quapropter dicendum ſenſum M. P. eſſe explicare Adamum habuiſſe potentiam proximam, & valdè expeditam, tàm phyſicè, quàm moraliter ad perſeverandum in bono; quæ quidem; quia poſt lapſum etiam in iuſtificatis ſimili expeditione non gaudet, ob infirmitatem ex peccato originali contractam, ideò frequenter ponit M. P. ad perſeverandum poſt lapſum Adæ requiri voluntatem *efficaciſsimam vincentem omnem difficultatem, tàm obiectivam, quàm internam ex concupiſcentia carnis provenientem.* Undè in tali modo loquendi duo dogmata tradit M. P. ſcilicèt: *Innocentiam, & integritatem naturæ humanæ, quam habuit in Adamo ante peccatū*; & ſimul oſtendere exiſtentiam peccati origi-

30

nalis, & infirmitatem arbitrij tot tentationibus involuti, quibus impeditur ad perseverandum in bono. Nec obstat, quod M. P. nunquam dixit Adamum potuisse perseverare, *si vellet, volitione ardenti, & intrinsece efficaci.* Non, inquam, obstat 1. quia hoc argumentum est negativum. 2. quia velle perseverare absolutè, & sine addito prolatū, stat pro volitione efficaci, & absoluta; volitio enim de se antecedens, & inefficax, est secundum quid talis, & potius iuxta S.D. 1.p.q.19 a.6 dicenda est *velleitas, quā absoluta voluntas.* Et licet efficacissima nō sit per se requisita pro efficacia intrinseca volitionis imperantis perseverantiæ bene tamen pro excessu, & quantitate efficaciæ ob duplicem difficultatem; scilicet, diuturnitatem rectæ operationis in natura mutabili, & continuam pugnam.

Cuidam instant: occurr. 1.

Secundo.

31 3. quia M. P. exponendus est de volitione elicita à virtute perseverantiæ, infusa Adamo; hæc autem non datur per se 1. nisi ad actus perfectos, absolutè, & intrinsece efficaces, uti accidit in alijs virtutibus infusis, præsertim residentibus in voluntate, quatenus est irascibilis; sub qua consideratione ipsam perficit, & elevat virtus infusa perseverantiæ, teste D.Th. 2.2.q.135.ar.2. 4. quia exponi debet de volitione, quæ esset congrua, & decens statui innocentiæ, in quo voluntas erat fortis, & perfecte sana; volitio autem de se inefficax non congruit prædictæ integritati, & sanitati. 5. quia talis volitio ita firmaret, & determinaret irresistibiliter voluntatem ad perseverandum in bono, ut talis firmitas, & determinatio, esset à voluntate Adami volita, & ipsi per se voluntaria; quidquid autem convenit volitioni per tendentiam intrinsecam, & voluntarie, ei convenit ab intrinseco, & non purè ab extrinseco: ut communiter iudicatur à Theologis pro discrimine inter denominationes intrinsecas, & extrinsecas repertas in actu voluntatis. Per quæ constat ad 1.

Tertio.

Quarto.

Ad 2. Ad 2. confirm. admisso M. P. ibi loqui de adiutorio *quo*, sive gratia efficaci ad perseverandum (de quo alibi) Resp. explicando mai. Non opus habebat gratia efficaci absolutè, neg. mai. Gratia efficaci secundum eundem modum, vel eandem quantitatem, conc. mai. & dist. min. Indigent volitione intrinsece efficaci, utcumque, neg. min. Volitione efficaci in tanta quantitate, & excessu efficaciæ, conc. min. & neg. conseq. Inter volitiones enim ab intrinseco efficaces datur latitudo gradualis penes magis, & minus; quemadmodum similis latitudo invenitur inter difficultates retardantes consequutionem finis. Ex quo provenit multoties accidere, quod volitio aliqua sit efficax pro unius finis consequutione; non autem alterius. Undè volitio efficaciter imperans eleemosynam non sufficit imperare actum fortitudinis sustinendi iniuriam &c. nisi robustior, & validior fiat. Id ipsum accidit in Christo Domino, in quo ad sustinendam passionem fuit necessaria volitio intrinsece efficacior illa, qua alios actus imperavit.

Perseverantia, tàm post lapsum, quam ante illum affert secum difficultatem intrinsecam diù persistendi in operibus magnis, quod in natura mutabili difficile est: ideòque pro utroque statu necessaria est virtus perseverantiæ infusa firmans voluntatem in bono, ut vidimus ex D. Thom. 1.p. q.93. ar.3. ad 4. & 2.2.q.137. ar.4. ad 2. Deindè: in illo statu adesset difficultas obiecta orta ex gravitate tentationū per externam diaboli suggestionem retrahentium à perseverantia in bono, ad cuius continuam victoriam foret necess. specialis gratia. Ob has difficultates utrique statui communes, & propter arduitatem, & excellentiam actuum, qui etiam in statu innocentiæ imperarentur ex tali volitione; hæc foret ab intrinseco efficax, & ardenter procurativa perseverantiæ. Sed quia post lapsum superadduntur aliæ difficultates, uti sunt ignorantia, infirmitas, & continua pugna; vi cuius D. Paulus se hominem infelicem appellabat, & quasi captivum in lege peccati; ideò ad perseverandum diù in bono requiritur volitio efficacissima, & amor Dei valdè magnus, ut possit prævalere contra tot tentationes; proindeque relinquitur locus discrimini intento à M. P. Ad 3. constat ex dictis. Nàm volitio

32 Disparitas pro utroque statu.

ef-

efficax eo est potentior, quo efficacior: si ergò, ut vidimus stat, quod volitio imperans perseverantiam post lapsum sit efficacior, quam volitio, quæ imperaret perseverantiam ante lapsum, estò hæc esset etiam intrinsece efficax: ita similiter stabit requiri gratiam potentiorem post lapsum, quam ante ipsum: undè non esset gratia *æque potens* ad perseverandum.

33 Arguit. 2. Objicies 2. Ubi nulla est difficultas ad perseverandum, quodcumque velle est sufficiens perfectè imperare perseverantiam; sed iuxta M. P. de correct. cap. 12. *in Adamo innocenti nulla erat difficultas ad perseverandum*, sed potius magna facilitas: ergò. Mai. prob. difficultas operis faciendi propter finem, vincenda est per amorem finis: ergò ubi nulla est &c. Nec valet dicere in statu innocentiæ fore difficultatem, quasi obiectivam provenientem ex diuturnitate rectè operandi: licet non esset difficultas, quasi subiectiva proveniens ex rebellione appetitus ad rationem. Non valet 1. Nàm necessitas volitionis intrinsece efficacis, & robustæ, non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte subiecti, ut imperantis. Undè motio illius non est quòad specificationem, sed quòad exercitium iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. q. 9. ar. 1. ergò ob solam difficultatem obiectivam in actibus imperatis non requiritur volitio intrinsece efficax, & robusta. 2. Nàm non obstante hac difficultate Adamus iuxta M. P. *erat in magna facilitate non peccandi*; sed efficacia imperij datur ad vincendam difficultatem, quæ convenit, non obiectis, sed voluntati, vel potentiæ imperatæ: ergò.

Quædam solut. impugn. 1.

Secundo.

34 Prima solutio. Resp. 1. neg. mai. cuius falsitas constat in Deo summa, & infinita facilitate potenti facere quodcumque voluerit; idem in Christo Domino summa facilitate pollenti, ut omnes homines suis meritis salvaret, & similiter, ut evaderet passionem; ad quorum consequutionem non sufficiebat quodcumque velle, sed velle efficax, & absolutum. Ratio omnium est; Nàm sufficiens causa pro necessitate volitionis efficacis est, quod ex illa imperentur media efficaciter conducentia ad consequutionem finis; pro quo videantur Thom. probantes electionem meritorum efficaciter conducentium ad gloriam necessariò supponere in Deo intentionem efficacem eiusdem. Finis autem, quem respicit virtus perseverantiæ iuxta D. Thom. 2. 2. q. 137. ar. 1. ad 2. & 3. est, diù persistere usque ad finem in bono; hoc enim intendit virtus perseverantiæ, sicut finem specialem. Si ergò actus virtutum, quibus Adamus perseveraret efficaciter, conducerent ad ipsam perseverantiam, necesse erat, ut ex intentione intrinsece efficaci perseverandi imperarentur. Neque enim si ab Adamo quæreretur; cur eligeret elicientiam actuum virtutum, ut efficaciter conducentium ad perseverandum in bono, posset respondere, quia volo inefficaciter talem perseverantiam, ut est certum. Ut ergò talis electio efficax, qua talis, non sit præter intentionem, necesse est imperari ex volitione intrinsece efficaci.

35 Secunda. Resp. 2. neg. min. propter exclusionem omnis difficultatis in Adamo innocenti ad perseverandum. Ratio est 1. Nàm iuxta D. Tho. ubi supr. *Ubi occurrit specialis ratio difficultatis, vel boni, ibi est specialis virtus; opus autem virtutis potest habere bonitatem, & difficultatem, tùm ex ipsa specie actus; tùm ex ipsa diuturnitate operis. Nàm diù insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet; & ideo diù persistere in bono, pertinet ad virtutem specialem, quæ dicitur perseverantia.* Atqui iuxta eundem S. D. 1. p. q. 95. ar. 3. ad 4. & in præsenti ar. 4. ad 2. in Adamo fuit virtus infusa perseverantiæ: igitur innegabile videtur iuxta doctrinam D. Thom. adfuisse in Adamo innocenti aliquam difficultatem ad perseverandum vincendam per virtutem perseverantiæ inclinative, & per modum principij; completè tamen per modum actualis imperij propriam volitionem ab ea elicitive provenientem. 2. Nàm illa verba D. Thom. *diù persistere in magnis operibus difficile est*, etiam habent locum in Adamo innocenti propter vertibilitatem liberi arbitrij; cum transcendat eius exigentiam. Undè S. D. ubi supra ar. 4. & 3. contr. gent. cap.

155. probat à priori hominem ad perseverandum indigere auxilio gratiæ ex vertibilitate liberi arbitrij, nullo assignato discrimine quantum ad hoc inter statum lapsus, & innocentiæ.

36 4. Nàm actus dilectionis Dei, spei, fidei, & alij sunt de se ardui, & difficiles: ergò illorum diuturna repetitio esset absdubiò voluntati Adami magis difficilis; cum esset collectio cõtinens in se plures difficultates, & superabiles à volitione imperanti tales actus. 3. Nàm ubi nulla est prorsus difficultas, nullum est certamen, & ubi non est certamen, non est corona; non ergò adeò excludenda est omnis difficultas ab Adamo innocenti; nè pariter excludatur ab illo meritum gloriæ, ut coronæ, ratione perseverantiæ in bono. Quæ omnia complexus est D. Thom. in 2. dist. 2. q. 1. a. 4. in corp. dicens: *Opera hominis in 1. statu erant simpliciter magis efficacia ad merendum, quam post, quamvis maiori difficultate operetur homo post peccatum, quam ante.* Et in solut. ad 2. *Homo in 1. statu non habuit certamen interiùs, habuit tamen exteriùs: unde & victoriam habere potuit, qua coronam mereretur; nec tamen est de necessitate meriti certamen contra aliquem impugnantem, sed certamen, quo quis contendit apprehendere, quod supra se est, in quo aliquis suis viribus luctatur.*

Tertio.

Nota 1y maiori.

37 Ad 1. Ad 1. impugn. Resp. Omnem difficultatem obiectivam provenientem ex magnitudine operis, vel ex diuturnitate insistendi operibus magnis, refundere difficultatem etiam subiectivam in voluntate, quatenùs per intellectum ipsi proponitur, ut aliqualiter retrahens voluntatem. Unde nomine difficultatis subiectivæ pronùnc intelligimus, iuxta doctrinam D. Thom. illam, quæ provenit ex aliqua interiori pugna, sive inclinatione permanenti ad malum; quæ quidem, etsi sit in nobis post lapsum, nõ tamen fuit in Adamo. Ad 2. Resp. Explic. M. P. fuit in magna facilitate per exclusionem omnis difficultatis provenientis ex magnitudine perfectionis consistentis in diuturnitate rectè operãdi, attẽta mutabilitate liberi arbitrij, neg. mai. Per exclusionem difficultatis provenientis ex corruptione appetitus, & interiori pugna, conc. mai. Per hoc enim salvatur discrimen intentum à M. P. inter statum innocentiæ, & lapsus. Nec enim illa fœlicitas, & pax, qua fruebatur Adamus innocens, aliud probat prætet dicta. Nàm *pax* dicitur per concordiam appetitus ad rationem, & per remotionem omnis perturbationis internæ inclinantis ad malum. Hinc illa difficultas à nobis dicta est obiectiva; non quia solum sit in ipsis obiectis, sed quia, etsi conveniat voluntati; hæc tamen originem trahit ex magnitudine obiecti, respectivè ad voluntatem mutabilem de bono in malum. Videatur D. Th. 1. p. q. 62. a. 2. Et Ill. Godoy tom. 2. in 3. p. disp. 24. §. 2 ubi solvit argum. AA. impugnantium in Christo Dño. virtutes morales acquisitas, quia in eo nulla erat difficultas.

Ad 2.

38 Obijc. 3. Velle imperans perfectè actualem perseverantiam connectitur infallibiliter cum illa. Sed huiusmodi esset quodcumque velle in Adamo innocenti: ergò. Min. prob. ex M. P. & S. D. supra relatis, docentibus, *causam, cùr voluntas non impetrat perfectè sibi, aut alijs potentijs, esse ægritudinem animi*: ergò cum in statu innocentiæ nulla esset ægritudo &c. Hoc argum. meo videri, probat oppositum, quod intendit, scil. volitionem imperantem in Adamo perseverantiam esse intrinsecè efficacem, & robustam, etsi non adeò efficacem; uti requiritur post lapsum. Ratio est. Nàm volitio *plenè*, & *perfectè* imperans; est volitio, per quam voluntas *plenè*, *perfectè*, & *ex toto* vult existentiam rei imperatę; non enim imperat nisi volendo; sed volitio, quæ est huiusmodi, est intrinsecè, & ex sua tendentia efficax; ut videtur innegabile: neque enim voluntas inefficaciter amans aliquod bonum, potest dici illud velle *plenè*, *perfectè*, & *ex toto*) hoc est exercendo omnem eius activitatem, & vires efficaces) ergò dicere volitionem perseverandi in Adamo fore perfectum imperium perseverantiæ, & aliunde intrinsecè inefficacem, est implicans complicans.

Arg. 3.

Retorq.

39 Nec valet dicere, talem volitionem, etsi intrinsecè inefficacem, fore perfectè, & ex toto imperantem per-

Quædam Resp. impug. 1.

ſeverantiam propter connexionem cum illa ratione ſtatus. Non inquam valet. 1. Quia, ut dictum eſt, talis volitio eatenùs imperat, quatenùs ratione illius voluntas vult, & affectivè tendit in rem imperatam: ſi ergò ex vi illius res imperata non eſt *plenè*, & *ex toto* volita, nequit ab illa perfectè

Secundo. imperari. 2. Nàm volitio imperans dividitur intraneè per rationem volitionis *perfectè*, & *imperfectè* imperantis: ergò *perfectè* imperare eſt differentia intra rationem tendentiæ affectivæ, & vitalis circa bonum: ergò quod ratione alicuius extrinſeci ipſi; qualis eſt ſtatus innocentiæ; connecteretur cum perſeverantia, non ob hoc diceretur perfectè imperans. Hinc Deus conferens auxilium prævisſum efficax ex intentione purè inefficaci conſenſus, non dicitur iuxta AA. Societ. (& meritò quidem) *affectivè perfectè*, & *ex toto* volens exiſtentiam conſenſus, non obſtante connexione infallibili cum illo ratione ſcientiæ mediæ.

40 3. Nàm etiam poteſt dici: *In Adamo amorem ſtrictè dictum perſeverantiæ fore efficacitèr inductivum, & imperativum illius*; ſimilitèrque, *amo-*

Tertio. *rem reflexum inefficacem dilectionis Dei poſſe imperare perfectè, & infallibilitèr dilectionem efficacem Dei ſuper omnia.* Sequela conſtat ex identitate motivi in utroque caſu. Quæ omnia, ſi concedantur, ſine fundamento ſolido dicentur. Unde directè Reſp. concedendo.

Solut 2. ad arg. Ideò rem imperatam in nobis non ſequi ad quodcumque velle, quia multotiès eſt inefficax, & non ex toto volens rem imperatam; ideò autem volitio eſt inefficax, & non ex toto volens; quia voluntas fluctuat inter affectus contrarios tractata à diverſis motivis. Sed ex hoc nō ſequitur, quod in Adamo innocēti omnis volitio eſſet connexa cum perſeverantia, niſi aliàs probetur eſſe intrinſecè efficacē, ſeu ex toto volentē. Igitur doctrina M. P. exponenda eſt de volitione ineffacitèr imperanti, & aliàs volenti imperare efficacitèr, quod tamen exequi non poteſt, propter aliqua impedimenta; in hoc enim caſu voluntas laborat animi ægritudine. Ita D. Th. q. 24. de Ver. a. 10. ad 15. exponens M. P. per hæc verba: *Voluntas quoddammodo non ſibi perfectè obedit, in quantùm ſcilicèt aliquis imperfectè, & inefficacitèr vult, quod vellet ſe perfectè, & efficacitèr velle, ut Auguſtinus dicit.* Ferè in eodem ſenſu exponit illud Pauli ad Rom. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem non invenio*; ut explicet infirmitatem liberi arbitrij poſt peccatum, ſignificatam in ly *adiacet*, hoc eſt, *iuxta me iacet infirmum, niſi gratia tribuat efficaciam ad perficiendum.* Quapropter ex hac doctrina ſolum deducitur in Adamo nullam fore volitionem inefficacem, & inconnexam cum perſeverantia, propter aliquam difficultatem in perſeverando ab ipſo ferè inſuperabilem; ſecùs autem ob libertatem ſui potentis hoc, vel illo modo velle perſeverare. *Et hæc de hoc dub. applicand. | omnib. diſtinct. ſup. citatis.*

DU-

DUBIUM XVIII.
PROBLEMAT. EXAGITAT. QVALITER SIT VERVM ADAmum non eguisse illo adiutorio, quod modo implorant Sancti?

§. I.

PRÆMITTUNTUR ALIQVA, ET RATIO DUBITANDI proponitur.

N. 1 MAg. Par. lib. de correct. & grat. cap. 10. postquam dixit: *Adamum habuisse adiutorium gratiæ, per quod posset permanere in bono, si voluisset; sed quia noluit perseverare, & per liberum arbitrium Deum deseruit, iustum iudicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhùc posita, tota cum illo peccaverat, damnaretur.* Cap. 11. sic interrogat: *Quid ergò, Adam non habuit Dei gratiam?* in qua interrogatione tacitam obiectionem sibi opponit, quasi contra seipsum sic arguēs. Si Adam accepit à Deo, ut posset perseverare, si vellet, non tamen habuit à Deo velle, & perseverare: Nàm si habuisset, utiq; perseverasset: videtur Adamum non habuisse gratiam Dei. Huic obiectioni Resp. *Imò vero habuit magnam gratiam; sed disparem, à gratia scil. data post lapsum.* Quam disparitatē per quatuor capita iuxta illius doctrinam possumus describere. 1. discrimen erat, quod Adamus erat in bonis; ita ut nullum prorsùs pateretur malum; SS. verò in hac vita sunt in malo concupiscentiæ, seu fomitis peccati; propter quod clamant ad Deum: *Libera nos à malo.* Quæ differentia ab alijs sic explic. dicendo gratiam collatam Adamo fuisse *gratiam sanitatis*; gratiā verò post lapsum illius posteris infusam, esse *gratiam sanantem* infirmitatem naturæ ex peccato Adami contractam.

Primo. Notandū.

Varia discrim. inter utrūque statū. Primum.

2. discrimen est; quod Adamus ad illa bona gratię habenda morte Christi non eguit; at vero, ut homines post lapsum illius dona gratiæ consequantur indigent passione Christi: cuius sanguis à reatu proprio, & hęreditario eos absolvit. Licet enim plures Theologi tueantur gratiam collatam Adamo innocenti, & etiam Angelis, fuisse ex meritis Christi; non tamen ex meritis illius, ut Medici, & Redemptoris, sicuti est gratia, quæ confertur hominibus post lapsum Adami: qua ratione hæc dicitur gratia medicinalis, & redemptiva: ideòque meritò dicitur homines eguisse gratia Christi per suum sanguinem eos à reatu absolventis, ut per ly *eguisse* denotetur necessitas ex infirmitate, & peccato proveniens; quæ necessitas nō extitit in Adamo, aut in Angelis. 3. discrimen est, quod Adamus nō indigebat illo adiutorio, quod implorant SS. cum dicūt; *video aliam legem in membris meis &c. ideòque pugnandi, vincendique, virtutem sibi dari per Christi gratiam poscunt.* Adamus vero, cū nulla rixa à seipso adversus seipsum tentaretur; sua secum pace fruebatur. 4. discrimen assignatur à M. P. sic inferente: *Proindè, etsi non interim lætiori nùnc, verumtamen potentiori gratia indigent isti,* quasi diceret: *illa gratia est lætior, ubi nulla tentatio, & pugna; illa vero potentior, quæ præstat virtutem*

2

Secundū.

Tertium.

Quartum

pugnandi, atque vincendi concupiſcentiam carnis; ſed gratia ſtatus innocentiæ fuit 1.generis;2.vero gratia collata SS.poſt lapſum Adæ: ergo &c.

3 Hinc iam pulſat animum ſcire(alijs relictis)de quo adiutorio loquatur M. P.in 3.diſcrimine ab ipſo ſtatuto per illa verba: *Ille non opus habebat illo adiutorio,quod implorant Sancti*; dùm dicunt: *Video &c.* An, ſcil. loquatur de adiutorio ſine *quo*, vel de adiutorio *quo*? Quodcumque enim dicatur,apparet difficile.Si enim dicitur M.P.loqui de adiutorio ſine *quo*, hoc eſt, danti ſufficientiam ad perſeverandum.Contra eſt:Nàm loquitur de illo adiutorio, quod modo implorant SS. ut perſeverent;ſed huiuſmodi adiutorium nequit eſſe poteſtas ad perſeverandum, cum SS.regenerati in filios Dei habeant auxilia gratiæ ſufficientis ad perſeverandum; alioquin non peccarent in non perſeverando; ergò. Si autem dicatur M.P.loqui de adiutorio *quo* Contr.eſt: Nàm Adamus,ut perſeveraret in ſtatu innocentiæ, opus habebat adiutorio *quo*, & per quod Deus donaret ipſi perſeverantiam in bono; ut conſtat ex pluribus teſtim.eiuſdem M.P.dub. 16. relatis.Rursùs:Nàm Adamus,ut perſeveraret,opus habebat Dei operatione cauſante in ipſo perſeverantiam in bono;non enim haberet illam à ſeipſo,ſed à Deo,qui operatur omnia(præſertim bona ſalutaria)in omnibus. Sed operatio Dei cauſantis perſeverantiã in bono eſt adiutorium *quo* ad perſeverandum;cum per illam efficiatur infallibiliter,ut aliquis perſeveret: ergò in prædictis verbis non loquitur M. P. de adiutorio *quo*. En rationem dubitandi pro utraque parte:pro cuius deciſione varij ſunt modi dicendi, ut infra conſtabit.

Ratio dubit. pro utraque parte.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Quamvis ſit probabile M. P. tantum loqui de adiutorio quo,*eſt etiam probabile loqui de adiutorio ſine* quo.

4 PRima pars conſtat ex eo,quod tenetur expreſsè à pluribus graviſſimis AA.ſcil.M.Gonet de volun.diſp. 5.a.7.& de neceſ.grat.diſp.1.a.8. §.6. Contenſ.lib.de grat.differ.1.cap.2.M. Ferre to.3.in 1.2.q.9.§. 8.prop. fin. P. Ripal.to.2.diſp.111.n.49. aſſerentibus M.P.in teſtim.relato loqui de auxilio efficaci donanti velle perſeverare, & ipſam actualem perſeverantiã. M.Serna dub.10.de neceſ.grat.Prob. ex eo, quod Apoſt.non dixit,*quis mibi tribuet poſſe ut liberer;ſed quis me liberabit.* Et quamvis ſimili entitative auxilio opus habuerit Adamus ad perſeverandũ in ſtatu innocentiæ,nõ tamen quo ad effectum,ut per illud vinceret concupiſcentiam carnis adverſus ſpiritum,quę tùnc nullatenùs erat. Adiutorium autẽ,quod modo implorant SS. dùm dicunt:*Video aliam legem &c.* eſt adiutorium donans prædictam victoriam. Quapropter propoſitio M.P.non negat abſolutè Adamũ eguiſſe adiutorio *quo* ad perſeverandum;ſed cum aliqua reſtrictione,ſcil. ſecũdùm illum modum, & ad finem, ad quẽ modo poſt lapſum indigent SS. Sic enim ſubliſtit diſcrimen inter ſtatum naturę innocentis,& lapſæ, etiam quo ad indigentiã gratiæ efficacis in ordine ad perſeverandum. Hanc interpret: aliquotiès in præced: tradidimus, cuius probabilitas ex author. DD.eam tradentiũ ſatis conſtat.

Prob. 1. pars 1.

5 2.vero pars traditur ab Ill.Godoy 1.2.diſp.47.§.3.n.12.M.Boliv. de neceſ.grat.dub ult.n.75.Ill.Caſtell to.de lib.arb.diſp.3.q.4.à n.1222. & tom.de leg.& grat.q.5.n.812.Prob.1.inſiſtendo verbis M.P.pro cuius elucidatione præſentem laborem ſuſcipimus) Nàm idipsũ probare alijs rationibus,aut inconvenientibus,eſt aliò divertere)Adiutorium præſtans pugnandi, vincendique virtutem contra concupiſcentiã carnis,eſt adiutorium *ſine quo*;cum adiutorium *quo*;ſive auxilium efficax,utpotè applicatio,&determinatio virtutis,non præſtet virtutem. Sed adiutorium,quod implorant SS.iuxta M.P.eſt huiuſmodi; ſic enim immediatè ſubdit:*Quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum,pugnandi, vincendique virtutem ſibi dari per Chriſti gratiam poſcunt*: ergò adiutorium, de quo loquitur Magn. Par. non eſt adiutorium *quo*, ſed *ſine quo*. 2. Gratia potentior, eſt gratia, quæ addendo novam poteſtatem,conſtituit maius poſſe; ſed iuxta M.P.adiutorium,quod implorant SS.& quo Adamus non eguit, eſt

Prob. pars.

Secundo.

est gratia potentior: ergò est gratia addens novam potestatem; proindèque, non est adiutorium *quo*, sed *sine quo*. Min. constat ex M.P. sic aiente: *proindè, etsi non interim latiore nùnc, potentiore tamen gratia indigent isti*, scil. SS. Mai. vero prob. Tùm quia omne comparativum supponit positivum; qui enim non est doctus, non est alio doctior. Tùm quia de voluntate prædeterminata ad velle falsò affirmatur iuxta Thomist. habere maiorem potestatem; aut virtutem ex vi prædetermin. ac dùm non est prædeterminata: ergò.

3. Et principalius. Gratia præbens maiorem libertatem ad salutariter agendum, & in bono perseverandum, est adiutorium *sine quo*; sed adiutoriū, quod implorant Sancti, & quo indigent ad salutariter operandum, & perseverandum in bono, est iuxta M. P. gratia præstans maiorem libertatem: ergò. Min. constat ex ipso P. ca. 12. ubi continuans eandem doctr. & discrimē, ait: *Maior quippè libertas est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradysso non fuerunt; dono perseverantiæ munita, atque firmata, ut cū omnibus terroribus, & vincatur hic mūdus.* Mai. etiam videtur certa. 1. Nam libertas est idem, ac potestas, sive facultas ad utrumlibet; proindèque maior libertas dicit necessariò maiorem potestatem, & facultatem ad utrumlibet. At qui gratia efficax non auget facultatem, sive potestatem ad utrumlibet; ut est certum: ergò. 2. Quod est adæquatè extra signum libertatis, nequit præstare maiorem libertatem; magis enim, & minus proveniunt ab eadem forma, ac provenit esse absolutè; cum sola diversitate modali in tali forma. Sed adiutorium *quo*, sive gratia efficax, est adæquatè extra signum libertatis: ergò. Dices: iuxta M.P. epist. 95. *Voluntas nostra eo liberior, quo sanior, & eo sanior, quo divinæ gratiæ subiectior.* Ex quo probant Thom. gratiam ab intrinseco efficacem: ergò ratio adducta nō probat. Resp. Maiorem libertatem ob subiectionem voluntatis ad gratiam quò ad usum actus probare talem gratiam; & de hac loquitur M.P.

7 Tertio.

4. Et confir. prob. immediatè posita. Gratia, quam implorant SS. ad perseverandum in bono, est gratia præstans eis maiorem libertatem adversus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradysso non fuerunt, ut vidimus ex M.P. Sed hoc ipso talis gratia iuxta eundem M.P. non est adiutorium *quo*, sed *sine quo*: ergò nomine adiutorij intelligit M.P. &c. Pr. min. Maior libertas ad perseverandum munita adiutorio *quo*, est libertas constituta per adiutorium *sine quo*; sed iuxta M.P. talis est libertas, quæ est necessaria Sanctis; cum sit libertas munita, iuxta Mag. Par. dono perseverantiæ, quod est adiutorium *quo*: ergò. Deniq. Nàm M.P. postquam dixit SS. indigere ad perseverandum gratia potentiori, qua Adamus non eguit, sic ait: *Et quæ potentior, quam Dei Unigenitus Filius æqualis Patri, & coæternus pro eis homo factus, & sine ullo peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus, qui mortuis præstitit vitam &c.* Ex quibus constat nomine gratiæ potentioris intelligi à M. P. gratiam, quam Christus omnibus hominibus promeruit. Sed hæc nequit restringi ad adiutorium *quo* perseveran. quod solum datur electis: ergò &c. Hæc in gratiam DD. excogitavi.

8 Quarto.

Ultimo.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Tale adiutorium, quod implorant Sancti, non præbet potestatem, aut sufficientiam physicam; sed tantum moralem, consistentem in motibus sanctæ illuminationis, & cœlestis delectationis.

HÆc conclusio procedit suppositā opinione, quam tuentur Ill. Godoy, Bolivar, & alij supra citati. Prob. 1. Sancti non indigent adiutorio præstante eis sufficientiam physicam ad perseverandum in bono; si per gratiam habitualem, virtutes, aliaque dona supernaturalia eis infusa, habent quidquid per modum principij physicè influentis, requiritur ad elicientiam actuum supernaturalium. Sed sic contingit in ipsis; cum gratia habitualis sit radix actuum supernaturalium; & virtutes infusæ, aliaque dona sint principia proxima elevantia, tàm intellectum, quàm voluntatem, eis præbendo continentiā physicam actuum supernaturalium:

9 Primo prob.

ergò adiutorium, quod implorant SS. non præbet ipsis sufficientiam physicam ad perseverandum in bono. 2. Gratia, quam implorant SS. ad perseverandum in bono, est gratia illuminationis, & affectionis; sed huiusmodi gratia non præbet sufficientiam physicam ad perseverandum in bono: ergò gratia, quam implorant SS. &c. Mai. const. ex M.P. lib. 2 de pecc. mer. c. 19. dicente: *Cum autem ad perficiendam iustitiam* (quod est idem ac perseverare in bono) *adiutorium Dei deprecamur; quid aliud petimus, quam ut appareat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat.* Ubi expressè gratia illuminationis, & cœlestis delectationis expressè continētur. *2. Gratia, quam implorant SS. ad perseverandum in bono, est illa, quam implorant, quia experiuntur in se magnam difficultatem ad resistendum concupiscentijs carnis; ut patet ex testim. à se adductis, scil. *Video aliam legem. Infœlix ego &c.* Sed huiusmodi gratia iuxta M.P. est gratia illuminationis, & cœlestis delectationis, ut patet ex ipso uoi sup. c. 17. dicenti: *Infirmitas, & ignorantia duo sunt vitia, quæ impediunt voluntatem ad faciendum bonum, vel ut abstineatur à malo;* siquidem ignorantia sanatur per gratiã illuminationis, infirmitas autem, & promitas ad malũ per cœlestes delectationes: ergò. Min. 1. syllogismi pluribus probatur tract. de grat. excit. ex frequenti Thomist. doct. quibus adhærēt P. Suarez, & alij AA. Societ. asserentes gratiam illuminationis, & affectionis in actibus vitalibus consistentem, solum influere moraliter, & per modum causæ finalis, aut si velis, causæ dispositivę in actus liberos supernaturales. Interim videantur M. Alvarez disp. 76. M. Lemos lib. 4. tract. 7 p. 2. à cap. 12. Et novissimè M. Manso tom. 2. q. 11. §. 3. qui etiam præfentem conclusionem tenet, & illustrat q. 12. §. 3.

Secundo.

* Sic A. relati.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

10 SEd contra hanc concluſ. etsi de se manifestam, militant aliqua difficilia. 1. est. Illud adiutorium implorant SS. ad perseverandum in bono, quo iuxta M.P. opus non habuit Adamus ad perseverandum in statu innocentiæ; sed Adamus ad perseverandum in statu innocentiæ opus habuit gratia sanctæ illuminationis, & cœlestis delectationis, ut pluribus rationibus probat Ill. Castell. tom. de leg. & grat. a n. 829. propter quæ motiva expressè retractat sententiam oppositam, quam olim tom. de lib. arb. tenuerat; (quem etiam sequitur novissimè M. Manso tom. 2. q. 12. §. 3. à n. 16. ubi plura addit satis ingeniosa, & ex M. P. solidè deducta:) ergò nomine adiutorij, quod implorant SS. nequit intelligi gratia sanctæ illuminationis, & cœlestis delectationis.

Arg. 1.

Huic instant. Resp. Ill. Castell. Adhuc subsistere discrimen intentum à M. P. Nàm etsi ad perseverandum in bono pro utroque statu requiratur ultra gratiam habitualem, & virtutes infusas; gratia subitæ illuminationis, & affectionis dans posse morale; attamen hæc post peccatum Adæ, etiam in iustificatis, debet esse vivacior, potentior, & robustior, quam in Adamo: plùs enim virtutis requiritur ad superandas tentationes adversus spiritum, quam requiratur, ubi nulla est tentatio, sed potiùs magna facilitas non peccandi. Constat hoc à simili in naturalibus: maior enim calor requiritur ad comburendum lignum humidum, quam siccum. Cum igitur Adamus innocēs iuxta M.P. esset in magna facilitate non peccandi; è contra vero Sancti post lapsum Adæ experiãtur in se plures difficultates ad perseverandum ex concupiscēria carnis adversus spiritum provenientes; clarè infertur, quod gratia subitę illuminationis, & affectionis, debet esse in his vivacior, potentior, & robustior, quam in Adamo innocenti. Unde illa propositio M.P. *Adamus non opus habebat illo adiutorio, quod implorant Sancti*, exponenda est de quantitate adiutorij penès vivacitatem, & intensionem, secundum gratiam illuminationis, & affectionis.

11 Solutio aliquorũ.

Sed hæc solutio, esto subtiliter exagitata, habet contra se 1. Nàm illa propositio negativa: *Adamus non opus habebat adiutorio, quod implorant Sancti*, utpotè absoluta; non solum negat intensionem in gratia illuminatio-

12 Impug. 1.

tionis, & affectionis, sed etiam absolutam existentiam in Adamo innocenti; ut de te videtur manifestum, & sequenti exemplo comprobatur: *Etsi enim ad comburendum lignum humidum requiratur intensior calor, quàm ad comburendum lignum siccum*; non tamen propter hoc erit verum dicere: *Ignis ad comburendam stupam non eget calore, quo eget ad combustionem ligni humidi*: ergò. 2. Nàm ex indigentia adiutorij, quod implorant SS. ad perseverandum, infert M. P. *eos, pugnandi, vincendique virtutem sibi dari per gratiam Christi, poscere.* Sed in his verbis non exprimitur mai. virtus, sed substantia virtutis: ergò si per tale adiutorium intelligitur gratia illuminationis, & affectionis; non intelligitur à M.P. purè excessus intensionis, & vivacitatis, quo excessu, iuxta solutionem, Adamus non eguit.

Secundo.

13 3. Nomine adiutorij, quod implorant Sancti, intelligit M. P. gratiam potentiorem, etsi non lætiorem. Sed talis gratia non denotat præcisè gratiam excitantem intensiorem illa, quæ fuit collata Adamo: ergò. Prob. min. Talis potentior gratia est iuxta M. P. gratia, quam Christus nobis meruit, & propter quam merendam factus est homo: sic enim habet: *Et quæ potentior gratia, quam Dei Unigenitus Filius pro nobis homo factus, qui mortuis præstitit vitam, ut redempti eius sanguine, tanto, ac tali pignore accepto dicerent; si Deus pro nobis &c.* Sed Christus Dominus sua morte non solum meruit nobis intensionem, & excessum virtutis ad perseverandum, sed ipsam substantiam, ut est certum: ergò nomine gratiæ potentioris, quam implorant Sancti, & qua Adamus opus non habuit, non intelligit M. P. gratiam illuminationis, & affectionis purè secundum vivacitatem, & excessum, sed secundùm esse absolutum illius.

Tertio.

14 4. & specialiter militant contra prædictam solutionem duæ ponderationes (ut videtur) probantes inconsequentiam doctrinæ alibi ab ipso traditæ. Etenim prædictas Author tom. de libero arbitr. disp. 2. q. 3. à num. 512. probat dari gratiam ab intrinseco efficacem ex illo Apost. *Infœlix ego homo, quis me liberabit &c.* sequenti discursu: *Qui sic clamabat, iàm habebat gratiam sufficientem ad non peccandum: nàm dicebat: Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem; cum ipsa delectatio boni non nisi gratiæ deputanda sit iuxta D. Aug. &, ut ait D. Prosp. vocati est sub gratia cõstituti*: ergò alterius gratiæ Dei poscebat auxilium, quod aliud esse nõ potest, nisi ab intrinseco efficax. *Nũc sic: Mag. P. in textu à nobis exponendo loquitur de illo adiutorio, quod implorant SS. dicendo: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? ut in ipso videre est.* Sed iuxta dicta immediatè ab Ill. Castell unicè continetur petitio gratiæ ab intrinseco efficacis supponentem omnem gratiam sufficientem expectantem ad signum libertatis: ergò inconsequẽtèr videtur asserere nomine adiutorij, quod implorant SS. & quo iuxta M. P. non eguit Adamus, intelligi gratiam illuminationis, & cœlestis delectationis. Deindè idem Ill. ubi sup. à n. 482. probat ex M. P. de correct. & grat. cap. 11. gratiam, quam modo Deus confert prædestinatis, ut perseverent, esse ab intrinseco efficacem, & distinctam ab adiutorio sine *quo*, ex eo, *quod iuxta eundem Par. Adiutorium sine quo est 1. gratia, quæ data est 1. Adam: sed hæc potentior est in 2. Adam. 1. est enim, qua fit, ut homo habeat iustitiam, si velit: 2. ergò plùs potest, qua etiam fit, ut velit*: ergò gratia ab intrinseco efficax est etiam iuxta Illust. gratia potentior: ergò ex quo adiutorium, quod implorant SS. & quo opus non habuit Adamus, sit gratia potentior, non infertur (si teneatur conseq. doctrinæ) illud esse adiutorium sine *quo*, sive gratiam illuminationis, & affectionis ad signum potestatis, vel libertatis, expectantem.

15 Omissa igitur hac solutione Resp. neg. min. Cuius falsitatem ex professò probabimus tract. de gratia excitant. Necessitas enim gratiæ excitantis cõsistentis in motibus imperfectis, tàm intellectus, quam voluntatis, solum innititur duplici principio; scil. in modo operandi ex parte nostra, vi cuius semper procedimus de imperfecto ad perfectum, tàm in ordine ad cognitionem, quàm in ordine ad amorem: & in infirmitate, & ignorantia, quæ in nobis relinquuntur ex peccato ori-

Aliter Resp.

ginali, vi quarum intellectus indiget illustrari à Deo specialiter, ut ad cognitionem perfectè proponentem, & directivam actuum salutarium, possit pervenire. Et similiter voluntas indiget priùs affici ad bona supernaturalia per spiritualem gustum, & ipsorum delectationem; ut eadem bona affectu libero absoluto, & efficaci prosequi valeat. Adamus in statu innocentiæ iuxta D. Thom. 1. p. q. 94. artic. 1. & 3. fuit plenè instructus scientia naturali, & supernaturali, tàm speculativa, quàm practica; fuitque iuxta eundem S. D. ibi q. 95. ar. 1. iustificatus in 1. instanti more adultorum per actus liberos fidei, spei, & dilectionis, & in quo nulla erat difficultas interna ad liberè agendum quodcumque opus bonum: quapropter indigentia talis gratiæ excitantis ab illo releganda est. Sic Eminent. Cayet. 1. 2. q. 104. a. 9. & Bellarm. relatus à P. Suarez lib. 3. de Aux. cap. 9. n. 5. M. Gonet. disp. 5. de Volunt. §. 6. in fine art. 7 & Alij.

16 Objc. 2. Homo iustificatus non indiget simpliciter gratia illuminationis, & affectionis, in motibus subitis consistente, ad perseverandum in bono: ita Mag. Bolivar dub. ultimo de necessit. gratiæ num. 70. ergò nomine adiutorij, quòd implorant Sancti, nequit intelligi &c. Urgetur hoc. Iuxta dicta in conclusione tale adiutorium non præbet vires physicas ad actus, quibus perseveratur in bono; sed tantùm vires morales minuendo difficultates concupiscentiæ, & ignorantiæ, quibus redditur voluntas prona ad malum; sed hæc omnia solum probant necessitatem secundùm quid, & ad melius: ergò solutio data non salvat discrimen intentum à M. P. Resp. Doctrinam M. Bolivar esse intelligendam de necessitate simpliciter omninò absoluta; secùs autem de necessitate simpliciter attenta suavitate divinæ providentiæ se accomodantis naturis rerum. Etsi enim Deus homini iustificato habenti virtutes infusas physicè effectivas actuum supernaturalium, nulla gratia subitæ illuminationis, & affectionis præcedenti, possit donare auxilium efficax ad elicientiam actuum, quibus perseveraret, in hoc tamen interveniret specialissima providentia Dei, & fortè miraculosa; utpotè omninò indebita naturæ impotenti moraliter, & summa difficultate ad perseverandum ratione corruptionis pollenti. Quapropter considerata hac infirmitate, nunquam Deus confert auxilium efficax ad diù perseverandum, nisi prævia gratia illuminationis, & affectionis, per quam nostra voluntas redditur prompta, & expedita ad perseverandum. Oratio autem, quæ fit à Sanctis regulanda est secundum id, quod suavitas, & regularitas divinæ providentiæ petit; & iuxta id, quod debetur naturis rerum; unde meritò tale adiutorium, ut necessarium ad pugnandum, & vincendum implorant Sancti. Per quæ constat ad urgentiam. Ut enim dicatur aliquid simpliciter necessarium sufficit, quod per se loquendo, & attenta dignitate, aut infirmitate naturæ sit necessarium: quapropter in habentibus usum liberi arbitrij necessarium est absolutè ad iustificationem; tùm motus fidei, tùm motus dilectionis &c. eo quòd iuxta D. Thom. 1. 2. q. 113. ar. 3. Deus omnia movet, & promovet ad fines proprios iuxta modum suum.

Arguit. 2.

Urgetur.

Solutio.

Ad urg.

17 Objc. 3. Si nomine adiutorij, quòd implorant Sancti, intelligitur gratia illuminationis, & affectionis; sequeretur, quòd ipsis esset impossibile, secundum præsentes vires, quas habent, perseverare in bono per diuturnam observationem mandatorum. At qui hoc nequit concedi. Tùm quia Deus iuxta fidem impossibilia non iubet; iubet autem non ponere obicem conservationi gratiæ. Tùm quia sequens propositio Jansenij: *Aliqua præcepta Dei hominibus iustis volentibus, & conantibus sunt impossibilia*; damnata est à Clemente X. Tùm quia iuxta Arausican. cap. 25. *Omnes baptizati, & in Christo regenerati, possunt ipso cooperante implere mandata, si fideliter laborare voluerint*: ergò. Sequela vero prob. Gratia illuminationis, & affectionis, est gratia præstans posse, & ad signum libertatis spectans: ideòque diximus esse adiutorium *sine quo* ad perseverandum: ergò si ultra gratiam iustificationis, hæc est necessaria, se-

Arguit 3.

sequitur &c. Urgetur. Talis gratia, aut omnibus iustis confertur, aut non? Si primum: ergò non indigent Sancti eam à Deo implorare. Si secundum: ergò homines iustificati non sunt liberi, nec habent sufficientiam gratiæ, ut possint diu perseverare in bono: quod videtur opponi dictis: & derogari perfectioni gratiæ habitualis, & aliorum donorum supernaturalium: cum non præbeant perfectam libertatem, & potestatem ad rectè operandum.

Urgetur.

18 Resp. Neg. sequel. Iusti enim in primis gaudent potestate, & sufficientia physica, ad perseverandum in bono ex vi auxiliorum communium intra ordinem gratiæ. Deindè gaudent etiam potestate, & sufficientia morali, ad observationem cuiuslvis præcepti divisive sumpti. Undè cum auxilijs generalibus solum gaudent im potentia morali ad diù perseverādum, &ad obseruanda omnia præcepta, tàm naturalia, quàm supernaturalia collective. Ex quo sequitur, quod observatio præceptorum Dei divisive, est possibilis, tàm physicè, quàm moraliter omnibus iustis, possibilitate, inquam, immediata. In ordine vero ad collectionem omnium mandatorum, iusti gaudent potestate physica immediata; morali vero mediata: quatenùs scilicèt iusti per orationem, & alia pia exercitia, possunt impetrare à Deo auxilia illuminationis, & affectionis, quibus redduntur moraliter, immediatè potentes ad talem observationē. Ut enim rectè edocet Ill. Godoy tom. in 1.2. disp. 47. Et M. Boliv. de necess. gratiæ dub. 14. §. 2. cum alijs DD. talis sufficientia moralis offertur à Deo omnibus iustis, conferenda ipsis dependēter ab oratione. Hac ratione iuxta Concil. Arausic. cap. 10. *Adiutorium etiam sanctis implorandum est, ut ad finem bonum possint pervenire, & bono opere perseverare.* Et iuxta Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuvat, ut possis.* De quo videri potest M. Manso tom. 2. q. 5. §. 3. Ubi plura adducit ex M. P. Tùm pro suadenda huiusmodi impotentia morali; tùm etiam pro suadendo modo, & medio, quo illam possumus per gratiam superare. Ex his constat hunc modum dicendi minimè favere errori Jansenij in propositione damnata: tùm quia ex vi auxiliorum communium gratiæ iusti gaudent potestate immediata, tàm physica, quàm morali ad observationem cuiuslibet præcepti divisive; tùm quia gaudent sufficientia physica immediata ad totam collectionem, & sufficientia immediata morali, per quam possunt acquirere sufficientiam moralem immediatam pro totius legis observatione. Quæ omnia aperte contradicunt errori Jansenij: hic enim, cum non admitteret post lapsum Adami gratiam sufficientem distinctam ab efficaci; consequenter asserebat in homine transgrediente præceptum, in quo non aderat gratia efficax ad illius observationem; non dari ullam gratiam sufficientem: proindeque observationem talis præcepti homini per prius iusto, esse absolutè, & simpliciter impossiblem.

Solutio.

Illatio.

19 Sed dices. Gratia illuminationis & cœlestis delectationis, est gratia excitans; sed huiusmodi gratia est gratia sufficiens: ergò gratia, quàm ponimus necessariam ad perseverandum est gratia sufficiens. Sed sine gratia sufficienti est antecedenter, & simpliciter impossibile id, ad quod datur gratia sufficiens: ergò. Resp. Quod gratia excitans in actu primo, sive causaliter, consistit iuxta communem Thomistarum sententiam, in auxilio fluido elevanti intellectum, vel voluntatē etiā ad actus supernaturales liberos in absentia habituum supernaturalium. Gratia excitans in actu secundo, sive formaliter, consistit in subita illustratione intellectus, & subita affectione voluntatis circa bona supernaturalia: quibus homo disponitur, & allicitur, ut libere, & efficaciter illa diligat, & efficaciter prosequatur. Hoc supposito; si sermo sit de gratia excitanti in 1. sensu; concedimus illam esse gratiam sufficientem strictè dictam; cum per auxilium fluidum elevetur voluntas intrinsecè, tùm ad actus indeliberatos, tùm ad actus liberos. Est enim prædictum auxilium eiusdem rationis in ratione virtu-

Instabis 1.

Solutio.

De quo egimus dub. 11. §. 3.

tutis physicæ præcontentivæ actus cum sola diversitate penes parum, & multum ab intrinseco durare. Gratia vero excitans in 2. sensu non est rigorosè sufficiens, hoc est per subministrationem spiritus, & virtutis; cum solum moraliter, & per modum causæ obiectivæ influat in actus liberos. Quapropter dici potest sufficiens solum secundum quid; & intra ordinem moralem. De quo M. Lemos tom. 1. tract. 1. cap. 12. & tom. 4. p. 1. tract. 7. cap. 16 Illustr. Alvarez disp. 76. & Nos tom. seq.

Nec obstat huiusmodi gratiam iuxta M. P. *Præstare virtutem pugnandi, vincendique concupiscentias carnis*; & iuxta eundem hom. 29. cum sic quæreret: *quomodo tè à te liberat Deus?* Resp. *Dando tibi vires pugnandi adversus concupiscentiam, inspirando virtutem, dando menti tuæ cœlestem delectationem.* Non, inquam, obstat: Nàm ad hoc sufficit præbere vires morales, scilicet illustrando intellectum, & roborando voluntatem ad prosequtionem boni honesti. Ratio est; quia per sanctas affectiones removentur affectiones pravæ retardantes activitatem, & connatum voluntatis ad iuste operandum. Deindè per easdem sanctas affectiones disponitur positive voluntas ad actus liberos supernaturales; proindeque ex ipsis accipit maiorem virtutē, expeditionē, robur, & activitatem ad salutariter agendum. Huiusmodi autem influxus, & activitas moralis sufficit, ut contineatur sub adiutorio sine *quo* completè, & integre accepto; sub qua consideratione non solum importat vires physicè percipientes actus supernaturales, sed etiam vires morales dantes expeditionem, & removentes difficultates impedientes eorum elicientiam.

20 Instabis. 2. Resp.

§. V.

In quo aliqua asserta scitu digna pro defensione gratiæ prædeterminantis proponuntur.

21 IN pluribus testimonijs SS. PP. quibus Thomistæ efficacissimè probant Deum per gratiam ab intrinseco efficacem influere in actus nostros salutares, occurrit aliqua difficultas aliquoties ponderata ab AA. Societat. quæ quidem breviter reducitur ad sequentem considerationem. Gratia efficax ab intrinseco iuxta communem sensum Thomistarum nullo modo præbet voluntati *vim, activitatem, virtutem, potestatem, & libertatem* ad actum; cum iuxta ipsos sit determinatio, applicatio, & actualis reductio de actu 1. ad actum 2. Atqui plura testimonia, quibus probare connantur gratiam ab intrinseco efficacem, expresse affirmant esse gratiam præbentē *vires, virtutem, posse, & libertatem* ad actus supernaturales; ut in ipsis videre est: ergo ex prædictis testimonijs inefficaciter deducitur; Deum per gratiam ab intrinseco efficacem Deum ad actus nostros salutares concurrere. Ut igitur huic redargutioni solidè occurratur, & scire possimus, quando per gratiam dantem vires, & libertatem, possit intelligi gratia ab intrinseco efficax; quando vero gratia sufficiens, conveniens duxi sequentia asserta proponere.

Motivi pro examine dicendi.

22 Dico 1. *Ex quo gratia Dei dicatur à SS. PP. præbere virtutem ad iustè, & salutariter agendum; non rectè deducitur esse gratiam sufficientem.* Prob. Assumpt. prob. 1. ex Ambros. Calep. qui verbo *vis* affirmat illud significare idem ac *auxilium*, sive *subsidium*. Atqui auxilium de se præscindit à sufficienti, & efficaci: ergò. 2. Nàm hæc vox *vis* in Sacra Scriptura aliquando accipitur pro operatione, & efficaci Dei motione ad ipsam; ut constat ex illo Sap. 16. *Vim virtutis suæ oblitus est ignis, ut Pueri tui servarentur illæsi*; in quibus verbis loquens de igne Babilonico non comburenti Pueros; defectus actualis combustionis, & concursus Dei ad illam oblivio vis ignitivæ appellatur. Hoc ipsum suadetur ex illo Psalm. 45. *Deus noster refugium, & virtus.* Super quæ ait ibi S. D. *Deus dicitur virtus, quia pugnantes, & afflictos adiuvat*, iuxta illud Isaiæ 40. *qui dat lasso virtutem.* En virtutem Dei acceptam pro auxilio ipsius communiter sumpto.

23 Confirm. ex D. Prosp. lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. qui habetur Confirm.

in-

inter opera S. Ambros. ubi loquens de vocatione speciali, per quam Deus plures homines vocat efficaciter in actu a ad se convertendo, & iustificando, sic eos eã describit: *Talis vocatio est, quando Deus præter illam generalem gratiam parcius, atque occultius omnium hominum corda pulsantem: excellentiore opere, largiori munere, & potentiori virtute exeritur.* Sed vocatio specialis secundum id, quod addit ad gratiam generalem, & pulsantem corda hominũ, dicit formaliter gratiam in actu 2. efficacem: ergò hæc iuxta D. Prosp. est virtus potentior ad conversionem hominum. Consequenter ad hæc cap. 7. ibidem affirmat gratiam, per quam Gentes post adventum Christi vocantur, ut credant, & convertantur in ipsum, esse *ditissimam, potentissimam, atque benignissimam*, quo nihil opportunius pro præsenti assumpto. Hinc idem S.P. carm: de ingrat: appellat gratiam efficacem convertentem corda hominum, virtutem creativam, eo quod datur pro nihilo, id est, sine meritis. Sic enim habet: *Gratia non consilio sed intus mentem mutans, atque reformans, vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.* S. D. super Dionys. cap. 4. de Divinis nom. lect. 12. ait: *Amorem dici virtutem universalem; quia commn. dicitur virtus omne illud, quod habet efficaciam ad aliquid producendum.* Quid clariùs.

Favet S. Dionys.

Accedit D. Bernard. qui super Evang. *Missus est*: ait: *& quid enim aliud est virtus, quam fortitudo?* ergó cum gratia efficax qua talis sit fortitudo lib. arb. illud invincibiliter, insuperabiliter, & invictissimè movens, & muniens ad rectè agendum, merito iuxta sensũ D. Bernard. virtus Dei appellari potest. In idem facit, dùm lib. de gratia, & lib. arb. gratiam efficacem appellat gratiam præstantem robur voluntati, ut rectè operetur. *Gratia enim*, inquit, *excitat; cum seminat cogitatum: sanat, cum immutat affectum. Roborat, ut perducat ad actum: servat, ne sentiat defectum.* Sed robur in voluntate est idem, ac virtus: ergò. His omnibus consonat illud D. Gregorij hom. 5. *Virtus boni operis perseverantia est*; quasi diceret: * perseverantia complet, perficit, & præstat efficaciam bonis operibus, ut præmium sibi debitum consequantur, ideòque meritò dicitur virtus bonorum operum: *ergò cum gratia efficax eisdem prærogativis gaudeat in ordine ad actus salutares, vere iuxta PP. loquutionem potest appellari virtus.

24 Prob. ex S. Bern.

D. Greg.

Prob. idē ex S. Cyr. lib. 1. de adorat: asse rēte *auxiliū efficax præstare valentiores rationes adiuvandi.*

Favet etiam D. Tho. 1. 2. quæst. 26. ar. 2. ad 1. & q. 41. ar. 1. ad 1. ubi cum sibi opposuisset D. Dionys. & Damasc. *Asserentes amorem, & timorem esse virtutes; proindeque prædictos actus non consistere in operatione vitali.* Resp. *Quod cum virtus sit principium actionis, & omnis affectus voluntatis causetur ex amore, & timore; ideò amor, & timor à Dionysio, & Damasc. virtutes appellantur*: ergò cum gratia efficax sit causa omnis actus salutaris; & per quã Deus facit, ut velimus, & faciamus, potest quàm optimè appellari virtus. Undè ipse S. D. qui q. 3. de potent. ar. 7. dixit Dei concursum prævium nullam præstare virtutem ad agendum; sed esse applicationem virtutis: hac 1. 2. q. 109. ar. 9. eam motionem per modũ virtutis nominat: *nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ.* Ex his omnibus manifeste colligitur minimè obstare, ut in aliquibus testimonijs M. P. & aliorum Patrum, sit sermo de gratia prædeterminanti, sive de gratia ab intrinseco efficaci, eò ab eisdem affirmetur illam præbere vires, & vim voluntati ad salutariter agendum. Undè, etsi virtus sumpta in sensu Philosophico, & iuxta frequentem acceptionem, definiatur per hoc quòd *sit aliquid se habens, ut actus primus, & potestas ante: ad operationem; attamen dogmatice, & etiam Theologice loquendo iuxta phrasim SS. PP.* gratia efficax sive motio determinans, & applicans insuperabiliter causam ad operandum potest, & de facto appellari etiam virtus.

25 Ex Divo Thom.

Dico 2. *Ut sciamus, quando SS. PP. docentes gratiam Dei præbere virtutem, & potestatem ad actus salutares; debeant intelligi de gratia, quam Theo-*

26 Explic.

lo-

logi communiter vocant sufficientem in re, vel in munere, distinctam ab efficaci; oportet considerare, tùm illorum intentum, & errorem, quem impugnant; tùm etiam verba antecedentia, & subsequentia. Per hoc assertum integra subsistunt plura testimonia: ex quibus probant Theologi liberum arbitrium ad salutariter operandum; sicuti, & ad cognoscendum, & credendum mysteria gratiæ; indigere auxilio Dei dantis sufficientiam, virtutem, & potestatem ad omnia recensita. Huiusmodi est illud Joann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare &c.* Et illud Psalm. 32. ubi loquens de Apost. & viris sanctis dicitur: *Spiritus oris eius omnis virtus eorum*, & alia huiusmodi. Oportet etiam inspicere errorem, quem SS. PP. impugnant, v. g. errorem Pelagij asserentis in 1. & 2. statu suæ hæresis; hominem per vires naturæ posse mereri vitam æternam, & iustificari coram Deo: sicuti, & errorem Semi-Pelagianorum asserentium initium bonorum operum esse ex nobis volentibus, & desiderantibus gratiam Dei. Quapropter; dùm SS. PP. docent cõtra illos virtutem, & potestatem ad credendum, diligendũ, & ad alios actus salutares provenire ex gratia Dei, intelligendi sunt de gratia præstante sufficientiam. Quod si in ipsorum testimonijs affirmetur, non solum haberi per gratiam Dei posse credere, & iuste agere, sed etiam quod credamus, & agamus, *quatenùs *per sui gratiam præstat maiorem vim, & perfectiorem potestatem*; tùnc exponendi sunt de *gratia efficaci* superaddita sufficienti; illa enim, ut diximus propter sui efficaciam, & insuperabilem connexionem merito dicitur *virtus creatrix, & effectrix actuum salutarium.* His omnibus accedit: quod iuxta communem acceptionem Theologorum duplex potestas in ordine ad actus salutares distinguitur, scilicet, *potestas antecedens, & potestas consequens; sive; potestas efficaciæ, & potestas sufficientiæ*; velut alij loquuntur, *potentia positionis actus; & potentia possibilitatis actus*; 1. consistit in virtute, forma, vel habitu supernaturali elevanti intellectum, vel voluntatem præbendo ipsis continentiam physicam actus supernaturalis; 2. vero dicit, & superaddit id, per quod redditur infallibiliter connexa, & coniuncta cum actu. Hac enim distinctione intelliguntur aliqua testimonia M. P. affirmantis adiutorium *quo* (quod est adiutorium gratiæ efficacis) esse illud, sine quo perseverare non possumus: & insuper per illud præstari *nobis non solum posse, quod volumus, sed etiam, velle, quod possumus*: ita lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 9. de correct. cap. 11. & 12. Sed de his satis, quia alio tract. scilicet, de gratia adiuvanti latè agemus. Hanc intelligentiam *virtutis* expresse tradit M. in 2. dist. 27. §. *igitur* in fine asserens talem acceptionem non esse incongruam de gratia cooperanti.

Sed statim se offert inconsequentia doctr. in obsequiũ Illust. traditæ §. 3. ibi enim probavimus nomine adiutorij, quod implorant SS. & quo non eguit Adamus ad perseverandum in bono; intelligi à M. P. *gratiam sufficientem* moraliter talem, & non præcisse gratiam ab intrinseco efficacem; quia iuxta eundem M. P. tale adiutorium, & præstat virtutem pugnandi, *vincendique concupiscentias carnis*; & insuper est gratia *potentior illa, quæ fuit in Adamo.* Atqui iuxta immediatè dicta, & stabilita variis testimonijs SS. PP. præstare virtutem, & potestatem ad salutariter operandum, etiam verificatur de gratia ab intrinseco efficaci: ergò aut immediatè dicta à nobis in hoc §. sunt falsa; aut rationes probantes nomine adiutorij, quod implorant SS. intelligi gratiam dantem potestatem moralem sunt inefficaces. Resp. neg. assumptum. Ut enim immediatè diximus, licet ex terminis hæc dictio, *gratia potentior* non significet determinatè gratiam sufficientem; secùs tamen, si concurrant alij tituli, vi quorum necessitas talis *gratiæ potentioris* probatur. Sic contingit in præsenti; siquidem M. P. loco citato probat indigentiam *gratiæ potentioris* ad perseverandum post lapsum ex infirmitate voluntatis humanæ per rebellionem carnis adversus spiritum; sic enim habet: *atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, virtutem pug-*

27

Occurritur cuidam instantiæ.

Solutio.

Pro Ill. Godoy.

Sic M. P. de gratia Christi c. 47.

pugnandi, vincendique per gratiam Christi sibi dari poscunt. Et postmodum: *proindeque; etsi non lætiore; potentiori tamè gratia indigent isti.* Atqui virtus, & potestas gratiæ Dei exacta titulo specifico infirmitatis relictæ ex peccato originali, & propter vulnera ignorantiæ, & concupiscentiæ, est gratia præstans sufficientiam moralem; utpotè consistens in motibus illuminationis, & cœlestis delectationis. Igitur absque ulla inconsequentia, sed potius cum consequentia doctrinæ, dictum est à nobis nomine adiutorij, quod implorant SS. intelligi gratiam præbentem sufficientiam moralem.

28 Hinc consequenter censeo, quod dùm M. P. de correct. & gratia cap. 11. ponit discrimen inter gratiam collatam Adamo, & gratiam, quæ modo datur sanctis, his verbis: *Hæc* 1. *est gratia, quæ data est* 1. *Adam; sed hæc potentior est in* 2. *Adam* 1. *est enim, qua fit, ut habeat iustitiam, si velit*: 2. *ergò plus potest, qua etiam fit, ut velit tantumque velit &c.* Nomine *gratiæ, potentioris, sive plus potentis* intelligere præcisè gratiam ab intrinseco efficacis, & donantem velle. Ratio est; Nàm ibi M. P. expressè affirmat hanc 2. gratiam esse adiutorium *quo*; sicuti & de 1. gratia affirmat expressè fuisse adiutorium sine *quo* collatum Adamo innocenti. Cumque adiutorium *quo*, & gratia Dei, per quam efficitur, ut voluntas nostra *velit efficaciter* perseverare; sit gratia determinatè efficax superaddita ad gratiã illuminationis, & affectionis; nomine gratiæ potentioris intelligitur à M. P. gratia efficax. Undè; etsi in eodem cap. 11. M. P. bis faciat mentionem, & utatur his vocibus, *gratiæ potentioris*: in prioribus verbis relatis ànum. 26. intelligit *gratiam illuminationis, & affectionis*; in his autem, quæ immediatè retulimus, *intelligit gratiam prædeterminantem ad velle propter* motiva ad utrũque adducta. Undè non assentimus Ill. Castell. qui in discriminatim asserit utrobique *nomine gratiæ potentioris* intelligi à M. P. gratiam illuminationis, & cœlestis delectationis. Hanc doctr: sic (meo videri) efficaciter suadeo. Gratia *potentior*, & gratia *fortior* sola voce differunt; sed iuxta S. Cyril. supra num. 24. gratia, ut efficax est gratia *fortior*: ergò.

Gratia potentior diverse accip: à M. P.

Dico 3. *Ex quo à SS. PP. dicatur;* 29 *gratiam Dei augere libertatem nostram ad salutariter agendum; aut ratione gratiæ haberi maiorem, & perfectiorem libertatem; non propter hoc dicendum: eos loqui de gratia sufficienti physice, aut moraliter.* Prob. assumpt. ex M. P. epist. 89. dicenti: *Voluntas nostra eo liberior quo sanior, & eo sanior, quo divinæ gratiæ, misericordiæque subiectior.* Sed per gratiam ab intrinseco efficacem voluntas nostra fit Dei gratiæ, misericordiæque subiectior; utpotè ab illa irresistibiliter determinata, & applicata ad agendum: ergò per ipsam redditur voluntas nostra liberior; proindeque ab ea accipit maiorem libertatem. Confirm. ex eodem M. P. epist. 107. ad Vitalem aienti: *Si vere volumus defendere liberum arbitrium*; non opugnemus. *Undè fit liberum: nàm qui opugnat gratiam, qua nostrum arbitrium liberatur ad declinandum à malo, & faciendum bonum; ipse suum arbitrium adhùc vult esse captivum.** Quod autem sermo sit de gratia efficaci constat; tùm quia loquitur de gratia non, quæ dat posse declinare à malo, & facere bonum; sed per quàm defacto declinatur à malo, & fit bonum. Tùm quia loquitur de illa gratia, per quàm accipimus à Deo rectè operari; & pro quo tenemur agere gratias Deo. Sic enim præmisserat: *Prorsus non gratias agimus Deo, sed nos agere fingimus, si undè illi gratias agimus, ipsum facere non putamus*: ergo gratia efficaci nostra voluntas fit libera, eaque solidatur, & eruitur à captivitate peccati nostrum liberum arbitrium.

Prob. assertio.

Confirm.

* De hoc rursus.

Sed dices: Una ex rationibus quibus §. 3. probavimus *nomine adiutorij*, quod implorant sancti, intelligi gratiam dantem posse morale; innititur in eo quod iuxta M. P. dùm tale adiutoriũ implorant SS. petunt sibi dari maiorem libertatem: ergò præsens assertum non cohæret cum ibi dictis. Resp. neg. Talem rationem, ut proponitur in instantia, fuisse a nobis propositam; sed quia iuxta M. P. *requiritur maior libertas dono perseverantiæ munita, atque firmata.* Cum enim donum perseverantiæ sit *adiutorium quo*, sive gratia ef-

30 Instabis 1.

Solutio.

efficax, qua fit, ut homo actu perseveret; maior libertas firmata per gratiam efficacem, est libertas constituta per gratiam sufficientem, tàm physicè, quàm moraliter, ad perseverandum in bono. Ex quo apparet nullam contradictionem in dictis inveniri; cum in præsenti asserto sermo sit ex terminis gratiæ augentis, aut dantis, maiorem libertatem.

31 Dices 2. Libertas ex suo conceptu quidditativo est facultas ad utrumlibet; proindeque est potestas antece-
Secundo. dens præscindens à gratia efficaci determinanti voluntatem ad unum extremum: ergò non nisi improprie dici potest gratiam efficacē dare libertatem, aut etiam præbere maiorem liberta-
Urgetur. tem. Urgetur. Quod est extra signum libertatis nequit augere, aut dare maiorem libertatem; sed talis est gratia prædeterminans iuxta Thomistas; cum se teneat ex parte actus secundi; & sine illa detur vera libertas ad actum: ergò &c. Resp. 1 Gratiā prædeterminantem; præsertim, quæ datur ad actus
Prima solutio. charitatis, & pœnitentiæ, quibus convertimur ad Deum (de qua est præcipuus sermo apud PP.) liberare voluntatem creatam à servitute peccati. Hæc enim formaliter tollitur per gratiam sanctificantem: dispositive, & ex parte nostra per actum contritionis, & dilectionis: primordialiter, & ex parte Dei per gratiam prædeterminantem ad huiusmodi actus. Quapropter merito dici potest augere nostram libertatem, eique maiorem perfectionem præstare; eo quod voluntas nostra libertatem à servitute peccati non consequitur, nisi per gratiam Dei ab
Secunda. intrinseco efficacem. Resp. 2. Gratiam prædeterminantem tollere imperfectionem libertatis creatæ, scilicèt, indifferentiam suspensionis ad illius extrema; & insuper potentialitatem contingentiæ ad utrumlibet; eo quod determinat efficaciter voluntatem ad unum præ alio, & ipsam constituit in actu virtuali completo, ut possit se ipsam determinare; cum ab indifferenti qua tali, indifferentia, inquam, suspensionis, & potialitatis, non possit actio determinata provenire. Hoc autem sufficit ad hoc, ut talis gratia augeat, & præstet perfectionem libertatis; quia estò non superaddat sufficientiam virtutis operativę, removet tamen imperfectiones ei convenientes in ratione libertatis creatæ. Undè in forma dist. hanc propositionem. Quod est extra signum libertatis, sive actus 1. nequit augere libertatem positive per collationem sufficientiæ, & virtutis ad operandum, conc. Nequit eam augere indirectè, & removendo imperfectionem libertatis, & actus 1. vi cuius nequit se libere determinare ad unum præ alio, neg. Solutio constat ex dictis.

Ex hucusque assertis constat probabilitas utriusque expositionis, circa 32
testim. M. P. Advertendum tamen, iuxta expositionem Illust. Godoy, & Alio-
Nota diligenter 1. rum, non sequi SS. implorantes Dei adiutorium verbis ex Apost. relatis non poscere etiam *adiutorium quo*; & hoc etiam docetur ibi à M.P. 1. constat. Nàm petunt liberari re ipsa, & de facto à corpore mortis, sive à prava concupiscentia, nè ei consentiendo impediantur à perseverando; sed ad hoc utrumque adiutorium requiritur: ergò. 2. Dùm SS. implorant tale adiutorium; implorant adiutorium, nè inducantur in tentationem; sed qui sic orat, implorat *adiutorium quo* fit, ut vincat: ergo. Secundum etiam constat. Quia postquam M.P. dixit in verbis relatis, SS. postulare potentiorem gra-
Secundo. tiam per Christum, ait *illam esse gratiam per quam fit, ut homo nunquam velit esse malus; quam gratiam non habuit Adamus.* Et item: *esse gratiam, qua etiam fit, ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem voluntate spiritus vincat; parumque sit, non posse sine illa permanere in bono, nisi etiam efficiatur, ut velit.* Adhùc tamen subsistit discrimen, ut estò Adamus indiguerit adiu-
Sic expo nitur Ill. Godoy. torio *quo*, non tamen illo, quod implorant SS. *dùm dicunt &c.* Siquidem SS. nec implorant solum gratiam illum, & affectionis, nec solum *adiutorium quo*, sive auxilium efficax ad perseverandum; sed complexum ex utroque, sive virtutem ad perseverandum, & vincendum completam & consummatam per gratiam efficacem. Implorant enim, & consequuntur media oratione maiorem libertatem; *quia non solum eis conceditur gratia,*

tia, qua possint non peccare; sed etiam, per quam ultra non serviant peccato: sic M.P. ibi cap. 12.

33 Hinc apparet ex tali oratione, sicuti ex textibus desumptis ex Apost. rectè probari à Thom. Gratiam ab intrinseco efficacem; tùm quia nemo orat pro illo, quod habet in sua potestate; efficacia autem gratiæ, aliàs sufficientis, & excitantis, provenit in aliorum opinione ex determinatione liberi arbitrij; aut ex prævisione conditionata per scientiam mediam Deo non libera. Tùm quia si implorant utrumque adiutorium coalescens ex gratia excitanti simul cum munere persever: petunt duo beneficia Dei, & dona saltim mutuo non connexa; proindeque danda ex libera determinatione Dei. Inquires: *Cur dicitur per gratiam Christi dari SS. maiorem libertatem, quam Adamo?* Sic S. P. de correct. cap. 12. Nàm ibi est maior libertas, ubi maior potestas; hæc autem est maior, quo facilior, & potentior, tàm physicè, quàm moraliter. Ex quo sequitur potius oppositum debere affirmari. Idem prob. ex ratione Dominij, fuit enim in Adamo plenum dominium absque ulla necessitate, aut servitute; iusti autem modo serviunt secundum carnem legi peccati: ait Paulus ad Rom. 8. Si dicatur dari maiorem libertatem; quia datur coniuncta cùm actu, ad quem dispensatur: videtur insufficiens. Cum actus sit extra signum libertatis. Resp. ex eodem M. P. sic aiente, *& accipiunt per istam gratiam tantam libertatem, ut quamvis pugnent contra concupiscentias; non tamen ultra serviant peccato; sed Deo donante, sibi perseverantiam, in qua stabunt.* Sed dices: hoc solum probare, quod sit maior libertas à peccato, non vero maior ad non peccandum. Resp. Ibi esse maiorem libertatem etiam ad non peccandum, ubi maior distantia à peccato, vel immobilitas in bono. Sed SS. hoc habent per donũ perseverantiæ simul cum adiutorio sine *quo*: ergò sunt magis liberi, quia magis elongati à servitute novi peccati. Undè sicut beati sunt magis liberi, quia peccare nequeunt: ita proportione servata; qui accipiunt perseverantiæ donum.

Tertio. Inquires. Ratio dub. 1. Secundo. Solutio. Iustabis. Resp.

2. Maior libertas est, ubi est plus de Spiritu Domini iuxta illud 2. ad Cor. 3. *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*; sed ubi est duplex adiutorium ad perseverandum est plus de spiritu Domini; Nàm per secundum aguntur, qui sunt filij Dei: * ergò. Rursus: in his, quæ non mole, sed virtute magna sunt, idem est maius, quod melius iuxta M. P. sed potest. constituta per adiutorium *sine quo* melioratur per adiutorium *quo*; cum reducatur ad actum secundum, & potentia non reducta ad actum sit imperfecta: ergò etiam est maior. Quare maior libertas duplici ex cap. potest dici talis, aut per additionem virtutis, aut per immixtionem cum suo contrario; hac ratione ait D. Th. *dicitur magis album, quod est nigro magis impermixtum*; sed posse peccare iuxta eundē S. D. est defectus libertatis: igitur donum illud, per quod voluntas minus permiscetur peccabilitati, reddit eam magis liberam. Contra quam doctrinam non urgent prob. in contra. Nàm peccare, & etiã non esse immobilem in bono, est defectus dominij. Quod si placet, dici valet: libertatē posse accipi pro sufficientia ad actum, & pro ipso actu; prima dicitur talis in actu 1. altera in actu 2. dùm ergò sunt duo adiutoria, sunt duæ libertates. Undè ex illis resultat maior libertas relatè ad unã, quæ sola fuit in Adamo ad persever: similiter est perfectius dominium, in SS. quia subditum Deo, quòad posse, & quòad agere.

34 Secundo. * Ad Rom. 8. Tertio. Ultimo.

Dicta sufficiant; & unusquisque partem, quam maluerit, satis probabiliter tueri potest. Attamen mihi vero similius videtur M. P. loqui solum de adiutorio *quo*, sive auxilio efficaci donante victoriam contra passiones concupiscentiæ; quo Adamus non indigebat. Ratio huius est 1. quia loquitur de illo adiutorio quòd clamant SS. dùm dicunt: *Video aliam legem &c.* 2. quia ita subdit S. Parens: *Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, petunt pugnandi, vincendique virtutem per gratiam Christi.* En auxilium vincens malum concupiscentiæ; & hoc, *quia caro pugnat contra spiritum.* 3. Quia sic salvatur Sanctos ita orantes habere etiam ve-

35 Meum quale-cumque iudicium.

veram libertatem ad non consentiendum pravis concupiscentijs. Semel enim quod gratia illustrationis, & delectationis subitæ sit necessario requisita, & se teneat ex parte actus 1. estò solùm moraliter influat in actus liberos absolutos, & efficaces; non subsistit pro priori ad illam perfecta libertas, & sufficientia. Quid enim obest influxus pure moralis; si aliundè necessario requiritur ex parte actus 1. ut sæpè diximus; & exempla ex defectu applicationis ignis ad passum; ex defectu existentiæ ad operandum, & alia, convincunt? Quod autem Apost. in testim. adductis à M. P. loquantur de homine sic libero ad superandas concupiscentias carnis: traditur à S. Ans. qui test. Apost. quod incipit: *Condelector enim legi Dei.* Sic exponit: *delectat me lex, delectat me, quod iubet lex. Delectat me ipsa iustitia. Ecce libertas ex parte superiore. Video autem, inquit, alium legem in membris meis. Hæc est, quæ remanet infirmitas. Et ex hac parte sentit homo captivitatem; ubi non est impleta iustitia. Nam ubi condelectatur legi Dei non captivus; sed legis amicus est: & ideo liber, quia amicus.* Et infra: *est mihi bellum adversù me. Mente servio legi Dei in libertate Christi, carne autem legi peccati ex vetustate Adæ.*

Ad Rom. 7.

In quibus verbis, sicuti, & in his, quæ ex D. Prosp. refert Illust. Castell: continetur gratia illuminationis, & cœlestis delectationis: & tamen SS. estò iam illuminati, & delectati in iustitia, adhùc implorant adiutorium Dei ad vincendas concupiscentias carnis; idemque de victoria, cuiusvis gravis tentationis. Signum ergò est per tale adiutorium intelligi gratiã distinctã à gratia subitæ illuminationis, & similis delectationis. Tandem advertendum, quod argumenta superius ponderata de *maiori potentia, de maiori libertate, & de virtute ad pugnam, & victoriam* exhibitis per gratiã Christi, prout est adiutorium distinctum à gratia concessa Adamo, & qua ipse in illo fœliciss imo statu non eguit; æque militant contra gratiam ab intrinseco efficacem, vel ab extrinseco. Ratio est: Nàm in omnium sententia gratia efficax formaliter qua talis, & prout saltim munere differt à sufficienti non dat, *libertatem, potestatem, aut virtutem.* Si igitur oppositum non verificatur de grat: prædeterm: nec de gratia congrua pariter verificari valet. Cum ergò Magn. Par. in relato testim. loquatur de adiutorio gratiæ efficacis, per quod fit ut SS. pugnantes perseverent in bono, & cum effectu vincant concupiscentiam carnis (etiam si sub adiutorio, quod SS. implorant comprehendatur gratia illuminationis, & delectationis, prout se tenet ex parte actus primi) relata argumenta videntur pugnare contra omnem efficaciam gratiæ, ut aliquomodo superadditam sufficientiæ, quomodocumque ponatur.

39

Adverten dum.

§. VII.

Quid dicendum de perseverantia Angelorum?

DIcendum 1. *Angelis datum fuisse adiutorium, quo possent perseverare, si vellent; hoc est, habuisse potestatem liberam, & plenè expeditam ad perseverandum perseverantia consequuta ad velle.* Ratio est 1. propter plenitudinem gratiæ, & donorum supernaturalium, quæ acceperunt à Deo absque ulla pugna interiori: cumque etiã iuxta M. P. de correct. cap. 11. *Si omnes perseverassent accepissent beatitudinem merito perseverantiæ*; quod quidem sine voluntarietate repugnat: manifestè sequitur eorum perseverantiam fuisse perfectè in eorum potestate; simulque dependentem à velle. 2. Nàm si tale adiutorium non fuisset omnibus Angelis concessum, non perseverare in bono, non posset Angelis malis imputari ad culpam; ut arguit M. P. lib. de correct. & gratia cap. 11. dicens: *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent.*

37

Prima assertio.

Secundo.

Dicendum 2. *Volitionem, à qua fuit dependens perseverantia bonorum An-*

38

Angelorum fuisse intrinsecè efficacem, & valdè intensam. Ratio est : Nàm talis perseverantia fuit imperata ex actu dilectionis Dei super omnia, per quam perfectissimè, & plenè conversi sunt ad Deum in 2. instanti, vel in dicta conversione 1. instanti elicita permanserunt. Imò etiamsi perseverantia fuerit imperata ex volitione signatè terminata ad eius specialem honestatem consistentem in continuatione boni, idem dicendum est: Nàm talis volitio fuit actus proprius elicitus à virtute perseverantiæ Angelis infusa; hæc autem per se ordinatur ad affectum intrinsecè efficacem, absolutum, & intensum; & maximè in Angelis, ubi nullum erat impedimentum retardans eius inclinationem. Unde si iuxta doctrinam D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 6. Angeli boni in actibus aliarum virtutum operati sunt toto connatu, & secundum omnem illarum intensionem, propter defectum alicuius retardantis, aut impedientis earum intensionem : Idem dicendum de volitione, sivè proposito elicito à virtute perseverantiæ.

39 Assertio 3.

Dicendum 3. *Volitionem perseverandi intrinsecè inefficacem non fore sufficientem in Angelis ad perseverandum.* Oppositum huius tenet M. Manso ductus eisdem fundamentis, quibus probat, similem volitionem fore sufficientem ad perseverantiam Adami innocentis; addit tamen sequentia : *Et quidèm; quòd natura innocens cum auxilio sine quo accepto posset perseverare, si vellet, & quocumque velle deliberato, certum est apud Div. Thom. in natura Angelica, quæ semèl volens, deliberatè vult immobilitèr, & inflexibilitèr.* Sed ab hoc ultimo incipiendo, nescimus ubi sit expressum in Div. Thom. Angelos immobilitèr adhærere obiecto liberè volito; & hoc esse verum de volitione tàm intrinsecè efficaci, quàm inefficaci. Nàm Angeli eatenùs immobilitèr adhærent obiecto semèl electo iuxta doctrinam Div. Thom. quatenùs in tali electione procedunt cum perfecta, & plena cognitione omnium motivorum, quæ possunt retrahere, vel allicere ad electionem illius; unde cum ipsis non occurrat aliqua ratio, aut circumstantia de novo prævisa post electionem, quæ antea non fuerat ab ipsis per talē cognitionem prævisa, nequeunt retractare prædictam electionem. Atqui voluntas liberè tendens in obiectum cū perfecta, & plena cognitione omnium rationum, & circumstantiarum, quæ possunt retrahere, vel allicere ad illius amorem, non tendit in illud per affectum purè inefficacem; cum hoc per se, & de formali respiciat obiectum ut bonum secundum se, & non inspectis omnibus circumstantijs: ergò sine causa dicitur esse certum apud D. Th. Angelos esse inflexibiles etiam in affectibus liberis intrinsecè inefficacibus. Videantur Thomistæ circa inflexibilitatem Angelorum explicantes, quando, & circa quæ obiecta, illa debeat ipsis concedi.

Opinio M. Manso.

40 Prob. 3.

Sed admisso Angelos immobilitèr, & inflexibilitèr velle id, quod volunt liberè, etiam affectu entitativè inefficaci: non ex hoc infertur talem volitionem inferre infallibilitèr perseverantiam tantum inefficacitèr volitam. Ratio est: Nàm voluntas divina, etiam omninò immobilitèr, & inflexibilitèr adhæret obiecto liberè volito etiò inefficacitèr; cum sit omninò immutabilis. Et tamen nō licet inferre voluntatem divinam volentem liberè inefficacitèr existentiā alicuius rei, scil. *salutem omnium hominum, & conversionē omnium peccatorum* infallibilitèr cum eis connecti; & ad eorum positionem non requiri volitionem intentivam intrinsecè efficacem: ergò pariter dicendum de immobilitate Angelorum in suis affectibus liberis. Per quod constat ad fundamentum in oppositum. Videantur motiva, quibus dub. 17. probavimus in Adamo innocenti requiri necessario ad perseverandum volitionē intrinsecè efficacem; quæ quidem æquè probant in Angelis, & cum aliqua specialitate; scil. propter modum perfectè operandi, scil. omni connatu, & efficacia, iuxta doct. D. Thom.

41 Illatio ex dictis.

Hinc asserere *volitionem inefficacem fore sufficientē in Ang. &c.* si nō est divinare, nō est solidè loqui. In tali enim assertione prætermittitur ordo perfectionis in operando, conveniens naturę adeò excellenti. Nàm, ut ait S. D. q.

24. de Veritate art. 10. : *In peccato Angeli sola duo concurrunt, scilicèt, inclinatio habitualis in peccatum, & falsa existimatio virtutis cognoscitivæ de particulari eligibili. Cum autem in Angelis non sit multitudo appetitivarum potentiarum, sicut est in hominibus: quando appetitus eorum tendit in aliquid, totalitèr inclinatur in illud, ut non sit ei aliqua inclinatio inducens in contrarium.* Ex qua doctrina, & ex perfecta cognitione, ex qua Angeli procedunt ad deliberandum, probat eorum inflexibilitatem. Prætermittitur etiam natura virtutis perseverantiæ, quæ datur ad affectus *intrinsecè efficaces* ad perseverandum. Et tandem prætermittitur conformitas inter electionem mediorum, & intentionem finis; cum iuxta contrariam opinionem ex volitione inefficaci perseverandi, sive non discedendi à Deo; oriri valeant actus virtutum efficacitèr conducentes ad ipsam perseverantiam; præsertim actus charitatis, quo ex præcepto tenebatur in secundo instanti, se, & omnia sua totalitèr, & perfectè referre in Deum, ut reipsa perseveraret. Unde enim convenire valet volitioni intrinsecè inefficaci imperium irresistibile supra volitionem efficacissimam; qualis est prædicta dilectio Dei? Aut quis non existimabit ineptam hanc tendentiam (causalem? *Quia nolo inefficacitèr discedere à Deo; volo efficacissimè ad ipsum accedere, eum super omnia, & pro omni instanti sequenti, diligendo.*

42 4. Dicendum: *Angelos indiguisse adiutorio quo ad perseverandum re, aut munere distincto ab adiutorio sine quo.* Prob. 1. ex Magn. Parent. lib. 4. de Civitat. cap. 9. dicente: *Dæmones, aut minoris acceperunt gratiam divini amoris, quam illi, qui in eadem præstiterunt, aut si utrique æqualitèr boni creati sunt, istis mala volantate cadentibus, illi amplius adiuti ad plenitudinem beatitudinis provenerunt.* Ubi in Angelis perseverantibus agnoscit maiorem gratiam, & maius adiutorium. Et contione 2. in Psalm. 32. loquens de eis sub nomine Cœlorum, inquit: *Nèc ipsi firmitatem sibi præstiterunt; verbo enim Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Idem docet Concion. 1. in Psalm. 70. Et S. Gregor. lib. 25. Mor. c. 8. per hæc verba: *Alijs Angelis cadentibus, alij fuerunt à Deo solidati, utique similitèr casuri, nisi solidati fuissent.* Sed auxilium præstans soliditatem in bono, est auxilium efficax præstans actualem perseverantiam: ergò Angelis fuit collatum prædictum auxilium supra potestatem ad perseverandum. Id ipsum expressè docet Div. Thomas 3. contra Gent. cap. 155. *Probans omnem naturam mutabilem indigere auxilio Dei ad perseverandum.*

43 Prima ratio est: Angelus non posset perseverare in statu iustitiæ, nisi Deo operante in illo talem perseverantiam, ut constat ex illo Isaiæ: *26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et ex illo Paul. *Deus est qui operatur in nobis, velle, & perficere pro bona voluntate* Ex illo: *Quid habes, quod non accepisti?* Et ex pluribus alijs testimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus pronuntiatur omnia opera bona esse à Deo, ut causa principalitèr operante, quæ eadem proprietate verificantur de Angelis, ac de hominibus. * Sed Deum operati in Angelis perseverantiam in bono consistentem in actibus virtuosis, quibus omnia divina mandata adimplerent, est Deum per auxilium efficax suæ gratiæ illos adiuvare, ut perseverent in bono; cum auxilium efficax sit auxilium præstans, non posse, sed actu benè operari: ergò Angelus indigebat auxilio Dei efficaci ad perseverandum. Confirmat. 1. Si Angelus perseveraret in bono, tenetur agere gratias Deo, non solum quia potuit perseverare; sed etiam & præcipuè, quia de facto perseveravit. Sed gratiarum actio non habet locum, nisi ubi adest gratia Dei, iuxta Magn. Par. epistol. 107. ad Vitalem dicente: Gratiarum actio est certissima, & clarissima gratiæ testificatio: ergò ultra gratiam dantem posse persever. indigebat Angelus nova gratia donanti actu perseverare.

Prob. 1.

Ad Phil. 1.

1. Ad Corinth. 4.

* Iuxta Anselm. de casu Diaboli c. 2.

Confir. 1.

44 Confirmat. 2. Angelus post primum instans poterat orare Deum, imò, & tenebatur pro perseverantia in bono; Tùm quia talis perseverantia erat donum descendens liberè

Secundo.

berè à Deo iuxta illud Iacobi 1. *Omne donum perfectum desursùm est descendens à Patre luminum.* Sed nemo orat pro eo, quod iam est omninò in sua potestate, & independentèr ab auxilio Dei: *ergò Angelus ut perseveraret, indigebat auxilio efficaci &c.

* M. P. de peccat. mer: 6.

Tertio.

3. Nequit Angelus perseverare in bono nisi Deo faciente illum perseverare, iuxta illud: *Quid habes &c.* quod iuxta S. Anselm. est verum de Angelis; sed Deus non faceret, ut Angelus perseveraret, donando ei præcisè auxilium sufficiens ad perseverandum, siquidem de facto Diabol. habuit prædict. auxilium, & tamen non perseveravit: ergò Deus fecit perseverare ipsum per auxiliū efficax re, aut munere, distinctum donans actualem perseverantiam. Hic possunt adduci rationes, quibus probavimus dub. 16. indigentiam similis adiutorij in Adamo innocenti. Videatur etiam Ill. Castell tomo de lege probans idem contra Jansenium. *

1. Ad Corinth. 4. De casu Diab. c. 1.

* Q. 5. sect. 1.

Inquires: *An tale adiutorium esset gratia specialis adhùc intra ordinem gratiæ?*

45

Resp. Talem perseverantiam acceptā, ut de facto fuit in eis conducens ad gloriæ consequutionem, fuisse gratiam specialem. Nàm proùt sic dicit esse effectum prædestinationis, quæ etiam in Angelis fuit providentia specialis. Si autem consideretur præcisivè ab hac efficaci conducentia; & unicè secundum sibi intrinseca; dicimus etiam esse gratiam specialem. 1. Quia proùt sic dicit statum immobilitatis in bono iuxta doctr. S. D. tùm q. 24. de Ver. a. 13. tùm 3. cont. Gent. cap. 155. Hæc autem immobilitas excedit exigentiam naturæ vertibilis de bono in malum, qualis etiam est natura Angelica ante plenam deliberationem. 2. Angelum perseverare continuando dilectionem Dei, & alios actus supernos elicitos in 1. instanti, requirit gratiam Dei discretivam; Nàm iuxta M. P. lib. 11. de Civit. cap. 19. & 20. Deus discrevit inter SS. Angelos, & immundos. Sed gratia discretiva est gratia specialis iuxta M. P. de Præd. c. 5. ergò. Nec obstat, quod iuxta D. Thom. 1. p. q. 63. a. 5. ad 4. *Deus ante conversionem aliquorum Angelorum, & aliorum aversionem, non discrevit inter illos.* Et in hoc sensu asserit intelligenda esse verba M. P. lib. 11. de Civ. c. 11. Non inquàm obstat: Nàm loquitur de discretione quantū ad privationē gratię, & glorię in malis, & quantū ad gloriæ collationem in bonis. Unde subdit S. D. *Et ideò omnes in gratia creati in 1. instanti meruerunt; sed quidam eorum statim impedimentum præstiterunt; & ideò beatitudine sunt privati.* Testimonium, quod adduximus, agit de discretione, qua donavit gratiam bonis, ut permanerent in bono.

Reſp. affirmativ. & prob. 1

Negat Mā ſo q. 5. n. 20. de Auxil. ad vel le. 1

Secundo.

Duplex discretio.

Dices 1. Ex vi providentiæ generalis elevantis Angelos ad ordinem gratiæ erat debitum aliquibus auxilium efficax ad perseverandū: videtur enim monstruosum, parùmque decens eius suavitati, ad hoc petere aliam providentiam specialem. Insto arg. Etiam videtur monstruosum, quod ex vi voluntatis amis. qua Deus vult omnes Angelos salvos fieri (idemque de hominibus perseverantibus in statu innocentiæ) quod nullus salvetur etiam vagè; & tamen hoc est verum iuxta omnes Thomist. requirentes prædestinationem, quæ est providentia specialissima Dei, ut aliquis reipsa salvetur. Quapropter dicend. hoc videri posse monstruosum attenta solū benignitate, & liberalitate Dei in miserendo: secus vero attento iure creaturę mutabilis, & vertibilis de bono in malum.

46

Instab. 2.

Dices 2. Auxilium efficax collatum Angelis, ut in 2. instanti diligerent Deum supèr omnia, non fuit gratia specialis supposita elevatione per gratiam, & virtutes, quibus fuerunt prædditi in 1. instanti. Atqui tale auxilium, iuxta Thomist. propugnantes Angelos esse inflexibiles circa bonum cum perfecta deliberatione volitum, est auxilium ad perseverandum in bono: ergò huiusmodi auxilium ad perseverandum in Angelis &c. mai. prob. Angeli fuerunt maximè expediti per gratiā, & virtutes infusas in 1. instanti ad diligendum Deum super omnia pro 2. instanti; sed naturę facili, & expeditę ad supernaturalitèr operandum, debetur auxilium efficax pro elicientia talis operationis, saltèm in aliquib. indiv. ergò.

47

Secundo. Et difficilius.

Angel. in ordine grat. solo num. differunt, ſic Codoy.

Argum. non procedit de perseverantia Angelorum, ut de facto fuit à Deo prædefinita ex intentione efficaci illos glorificandi: Nàm sub hac consideratione fuit effectus providen-

48

Solutio.

tiæ specialissimæ, ad quam, etiam suppositâ eorum inflexibilitate per dilectionem Dei in 2. instanti, secluſſa promissione non habebant ius. Quare procedit de perseverantia, ùt præcisè dicit immobilitatem in bono. Ad argum. Resp. cum SS. MM. (& etiam ex Illust. Castell dubio de inflexibilitate) Angelis titulo elevationis, & expeditionis intra ordinem gratię, fuisse debitum auxilium efficax, ut in 1. instanti diligerent Deum super omnia; non tamē, ut continuarent talem dilectionem in 2. instanti. Unde discretio proveniens à Deo, qua discrevit inter bonos, & malos, dividendo lucem à tenebris, ut loquitur M. P. ortum duxit, dùm aliquos prædeterminavit per gratiam suam, ut in 2. instanti perseverarent in dilectione: Et ideò in bono confirmati; alijs iusto Dei iudicio non conferendo huiusmodi gratiam, ut continuarent primam dilectionem.

49 Hæc tamen solutio non plenè satisfacit. Nam doctrina de eo, *quod subiecto potenti, inclinato, & expedito ad operandum &c. * intelligitur attenta suavitate providentiæ Dei. Unde non tenet verum pro casu, pro quo Deus teneatur dare auxiliū omni creaturæ ad operationem, per quam constituat eā in actu primo completo, ut deliberatè operetur se movendo de uno actu in alium. Sed sic se habuit dilectio Dei elicita ab Angelis in 1. instanti; cum iuxta Thom. Deus teneretur suppositâ elevatione ad ordinem gratiæ dare omnibus auxilium ad eius elicientiā: ergò. Pro solut. notandū 1. quod licet naturæ potenti, & cum sufficientia ad honestè operandum in quocumque ordine, debeatur reduci aliquando ad operat. non tamen ad diù, aut semper sic operandum; nec similitèr ad collectionem omnis rectæ operationis formaliter, aut ad operationem, quæ talis sit æquivalentèr; quādo talis natura est de se peccabilis. 2. Notandum, quòd talis propositio supra posita tenet verum de sufficientia relatè ad terminum primarium, & formalem, secus vero ad terminum, quem secundario, & ex consequenti respicit.

Obstat cō tra solut.

Not. pro vera solu. 1.

Secundo.

50 Ob hanc doctrinam dicitur communiter; homini elevato ad ordinem gratiæ deberi auxilium efficax supernaturale, ut aliquando sic operetur; non tamen ut pluriès; nec pariter ad actū charitatis determinatè; ob eius maximam perfectionem. Nec etiam consecutio vitæ æternæ; eo quòd auxilia sufficientia solum ex consequenti illam respiciunt; quia terminus ad quem immediatè, & primario dispensantur, sunt actus supernaturales. Ex his notatis Resp. Angelis suppositâ elevatione ad ordinem gratiæ cum plena sufficientia morali completa per actus elicitos in 1. instanti, deberi auxilium efficax ad exercendū in 2. aliquos actus supernaturales; non tamen actum charitatis determinatè. Tale enim debitum ponitur, nè natura elevata sit frustra; ad hoc autem sufficit attingere terminum formalem, scilicèt, operari honestè intra ordinem gratiæ. Inflexibilitas in bono in Angelis non sequitur, nisi ex plena adhęsione ad finem ultimum, qui est Deus super omnia dilectus; sicuti nec obstinatio, nō nisi ex conversione ad bonum commutabile ut finem ultimum. Rursùs. Licet actus charitatis ex specie sua non sit collectio plurium actuum, nec reddat subiectum ampliùs impeccabile; secùs tamen in Angelis iuxta doctrinam Div. Thom. Cumque hoc excedat exigentiam naturæ peccabilis; ideò auxilium ad continuationem dilectionis non fuit debitum eis etiam vagè: 1. quia est eminentèr collectio plurium actuum; & operatio sēper duratura: 2. quia constituens subiectum in statu, in quo deinceps non possit peccare. *Et hæc de hoc dub. applic. ubi præced.*

Solutio.

(*)

DU-

DUBIUM XIX.

QVID SIT GRATIA THEOLOGICA; & quid gratia Philosophica? & ad quos actus dispensetur?

§. I.

EX DOCTRINA D. THOM. RESOLVITUR 1. DIFFICULTAS.

N. 1 ACturi in sequentibus (Deo dante) de variis divisionibus gratiæ edoctis à Sacra Scriptura, Concil. PP. & Ang. M. modò solum, eam divisionem, quæ in titulo describitur resolvemus, duplici urgente causa. 1. Nè novitate vocum aliqui hallucinentur. 2. Quia ostendam eam solidè fundari in S. D. ab alijs esto non citato: ideòque nihil verum sub Sole Angelico novũ. Divisio gratiæ actualis in Philosophicam, & Theologicã, ferè nunquam usitata fuit apud Antiquos, ut videre est in Capreolo, Soto, Medina, & Alijs agentibus de necessitate gratiæ contra Pelagium, & item impugnantibus errorem Lutheri negantis in homines liberum arbitrium ad rectè operandum; & pariter impugnantibus Michaelem Bayum, asserentem sine Dei gratia liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere &c. Hi enim omnes solum usi sunt his terminis *Gratia*; *gratia supernaturalis*, *gratia specialis intra ordinem naturæ*; ex quorum usu pro diversitate occasionis confutarunt omnes errores versantes circa necessitatem gratiæ ad rectè operandum. At vero divisio gratiæ supra descripta frequentèr invenitur apud RR. Societatis sequentes P. Molina disp. 5. in concordia divinæ gratiæ cum libero arbitrio. Quos AA. citatos invenies apud P. Aranda tom. 1. lib. 10. disp. 52. sect. 1. & Doct. Marin. disp. 7. sect. 2. Hunc modum loquendi amplectuntur ex nostris Illust. Godoy, & M. Bolivar tract. de necessitate gratiæ, non discutientes motivum novitatis vocum penès gratiam Theologicam, & Philosophicam.

Ang. M. 1.2.q.71.a.6. postquam explicuit diffinitionem peccati traditam à Mag. P. per oppositionem ad legem Dei æternam, sibi objicit 5. argum. sub hac forma: *Peccatum significat malum hominis actum; sed malum hominis est contra rationem esse: ergò potiùs debuit dici, quod peccatum sit contra rationem, quam quod sit contra legem æternam.* Ad quod Resp. *Dicendum, quod peccatum à Theologis consideratur præcipuè, secundum quod est offensa contra Deum; à Philosopho autem morali, secundùm quod contrariatur rationi, & ideò Augustin. convenientiùs diffinit peccatum, ex hoc, quod est contra legem æternam, quam ex hoc quod est contra rationem.* Ex qua doctr. clarè colligitur considerationem Theologicam peccati respicere illud secundum quod est offensa Dei, & aversio ab ipso, ut fine ultimo supernaturali. Ratio huius est. Nàm Theologia, cum innitatur principijs fidei; agit primario de Deo ut A. gratiæ, sub qua consideratione spectat ad fidem; unde non considerat peccatum, nisi quatenùs est offensa, & aversio à Deo fine ultimo supernaturali.* Si igitur peccatũ, quatenùs est offensa Dei finis ultimi supernaturalis, est peccatum, sive malum Theologicè; & quatenùs consideratur, ut dissonum rectæ rationi, est peccatũ sumptum Philosophicè; non sine gravi fun-

2 Primum testim.

* Illatio.

fundamento doctrinæ Angelici Magistri innitenti * gratia specialis, per quam homo ordinatur ad fruitionem æternam Dei, ut est Author gratiæ, dicenda erit gratia specialis Theologica; gratia verò, quæ solum ordinat hominem, ut vivat secundum rectam rationem naturalem, & ultra non transcendit, dicenda erit gratia specialis in sensu Philosophico morali.*

3 Secundū.

In idem, & adhùc expressiùs, facit Angelici Magistri doctrina quæst. 14. de Veritat. art. 3. ubi cum inquireret; *An fides sit virtus?* Respondet: *Hoc adesse discrimen inter Theologum, & Philosophum moralem; ille enim considerat Deum, ut Authorem gratiæ, & omnia alia, quatenùs ad illum ordinantur, ut finem ultimum simpliciter; iste verò respicit pro fine suæ considerationis actus humanos, pròut conformantur cum recta ratione.* Hoc discrimine stabilito, asserit: * Habitus virtutum inclinantes hominem ad iustè, fortiter, & temperatè vivendum (seclusis fide, & charitate) dici virtutes in sensu philosophico, non tamen in sensu theologico; cùm non ordinentur ad Deum Authorem gratiæ, ut ad finem ultimum: nec mereantur vitam æternam. Eadem tradit ad 9. & 2. 6. ad 5. Ratio huius doctrinæ habetur in eodem Sancto Doctore quæst. 1. de Potentia art. 4. ubi ait: *Quamlibet scientiam proferre iudicium de rebus, iuxta causas proprias, quas considerat.* Apponit exemplum in Astrologo, & Medico iudicantibus de eadem infirmitate: *Astrologus enim, qui causas superiores considerat, fert iudicium de infirmitate secundùm positionem syderum; Medicus verò iudicat de infirmitate, secundùm virtutem proximam naturæ, & qualitatem morbi.* Cum igitur principia, ex quibus iudicat Theologia, sint supernaturalia, & quibus homo ordinatur ad Deum Authorem gratiæ, ut finem ultimum; Philosophia vero moralis respiciat pro fine conformitatem actuum humanorum cum recta ratione naturali: inde fit à Theologo solum appellari propriè virtutes, habitus ordinantes hominem ad Dei fruitionem; à Philosopho tamen morali appellari virtutes, habitus, quibus rectè, & laudabilitèr operatur homo se confirmando cum recta ratione. Conformitèr ad hanc doctrinam exponenda sunt aliqua testimonia Magni Parentis negantis in infidelibus, tùm bona opera, tùm etiam virtutes, de quo alibi. Videatur Eminentiss. Cayetanus 1. 2. quæst. 65. art. 2.

4 Prob. ratione.

Ex his sic arg. pro præsenti assumpto. Sicut virtus est qualitas disponens hominem ad rectè operandum; sic gratia actualis est auxilium Dei moventis hominem, ut recte velit, & operetur; sed virtus tantum disponens hominem, ut rectè operetur se conformando cum recta ratione naturali, non tamen se ullatenùs disponēdo ad iustificationē, & ad merendum vitam æternam, non est virtus Theologicè talis, sed solum Philosophicè: ergò auxilium movens hominem, ut unicè operetur honestè intra ordinem naturæ, & non se disponendo ad iustificationem, & consecutionem vitæ æternæ, erit ad summum gratia specialis purè Philosophica, non vero Theologica. Aliter, & breviùs. Virtus positivè conducens, & fructificans ad consecutionem gloriæ, est virtus Theologicè dicta; illa vero, quæ sic non conducit, nec fructificat, est tantum virtus Philosophica: ergò gratia movens ad actum positivè conducentem, ut homo credat, iustificetur, & consequatur vitam æternam, est gratia Theologica; illa vero, quæ tantum movet ad actum honestum; sterilem tamen ad iustitiam, & ad vitæ æternæ consecutionem, est gratia Philosophica; non quidem Philosophica physicè, sed moralitèr.

Aliter.

5 Quædam instantia.

Obitèr tamen notandum doctrinam hucusque traditam, præsertim num. 2. minimè favere posse cuidam propositioni damnatæ ab Alexandro VIII. die 24. August. ann. 1690. quæ est sequentis tenoris: *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; theologicum verò, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quamvis grave in illo, qui Deum vel ig-*

ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. Minimè, inquam, favet 1.

Respond. Nam in prædicta damnatione solum prohiberur asserere: esse posse dari peccatum grave pure Philosophicum, & nullatenùs Theologicum; non tamen prohibetur posse dari in eodem peccato diversas formalitates subordinatè se habentes in illo; ita, ut sub una appelletur peccatum in sensu Philosophico, & sub alia peccatum in sensu Theologico. 2. Quia quod directè prohibetur, & damnatur à Summo Pontifice, est, asserere, * posse dari grave peccatum, quin sit offensa Dei, quin sit peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, & quin sit pœna æterna dignum. * Hoc autem minimè deducitur ex doctrina superius tradita, ubi solum asseritur; in peccato, quod opponitur cum recta ratione, & simul est mortalis offensa Dei, dignúque pœna æterna; considerationem illius sub formalitate oppositionis cum recta ratione; posse dici considerationem peccati in sensu Philosophico morali: de quo diximus tract. de peccat. dub. 2. in corollarijs.

§. II.

PRIMA CONCLUS. PRO 2. DIFFIC.

Cogitatio congrua entitative naturalis non est gratia Theologicè dicta.

6 EST contra P. Vazquez, & Alios, quos refert Aranda, sed communiter tenetur à Theologis. Prima ratio est. Gratia Theologica dicitur auxilium dispensatum à Deo, ut homo salutariter operetur, aut saltim se remotè disponat ad cõsecutionem vitæ æternæ; sed actus honestus intra ordinem naturæ nõ est actus salutaris, aut disponens remotè hominẽ ad consecutionem salutis æternæ: ergò non requirit ad sui existentiam congruam cogitationem, quæ dicenda sit gratia Theologica. Mai. constat ex adduct. §. antec. doctrina Ang. D. solidè fundatis, expressèque asserentis actũ non dici bonum in consideration Theologica, nisi sit salutaris &c. aut intrinsecè, ut contingit in actibus fidei, spei, &c. aut extrinsecè, uti contingit in actibus honestis naturalibus, quando eliciuntur ex imperio charitatis; ideòque sunt actus meritorij vitæ æternæ.

Prob. rationa.

Minor vero probat. Actus, 7
qui nullatenùs est meritorius gratiæ supernaturalis ad credendum, non est actus salutaris, aut de se positivè conducens ad consecutionem salutis æternæ; cum fides sit radix, & fundamentum iustificationis, & inchoatio totius ordinis gratiæ, cui annexa est consecutio vitæ æternæ in illa perseverantibus; sed actus entitative naturalis seclusò omni imperio supernaturali, etiã honestus, nullo modo est meritorius gratiæ auxiliantis ad credendum: ergò. Min. latè probatur à Theologis tract. de prædest. & de merito, & tanquam certa habetur ab eisdem probantibus, tùm author. Sic. Scrip. & PP. tùm ratione; primam gratiam auxiliantem supernaturalem non cadere sub merito de condigno, aut de congruo operum naturalium, de quo videri potest Mag. Gonet tract. de prædest. disp. 2. art. 3. & Alij ab eo citati. Ad quæ respiciens P. Suarez lib. 1. de gratia cap. 17. num. 11. asserit opinionem P. Vazquez de merito congrui concesso operibus naturalibus in ordine ad primam gratiam supernaturalem adeò esse alienam à Magno Parente, ut vix possit secerni ab errore Semi-Pelagianorum. Similia profert P. Ripalda tom. 1. disp. 17. ferè eisdem vocibus utens. Ego libenter ab omni specie censuræ me abstinens. Sic in vi consequent. probo min. Semi Pelagiani tantum adstruebant meritum de congruo in operibus naturalibus respectu primæ gratiæ supernaturalis ad fidem; quapropter Cassianus lib. 12. collat. cap. 11. asserit, *petitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei dederit id, quod petimus.* Ubi expressè negat meritum de condigno respectu 1. gratiæ supern: &

Quid sentiat P. Suarez, & Ripald.

tamen hìc modus dicendi Semi Pelagianorum est damnatus ab Ecclesia, ut manifestus error in fide : ergò actus honestus entitativè naturalis &c. Ita sentiunt Mag. Medina, Soto, Lorca, Montesinos, Illust. Araujo, M. à S. Thoma, & alij.

7 Nec prodest dicere Semi-Pelagianos ideò errasse, quia concedebant rationem meriti de congruo, tùm vocationis ad fidē, tùm etiam gratiæ iustificantis, operibus naturalibus elicitis sine præveniente gratia Dei per Christum. A quo modo dicendi longè distat opinio P. Vazquez ponentis actum honestum naturalem meritorium de congruo primæ vocationis supernaturalis fieri ex gratia speciali per Christum. Vel clariùs : error Semi-Pelagian. his clauditur terminis : *Homo per opera naturalia elicita sine gratia per Christum, meretur de congruo gratiam primam auxiliantem supernaturalem, & ex consequenti gratiam habitualem.* Hæc autem propositio nullatenùs conceditur à P. Vazquez, ut ex supra dictis constat.

Respons. quædam.

8 Non inquam prodest 1. Nàm Semi-Pelagiani non negabant ad opera naturalia meritoria de congruo primæ gratiæ supernaturalis necessariò præcedere gratiam auxiliantem, quam ponit P. Vazquez ; scilicèt, ad honestè operandum debere præcedere cogitationem honestam entitativè naturalem, & item ; propter coniunctionem cum operibus honestis, non poterant negare esse cogitationem congruam ; aliter enim turpissimè errarent in Phylosophia asserentes posse dari actum honestum naturalem sine cognitione honesta naturali ; similitèrque errarent ; negando cogitationem honestam coniunctam cum opere bono non esse congruam, & efficacem : ergò quidquid realitatis, & entitatis in gratia. 1. ponitur à P. Vazquez pro elicientia operum naturalium, quibus homo meretur de congruo primam gratiam supernaturalem, adstruebatur etiam à Semi-Pelagianis pro elicientia eorundem operum. Quapropter solum critdiscrimen in eo, quod gratia, quā ponit P. Vazquez ; dicitur *gratia per Christum*, sive ex eius meritis ; secùs autem gratia posita à Semi Pelag. Cumque hoc, quod est *gratiam aliquam esse, aut dari nobis per Christum*, sit aliqua denominatio extrinseca ; si vera est solutio tradita ; sequitur controversiam inter Catholicos, & Semi Pelagianos solum versari circa aliquam denominationem extrinsecam gratiæ ad actus purè natur. *quod quis credet?*

Impug. 1

9 Non prodest 2. Nàm falsum est Semi-Pelagianos damnari à SS. PP. quia asserebant gratiam vocationis ad fidem dari ex meritis viribus naturæ elicitis, & sine speciali gratia per Christum. Constat hoc ex Concilio Arausican. apprimè describenti prædictum errorem c. 3. sequentibus verbis : *Si quis dicit invocatione humana gratiam Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ &c.* Et cap. 6. *Si quis sine gratia Dei volentibus, desiderantibus, & pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri : non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur : aut humilitati, & obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, contradicit Apostolo &c.* Ubi duo notanda sunt. Primum Semi-Pelagianos solum concedere operibus naturalibus meritum de congruo respectu gratiæ vocationis ad fidem, & ad iustificationem. Hoc manifestè constat ex illis verbis : *Misericordiam nobis conferri* ; meritum enim de condigno innititur iustitiæ iuxta omnium Theologorum sensum. Secundum : in prædict. capit. non damnari meritum concessum à Semi-Pelagianis operibus naturalibus, quia illud ponerent sine speciali *gratia per Christum*, sed sine gratia Dei, ut ex ipso contextu appatet. His notatis, sic arguitur. Iuxta præfata verba Concil. asserere volitionem, & desiderium elicitum sine gratia Dei mereri de congruo vocationē ad fidem, & exinde gratiam ad dignè merendum vitam æternam, est error damnatus cap. cit. ergò quia Semi-Pelagiani non concedebant gratiam Dei præcedere volitionem, & desiderium

Secundò.

De hoc sæpe M. P.

quod

quo Deus moveretur ad infusionem gratiæ auxiliantis ad credendum. At qui non poterant negare pro talibus operibus necessario debere præcedere rectam cogitationem excitantem, & suadentem voluntati honeste, & laudabiliter operari: ergò quia Concilium tenuit huiusmodi rectam cogitationem non esse proprie gratiam Dei, & multo minùs illam posse dici gratiam Dei per Iesum-Christum.

§. III.

Aliud motivum ad idem, quia non sunt meritoria de congruo.

10 OPera honesta naturalia, nec de congruo, esse meritoria gratiæ vocationis ad fidem, expresse docetur à D. Tho. ad Ephes. 1. lect. 4. ad illa verba: *Nos sorte vocati sumus*, in per quæ ait: *Gratia Divinæ vocationis dicitur sors, quia sors nihil aliud est, quam inquisitio rerum, quæ ex divina voluntate fiunt; gratia eius autem ex sola divina voluntate pendet: quia Deus secundum occultam providentiam, non ex alicuius meritis; per gratiam internam vocat: & ideo gratia divinæ electionis dicitur sors.* Idem docet P. Aug. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 5. ubi loquens de vocatione D. Pauli ad fidem Christi, hæc habet: *Ut de Cœlo à Deo vocaretur, & tàm magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; merita quippè erant mala, sed mala.* Et S. Prosp. sent. 374. *Qui audiunt veritatem, & credunt, ex veritate ipsa præstatur, nullis proculdubiò præcedentibus meritis, nè gratia non sit gratia*: & Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. *Exordium nostræ iustificationis in adultis à præveniente Dei gratia per Iesum-Christum sumendum est, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur.* In quibus omnibus si illa dictio universalis negativa *nullis præcedentibus meritis*, attente consideretur; videtur esse expressam mentem Concilij, & SS. PP. gratiam auxiliantem ad credendum fide supernaturali non dari ex meritis de condigno, aut de congruo, propter opera honesta naturalia fidem præcedentia. Hunc sensum probat P. Aug. lib. de prædest. SS. fere per totum, ex illo Pauli: *Vobis donatum est pro Christo, ut credatis in eum*; & rursus: *Fides Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Ad Ephes. cap. 2.

Prob. Author.

Sufficiat Author. Trid.

Ad Phil. 1.

Deindè prob. ratione: De ratione meriti, etsi de congruo, est dicere, & positivam proportionem cum præmio, & insuper aliquod ius ad receptionem præmij; sed opera honesta purè naturalia, nec dicunt positivam proportionem cum gratia auxilianti supernaturali, multoque minùs fundare possunt, aliquod ius ad receptionem talis gratiæ: ergò nequeunt mereri de congruo &c. Min. quoad 1. part. prob. ex D. Th. in 2. dist. 27. q. 1. a. 4. dicente: *In omni, qui meretur, exigitur, ut actus eius sit aliquomodo proportionatus ad id, quod meretur &c. Gratia vero omnino humanæ naturæ conditionem excedit: unde donum gratiæ nullo modo sub merito cadere potest eius, qui est in puris naturalibus.* Quo nihil expressius desiderari valet, si notentur illæ duæ dictiones, scilicèt, *aliquomodo*, & *nullo modo*; in quarum 1. meritum de congruo comprehenditur. Rursus: quod est ordinis purè obediētialis ad ordinem supernaturalem, non dicit positivam proportionem cum illo, sed sic se habent opera honesta ordinis naturalis: ergò. Denique. Meritum supernaturale est positive proportionatum cum præmio supernaturali: ergò id, quod est ordinis inferioris ad meritum supernaturale, nequit simili proportione gaudere. 2. vero pars min. prob. Ubi datur aliquod ius datur aliqua exigentia; at qui gratia supernaturalis est supra omnem exigentiam ordinis naturæ: ergò, & supra omne ius ordinis naturæ. Urgeo. Ubi est aliquod ius ad præmium, est debitum tale præmium; sed gratia supernaturalis nequit ullatenus deberi naturæ: ergò in operibus naturalibus, nequit dari ullum ius ad gratiam supernaturalem. Sed de his satis. Videantur Illust. Godoy de prædestinatione disp. 66. M. Ferre ibidem q. 6. §. 1. & 3. M. Medina q. 1. 2. 109. ar. 6. ubi exprofesso agitur de merito primæ gratiæ supernaturalis.

11 Probatur ratione.

Urgetur.

§.

§. IV.

Quidam modus refertur, & aliquibus, notatis, impugnatur.

12 LIcet motiva adducta, & alia, quæ tract. de merito iusti adducuntur effic: probēt opera honesta naturalia non mereri de congruo gratiam supernaturalem: doctissimus M. Serna tract. de merito iusti ar. 5. qui habetur inter opera M. Ferre 1. 2. tom. 3. fol. 747. expresse tuetur 1. gratiā supernat: sive grat: fide icadere sub merito de cōgruo operū naturalium. Quem modū dicendi connatur probare ex D. Tho. aliquibus testimonijs; simulque contendit suum modum dicendi longissimè distare ab errore Semi Pelag: etiā admisso; quod isti tantum meritum de congruo concesserint operibus naturalibus. Pro quo notat 1. Semi-Pelagian: taliter cōcedere bonis operibus solū rationem meriti de congro respectu gratiæ supernaturalis, ut negarent talia opera fieri ex gratia Dei. Undè consequenter asserebant præd. opera, etsi bona, non esse connumeranda inter dona Dei. Alias meritor: non essent. Constat hoc ex D. Prosp. dicente: *Igitur secundum regulam tuam, quibus donatum est, ut non solum crederent in Christum, sed etiam, ut paterentur pro ipso, & laudem, & meritum perdiderunt; nec habent veram gloriam, quia non in se, sed in Domino gloriantur.* Et rursus idem S. Prosp. refert Cassianum sic de fide Centurionis loquentem: *nullius meriti, ac laudis fuisset fides Centurionis, si id, quod Dominus donaret, in eo prætulisset.*

Notat 1.

Lib. contra Collatorem.

13 Notat 2. Non opponi rationi gratiæ, eā deberi bonis operibus, dum modo hæc procedant ex gratia Dei, ut expresse docet P. Aug. lib. de grat. & lib. arb. c. 6. Bona autē opera ordinis naturalis, etsi non fiant ex gratia supernaturali, fiūt tamen absolutèex gratia Dei; Nam iuxta D. Tho. hac 1. 2. q. 119. ar. 2.* gratia Dei dupliciter dicitur; uno modo habituale donum animæ impressam; alio modo auxilium Dei moventis animam ad bonum cognoscendum, volendum, & faciendum. * Et quamvis huiusmodi auxilium sit debitum naturæ ad aliquos actus; quia tamen non debetur huic individuo in hac occasione, nec in hac temporis opportunitate, ideò præd. auxilium, etiò ad generalem providentiam Dei spectet, non immeritò appellatur gratia. Hæc autem gratia iuxta doctrinam D. Th. est illa, per quā Deus operatur in nobis velle, & facere bonum, estque gratia Dei, per quam facit, ut faciamus.

Secundo.

Ex his prænotatis facilè potest occurri, assignando discrimen inter errorem Semi-Pelag: & modum dicendi huius Sap. Mag. disting. sequentē propositionem: *Semi-Pelagian: concedebant gratiam supernaturalem cadere sub merito operum naturalium*; & de istis asserebant esse dona Dei, fierique ex gratia ipsius, per quam faceret, ut fierent talia opera; neg. & hoc totum negabant præd. operibus, conc. Similiter iuxta doctrinam traditam distinguenda est illa propositio Apost. quæ prædicto modo dicendi adversari videtur: *si gratia ium non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia*: distinguenda, inquam, est de operibus non eliciris ex gratia; secus autem de operibus ex gratia factis. Eò maximè, quia iuxta D. Thom. ad Hebræos 6. lect. 3. meritum de condigno innititur iustitiæ, meritum vero de congruo innititur misericordiæ, & liberalitati Dei. Igitur non opponitur cum gratia supernaturali, dari ex meritis naturalibus, quæ etiā fiunt ex gratia Dei, & solum illam merentur de congruo, quod tantum dicitur meritum secundum quid. Iuxta S. D. in 4. dist. 15. q. 1. a. q. 4.

14 Ex his respond. M. Serna.

Ad Rom. 11.

Sed antequam ad impugnationem huius modi dicendi deveniamus (etsi levi manu, ob insignem authoritatem tanti M.) placet assignare aliud discrimen inter opinionem Patris Vazquez, & modum dicendi huius eximij viri. Hoc autēfacilè constabit, discutiendo gratiam, quam P. Vazquez ad opera honesta naturalia requirit. Hæc enim consistit in congrua cogitatione naturali excitata ex concursu, & occursu obiectorum naturaliū; & cuius congruitas, sive efficacia non convenit ipsi quia descendit à Deo, sed ex determinatione voluntatis creatæ. In primis huiusmodi gratia,

15 Discrimē inter modum M. Serna, & P. Vazq:

tia, non differt in munere à gratia legis, & doctrinæ, cui proprium est movere voluntatem alliciendo, suadendo, & hortando. Qua de causa P. Aug. lib. de gratia Christi cap. 10. referens Pelagium asserentem: *Deum operari in nobis velle, quod bonum est, quia aperit oculos cordis nostri, & revelatione suæ sapientiæ in desiderium sui suscitat nostram voluntatem, eamque accendit*; sequens profert de tali modo dicendi iudicium: *sed in his omnibus Pelagius à commendatione legis, & doctrinæ non recedit.* Ex quibus constat motionem consistentem in alliciendo, & attrahendo voluntatem ad bonum per ostensionem, & propositionem honestatis obiecti, non differre in munere à gratia legis, & doctrinæ. Ex hoc deducitur, gratiam concessam à P. Vazquez nec esse gratiã, per quam Deus propriè facit, ut velimus, & faciamus; nec esse sufficientem, ut opera, quæ media illa eliciuntur a libero arb. sint propriè data, aut dona Dei. Ratio 1. est. Nàm talis gratia, ut probavimus, est in munere gratia legis, & doctrinæ, de qua certum est non esse gratiam, per quam Deus facit, ut faciamus. Rursus. Nàm gratia in cogitatione consistens, solum influit moraliter, & secundum quid in actum elicitum à voluntate; cũ eiusmodi influxus spectet ad genus causæ finalis: * ergò non est gratia faciens cum proprietate nos facere.

* Sic acriter P. Suarez.

16 Secundũ.

Ratio 2. est 1. Opus aliquod esse donum Di, est cadere sub dominio immediato ipsius; sed iuxta opinionem P. Vazquez, opus honestum naturale non cadit sub dominio immediato Dei: ergò. Mai. constat. Nàm Deus non minus est supremus Dominus suorum donorum, ac est suprema causa illa efficiens; sed ob rationem causæ suprema omne donum creatum efficitur immediatè ab ipso Deo: ergò, & debet cadere sub dominio immediato Dei. Tùm quia, cum dominium immediatum sit perfectius mediato tantum; videtur repugnans opus honestum naturale cadere sub dominio immediato voluntatis creatæ, & sub dominio tantum mediato Dei. Tùm quia quomodo stabit illud Pauli: *Non est volentis, neque currentis &c.* si ipsum velle tantum cadit sub dominio mediato misericordiæ Dei, & immediato sub determinatione voluntatis. Min. vero prob. non cadit sub dominio immediato Dei prævenientis per gratiam suam, quod immediatè non determinatur per talem gratiam: cum facultas dominativa sit facultas determinandi existentiam rei, cui dominatur. Atqui velle bonum non determinatur à præveniente gratia Dei per cogitationem congruam; cum iuxta ipsum Vazquez cogitatio potius dicatur congrua, quia determinatur à lib. arb. per ipsum velle bonum: ergò &c. Ex his constat adesse grande discrimen inter modum dicendi M. Serna, & modum dicendi Vazquez: cum ille ultra rectam cogitationem provenientem à Deo, per quam moraliter excitat voluntatem, requirat gratiam prædeterminantem, ut voluntas velit bonum, & per quam verificatur cum omni proprietate; velle bonũ in nobis procedere à Deo, ut supremo, & immediato domino, & ut libere donanti per gratiam suam velle bonum; & faciendo, ut voluntas se determinet ad volitionem boni; quæ omnia negat P. Vazquez, contentus cum sola gratia in recta cogitatione consistenti, & secundùm sibi intrinseca coniungibili cum volitione boni, & eius carentia. Huiusmodi autem rectam cogitationem prærequiri ad volitionem boni, non negabant, nec negare poterant Semi Pelagiani.

In Deo solum ponit Decretum comitans.

Ad Rom. 9.

Et illud M.P. magis Deus habet in sua potestate &c. de correct. 14.

Redeundo ad ea, quæ pro solutione rationis probativæ nostræ conclusionis adducit M. Serna; dicimus illa esse insufficientia, ut operibus honestis naturalibus possit concedi ratio meriti de congruo respectu gratiæ supernaturalis. Nàm etsi talia opera sint à Deo ab æterno prædefinita; & insuper sint dona Dei operantis illa per gratiam suam distinctam à gratia, per quam confert nobis libertatem; his omnibus stãtibus adhùc talia opera manent intra ordinem naturæ; cui nequit concedi aliqua proportio positiva, aut aliqualis exigentia, sive ius aliquod ad gratiam supernaturalem: cumque meritum de congruo (nisi sit abusus, aut litigium de voce) de-

17 Impugnatur 1.

debeat esse positive proportionatum, & fundare aliquod ius ad præmium; fit consequens opera honesta naturalia, etsi elicita media gratia prædeterminanti, adhuc speciali intra ordinem naturæ; non mereri de congruo gratiam supernaturalem. His adde 1. D. Tho 1. 2. q. 114. ar. 2. dicentem: *Actus cuiuscumque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus; hoc enim est ex institutione Divinæ providentiæ, ut nihil agat ultra suam virtutem.* Ex quibus sic argum. nequit actus mereri de congruo id, ad quod divinitus non ordinatur; Nàm meritum, qua tale, respicit præmium, & ad illud ordinatur, tanquam medium ad finem; sed actus honestus entitative naturalis non ordinatur divinitus ad gratiam supernaturalem: ergò. Prob. min. Actus entitative naturalis non ordinatur divinitus ad id, quod excedit proportionem virtutis, quæ est principium talis actus, ita D. Tho. ubi immediatè. Sed gratia supernaturalis excedit proportionem virium naturalium, quæ sunt principium actus entitativè naturalis: ergò.

18 2. Nàm videtur mihi aliqua inconseq: doctrinæ in tali asserto, si ea quæ communiter Thom. propugnant Secundo. tract. de visione, memoriæ recolantur. Siquidem plus videtur exaltare vires naturæ, qui operibus pure naturalibus concedit rationem meriti de congruo alicuius doni entitative supernaturalis, quam ille, qui tantum concedit naturæ vim partialem influxivam in actus supernaturales. 1. quia ratio meriti ex terminis plus dignitatis, & æstimabilitatis importat, quam ratio virtutis partalis physicè influentis. Tùm quia tale meritum de congruo non est causa partialis, aut elevabilis per meritum supernaturale, sed causa totalis, & adæquata in suo ordine; virtus vero intellectus in ordine ad elicientiam visionis, & elevatur per lumẽ gloriæ, & partialiter in ratione potentiæ obedientialis, active influit in visionem. Hac de causa etsi PP. Societatis concedant partialem concursum potentiæ naturali in actus supernaturales, nequeunt concedere (nec volunt) operibus naturalibus rationem meriti de congruo; aut etiam rationem dispositionis, etsi remotæ, respectu gratiæ supernaturalis. E contra vero M. Serna concedit 2. negato primo.

19 Hæc, & alia non latuerunt præd. M. Quapropter à n. 1298. respondet opera honesta naturalia non mereri Respons. de congruo gratiam supernaturalem ex eodem congruitate intrinseca ipsis conve- M. nienti, & propter aliquam habitudinem, sive ius intrinsecum ad collationem talis gratiæ; sed tantum esse meritoria congruitate extrinseca desumpta ex infinita excellentia potentiæ, & misericordiæ Divinæ; secundum quam congruum, & decens est, ut homini operanti honeste ex viribus naturæ dilectionem, & alia opera egregria, conferat vocationem ad supernaturaliter credendum. Hęc tamen doctrina maxima ex parte deserit sententiam, quam in principio propugnaret, & secundum quam videtur ipsi, se adversari communi sententiæ Thomistarũ. Ratio est. Nàm ubi nulla adest ratio debiti etiam moralis, nec ullum ius intrinsecum, aut habitudo ullatenùs intrinseca invenitur; nulla potest inveniri ratio meriti de congruo, nisi abusive, & nimis improprie meritum de congruo dicatur; tùm ex ratione communi meriti, ut sic præscindentis à merito de condigno, & de congruo, scilicèt, *ius ad præmium.* Tùm quia aliquod opus esse congruum congruitate pure extrinseca, quatenus decens est divinæ bonitati conferre homini ad præsentiam illius aliquod donum, non sufficit In proso- ad rationẽ meriti etiam de congruo, log. c. 10. ut constat ex illo Anselmi: *Dum punis malos, iustus es, quia eorum meritis convenit; dum parcis malis, iustus es, quia tuæ bonitati concedens est.* Et tamen, non quoties Deus parcit peccatoribus, intervenit ex parte ipsorum meritum de congruo.

Ex quibus sic urgeo, & probo modum dicendi præd. M. nullatenùs 20 adversari sensui communi Thomistarũ. Dùm asserit Deũ misericorditer, & liberaliter conferre gratiam supernaturalem homini honeste operanti; vel asserit Deum purè liberaliter se gerere nullo interven: debito legali, aut mora-

li ex parte hominis respectu gratiæ supernaturalis; vel asserit ibi intervenire aliquod debitum, etsi latum, ortum ex honestate virtutis; cuiusmodi est debitum amicitiæ, gratitudinis &c? (de quo D.Tho.2.2.q.80.ar.11.) Si 1. non, nisi voce tenus, affirmari potest opera honesta naturalia mereri de congruo gratiam supernaturalem; nec nisi voce tenus, differt à communi sensu Thomistarum. Si 2. (præterquāquod congruitas concessa bonis operibus in ordine ad gratiam supernaturalem, non est pure extrinseca) opponitur cum ordine naturæ, in quo nulla datur proportio positiva cum ordine gratiæ, multòque minus aliqualis exigentia, & debitum etiam secundum quid, in ordine ad gratiam supernaturalem. Hinc constat testimonia S. D. quæ præd. M. in sui favorem adducit, nullatenùs probare in operibus naturalibus dari rationem meriti de congro respectu gratiæ supernaturalis in aliquo vero sensu; siquidem exponenda sunt iuxta doctrinam eiusdem M. de congruitate purè extrinseca desumpta ex infinita excellentia bonitatis divinæ: ita ut ex parte bonorum operum nulla detur habitudo; aut proportio positiva cum ordine gratiæ; iuxta quam expositionem à nullo Theologo negari valet opera honesta naturalia gaudere congruitate respectu gratiæ supernaturalis.

Sic loq: S.D.hicq. 114.ar.3.

§. V.

Probat. idem assumptum; quia actus pure naturalis nequit positive disponere ad gratiam.

21 OPera honesta naturalia non disponere adhùc remote ad gratiam supernaturalem; Prob. 1. ex Concil. Trid. sess 6. cap.5. dicenti: *Exordium iustificationis in adultis à præveniente Dei gratia per Iesum Christum sumendum est, hoc est ab eius vocatione, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad suam ipsorum iustificationem disponantur.* Ex quibus sic argum. Dispositio positiva, etsi remota ad fidem, & iustificationem, est illa, à qua sumitur exordium iustificationis; omnis enim dispositio, etsi remota, est aliquod initium, & exordium introductionis formæ, ad quam disponit. Sed iuxta verba Concilij, initium, sive exordium iustificationis desumitur à Dei vocatione per gratiam supernaturalem: ergò nullum opus talem gratiam præcedens potest disponere remote ad gratiam fidei, & gratiam iustificationis. Min. constat 1. Nàm quis solidè affirmabit Deum dantem homini cogitationem congruam, ut temperate comedat, & honestè recreetur, vocari à Deo, ut credendo in ipsum iustificetur, & salutem æternam consequatur? 2. Nàm vocatio, de qua asserit Concilium esse exordium nostræ iustificationis, complectitur gratiam excitantem consistentem in Sancti Spiritus illuminatione, sive sancta inspiratione; ita enim prosequitur: *ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo nihil omnino agat inspirationem illam recipiens*; at qui vocatio, quæ est illuminatio, & inspiratio Spiritus Sancti, est gratia entitative supernaturalis: ergò.

Prob. Auth.

Confirm. ex eodem Concilio ibidem cap. 6. referenti, qualiter, & quibus dispositionibus, homines præparentur ad iustificationem, per verba sequentia: *disponuntur ad iustitiam, dùm excitati, & adiuti divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, quæ divinitus revelata sunt, & promissa &c.* Ubi expresse 1. dispositionem ad iustificationem collocat in fide à gratia Dei excitanti, & adiuvanti proveniente. Undè consequenter idem Concilium cap.8. illud Pauli: *Homines iustificantur per fidem*; sic exponit: *ideo per fidem iustificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis.* Quibus consonat M. P. Aug. de præd. SS. cap.7. asserens: * initium corrigendi cor, & se disponendi ad iustitiam esse fidem: * Ex quibus omnibus efficacissimè colligitur gratiam, à qua sumitur exordium nostræ iustificationis, esse gratiam supernaturalem, per quam homo vocatur ad fidem: proindeque, quodcumque opus honestum

22 Confirm.

Ad Rom. 5.

ex

ex cogitatione naturali congrua procedens non esse dispositionem positivam quovis modo inchoantem, initiantem, & exordientem progressum intra ordinem gratiæ. Confirm. hoc efficacissimè ex Arausic. cap. 7. sic definiente: *Si quis dixerit hominem per naturæ vigorem posse cogitare aliquid, ut expedit, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu.* Nunc sic: cogitatio, ut causans in nobis actum positive disponentem ad gratiam fidei, & iustificationis, est cogitatio expediens ad salutem; cum positive conducat ad ipsam. Sed iuxta immediatè adducta repugnat cogitatio expediens ad salutem, quæ non procedat ex illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti: ergò repugnat cogitatio aliqua regulans, & causans actum disponentem ad gratiam fidei, & iustificationis, quæ non sit ex tali illuminatione, & inspiratione. Atqui cogitatio congrua entitative naturalis nequit proprie dici procedere ex illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, ut cuilibet Theologo de se est manifestum: ergò actus naturalis ex tali cogitatione præcedens, nequit esse dispositio &c.

Secundo.

23 Adsunt etiam rationes efficacissimæ. Prima est. Omnis dispositio positiva, etsi remota, dicit positivam proportionem cum forma, ad quam disponit; cum reddat subiectum positive inclinatum ad susceptionem eiusdem; sed nihil entitativè naturale dicit proportionem positivam cum gratia supernaturali; cum sit ordinis inferioris, & pure obedientialiter se habens ad ordinem gratiæ: ergò actus honestus entitative naturalis &c. 2. Omnis dispositio positiva ad aliquam formam, dicit ordinem positivum ad illam, eamque respicit, ut finem; sed nihil naturale respicit positive tanquam finem aliquid supernaturale: ergò nihil entitativè naturale potest disponere ad gratiam entitative supernaturalem. Prob. min. Ordo agentium est iuxta ordinem finium, quos agens respicit in sua operatione: ergò id, quod procedit ab agente ordinis naturalis, nequit respicere positive pro fine, aliquid entitative supernaturale. Sed sic se habet actus honestus ex cogitatione naturali congruà procedens; ergo. Hæc ratio adducitur à Div. Thom. 1. 2. q. 114. ar. 2. dicenti: *Actus cuiuscumque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedès proportionem virtutis, quæ est principium actus.* Ubi expresse docet finem superantem proportionem virtutis entitative naturalis, qualis est gratia supernaturalis, non posse respici pro fine ab actu entitative naturali.

Variæ rationes. 1.

Secunda.

3. Subiectum positive, etsi remote dispositum ad formam supernaturalem, est positive discretum in ordine ad talem formam à subiecto, in quo talis dispositio non invenitur: ergò si actus entitative naturalis esset dispositio positiva ad gratiam supernaturalem, subiectum eliciens præd. actum esset discretum in ordine ad gratiam supernaturalem à subiecto non sic se disponenti, per aliquid pure naturale. Atqui omnis discretio positiva in ordine supernaturali provenit à Deo, ut A. gratiæ, minimèque potest haberi ex viribus naturæ; cum sola gratia Christi, ut Redemptoris sit iuxta M. P. gratia discernens: ergò. Nec aliquid prodest dicere cum P. Vazquez gratiam rectæ cogitationis poni ab ipso supernaturalem, saltim quod modum; quatenùs confertur ex meritis Christi. Non inquam prodest; Nàm talis supernaturalitas est rectæ cogitationi pure extrinseca; quemadmodum, etsi iuxta frequentem Theologorum sententiam substantia prædestinati, aliaque dona naturalia, sint effectus imperati prædestinationis; ex hoc nihil supernaturalitatis derivatur ad substantiam prædestinati, aliaque dona naturalia. Cumque actus non sit dispositio positiva subiecti ad aliquã formam, nisi per id, quod intrinsece ipsi convenit: cum munus dispositionis positivæ sit munus causæ formalis respectu subiecti dispositi; & munùs causæ materialis respectu formæ, ad quam disponit: quę munera nequeunt suppleri per aliquid extrinsecum: fit consequens supernaturalitatem additam à P. Vazquez non sufficere, ut actus entitative naturalis sit dispositio positiva &c.

24 Tertia.

Quædam solut: reijcitur.

Ex dictis inferes 1. Gratiam Theologicè acceptam esse auxil: intrin-

25

trinsece supernaturale, proindeque nec cogitationem congruam ad omnem actum honestum naturalem: nec pariter gratiam prædeterminantem ad similes actus, etsi intra ordinem naturæ excellentes, esse gratiam in sensu Theologico acceptam. Ratio est; Nam gratia in hoc sensu accepta, & est gratia specialis, & insuper dispensatur à Deo ad actus de se conducentes ad consequutionem vitæ æternæ; vel per modum meriti de condigno, aut de congruo, vel per modum dispositionis, aut impetrationis donorum supernaturalium. At qui probatum relinquimus actum honestum naturalem, quacumque gratia elicitum, nullo modo ex dictis conducere positive ad vitæ æternæ consequutionem: ergo. Inferes 2. Gratiam Theologicè dictam pro fide non solũ esse auxiliũ, quo Deus movet intellectum immediatè ad assensum fidei, sed etiam alia auxilia præcedentia fidem. Ratio est. Nam fides supponit pro priori piam affectionem determinantem intellectum ad assensum fidei; similiterque pia affectio supponit iudicium regulativum sui, aliasque illuminationes, & apprehensiones supernaturales, quibus homo paulatim disponitur ad formandum præd. iudicium, utpotè procedens de imperfecto, ad perfectum. Cumque hæc omnia sint intrinsece supernaturalia, auxilia, quibus Deus movet intellectum ad sic apprehendendum, & iudicandum; pariterque auxilia, quibus Deus movet voluntatem ad actus imperfectos disponentes ad piam affectionem liberam, sunt auxilia gratiæ Theologicè acceptæ. Quin obstet fidem iuxta Concil. Trid. esse initium nostræ iustificationis; proindeque videtur sentire nullum actum ipsam præcedentem esse initium nostræ salutis. Nam Resp. quod cum omnia auxilia recensita dispensentur à Deo propter fidem, ad quã proximè ordinãtur, tanquam ad finem; dum Concil. asserit fidem esse initium iustificationis; non accipit illam, ut distinctam ab ipsis, sed prout includit illa. Hinc obiter deduces, quam turpiter erraverit *Quesnellius asserens fidem esse* 1. *gratiam.* 1. quia fides est donum gratiæ Dei ipsam causantis. 2. quia ad ipsam fidem præcedunt alij actus supernaturales ex parte intellectus, & voluntatis necessario provenientes ab inspiratione, & illuminatione Spiritus Sancti. Sic Trid. sess. 6. c. 6.

Prima illatio ex dictis.

Secunda.

Cuidam instant. occurrit.

Quarta.

Propos. 27.

§. VI.

Solvuntur aliqua argumenta

26

OBijc. 1. S. Tho. in 2. dist. 27. q. 1. ar. 4. ad 4. & 5. dicentem, *actus præcedentes ex puris naturalibus, esse dispositiones remotas ad gratiam*: quam doctrinam alijs locis tradit. Resp. exponendo D. Thom. de dispositione remota pure negativa; quatenùs homo per actus honestos intra ordinem naturæ removet plura peccata impedientia infusionem gratiæ. Frequenter enim dicitur subiectum, in quo sunt minora impedimenta ad susceptionem formæ, disponi ad illam per remotionem impedimentorum. Notat etiam M. Medina 1. 2. q. 109. ar. 6. triplicem dispositionem posse distingui in ordine ad aliquam formam. 1. scilicet, ultima, & immediata, ad quam infallibiliter sequitur forma; sic se habet calor, ut 8. ad formam ignis. 2. prævia, & mediata, ob positivam conducentiam, & accessum positivum ad formam, sine connexione tamen cum illa. Sic se habet calor, ut 4. ad formam ignis. 3. est, & dicitur remota, quatenùs, scilicet; removet impedimenta in subiecto ad susceptionem formæ; hæc autem vix meretur nomen dispositionis denotantis aliquid positivum, & positive approximans subiectum, ut formã recipiat; sicut se habet siccitas in ligno ad sui combustionem. Quibus notatis exponit testimonia Div. Thom. nobis obiecta de dispositione 3. modo accepta. Sicque intelligendus est M. Soto, qui pro sententia opposita refertur.

Arg. 1.

Resp.

Aliud argum vide dub. 10. num. 21.

27

Objc. 2. actus meritorius vitæ æternæ requirit gratiam Theologicam pro sui elicientia; sed in homine iusto actus honesti naturales, sunt meritorij vitæ æternæ, cum eis serventur mandata: ergò. Conf. In prædestinatis omnis actus honestus naturalis conducit

Arg. 2.

Confirm.

cit ad vitæ æternæ consequtionem
Ad Rom. 8. iuxta illud Pauli: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, quod etiam de permissione peccati intelligitur dictum à D. Aug. & D. Thom. ergò saltim in electis auxilia pro elicientia talium actuum erunt gratia Theologice sumpta. Urg. 1. Auxilia
Urg. 1. dispensata à Deo per providentiam specialissimam intra ordinem gratiæ, sunt auxilia gratiæ Theologice sumptæ. Sed huiusmodi sunt auxilia, quæ Deus confert electis ad actus honestos naturales; cum sint effectus suæ prædestinationis, quæ est providentia specialissima de ordine gratiæ; ergò.
2. Gratia ad actum dilectionis Dei A.
Secundo. naturæ, & detestationis efficacis peccati ex motivo homo naturali, est gratia ad actum conducentem ad salutem: ergò saltim talis gratia erit Theologice talis. Añs. prob. ex aliquorum Thom. doctrina, inter quos M Serna ubi supra, & fol. 595. de meto iusti tuentiū, *quod si puer nutritus in silvis sequatur ductum rationis naturalis, diligendo Deum A. naturæ
Solumhis actionis an nectit gratiam iuxta S.D. super omnia, & detestando efficaciter peccatum; Deus conferet illi auxilia supernaturalia ad credendum fide divina, & ad se disponendum ad gratiam iustificantem. * Sed actus, ad cuius præsentiam Deus confert auxilia supernaturalia, est actus conducens ad vitæ æternæ consequtionem: ergò. Denique: gratia, quæ
Ultimo. dicitur Dei vocatio, & ex misericordia Dei provenit, est gratia Theologice dicta; sed cognitio congrua entitative naturalis, est Dei vocatio, & ex misericordia eius proveniens: ergò. Min. constat ex auxilio collato Pha
Sic serm. 89. raoni, ut dimitteret populum Dei Israel, quod auxilium M. P. appellat Dei vocationem: cumque aliundè ortum duxerit ex rebus gestis apud Ægyptum, videtur non excedere ordinem naturæ. Quoad 2. etiam pat. ex illo M. P. *Nemo de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia
Habetur Arauf. c. 14. prævenitur.* Atqui conferre cogitationem honestam congruam ad actum, etsi facilem cadentem sub præcepto, est Deum liberare hominem à miseria peccati: ergò.

28 Ad arg. dist. mai. Actus meritorius ratione honestatis sibi intrinsecæ, Resp. conc. mai. Meritorius ratione honestatis ei extrinsecæ, & ex imperio charitatis, subdist. Requirit gratiam Theologicam ex parte principij imperantis, conc. mai. Ex parte principij elicientis, neg. mai. & cum eadem dist. dist. min. & conseq. Est enim expressa mens D. Thom. tract. de merito iusti, actus honestos non esse meritorios vitæ æternæ, nisi fiant, & quatenùs fiunt, ex imperio charitatis illos extrinsece ordinantis ad Deum, ut finem ult. Undè sicuti ex tali imperio solum dicuntur extrinsece supernaturales, ita gratia, quæ requiritur ad actus imperatos, erit intrinsece naturalis, & solum extrinsece supernaturalis; proindeque solum extrinsece ratione actus, à quo imperantur, erit gratia Theologice dicta. Quod minimè favet opinioni contrariæ.

Confirm. probat gratiam creationis esse Theologicam; cum iuxta 29
plures substantia prædestinati ad gratiam creationis spectans, sit effectus Ad conf.
prædestinationis in electis ad consequtionem vitæ æternæ conducens, ex cuius amore Deus decrevit causare electos. Undè dist. mai. Conducens ratione sui, & attenta providentia, quam per se requirit, conc. mai. Conducens ratione alterius providentiæ, à qua gratuito imperatur, neg. mai. & cum eadem minoris dist. neg. conseq. Solutio constat ex antea dictis, distinguendo in actibus virtuosis elicitis à prædestinato duplicem providentiam ex parte Dei; unam naturalem per se exactam ad illorum elicientiam, alteram prædestinativam, per quam ordinantur ad consequutionem gloriæ; hæc tamen est pure extrinseca prædictis actibus. Ad 1. urg. Resp. eodem modo dist. ing. mai. Spectans per se, & intrinsece ad providentiam specialissimam, conc. mai. Spectans solum extrinsece, & ex gratuita Dei ordinatione, neg. mai. & dist. min. eodem modo, neg. conseq. Ad 1. urg.

Ad 2. Fatemur probabil: illius 30
opinionis, eamque sequuti sumus dub. 10. §. 4. dūmodo actibus ennumeratis nulla ratio meriti, aut dispositionis etiā Ad 2. urremotę, aut occasionis positive moven gentiam.

tis

tis Deum, ut intuitu talium actuum conferat gratiam supernaturalem. Unde ad summum possunt dici conducentes, & utiles purè extrinsecè, ex misericordia Dei decernentis, ut si homo perveniens ad usum rationis actū dilectionis, & attritinaturalis exercuerit, conferet ei gratiam fidei. Quemadmodum decernere potest conferre unionem hypostaticam, sub conditione cuiuslvis actus honesti naturalis. Quinimò de facto decrevit infusionem characteris baptismalis in adulto, qui cum sola voluntate naturali, & sine attritione supernaturali, recipit Baptisma. Quare in dicto casu voluntas Dei sic gratuitò decernens, erit gratia Theologica, etsi extrinseca actibus. Ad ult. im. quo implicatur P. Aranda, Resp. neg. mai. Vocatio enim ex terminis iuxta D. Thom. in 4. dist. 17. q. 1. quæstiunc. 2. *Est motus immissus à Deo ad bonum.* Unde nihil urget nos, ut omnem vocationem Dei adstruamus, ut supernaturalem, & ad gratiam Theologicam spectantem. Rursùs. Cum providentia naturalis Dei plurima beneficia conferat, tàm generalia, quàm specialia intra ordinem naturæ; absdubiò plurima opera misericordiæ circa nos exercet. Unde etsi gratia proveniens à Deo nobis misericorditèr subvenienti remittendo peccata, & ad consecutionem vitæ æternę misericorditèr nos ordinando, sit supernaturalis: secùs tamen gratia proveniens à Dei misericordia intra ordinem naturę purè sublevanti. *Et hæc de hoc dub. applic. litt. Mag in 2. d. 26. 27. 29. & alibi.*

Ad ult.

DUBIUM XX.

QVID SIT GRATIA DOGMATICA; & gratia per Christum?

§. I.

PRIMA CONCLUSIO.

GRATIA DOGMATICA NON EST DETERMINATE GRATIA INtrinsecè supernaturalis.

N. 1 IN oppositum reclamant Author. Iesuitæ apud Aranda ubi supr. pro eodem reputantes gratiam Theologicam, ac dogmaticam. Gratia dogmatica sic frequentèr definitur: *Est gratia, quam communitèr Concilia, & PP. propugnant, & definiunt contra Pelagium, & alios Hæreticos; & quæ in Sacra Scriptura continetur.* Fundamentum huius opinionis est 1. Gratia, quam Concilia, & PP. propugnaverunt contra Pelagium, & alios Hæreticos inimicos gratiæ, describitur his terminis: *Unctio, motio, illuminatio, & inspiratio Spiritus S. votio sancta, gratia præveniens per submministrationem spiritus*, & his similibus. Sed hi termini expressè significant aliquid intrinsecè supernaturale: ergò gratia dogmatica &c. 2. Gratia quam SS. PP. propugnarunt contra Pelag. est gratia elevans naturam, roboransque eius infirmitatem, & imbecillitatè contractam per peccatum originale. Sed huiusmodi gratia est intrinsecè supernaturalis: ergò. 3. Gratia propugnata à SS. PP. erat gratia distincta à gratia creationis, & intra ordinem naturæ contenta; unde maximè detestati sunt Pelagium, qui nomine gratiæ intelligebant lib. arb. nobis à Deo gratuito collatum; sed gratia superans totum ordinem naturæ, est intrinsecè supernaturalis: ergò. 4. Gratia, quam requirebant SS. PP. erat gratia, ut homo operaretur, sicuti oportet ad vitæ æternæ consecutionem. Sed huiusmodi gratia est intrinsecè supernaturalis: ergò.

Motivum AA. Soc. in cont. 1.

Secundo

Tertio.

Quarto.

2 His non obstantibus, prob. efficacissimè concluſ. nostra. Pelagius non solum erravit, negando requiri gratiam excitantem, atque adiuvantem, ut homo eliceret actus, quibus se disponeret ad iustificationem, & mereretur vitæ æternæ consecutionem; sed etiam erravit expressè negando ad opera honesta naturalia, ultra sufficientiam, & libertatem, requiri ulteriùs auxilium Dei, re, aut munere dist. operātis in nobis præd. bona. Constat hoc 1. ex illa maxima Pelagij, quæ fuit fundamentum aliorum errorum: *Aut utor potestate semèl mihi concessa, ut liberum servetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo, perit in me libertas.* Quæ propositio est eadem cum ista: *Post sufficientiam ad liberè agendum, non requiritur ulteriùs auxilium, sive; adiutorium Dei, ut velimus, & operemur bonum.* Unde impudenter, quasi Deum alloquens, aiebat Pelagius: *Dedisti mihi liberum arbitrium, non habeo te amplius necessarium. Ut quid rursùs te ingeris; quasi tu in me tua dona compleveris.* Hinc consequenter negabat necessitatem, & utilitatem orationis pro bono opere semel collata libertate ad benè operadum; qua de causa; cum audisset M. P. sic sæpiùs Deum exorantem: *Domine; da, quod iu-*

Prob. 1.

Vide Bolivar hic dub. 6. à n 39.

* Sic de bono perfev cap. 20.

iubes, & iube, quod vis; maximo furore correptus, ut Apis surda obturavit aures suas, ne coram ipso talis modus orandi recitaretur. *

3 Ex quibus manifestè constat Pelagium expressè negasse post sufficientiam, & libertatem ad operandum honestè, tàm intra ordinem naturæ, quam intra ordinem gratiæ, hominem indigere ulteriori auxilio, & adiutorio Dei, per quod ipse faceret, ut homo faceret. Roboratur hoc ex M. P. lib. de grat. Christ. cap. 4. ubi refert Pelagium sic subtiliter distinguentem inter posse operari bonum, & inter velle, & ipsum operari. Unde dicebat, posse velle, & operari bonum, haberi in nobis ex Deo; velle autem, & operari bonum, haberi in nobis ex nobis; ideòque, etsi concederet adiutorium *possibilitatis* requiri ad velle, & operari bonum, negabat tamen requiri adiutorium *voluntatis*, & *actionis*, id est, adiutorium, per quod fit, *ut benè velimus, & benè agamus*. His suppositis ut omnino indubitatis, sic formo seq. discursum:

S. D. 3. contr. G. cap. 89. refert Origen. pro hoc errore.

Prob. Gratia, quam SS. PP. & Concilia propugnant contra Pelagium negantem ad rectè operandum, etiam intra ordinem naturæ, requiri, ut per illam Deus *faciat, ut faciamus*, est gratia entitativè naturalis; atqui PP. & Concilia huiusmodi gratiam propugnarunt contra Pelagium; cum sit expressus error negare requiri tale auxilium gratiæ ad operandum honestè intra ordinem naturæ: ergò gratia propugnata à SS. PP. & Concil. contra Pelagium, proindèque gratia dogmaticè talis, comprehendit sub se, tam gratiam efficacem supernaturalem, quam gratiam entitativè naturalem.

4 Confir. & explic. Adiutorium gratiæ Dei ad operadum honestè intra ordinem naturæ, prout distinguitur à sufficientia, est auxilium gratiæ entitativè naturale; sed tale adiutorium, prout superadditur ad sufficientiam, fuit expressè negatum à Pelag. & expressè propugnatum contra illum à SS. PP. & Concil. ut ex supra adductis constat: ergò auxilium gratiæ propugnatum à SS. PP. proindèque auxilium gratiæ dogmaticæ; est

Confirm.

etiam auxilium entitativè naturale. Hæc omnia evidentiæ convincuntur referendo testim. Sacr. Script. quibus PP. & Concil. refutant errorem Pelagij probando omnia opera honesta, etiam intra ordinem naturæ, esse à Deo donanti illa per auxilium gratiæ suæ. Hæc sunt; illud Paul. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & operari*; super quæ verba advertit M. P. de gratia Christ. c. 5. *Non dixisse Apostolum: Deus est, qui operatur in nobis posse velle, & operari; sed ipsum velle, & operari bonum.* Aliud testim. desumitur ex illo Isaiæ: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et alibi: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Et item: *Omne datum optimum, & donum perfectum descendens est à Patre luminum.* Sufficiat illud Arausic. cap. 9. *Divini muneris est, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia, tenemus.* Attende rationem: *Quotiès enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Ex quibus luce clariùs constat, & Pelagium protervè negasse bona opera, etiam naturalia, esse in se dona Dei, & ab illo provenire per adiutorium faciens, ut nos talia opera faceremus; & insuper constat oppositum fuisse expressè definitum à Concilijs, & propugnatum à SS. PP. Unde estò, quasi principalis error Pelag. refutatus à SS. PP. extiterit, asserendo ad actus meritorios vitæ æternæ, & ut homo se præpararet ad iustificationem, non requiri gratiam supernaturalem adiuvantem, & donantem nobis tales actus; non fuit tamen unicus error, sed etiam asserendo ad nullum opus honestum etiam naturale, requiri ultra sufficientiam, adiutorium Dei, per quod faciat, ut faciamus.

S. Hiero. epist. ad Theoph.

Ad Phil. 2.

Isai. 26.

Iacob. 1. v. 17.

5 Quod si dicas; tale adiutorium ad actus honestos naturales non esse gratiam Dei; sed auxilium generale, per quod movet lib. arb. ad omnem eius operationem; proindèque tale auxilium non posse dici gratiam dogmaticam. Cont. est 1. Nàm auxilium efficax ad operandum quodcumque bonum, appellatur à Div. Thom. 1. 2. q. 110. a. 2. gratia Dei; sic enim habet: *Gratia, ut est gratuitus effectus*

Quædam Resp. reij-cit. 1.

divinæ voluntatis, duplicitèr dicitur; uno modo habituale donum: alio modo auxilium Dei moventis ad bonum. Aliud
De hoc Dubio 4. enim est non requiri gratiam specialem intra ordinem naturæ ad omnem actum honestum naturalem; aliud vero non requiri auxilium, quod absolutè dicatur gratia Dei. Ratio est. Nàm licet tale auxilium sit aliquomodo debitum naturæ rationali, non debetur huic individuo, nec in hac occasione, aut tempore determinato; unde semper est gratia, imò & specialis, respectivè ad hoc individuum, & in his determinatè circunstantijs; qua de causa tenetur Deo speciales agere gratias præ alio individuo honestè non operanti intra ordinem na-
Secundò. turalem. Rursus. Quis negare poterit hominem honestè operantem intra ordinem naturæ ab alio non sic operanti discerni? Cum igitur omnis discretio in ordine ad bonum sit ex gratia Dei; fatendum est huiusmodi esse prædictum auxilium. Hinc P. Au-
Epist. 107. gust. *conveniebat Pelagiũ, ut asseveret *Gratiam Dei ad singulos actus dari.*
Tertiò. 3. Nàm ad victoriam gravis tentationis ex motivo honesto naturali; ad dilectionem Dei ut A. naturæ; ad observantiam legis naturæ per longum tempus; & alia opera ardua honesta intra ordinem naturæ; requiri gratiam
* De his in hoc Tract. specialem Dei post lapsum Adæ,* est concors Theologorum sententia cum D. Thom. asserenti oppositum tueri à Pelagio. Cum enim ille negaret peccatum originale: asserebat lib. hominis arb. esse fortè, & robustum, nulloque indigere adiutorio gratiæ Dei ad exequenda omnia supra recensita: ergò nedùm *auxilium dogmaticum, verùm etiam gratia dogmatica* comprehendit sub se adiutorium, tàm naturale, quàm supernaturale. Videatur M. Boliv. hic dub. 7. n. 52. ubi expressè asserit gratiam propugnatam à PP. contra Pelag. etiam comprehendere sub se auxilium entitativè naturale, & nisi sit quæstio de nomine, *esse gratiam Dogmaticam.*

(o)

§. II.

Cogitatio honesta naturalis, etsi congrua, nequit dici gratia dogmaticè talis.

FOrsan videbitur alicui præiactam conclusionem non satis consequenter ad dicta proponi, siquidem probatum relinquimus adiutorium Dei, ut velimus, & operemur bonum intra ordinem naturæ, esse gratiam dogmaticam, & à PP. contra Pelagium propugnatam. Sed sine causa, stando præcipuè principijs Thom. & doctrinæ cui SS. PP. innitebantur ad refutandum errorem Pelagij. Prob. conclusio contra Aliquos RR. ex dictis dub. ant. §. 4. ubi statuimus discrimen inter modum dic. M. Serua, & P. Vazquez circa meritum de congruo operum naturalium in ordine ad gratiam supernaturalem. Gratia, quam non negavit, sed expressè admisit Pelagius, non est gratia propugnata à SS. PP. contra ipsum; subindeque non est gratia dogmatica. Atqui gratiam cogitationis congruæ &c. expressè admisit Pelagius, dicens, *Deum operari in nobis velle, quod bonum est, aperiendo oculos cordis nostri, & revelatione suæ sapientiæ succendendo nostram voluntatem in desiderium sui; insuperque suadendo omne, quod bonum est, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminando.* Ita D. Aug. de grat. Christ. c. 7. & 10. ergò. Nec huiusmodi cogitationem suasivam boni esse congruam in his, qui honestè operantur, negavit, aut negare poterat Pelagius; cum congruitas in coniunctione cogitationis cum actu honesto cõsistat. Quodsi velis ad congruitatem, ut providè dispensatam, requiri præscientiam determinationis lib. arb. reddentis cogitationem congruam; huiusmodi præsciẽtiam mediam (estò illa sit abusus) expressè admisit Pelagius fatentibus P. Suarez, & alijs, constatque ex illo Pelagiano effato: *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit:* ergò. Confir. Gratia propugnata à PP. cont. Pelag. est gratia, per quam verificatur omne opus honestum esse donũ Dei, & non conveniens homini ex se

6

Vide Ri. pald disp. 105. acritèr contr. Vazquez.

Illam ponebat dari per merita Christ. sic M. P. ubi c. 2. & lib. 1 ad Bonif. cap. 2 1.

Confirm.

se ipso, ut asserebat Pelagianus affirmans *posse velle, & operari bonum, esse nobis ex Deo, velle autem, & operari convenire nobis ex nobis.* Sed gratia rectæ cogitationis non est sufficiens, ut opera honesta sint dona Dei: ergò. Prob. minor. Ut opus honestum sit donum Dei, requiritur primo, quod sit ab æterno prædefinitum, & prædestinatum, ut dandum in tempore per gratiam suam. Requiritur secundo, quod Deus in tempore operetur illud per gratiam, non quamcumque, sed facientem nos velle, & facere bonum, iuxta illud Ezechielis 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ita P. August. lib. 4. ad Bonifac. c. 6. & de Prædest. SS. cap. 11. & de dono persev. cap. 17. & sæpè in alijs. Atqui recta cogitatio non est gratia proprie faciens nos benè facere; Tùm quia solum movet moraliter voluntatem; Tùm quia non differt in munere à gratia legis, & doctrinæ suadentis etiam velle bonum; Tùm quia cogitatio recta est intrinsecè inconnexa, indifferens, & determinabilis à voluntate creata. Tùm quia talis cogitatio, vel scientia media consensus, dicitur congrua ex determinatione liber. arb. ut ergò congrua non est propriè faciens voluntatem velle, & facere bonum, sed potiùs cogitatio dicitur congrua, quia voluntas vult bonum. Videantur alibi dicta à nostris Thomistis, & hæc pronùnc sufficiant.

Regul. General. M.P. * si sunt dona Dei, & Deus ea se daturũ præscivit; profecto prædestinavit: hęc est præd quam defendim.*

§. III.

Occurritur motivis adductis §. 1.

7 AD illa omnia Resp. potest. 1. Solum probare positivum opinionis Adversæ. imò & sententiæ omnium Theologorum, videlicèt, *gratiam entitativè supernaturalem fuisse propugnatam à SS. PP. contra Pelagium*; non tamen probare negativum, videlicèt, *non aliam gratiam fuisse ab eisdem propugnatam contra Pelagium.* Cum enim ille expressè erraverit, negando requiri adiutorium gratiæ Dei post collatam sufficientiam ad velle, & operari bonum; fatendum est SS. PP. propugnasse præd. adiutorium; quod quidem est entitativè naturale, utpotè ad actus naturales dispensatum à Deo. Deindè Resp. Ex hoc ipso; gratiam dogmaticam exprimi à SS. PP. vocibus in argum. relatis, sed non præcisè utendo præd. vocibus, sed etiam alijs significantibus gratiam Dei præscindentem à naturali, & supernaturali. Constat hoc ex M.P. requirenti ultra sufficientiam ad benè operandum; *adiutorium voluntatis, & actionis.* Et rursùs operationem Dei, per quam facit, ut velimus, & operemur bonum: *Adiutorium autem voluntatis, & actionis; sicuti & operatio Dei, præscindunt à naturali, & supernaturali.*

Solutio pro omnibus.

Plura de hoc dub. 4.

2. Resp. ad 1.

De grat. Christi per totũ.

Ad Philip. 2.

Ad 2. neg. mai. in sensu restricto intellectam. Non enim PP. propugnabant tantum gratiam, & eius necessitatem, propter infirmitatem, & imbecillitatem lib. arb. sed etiam propter indigentiam, & subordinationem immediatam voluntatis creatæ ad Deum, ut A. & largitorem omnium bonorum: Et rursùs: quia omne opus honestum ita est donum Dei, ut homo post sufficientiam ad illud, necesse habeat orare Deum, & in eo confidere, & in ipso gloriari: quæ omnia Pelagius re ipsa expressè negabat. Ad 3. dist. mai. à gratia creationis Pelagian. in sola libertate naturali consistente, conc. mai. à gratia creationis, quæ sit tantum moraliter talis, novumque beneficium donans velle, & operari bonum, post sufficientiam ad illud, neg. mai. & cum ead. min. dist. neg. conseq. Etsi enim auxilium efficax ad actus honestos faciles appelletur à Theologis gratia creationis, quia videlicèt non est indebita naturæ humanæ attenta providentia generali Dei; longè tamen differt hæc gratia ab illa, quam Pelagius gratiam creationis reipsa appellabat; hæc enim, & erat communis omnibus benè, & malè operantibus; & rursùs per illam Deus solum conferebat homini posse velle, & facere bonum; non autem per illam adiuvabat, ut vellet, & faceret bonum; in quo error illius consistebat.

8

Ad 2.

Ad 3.

De quo plura dub. 4. n. 69.

Ad ultim. neg. mai. universaliter intellectam. Non enim semper, atque PP. impugnabant Pelag. nec Concilia, quoties contra ipsum dif-

9

Ad ult.

finierunt necessitatem gratiæ ad omne opus bonum, usi sunt illis dictionibus, *proùt expedit, piè, iustè, & sicut oportet ad salutem.* Patet hoc ex testim. Sac. Script. supra adductis, quibus PP. probabant necessitatem auxilij Dei donantis nobis omne opus bonum. Constat etiam ex diffinitione Arausi. cap. 22. contra Pelagium sic dicentis: *Nemo de suo habet, nisi mendacium, & peccatum.* Rursùs constat ex illo Ioan. *Nemo potest quidquam accipere, nisi ei fuerit datum de Cœlo.* Et ex illo, quod habetur in epist. Cœlestini ad Episcopos Galliæ: *In omnibus actibus, & motibus, protector, & adiutor, orandus est Deus.* Ex quibus, & ferè alijs innumeris SS. PP. debellarunt Pelag. negantem adiutorium voluntatis, & actionis.

Cap. 3.

10 Sed dices. Concursus generalis Dei nequit dici gratia dogmatica, & à PP. contra hæreticos propugnata; sed auxilium Dei moventis liberum arbitrium ad omne opus bonum dicitur concursus generalis Dei; utpotè requisitus titulo primi motoris, & causæ 1. ergo. In primis hæc instantia non probat gratiam efficacem requisitam ad actus honestos de se arduos, v. g. ad victoriam gravis tentationis dilectionem Dei A. naturæ &c. non esse gratiam dogmaticam; siquidem iuxta frequentem Theologorum sententiam; talis gratia, etsi intra ordinem naturæ, spectat ad specialem providentiam Dei. Quod sufficiens est ad falsificandam hanc propositionem universalem à RR. propugnatam: *Gratia dogmatica est solum gratia intrinsece supernaturalis.* Deindè Resp. Auxilium Dei moventis liberum arbitrium ad velle, & facere bonum probatū à S.D. ut necessariū, non esse cōcursum generalem pure committantem, aut simultaneum, sed prævenientem, & per quem Deus verè facit, ut liberū arbitrium velit, & operetur bonum. Undè S. D. 1.2. q. 111. ar. 1. auxilium Dei moventis animam ad bonum dividit in gratiam operantem, & cooperantem; quam divisionem gratiæ Pelag: & illius sectat: nullatenus admittere volebant.

Instabis.

Resp. 1.

Secundo.

11 Nec obstat, quod tale auxilium dicatur cōcursus generalis. Tùm quia non est generalis exhibitus omnibus creaturis, sed solum creaturæ rationali. Tùm quia; etsi dicatur generalis secundum rationem communem motionis prævia; attamen secundum rationem differentialem adiut: & auxilij ad actus honestos, & quibus homo ordinatur à Deo ad finem sibi proprium, scilicet, vivere secundum rationem; merito dicitur specialis, ob finem, ad quem dispensatur à Deo, & quia homo specialitèr gubernatur Deo, præ creaturis irrationalibus. Hac ratione actus humani iuxta S.D. 1.p.q.22. a.2. subduntur specialitèr providentiæ Dei; quo pacto actus naturales, & etiā rerum insensibilium non subduntur providentiæ illius. Ex dictis constat, nullam apparere inconsequentiā doctrinæ in dictis, negando cogitationem cōgruam honestam entitativè naturalem esse gratiam dogmaticam, sive à PP. propugnatam; & concedendo ex alia parte gratiam prædeterminantem naturalem ad actus honestos esse gratiam dogmaticam. Constat, inquam. Nàm per illam non salvatur Deum propriè nos facere, ut velimus, & operemur bonū, sive (in idem redit) quod operabona sint dona Dei; è contra vero per gratiam prædeterminantē hæc omnia integrè subsistunt. Quapropter primam gratiam admisit Pelag. estò non sit ob hoc à PP. damnatus; secùs tamen secundam.

Illatio.

§. IV.

Quinam sit conceptus proprius gratiæ Christi?

PRIMA CONCLUSIO.

Non omne donum collatum ex meritis Christi, dicitur propriè fieri per gratiam Christi.

12 ESt communis inter Theologos de hac re diferentes. Constat 1. ex opinione satis plausibili tuenti substantiam prædestinati esse in electis effectum suæ prædestinationis. Cumque omnis effectus prædestinationis sit ex meritis Christi, sit conseq. substantiam prædestinati, alia

Prob. 1.

que

que dona supernaturalia, esse nobis collata per merita Christi. Atqui productio prædestinatorum quoad sui substantiã, etsi sit gratia, non est proprie gratia Christi, iuxta illud M. P. epist. 105. *Christus non est mortuus pro hominibus, ut conderentur, sed pro iniustis, ut iustificarentur*: ergo. 2.

Secundo. Nàm aliquod donum dari nobis per Christum potest contingere, eo quod Deus moveatur ex dignitate, & excellentia meritorum illius ad decernendum communicationem talis doni; sed hoc non probat tale donum pertinere ad gratiam Christi: ergo. Prob. min. Donum aliquod pertinere ad gratiã Christi, est illud per se, & ritulo specialitibi intrinseco exigere talẽ gratiã, sive proprius loquendo influere in fluxu meritorũ Christi. Sed Deum conferre aliquod donum ex meritis Christi ob eorum dignitatem, & excellentiam, non probat tale donum per se intrinsece exigere influxum meritorum Christi: ergò. Quod confirmari

Confirm. potest ex intimatione legis, tàm naturalis, quàm positivæ; quæ quidem potest fieri ex meritis Christi Dom. merentibus omne præmium possibile: & tamẽ talis intimatio sicut grat: doctr: non est proprie gratia Christi; sed spectat ad providentiam gubernat: creaturæ rationalis de se præscindentem à Christo Redemptore. Ex his constat ad discursum, quo aliqui hallucinantur, non distinguentes inter donum collatum nobis ex meritis Christi, & donum spectans ad gratiam Christi. Cum iuxta immediatè dicta hæc duo valde inter se differant.

§. V.

SECUNDA CONCLUSIO.

Omnis gratia, tàm sufficiens, quam efficax, ad actus positive conducentes ad iustitiam, & consequutionem gloriæ, est auxilium gratiæ per Christum.

13 COnclusio est omnino certa, & constat 1. ex Trid. sess. 6. can. 1. damnante eos, *qui dicunt*

Prob. 1. pars. *hominem bonis operibus factis secluſa gratia Christi posse iustificari coram Deo*: ergò homo solum bonis operibus factis per gratiam Christi potest iustificari coram Deo. Sed posse elicere opera conducẽtia ad iustificationem, est posse iustificari coram Deo: ergò gratiam tribuens sufficientiam ad talia opera, est etiam gratia per Christum. Constat etiam ex illo Ioann. cap. 15. *Sine me nihil potestis facere*. Ubi per ly *sine me* intellectũ de Christo, ut Redemptore iuxta D. Thom. & M. P. expresse affirmatur nullam dari potestatem, sive sufficientiam in nobis ad salutariter agendum, nisi per gratiam Christi. Constat insuper ex eodẽ Trid. ibid. cap. 5 dicenti: *Exordium nostræ iustificationis sumi à prævenienti Dei gratia per Iesum Christum*; quam gratiam *vocationem Dei, & gratiam excitantem illuminationis, & inspirationis appellat*. Sed huiusmodi gratia spectat ad gratiam sufficientem: ergó. Hæc omnia clare traduntur Luc. cap. 10. in parabola hominis, qui descendens ab Hierusalem in Hiericho, incidit in latrones, à quibus fuit spoliatus in gratuitis; sed per gratiam cuiusdam Samaritani, scilic. Christi, misericorditer ei subvenientis, præd. dona recuperavit. Undè omne donum gratuitum datur nobis per gratiam Christi Ecclesia; & sic orat.

Idẽ: can. 2. de iustè vivere.

De gratia efficaci constat hoc ipsum ex illo Pauli ad Philip. 1. *Vobis datum est, pro Christo, ut in eum credatis &c.* & rursus, ex illo ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Iesu*. Sed gratia efficax ad actus quovis modo salutares, est benedictio spiritualis Dei; cum benedicere Deum creaturæ, sit communicare illi bona, & creaturam benedicere Deum, sit ipsum laudare pro beneficijs acceptis: ergò. Propter hæc, & alia Christus Dom. vocatur ostium; quia videlicet Nemo ingreditur Ecclesiam Dei, nec introire potest in Regnum Cœlorum, nisi per gratiam ipsius. An vero Christus meruerit auxilia sufficientia etiã, ut 1. volitã? Videatur Ill. Godoy t. 3. in 3. p. disp. 56. num. 43.

14 Secunda pars.

Ioann. 10

*** *** *** ***

6.

§. VI.

TERTIA CONCLUSIO.

Omnis gratia sanans infirmitatem virium ex peccato originali est gratia per Christum, etiam si sit entitative naturalis.

15 SUpponimus, ut fide certum, gratiã sanantem homines à morte spirituali provenienti à peccato,
Suppon. 1. tàm originali, quàm personali, esse gratiam per Christum, ut constat ex illo Ioannis epist. 1. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c.* Alijsque innumeris test. Sac. Scripturæ; atque definitum à pluribus Concilijs, & novissimè à Trid. sess. 6. cap. 7. his verbis: *Causa meritoria nostræ iustificationis est dilectissimus Unigenitus Dei Filius Dom. noster Iesus-Christus, qui cum essemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno Crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.* Sed quia ex peccato
Secundo. Adami non solum maculam peccati originalis contraximus, sed etiam liberum nostrum arbitrium mansit infirmum, & vulneratum, & huiusmodi infirmitas remanet ad agonem; etiam si per gratiã Iesu-Christi deleatur, quidquid habet veram, & propriam rationem peccati; conclusio nostra expresse loquitur de gratia actuali debilitatem virium sananti. Vulnera relicta ex peccato; proindeque causa, ut liberum arbitrium maneat imbecille ad rectè operandum; sunt, *ignorantia intellectus circa agibilia, malitia voluntatis in propensione ad proprium bonum consistens; infirmitas appetitus irascibilis ad opera ardua; & cõcupiscentia effrenis appetitus concupiscibilis circa delectabilia.* Dequo videdus S. D. 1. 2. q. 85. ar. 3. Huiusmodi vulnera, etsi durante statu viæ non perfectè sanentur; sanantur aliquatenùs; tùm per virtutes firmantes voluntatem in bono; tùm etiam per gratias illustrationis, & affectionis; quibus voluntas roboratur, & trahitur ad amorem boni: *Tanto enim vehementius bonum aliquod diligimus, quanto certius illud esse bonum noscimus, eoque delectamur ardentius.* Ita M. P. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. & 18.

His notatis prob. concluſ. quo ad 1. part. ex Parabola Samaritani Lucæ 10. *Ubi de illo dicitur alligasse vulnera hominis, qui descendens ab Hierusalem in Jericho, incidit in latrones.* In quo iuxta communem sensum PP. significatur Christum D. compassione nostræ miseriæ commotũ sanasse, estò non perfectè, per gratiã suam vulnera ex peccato originali relicta, infundẽdo gratiã Spirit: dulcedinis, & suavitatis in sanctis cogitationibus, & cœlestibus delectationibus consistentem. Consonat illud Psalmi 102. ubi de Christo Redemptore, & Servatore nostro dicitur: *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.* Duo his verbis significantur, scilicèt, *infirmitas* virium ad benè agendum; & *interitus* animæ ratione peccati in privatione gratiæ illam vivificantis, consistenti. Sufficiat in re adeò certa, sequens ratio probativa. Gratia sanans, estò imperfectè, infirmitatem virium ad honestè agendum est gratia medicinalis; sed omnis gratia medicinalis est gratia per Iesum-Christum; qui missus est, ut cœlestis Medicus, ut vulnera nostra, & languores nostros sanaret, ut ipse de seipso testatur Matthæi 9. dicens: *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus*: ergò omnis gratia sanans aliquatenùs &c. Hinc Paulus ad Rom. 7. exclamabat: *Infœlix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum-Christum.*

16 Prob. 1. pars.

17 2. vero partem, negat P. Aranda cum alijs tom. 1. disp. 52. §. 3. & Doct. Marin disp. 7. sect. 3. n. 27. & sect. 4. à n 39. asserentes gratiam per Christum esse idem, ac gratiam entitativè supernaturalem. Pro eodem enim accipiunt gratiam Iesu-Christi, ac gratiam Theologicam, & Dogmaticam; quæ iuxta eosdem est determinate intrinsece supernaturalis. Sed pr. efficacissimè ex antea dictis. Omnis gratia medicinalis est gratia per Christum; sed gratia entitative naturalis potest esse medicinalis: ergò gra-

Prob. 2. pars.

gratia entitative naturalis &c. Prob. min. Subita illustratio naturalis vivaciter, & intense proponens bonum honestum v. g. victoriam gravis tentationis, & dilectionem Dei A. naturæ super omnia; & similiter subita affectio, & vehemens delectatio circa prædicta bona, sunt gratia medicinalis, ut voluntas eliciat actum vincentem gravem tentationem, & in dilectionem prorumpat; siquidem innegabile est ex vitalis illustrationis, & piæ, sanctæque delectationis, voluntatem roborari, & reaumere vires ad bene operandum; quanto enim aufertur de ignorantia in intellectu, & de prava concupiscentia in appetitu, robustior fit voluntas ad bonum: ergò. Confirm. Non est minoris activitatis ad roborandam voluntatem circa boni profecutionem illuminatio, & pia affectio à Deo immissa, quam sit ad debilitandum eius vires prava cogitatio, & motus inordinatus appetitus sensitivi. Sed hæc minuunt vires ad bonum: *ergò illę vires voluntatis infirmæ roborant, & aliquomodo sanant. Igitur quamvis prædictæ gratiæ sint entitative naturales, sunt gratia medicinalis, & gratia per Iesum Christum.

Confirm.

* Ita S. D. q. 71. ar. 3. ad 3.

18 Prob. 2. Ex varijs testimonijs M.P. Primum habetur epist. 90. & 95. ubi gratiam per Christum definit *per rationem auxilij, quo recte vivimus, & ad superandas tentationes adiuvamur*: cumq: tentationes contra præcepta naturalia frequenter vincantur per gratiam entitative naturalem, per quam eis resistimus amando bonum virtutis, cui opponuntur, videtur certum illam esse gratiam per Christum. Nec potest dici M. P. determinate loqui de victoria ex motivo supernaturali. Non inquam solidè dici potest; Nàm etsi prædicta victoria sit perfectissima, & fructuosa ad meritum vitæ æternæ; negari tamen nequit, quod sit proprie victoria, etiam si fiat ex motivo honesto naturali: sicuti negari nequit esse donum speciale Dei, & pro quo homo ex præcepto Iesu Christi tenetur orare. Undè sumere victoriam gravis tentationis restrictè ad illam, quę fit unice ex motivo supernaturali, & cum merito vitæ æternæ, videtur voluntarium.

2. prob. ex testim M.P. 1.

2. Testim. quo dicta roborantur habetur lib. de correct. & gratia cap. 11. in quo illa verba Apostoli *infœlix ego homo &c.* sic exponit: *Quoniam caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem, per Christi gratiam poscunt.* A qui homo vincens gravè, & gravissim: tentationes ex motivo honesto naturali accipit à Deo gratiam, per quam spiritus pugnat, vincitque carnem: ergò talis gratia est gratia per Christum. Notandum tamen sub hac gratia entive naturali, quàm dicimus esse gratiam Christi; non solum contineri gratiam excitantem in illustratione, & pia affectione consistentem, per quā voluntas accipit sufficientiam, & expeditionem moralem ad victoriam; sed etiam, gratiam prædeterminantem donantem victoriam, & perducentem ad effectum; esseque gratiā medicinalem; ita ut talis gratia sit efficaciter sanans; non quidem dando vires, sed illas reducendo ad actum: de quo alibi tomo seq.

19 Secunda.

Idem dicendum *de gratia per se requisita ad dilectionem Dei A. naturæ, & ad diuturnam observationem legis naturæ.* Ratio est; Nàm talis gratia est specialis iuxta frequentem Theolorum sensum; & aliunde exacta titulo infirmitatis liberi arbitrij, quam contraxit ex peccato; undè nihil ei deficit, ut sit gratia per Christum; qui venit curare omnes infirmitates nostras, & sublevare imbecillitatem naturæ ad opera ardua, & egregia elicienda. Explic. hoc. Ut homo efficaciter diligat Deum, ut A. naturæ super omnia, & in observatione legis naturæ diù perseveret, requiritur iuxta suavem Dei providentiam speciales illustrationes, & piæ affectiones, quibus accipit robur, & vires morales, nè voluntas ad delectabilia inclinetur: Sic Adv: ergò cū tales gratię sint sanātes aliquatenus infirmitatem, & pronitatem, qua voluntas facile declinat ab amore Dei, & legis naturæ observatione; dicendæ sunt gratiæ medicinales, & gratia per Christum. Videatur S. D. 1.2.q.109. ar.3. ubi ait: *Naturam humanam post lapsum Adæ indigere ad talem*

20 Oppositi tenet D. Marin in dub. append. n. 17.

Dè quo dub. 10.

lem dilectionem auxilio gratiæ naturam sanantis, quòd auxilium iuxta plures etiam Thom. non est per se gratia loquendo gratia habitualis, sed actualis entitative naturalis.

21 Dices 1. Gratia per Iesum Christum est, illa qua homines vocantur, iustificãtur, & glorificãtur, ita colligitur ex M. P. epist. 95. Sed gratia vocationis est intrinsece supernaturalis; cum sit vocatio ad fidem, & conversionem in Deum: ergò solum gratia intrinsece supernaturalis est gratia per Christum. 2. Gratia per Christum iuxta M. P. epist. 95. *Est, quam Deus interius cordibus nostris infundit, & per subministrationem spiritus donat incrementum; iuxta illud* 1. *ad Corinthios* 3. *neque, qui plantat est aliquid &c.* sed gratia consistens in subministratione spiritus est supernaturalis, & incipiens à vocatione ad fidem: ergò. 3. Gratia per Christum est gratia elevans insufficientiam naturæ ad rectè operandum; sed nulla gratia entitative naturalis potest elevare insufficientiam naturæ: cum respectu actuum naturalium natura gaudeat viribus, & sufficientia: ergò. Ad 1. Resp. M. P. loqui de gratia Christi, quæ est primo, & principaliter talis; venit enim redimere homines à peccato, per fidem, & charitatem, se convertentes in Deum. Sed quia etiam venit, ut cœlestis medicus, & reparator; omnis gratia medicinalis roborans infirmitatem, in qua mansit liberum arbitrium post lapsum Adæ ad plures actus honestos naturales, dicitur etiam gratia per Christum. Recolantur testimonia supra adducta ex eodem M. P. Ad 2. Resp. Eodem modo: ibi enim refutat errorem Pelagij solum requirentis ad actus salutares gratiam legis, & doctrinæ forinsecus insonantẽ; undè asserit huiusmodi gratiam parum proficere, nisi Deus interius inspiret, & interius donet fidem, & alia bona supernaturalia. Ad 3. dicatur; naturam humanam post lapsum mansisse cum sufficientia physica ad actus honestos naturales; non tamen cum omni sufficientia, hoc est cum expeditione morali ad actus arduos; & ideo gratia, quæ confertur ad huiusmodi actus, estò sufficientiam simpliciter non præstet, illam complet, & roborat moraliter sanando infirmitatem illius, quod sufficit, ut sit gratia per Christum.

Instabis 1

Secundo.

Tertio.

Resp. ad 1.

Ad 2.

Ad 3.

§. VII.

QUARTA CONCLUSIO.

Non omne auxilium ad operandum honeste intra ordinem naturæ, est gratia per Christum.

22 NOn negamus tale auxilium, quoties datur, dari nobis ex meritis Christi, & per quem benedixit nos Deus in omni benedictione spirituali in cœlestibus. Negamus tamen per se loquendo, & attenta providentia, quam exigit etiam supposito lapsu Adæ, esse gratiam per Iesum Christum: ut in simili de substantia prædestinati supra discrete notavimus. Oppositum tuetur Vazquez, & Alij. Prob. 1. Omnis gratia Iesu Christi est gratia specialis, utpotè providentiam specialem pro sui donatione requirens: atqui auxilium Dei ad aliqua opera facilia, & si honesta, non est gratia specialis, ut infra constabit: * ergò. Aliter auxilium per se spectans ad providentiam gubernativam exactam à creatura rationali, non est gratia per Christum; sed huiusmodi se habet auxilium ad aliquando honestè operandum: ergò. Quod urgeri potest exemplo cognitionis aliquarum veritatum naturalium, quæ quia debita naturæ intellectuali, & proportionata, tàm physice, quam moraliter, non est gratia per Christum. Cumque eadem ratio militet in voluntate pro aliquibus actibus moraliter honestis, ad quos ipsa natura compellere videtur, ut ad parentum honorem; ad elargiendam eleemosynã paup: extreme indigenti; auxilium pro his actibus non est gratia per Christum. Ratio à priori desumpta ex D. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 2. est. Gratia per Christum est illa, qua natura indiget ratione infirmitatis virium, quam ex peccato contraxit; sed huiusmodi non est auxilium ad aliqua opera honesta: ergo. Prob. min. Homo infirmus, estò non possit perfectè mo-

Prob. 1.

*

De quo dub. 4.

Ratio à priori.

ve-

veri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ, potest per se ipsum aliquem motum habere: ergò idem dicendum de natura humana infirma per peccatum inordine ad aliquos actus moraliter honestos. Quapropter talis infirmitas de materiali se habet in ordine illos; ideoque non exigit gratiam medicinalem, qualis est gratia Christi.

23 Dices 1. iuxta M.P. ubi supra: auxiliũ quò homines adiuvãtur ad superandas tentationes, est gratia per Christum: ergò ad victoriam levis tentationis, quæ est opus facile, requiritur gratia per Christum. 2. Iuxta M. P. de gratia Christi cap. 47. *Si consenserit Pelagius Deum, non solum nos adiuvare, ut possimus velle, & agere bonum; sed etiam nos adiuvare, ut velimus, & agamus bonum; & huiusmodi adiutorium esse gratiam Iesu Christi, nihil controversiæ de adiutorio gratiæ inter nos, & ipsum relinquitur*: ergò omne adiutorium ad velle, & agere bonum, est gratia per Christum. 3. Ex præfatis verbis probavimus supra §. 1. gratiam datam ad quodcumque opus honestum etiam naturale esse gratiam dogmaticam, & propugnatam à M. P. contra Pelagium: ergò insistendo verbis eiusdem testimoniæ dicendum etiam esse gratiam Iesu-Christi.

Instabis 1

Secundo.

Tertio.

24 Ad 1. Resp. tentationem levem pro nihilo reputari; cum quoties voluntas est potens proximè peccare, patiatur levem tentationem per cognitionem allicientem ad malum, vel retrahentem à bono. Undè M. P. intelligendus est de victoria gravis tentationis. Et etiã potest de intelligi victoria tentationis levis, dũmodo sit diuturna; ad quam requirunt Thom. gratiam specialem. Ad 2. Resp. verba M. P. intelligenda esse de velle, & facere bonum, quòd sit perfectè, & simpliciter tale ratione arduitatis, aut excellentiæ obiecti. Ad urgent. Resp. neg. conseq. Verba M. P. sunt intelligenda in eo sensu, & acceptione, secundum quam opponitur errori Pelagij. Hic autem duo affirmabat: 1. supposita sufficientia, ad quodcumque opus bonum, non esse necessariũ, re, aut munere, ulteriùs auxiliũ pro illius elicientia; ideoque negabat talia opera esse dona Dei. Affirmabat 2. ultra libertatem ad bene agendum non requiri gratiam per Christum. Primum assertum est manifestus error impugnatus à M. P. secundum vero est etiam manifestus error; si accipiatur cum extensione ad opera supernaturalia; etsi velis, etiam ad opera naturalia, v. g. victoriam gravis tentationis, & ad dilectionem Dei A. naturæ, & eiusdem legis observationem; non tamen si fiat restrictio ad unum, vel alterum opus honestum naturale de se facile. Qua propter præfatum testimonium probat efficaciter auxilium ad quodcumque opus esse dogmaticum, non tamen probat esse gratiam per Christum. Ex his patet ad 3.

Solutio ad 1.

Ad 2.

Ad urg.

Ad 3.

§. VIII.

Doctrina dubij traditur compendiosè in varijs proportionibus, & qualiter gratia Christi describatur à Sancto Prospero &c.

25 PRima est: *Immerito accipiuntur pro eodem, gratia Theologica, gratia dogmatica, ac gratia per Christum.* Constat ex dictis in progressu dubij, & infra amplivs constabit. Secunda: *Gratia Theologica est intrinsece supernaturalis; & solum datur ad actus supernaturales; ad actus vero naturales, prout imperantur ex charitate, vel alia virtute infusa; requiritur etiam gratia Theologica, si ex tali imperio derivetur in eos aliqua honestas supernaturalis.* Tertia. *Gratia dogmatica universaliter sumpta comprehendit auxilia efficacia ad omnem actum honestum etiam naturalem: licet principaliter accepta sit intrinsece supernaturalis.* Quarta: *Gratia Iesu-Christi principaliter dicta est, intrinsece supernaturalis; si vero universaliter accipiatur, continet sub se etiam omnem gratiam ad actus hæroicos naturales.* Quinta. *Cogitatio congrua ad bonum ex determinatione liberi arbitrij creati, vel exprævisione consensus per scientiam mediam, non est gratia dogmatica; nec Theologica, nec Iesu-Christi.* Primum prob. quia de hac non fuit controv: cum

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

cum Pelagio; nec est gratia proprie faciens nos facere. Secundum probat: quia non est supernaturalis. 3. etiam; quia non est gratia, quam Deus occulte infundit cordibus nostris, sed excitatur ministerio creaturarum. Hæc dicta sunt de cogitatione congrua naturali, & ad opera facilia.

26 Sexta. Gratia Christi iuxta S. Prosp.

Sexta: *Omnis gratia prædeterminans ad actus honestos naturales est gratia dogmatica; si vero detur ad victoriam gravis tentationis &c. est etiam gratia Iesu Christi.* Restat ponere descriptionem *gratiæ Christi* traditam à S. Prosp. in Carm. de ingratis propè finem. Ita enim habet. *Gratia Christi est illa, qua liberum hominis arbitrium currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat, credit, sperat, amat, mandatur, iustificatur.* Consonat hæc descriptio cum dictis in hoc dubio: si ly *eligit* intelligatur de electione bonum operum, quæ sint ardua, & excellentia, & pariter, ad diù permanendum in bono, etiã de ordine naturæ. *Et hæc de hoc dubio applicanda, ubi præcedens.*

Et de toto hoc Tractatu. Utinam cedant in aliquale obsequium SS. Trinitatis, Beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ. SS. Patriarchæ nostri Dominici, in cuius Sacra die finem imponimus: Sanctę Ecclesię DD. Augustini, & Thomæ: necnon Seraphicæ Doctricis Sanctæ Catharinæ Virginis Senensis.



ANNO-

ANNOTATIO
SVPER DICTA IN ANTECEDENTIBUS CIRCA PERSEVERANTIAM ANGELORUM.

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA.

N. 1 ANgelos, ultra adiutorium *sine quo* præstans ipsis sufficientiam physicam, & moralem plenè expeditam ad perseverandum finaliter in bono, concessum à Deo omnibus; tàm bonis, quàm malis: opus habuisse adiutorio *quo*; ut Deus in eis operaretur, & velle, & ipsum perseverare; illudque esse gratiam specialissimam solum bonis, & præordinatis in vitam æternam, præparatam; satis, superque ostendimus dub. 19. ex doctrina Magn. Par. & Angel. Doct. eam ad formam discursus reducendo, & frequentem sensum Theol. aliqualiter roborando. Sed varia sunt hominum genia, & ingenia. Casu paulò post coniectis oculis ad egregium opus de Angelis à SS. ac RR. Magist. Primario emerito nostræ Universitatis Fr. Emmanuele Navarro, Ordinis Benedictini, ingeniosè, & erudite elaboratum; disp. ult. dub. 1. inveni eum à communi Thomist. sensu circa inflexibilitatem Angelorum in bono, & malo, post deliberatam electionem, recedentem. Et quamvis rationes, quæ passim apud alios pro eodem assumpto inveniuntur, videantur ei efficaciss imæ; in eiusdem probationem assumit argumentum sibi speciale; & quòd olim, ac semper visum est ipsi ineluctabile innitens merito perseverantiæ finalis, quòd habuerunt Angeli boni (ecce motivum præsentis Annotat.) cum quo non cohæret inflexibilitas in bono eis ab intrinseco conveniens. Hinc à num. 131. usque ad 148. inclusivè, referens solutiones, quibus Magist. Gonet occurrit tractat. de necessitate gratiæ art. 8. argumentis Jansenij, ut iste probet perseverantiam finalem in statu innocentiæ non esse donum speciale Dei supra posse perseverare: asserit * eas tradi aperta inconsequentia ad inflexibilitatem Angelorum; imò nulla tenaci memoria inflexibilitatis, quàm prius defendit. * Hac de causa sæpè repetit (etiam loquendo de perseverantia hominis post lapsum) *optima est solutio Gonet; sed applicata Angelis, eorum inflexibilitas corruit.* Cum autem solutiones, quas tradit Magist. Gonet, sint traditæ frequenter ab omnibus Thomistis, qui de hoc puncto scripserunt; ut videre est in ipsis; & (si licet loqui) etiam in nobis adeò recenter, & R. dicendum iuxta hunc M. quod omnes Thomistæ, qui cum suo Angelic. Magist. inflexibilitatem Angelorum propugnant; si eandem doctrinam circa perseverantiam defendunt; aperta inconsequentia procedunt, & memoriæ lapsum patiuntur, estò solum ab illo nominetur Gonet. Quod quis credet de tàm innumerabili, ac nunquam satis celebrato MM. Choro?

Primo.

Motivū prælent. laboris.

Opinio Mag. Navarro.

Impugn. acriter M. Gonet

Sed, ut prædictus Mag. vi-
2 deat argumentum supra insinuatum non esse speciale ; etsi ineluctabilitas sit specialis quòad eius existimationem : placet illud referre in Mag. à S. Thoma (quem imitantur M. Ferre, Mag. Serna, & Alij) disp. 24. de Angelis num. 32. dicens : *Quod si instes : ergò continuatio , confirmatio in bono , & perseverantia in Angelo , non est ex gratia Dei , sed ex connaturali modo operandi : aut saltem , non est distincta gratia à prima operatione , & electione ; cum tamen perseverantia in bono sit specialissimum donum Dei.* En motivum, quod M. Navarro ut speciale lato calamo prosequitur. Audiatur solutio : *Resp. fuisse in Angelo specialissimam gratiam , & distinctam à prima , in qua creati sunt. Etenim post primam operationem ex gratia Dei in primo instanti , cum caperunt Angeli se determinare , & movere : & quidam in sua naturali excellentia sistentes clauserint oculos , & recusaverint finem supernaturalem ex gratia habere ; manifestum est ; quòd fuit ex luce , & viribus gratiæ , quod alij sic fuerint confortati , ut elegerint subijci fini supernaturali , & ex gratia Dei obtinere Regnum Cœlorum. Quæ gratia tanta fuit , ut quadam connaturalitate ad se traxerit naturam eorum , eamque firmaverit inflexibili modo operans in illis ; non connaturali modo , id est , debito , sed connaturali , id est , firmo , & immobili , eo quòd accomodavit se modo operandi illius naturæ in immobilitate. Et hoc totum fuit ex vi ipsius gratiæ distinctæ à prima , seu distincto beneficio habita , licet continuatio primæ fuerit usque ad perseverantiam finalem. Perseverantia enim continuationem hanc importat , sed distincto beneficio , quia poterat Deus permittere interruptionem , ut in Dæmonibus : sed dedit gratiam efficacem ut continuarent , & continuando perseverarent , & confirmarentur ; licet gratia in hoc se accomodaverit natura in modo operandi.*

Argum. Mag. Navarro nõ est novũ.

Sic obijciunt M. à S. Th. Ferre, Serna, & alij.

Et disp. 24. num. 11. in fine:
3 *Quod si in illo actu post primum instans, ex deliber. voluntatis non defe-*

tuosè procedat Angelus , sed continuet primi instantis meritum , tunc erit specialis Dei gratia , & motio , non illo modo , quo in primo instanti movebat Angelum ; sed quia movendo ad hoc , ut voluntas se moveat , & deliberet , præservat illum , nè deficiat. Undè in hoc speciale donum gratiæ Dei acceperunt SS Angeli , scilicèt , donum perseverantiæ , ut in eodem bono perseverarent ex deliberatione propria , quò incæperunt ex motione Dei : quòd alijs est negatum. En cum inflexibilitate intrinseca in Angelis rectè cohærentia tria sequentia ; scilicèt , diversus modus libertatis penès liberè , & deliberatè operari ; diversum meritum in continuatione actus amoris Dei , v. g. pro secundo instanti ; & specialissima gratia , per quam Deus donans continuationem talis actus , donavit perseverantiam eos confirmando in bono per gratiam efficacem, trahentem ad se naturam Angeli inflexibiliter ; licet in hoc, modo operandi naturæ illius se accomodaverit. Sunt nè hæc inconsequenter dicta? Sunt nè ineluctabile argumentum integrantia ? Mihi (absit arrogantia verbo) videtur , iam pridem , ellò per transelam à Thomist. attractum. facilè eluctatum. Sed quid immoror? Hoc argum. utuntur Dur. Et Greg. Arimin. ut impugnent inflexibilitatem Angelorum , illudque solvit Emin. Cayet. 1. p. q. 64. a. 2.

Solvitur à Mag. à S. Thom. & Alijs.

Pro maiori intelligentia sup-
4 ponendum 2. Prædictum Magistrum sententire cum communi Thomistarum sensu ex doctrina Sanct. Doct. omnes Angelos accepisse à Deo in instanti suæ creationis gratiam sanctificantem , ad quam se dispossuerunt per actum fidei , spei , charitatis &c. Qui omnes actus fuerunt liberè eliciti ab illis, utpotè ex perfectissima cognitione , & plenitudine sapientiæ , cum qua è manu Creatoris evaserunt prædíti , & decore perfecti in die conditionis suæ. Et quamvis expressè tueatur primum actum amoris Dei fuisse non solum liberum , sed etiam deliberatum ; eo quod ad illam præcesserit amor naturalis beatitudinis , sive

Secundo.

boni

boni in communi se habentis tanquam obiectum formale voluntatis, ex quo amore se applicavit, & se movit ad dilectionem Dei, ut finis perfectissimi supernaturalis; attamen in hoc non nimis adhæret pro præsenti assumpto.

Ponit Angelum in 1. instanti deliberasse.

Quapropter admittit libentèr communem sententiam Thomistarum asserentium prædictum actum non fuisse deliberatum, licet fuerit perfectissimè liber ob perfectissimam cognitionem illum dirigentem. Ad deliberandum enim requiritur, ultra libertatem provenientem ex indifferentia iudicij, quod voluntas se moveat, & applicet ad operandum ex se ipsa, sive ex proprio dictamine, & non unicè ex dictamine à Deo specialitèr immisso: quale fuit dictamen regulans actum charitatis in primo instanti; ad quem cum esset quasi in pura potentia non poterat se movere, & applicare. Hinc sequitur talem actum fuisse meritorium, sicut & alios actus ex imperio illius procedentes; beatitudinis supernaturalis, & in illo incæpisse viam Angelorum, ut patet ex ipsa ratione meriti, & fidei, qua fuit regulatus.

Oppositũ tenent Thom.

5 Post talem actum dilectionis, ut 1. elicitum, Angeli boni eundem deliberè continuarunt. Quo supposito discriminantur inter se Thomistæ; An, scilicèt, elicientia talis actus, & eius continuatio, conficiant tantum unicum instans Angelicum, vel duo instantia? Partem affirmativam tenent Magist. à Sancto Thoma, Ferre, & Alij, eo quod instantia Angelica non multiplicantur, nisi secundum diversitatem, & successionem actuum. Negativam tuentur Salmantic. Gonet, & Alij propter diversitatem accidentalem superadditam in continuatione: quia nimirùm proùt sic fuit liber libertate contradictionis, & contrarietatis; & insuper: quia in dilectione Dei Angeli boni permanserunt non obstante pugna, & persuasione prava malorum Angelorum, ad cuius præsentiam intentionalem voluerunt permanere in dilectione primo elicita. Et quamvis præcitatus Author disp. 19. dub. 3. num. 78. huic opinioni adhæreat, eo quod continuatio est perseverantia in actu importans successionem necessario exactam à D. Thom. ad multiplicanda instantia Angelica medio actu saltim virtuali, quo Angelus vult perseverare: verumtamen pro præsenti instituto parùm refert unam, vel alteram opinionem tueri: cum ipse Magist. à Sancto Thoma asserat, quod licet actus charitatis, & eius continuatio deliberata tantùm unicum instans formaliter constituãt, virtualitèr tamen, seu æquivalentèr constituunt duo instantia.

Quot sin instantia Angelor

Parum refert diversitas.

6 Rursùs discriminantur Theologi loquentes de ipsa continuatione actus charitatis, quantum duraverit per correspondentiam ad nostrum tempus? Circa quam difficultatem præcitatus Author dub. 4. asserit esse nobis incertam durationem per correspondentiam ad nostrum tempus. Sed tamen hoc diligentèr est advertendum; quia, scilicet hinc accipit motivum ad impugnandum inflexibilitatem Angelorum eis ab intrinseco convenientem. Nàm etsi communitèr tueantur Thomistæ Angelos post continuationem actus charitatis immediatissimè, & per correspondentiam ad unicum instans nostri temporis, accepisse à Deo beatitudinem supernaturalem; quia ex vi ipsius continuationis fuerunt confirmati in bono, & meritum ipsorum consummatum, proindèque status viæ fuit terminatus, & finitus: Attamen nè supponatur id, de quo procedit præsens difficultas (licet pro solut. argum. doctrina S. D. hoc concernens referenda sit) admittam libentèr continuationem duravisse per correspondentiam ad quinque instantia nostri temporis, v. g. ut fuit possibile, quod nemo negavit. Sed adhùc stat magnum discrimen inter sententiam Thomist. & huius A. sensum. Illi enim asserunt Angelum statim, ac deliberatè continuavit amorem Dei, sumpta continuatione etiam per correspondentiam ad unicum instans nostri temporis, mansisse inflexibilem, & confirmatum in bono cum impotentia antecedenti ad retractandum talem continuationem; sive ad elicientiam actus pravi, qui esset propriè

Quantũ duraverit continuatio amoris?

Vide in fine.

destructivus contrariè, aut privativè continuationis amoris Dei. Sic Sanct. Doct. sæpè, & quæst. 16. de Malo art. 5. Cuius oppositum tenet præfatus Magist. ut statim videbimus.

7 Notandũ contra Aliquos.

Sed quia Aliqui confundunt inflexibilitatem Angelorum in bono cum necessitate actus quòad exercitium in sui continuat: supponendum est hoc ex terminis loquendo esse falsum; ut rectè advertit Magist. à Sancto Thoma; & post ipsum alij Thomistæ. Non enim Angelus est immobilis in suis electionibus, quia non possit ab eis cessare: sicut beatus nequit cessare ab amore Dei, & ipse Deus in suis decretis ab æterno, & usque in æternum durantibus; hæc enim immobilitas includit necessitatem tàm quòad specificationem, quàm quoad exertium, actus semel præconcepti. Quare ex vi inflexibilitatis in bono solum ponitur in Angelis impotentia ad retractandam rectam electionem, & in Angelis malis impotentia ad pœnitendum de electione prava. Unde retractare electionem est ab illa cessare, sed non è converso. Requiritur ergò ad retractationem, quod intellectus aliter sentiat de obiecto, ac priùs de ipso iudicabat, & quod voluntati displiceat obiectum perpriùs ipsi placens, ita ut efficacitèr pœniteat ipsam de electione obiecti perpriùs habita. Dixi ex terminis, & de electione Angelorum circa obiecta particularia: Nàm de actu conversivo ad bonum verum, vel apparens ut finem ultimum; estò de illo formalitèr sumpto, & quasi signatè possit admitti potentia ad illius cessationem, non tamen cessationem ab illo saltim virtualitèr, propter efficaciam intentionis virtualitèr permanentem. His notatis videamus motiva præd. Magist. quæ lato calamo; & non satis clarè proponit; unde brevius, sed nihil difficultatis omittendo, proponam.

§. II.

PRIMUM MOTIVUM PROPONITUR.

Potestas antecedens, & proxima in Angelis ad 1. continuationem amoris Dei v.g. non fuit potestas proxima ad perseverandum in bono.

8 Assumpt. egregiũ, & directè pugnans cum inflexibilitate.

SIc arguit num. 47. & probat assumpt. usque ad n. 68. Potestas ad eliciendum actum deliberatum amoris v.g. est formalitèr potestas ad rectè, & honestè operandum; sed sola potestas &c. non sufficit ad actu perseverandum finalitèr, & meritoriè: ergò. Pr. min. Nullus, seu Angelus, seu homo, perseverat actu finalitèr, & meritoriè, per hoc solum, quòd possit honestè operari; imò, nec per hoc quòd de facto honestè operetur, sed per hoc quod coniungit gratiam cum termino viæ; sed sola potestas ad honestè operandum non est sufficiens coniungere gratiam cum termino viæ. Quod sic prob. 1. quia aliàs perseverantia non esset maius donum, quàm recta operatio; quod opponitur Concilijs. 2. Quia ad rectam operationem sufficiunt gratia habitualis, & auxilia communia ei annexa; atqui ad perseverandum requiritur auxiljum speciale; ut tenent Theologi contra Semi-Pelag. ergò. Urget num. 50. Lucifer antequam peccaret, erat æquè potens ad persever. ac Angelus bonus. Utrique enim Deus concessit auxilia sufficientia, quibus potestas absoluta ad persever. constituitur. Attamen Angelus bonus iuxta Mag. Par. ultra fuit ampliùs à Deo adiutus; Angelus vero malus isto speciali auxilio caruit: ergò licet Lucifer absolutè potuerit perseverare finalitèr, non tamen expeditè: ergò ultra potestatem ad primam rectam operationem; & ultra hanc applicationem egebat potestate expedita, & ultimo applicata ad perseverantiam finalem.

1, probat. illius.

Secunda.

Urgetur.

9 Confirm.

Confir. nu. 52. Iuxta omnes Theol. omnibus, etiam reprobis, datur gratia, & auxilia sufficientia, quibus constituitur potestas absoluta ad perseverandum; sed cum hac sola

ſola poteſtate nullus perſeverabit; ut eſt certum contra Pelag. ergò ultra hanc poteſtatem requiritur alia expedita, & ultimo applicata per ſpeciale auxilium. Hac ergò caruit Lucifer: ergò non potuit ponere actù perſeverantiam finalem. Aliter. Cum poteſtate ad rectè operandum, & phyſica præmotione ad illam; nullus perſeverabit finaliter, niſi adſit auxilium ſpeciale; ut tuentur omnes Catholici: ergò poteſtas ad rectè operandum, & ſimùl cum præmotione, non eſt ultimo expedita, & applicata ad perſev. finaliter. Quod ſic (inquit) num. 57. evidenter convincitur. Quis quis habet donum perſeverantiæ finalis, perſeverat finaliter; ſed qui habet potentiam necdum abſolutam, ſed ultimo applicatam ad perſev. habet tale donum: ergò ſi Lucifer non perſeveravit, nec habuit donum perſeverantiæ finalis; non habuit potentiam ultimò applicatam ad perſev. Sed habuit potentiam abſolutam, & ultimo applicatam ad rectam operationem (ſcilicèt in 1. inſtanti) ergò prima poteſtas &c. Denique arguit num. 59. Poteſtas ad perſeverandum finaliter proximè conſtituitur per gratiam habitualem, & auxilia communia gratiæ; ſed poteſtas ad rectè operandum nō requirit gratiam habitualem &c. ergò ſunt diverſæ poteſtates: ergò qui perſeverat, per aliam poteſtatem diſtinctam à poteſtate rectè operandi perſeverat, nec applicatio illius applicat poteſtatem ad perſever. Unde homo exiſtens in peccato habens auxilia ſufficientia ad rectam operationem, qua acquirat gratiam; erit potens proximè rectè operari, & potens remotè perſeverare: acquiſita autem gratia erit potens proximè expeditè perſeverare; ſed adhùc indigebit ſpeciali auxilio, ut perſeveret.

Alia forma pro eodem.

Ultimo.

§. III.

9 *Occuritur motivo, & eius probationib.*

HOC motivum, quod arguens appellat efficaciſsimum ad prob. *Angelum poſt deliberatam electionem amoris Dei poſſe electionem contrariam eligere.* Plura involvit non rectè dicta, & inconſequenter probata; & poſt tot probat: non probat aſſumptum. In primis confundit potentiam expeditam ad finaliter perſeverandum cum potentia ultimò applicata ad perſever: ut ex hoc probet, Luciferum carentem tali aplicatione, non fuiſſe potentem expeditè perſeverare. Confundit, inquam, nàm talis applicatio, quam ipſe præmotionem vocat, eſt extra conſtitutivum actus 1. & libertatis, quæ iuxta S. Doct. 1. p. quæſt. 83. art. 2. ad 3. ideò definitur per facultatem, *quia dicit poteſtatem expeditam.* Et quidèm Adamus fuit potens expeditè, & magnoperè facilis ad perſever: cùm tamen non habuerit applicationem ultimam, ſive adiutorium *quo* ad perſever. Rursùs. Angelus, & Adamus innocens, iuxta M. P. de correct. cap. 11. habuerunt adiutorium *ſine quo* ad perſever. ita ut ſi vellent, perſeverarent; cumque in eis nulla fuerit rixa, aut interior pugna adverſus ſpiritum, fuerunt in magna facilitate non peccandi. Sed adiutorium *ſine quo* cum magna facilitate ad perſever. ſi quis velit, eſt poteſtas expedita tàm phyſicè, quam moraliter: ergò malè dicitur Luciferum &c.

Deficit 1 quia confundit duo valdè diverſa. prob. 1

Secunda

3. Adiutorium, quo caruit Lucifer ad perſev. & quo fuerunt ampliùs adiuti boni Angeli iuxta M. P. non fuit *adiutorium poſsibilitatis*, aut *ſine quo*, ſed adiutorium *quo*, ſive *voluntatis, & actionis*: Aliàs non habuiſſent illud adiutorium, quod habuit Adamus innocens, cui defuit *adiutorium quo* iuxta S. P. ſed *adiutorium quo* ad perſever. iuxta Thomiſt. eſt gratia prædeterminans poteſtatem expeditam; & iuxta AA. Societatis, aut includit actualem perſeverantiam, aut prævisionem efficacem adiutorij *ſine quo*; quæ omnia ſupponunt expeditionem poteſtatis: ergò. Tandèm. Si gratia prędeterminans ad perſeverandum eſt expeditio poteſtatis, defectus illius erit impeditio, non ſolius actus, ſed poteſtatis: hoc nequit dici: ergò non rectè confundit &c.

Tertio.

Ultimo.

10 Non proceditſatis conſeq. 2

2. Deficit, quia num. 50. aſſerit *Luciferum fuiſſe æquè potentem perſeverare, ac fuit Angelus bonus*; qui tamen fuit ampliùs adiutus, quo auxilio ſpeciali actu perſeveravit. Sed ſi

si Lucifer non habuit potentiam expeditam, non fuit æquè potens ad persev. imò non fuit ita potens, ac Adamus innocens: ergò non rectè cohærent hæc dicta. Urgeo. Ex ad-
Urgetur. ductis ab ipso num. 60. Posita operatione recta, & gratia sanctificante simul cum auxilijs communibus, statim consurgit in homine (quod est difficilius) potentia proxima, *& expedita* ad persever. finaliter; licet indigeat auxilio specialissimo Dei, ut ponat *actualem perseverantiam*: ergò (infero 1.) etiã Lucifer dono gratiæ, alijsque virtutum actibus elicitis, & auxilijs sufficientibus præditus, antequam peccaret, fuit potens proximè expeditè perseverare. Ergò (2.) specialissimum auxilium applicans, & donans actũ perseverare, non reddit potentiam expeditam in esse potentiæ ad perseverandum. Ergò (3.) cum tale auxilium sit donum perseverantiæ finalis, & quod omnes Theologi ex Concilijs, & PP. ponunt necessarium ad persever. malè, & inconsequenter, dicitur *Luciferum carentem hoc dono, hoc speciali auxilio, & adiutorio non fuisse potentem expeditè* (licet absolutè fuerit potens) *perseverare finaliter*.

II Hinc illatio posita in confirm. est mala: *Posita gratia habituali, & auxilijs sufficient. in prædestinatis &c.*
Confirm. instatur. ponitur potestas absoluta ad persev. sed cum hac sola potestate nullus perseverabit, ut est certum contra Pelag. ergò requiritur alia expedita, & applicata per speciale auxilium. Prava illatio. 1. quia confundit expeditionem potestatis, & ultimam applicationem illius. 2. Nàm dùm ait, quod sola potestate designata nullus perseverabit; vel ly *sola* sumitur solitudine *potestatis, & sine applicatione*, vel solitudine potestatis præcisè? Si primum: illatio est prava; ut si quis arguat * sola sufficientia ad consensum sine decreto efficaci Dei, nullus consentit: ergò ad consensum requiritur alia sufficientia expedita * quod est prorsùs falsum. Si secundum: est falso dictum; quia estò requiratur auxilium speciale; cum hoc non det posse, sed actum; non multiplicat potestatem; sed est unica, & sola potestas. Sicut; estò non sit, nisi unica sufficientia ad consensum, & ideò sola in esse virtutis, si Deus decernat efficaciter consensum, homo consentiet. Nec dicas hæc, & alia pertinere ad diversum modum loquendi; Non inquam dicas; Nàm proprietas loquutionis in rebus adeò gravibus variat substantiam sensus AA. imò assertum, quod uno modo dictum est conforme doctrinæ fidei, alio modo dictum est hæreticum, v. g. *Homo nequit ponere consensum compositum cum defectu gratiæ efficacis. Homo, in quo est defectus talis gratiæ, non est potens consentire.*

Deficit principaliter argum. Quia intendit probare contra Thom. id quòd expressè fatentur Thom. Et quòd minimè lædit inflexibilitatem Angelorum. Omnes prob. eo tendunt, ut potestas applicata ad rectè operandum non sit in Angelis potestas expedita, & applicata ad finaliter persever. Hoc enim, ut iacet, nullus negat; fatentur enim Angelos omnes in 1. instanti creationis fuisse operatos benè, & dilexisse Deum super omnia amore charitatis libero, & meritorio. Asserunt tamen potestatem expeditam ad continuationem deliberatam prædicti amoris esse potestatem expeditam ad perseverandum finaliter, attenta eorum inflexibilitate. Undè Lucifer, qui fuit præditus gratia, auxilijs sufficientibus, & gratia ab intrinseco efficaci ad dilectionem gratuitam elicitam in 1. instanti, fuit expedite potens perseverare in bono, sicut fuit eodem modo potens cõtinuare talem dilectionem, humilitatem, obedientiam &c. Et quamvis ad hanc continuationem indiguerit gratia intrinsece efficaci; quæ, ut continuata erat donum persev. finalis per modum adiutorij *quo*; hæc nec dat posse; nec expeditionem potestatis, sive virtutis (ut alibi dicitur, satis superque constat ex dictis) quare ex huius defectu malè infertur Luciferum, & Alios Angelos non fuisse expeditè potentes perseverare. Si enim præfatus M. tot discursibus probasset hanc propositionem. * Potestas Angeli conditi in gratia, & diligentis Deum in 1. inst-

I2 Ultimus defectus prob.

tan-

Nota hic ſolum agi de perſev.

tanti ad coniunctionem eiuſdem amoris per deliberatam electionem non eſt poteſtas ad perſeverandum; vel ut immobiliter adhæreat bono; vel ut ſuo modo coniungat gratiam cum termino viæ: rectè, & directè probaret contra Thom. * Sed quia ab hoc defecit; argumentum non evaſit efficax. Notandum; quòd cum hic loquamur de perſeverantia in bono gratiæ, & quę in Angelis fuit meritoria gloriæ, quæ etiam fuit promiſſa ſub conditione amoris Dei continuati, & aliorum actuum ſupernaturalium; non opportune agitur pronunc de poteſtate Angelorum ad recte operandum ut ſic; an ii fiat poſt deliberatam electionem, valeant eam retractare? de quo alibi. Nos ſolum de perſeverantia ſtrictè, & per quam conſecuti ſunt gloriam, loquimur.

13

Licet ex dictis ſit facilis ſolutio ad omnia. Breviter Reſp. ad 1. dicendo rectam operationem ex terminis eſſe minus bonum, quam ſit perſeverantia finalis; cæterum continuatio deliberata in 2. inſtanti (ſit 2. formaliter, aut æquivalenter) in Dei amore, eſt ipſa perſeverantia in Angelis, & utraque formalitas, aut virtualitas ex gratia ſpecialiſsima Dei proceſsit, & ſecundum quam diſcrevit iuxta M. P. inter bonos, & malos. Per quod conſtat ad 2. ſi enim illa operatio recta ſit ſupernaturalis, à fortiori ut cõtinuata, & cum perfecta deliberatione, & cui eſt promiſſa beatitudo conferenda ut præmium, petit ſpeciale auxilium; ut ipſe fatetur de operatione recta, quæ ſit ultima in termino viæ Angelorum. Ad alia cõſtat ex dictis nõ probare cõtra Thom. ponentes ut falſum hoc ſyſthema. * Poteſtas, ſive perfecta libertas in Angelis, ut continuarent deliberate adhærere Deo per amorem, obedientiam &c. non fuit libertas expedita ad perſeverandum finaliter in bono gratiæ. * Ad ultimum fatemur anteced. ſi enim Angelus eſſet conditus in puris naturalibus, poteſtas expedita ad rectè operandum non eſſet etiam expedita ad perſeverandum finaliter perſeverantia, de qua loquuntur Concilia PP. & quam fatemur in Angelis bonis iuxta providentiam à Deo ſtatutam. Eodem motivo fatemur ex terminis gratiam prædeterminantem ad rectam operationem etiam in Angelis non eſſe prædeterminationem ad perſeverandum finaliter in gratia Dei; ſed reſtat probare prædeterm: ad continuationem deliberatam amoris Dei non eſſe prædeterm: ad perſeverandum. Hoc opus, hic labor.

Reſp. directè, & breviter prob. arg. Ad 1.

Ad 2.

Ad alias prob.

14

Sed omittì non debet diſcurſus, quem adducit num. 67. quo aſſerit omnia antea dicta inſtaurari; ſibique eſſe argumentum irrefragabile. Tunc primo intelligitur Angelus potens non perſeverare finaliter; cum 1. intelligitur habens potentiam proximam ad perſev. & non perſev. finaliter; ſed tùnc 1. intelligitur cum hac potentia, quando intelligitur poſita eius recta operatio: ergò tùnc 1. intelligitur potens non perſev: quando intelligitur potens ceſſare à recta operatione: ergò Angelus poteſt ceſſare à recta operatione: ergò non adhæret immobiliter obiecto ſemel electo: ergò non eſt natura ſua inflexibilis.

Arg quo antea dicta roborantur.

Suo A. videtur irrefragabile

15

Ut clariùs procedatur nomine *rectæ operationis* accipiamus amorem Dei ut Authoris gratiæ; hæc enim acceptio eſt grata Authori, & ut impugnet Thomiſt. primum diſcurſum formavit pro amore Dei, & eius deliberata electione; licet poſtea ad alia diverterit; quæ non urgent immediatè contra perſeverantiam iuxta Concilia, & PP. deſcriptam. Hoc ſuppoſito rogo. Quando in minori præfati diſcurſus aſſerit. quòd tùnc 1. intelligitur Angelus potens proximè perſev. & non perſev. finaliter, quando intelligitur poſitus amor Dei: vel loquitur de poſitione amoris Dei ut 1. libere eliciti; vel de poſitione eiuſdem, ut deliberatè continuati? Si 1. ſolum infertur hæc conſeq. ergò Angelus poteſt ceſſare ab amore ut 1. elicito. Quod quis negat? Ita enim contigit in Dæmonibus. Quare Angeli non erunt in bono immobiles; ſi liberè tantum, non vero ex perfecta deliberatione operentur: quòd apertè fatetur S. D. 2. ad Anib. d. 3. a. 2. ad 3. & alibi, & cum eo omnes Thomiſtæ. Si 2. relinquitur improbatum. Tùnc enim iuxta Thom: potentia

Solutio, & ſatis facilis intra term. diſp præc.

proxima ad perseverandū est iam reducta ad actum: unde signum, in quo 1. intelligitur potentia pure anteced: ad perseverandum, & non perseverandum finaliter, fuit signum constitutum per gratiam in 1. instanti, & actum dilectionis Dei in eodem elicito. Unde boni Angeli illam reduxerunt ad actum per gratiam Dei adiuti, factaque est de potentia antecedenti ad persever. potentia consequens. Mali vero talem potentiam non reduxerunt ad actum secundum; sed iusto Dei iudicio derelicti, conversi sunt in bonum proprium, ut finem ultimum, cui immobiliter adhærent.

§. IV.

Aliud motivum proponitur.

16 NUm. 80. sequentem format discursum. Si Angelus esset inflexibilis ex natura sua perseverantia finalis Angeli, potius tribuenda esset naturali immobilitati, quam gratiæ; vel si gratiæ tribueretur; non specialissimo auxilio Dei, sed gratiæ communi; quorum neutrum Catholicè concedi valet. Prob. assumptum. His principijs tribuitur persever. finalis, quibus tantummodo positis, illa infallibiliter ponitur. Sed posita naturali inflexibilitate in Angelo, & deliberatione rectæ operationis, vel eius continuatione, infallibiliter sequitur perseverantia finalis iuxta doctrinam Thom: ergò. Confirm. Si Michael v. g. à propria natura redderetur impotens cessare ab amore deliberato Dei super omnia; à propria natura redderetur impotens amittere gratiam; Nàm repugnat amitti gratiam stante tale amore. Sed eo ipso esset à propria natura necessitatus ad perseverandum; Nàm qui non potest amittere gratiam est necessitatus ad eam conservandam: ergò Michael deliberate diligens Deum, statim à natura sua redditur necessitatus ad semper perseverandum in gratia Dei. Urget. Ut Michael continuet deliberate amorem Dei elicitum in 1. instanti, solum eget gratia efficaci ab extrInseco, vel ab intrinseco, quæ omnibus confertur ad rectè operandum. Ut verò coniungat illum amorem cum termino viæ; nihil aliud exigit, quàm esse inflexibilem in tali amore; quam inflexibilitatem habet à natura sua; ergò à natura sua habet Angelus donum excedens operationem supernaturalem, & gratiam, scilicèt, perseverantiam finalem. Undè ipsa natura Angeli erit supernaturalis respectu gratiæ, & re ipsa faciet, quod gratia quantumvis efficax nequit facere.

Quia iuxta Thom. persev. nò esset speciale donum 1.

Confirm.

Urget.

17 Si dicas talem perseverantiam non provenire à sola immobilitate Angeli, sed etiam à gratia, quæ datur ad rectam operationem. Contra est 1. Nàm talis gratia est gratia communis; undè perseverantia non erit ex specialissimo auxilio Dei, ut asserebant Semi-Pelag. 2. Quia supposita tali immobilitate, Angelus non requirit speciale auxilium ad persev: Hoc enim dicitur speciale, quando dispensatur ad opus arduum, & difficilioris meriti; sed posita naturali immobilitate, per quodlibet auxilium, estò debilissimum, Angelus perseveraret in recta operatione: ergò. 3. Probat in tali sent. nullum auxilium gratiæ requiri in Angelis ad perseverand. finaliter. Fiat hypotesis, quòd posita recta operatione deliberata in Angelo, Deus auferat omnem gratiam, nullaque ei auxilia concedat; in hoc eventu Angelus immobiliter adhæret obiecto libere electo; cum talis adhæsio sit proprietas naturalis; quæ non deficeret per defectum gratiæ: ergò licèt ad eliciendam rectam operationem indigeret gratia, non tamen ad immobilem adhæsionem: ergò nec ad perseverandum.

Quædam solutio impugn.

Assumpt. speciale ex hypothesi ficta

18 Sed quia perseverantia dicit coniunctionem gratiæ cum termino viæ; nè fiat hypothesis complicatoria; finge Deum decernere post deliberatam operationem Angeli, non concurrere ad aliud opus præter illam electionem: tùnc gratia esset otiosa; aliundè esset coniuncta cum termino ob immobilitatem naturalem Angeli: ergò nullum auxilium foret necessarium ad persev: sed solum ad elicientiam rectæ operationis. E contra: fiat hypotesis, quòd Deus auferte-

Aliud specialius.

Aliud ſpecialiſsim.

ferat ab Angelo naturalem proprietatem immobilitatis, & conferat omnia auxilia communia gratiæ, excepto ſpecialiſsimo, quod eſt donum perſeverantiæ: tùnc enim Angelus minimè perſeverabit: ſignum ergò evidens eſt, quod tota cauſa, & formalis ratio perſeverandi in Angelo eſt ſola immobilitas illius, non vero gratia; quòd Catholice concedi nequit.

§. V.

Solutio motivi ſupra poſiti.

19 HUius argumenti ſolutio tradita eſt à M. S. Thom. ſupra. Undè mirum eſt eam non fuiſſe impugnatā ab arg: & totum connatū adhibuiſſe pro alijs impugnandis, quorum A. ignoratur, & facillimè convincuntur falſitatis. Rurſus argumentum quòad ſubſtantiam non eſt novum, aut ſpeciale, ſed ſolum ut contractum ad perſeverantiam finalem, proùt dicit coniunctionem gratiæ cum termino viæ, & non proùt dicit eſſe bonum ſupernatur: Pone enim præciſsive ab his circunſtantijs; quod Angelus eligat deliberate actum ſupernaturalem obedientiæ, Religionis, & charitatis; certè iuxta ſententiam Thom: immobiliter adhæret obiecto ſupernaturali horum actuū; ita ut nequeat eos retractare. Nunc formo idē argum: immobilis adhęſio, ſive determinatio voluntatis ad bonum ſupernaturale formaliter, & per actus ſupernaturales, nequit provenire à natura Angeli, aut proprietate naturali ipſius; & hoc, iuxta Thomiſtas, adhùc partialiter. Sed ſi Angelus eſſet inflexibilis ex natura ſua, hoc conſequens deberet concedi: ergò talis inflexibilitas &c. Adde ſic arguentem proferre contra Thom: negantes concurſum partialem virtutis innatæ intellectus, & voluntatis in actus ſupernaturales; & pariter rationem diſpoſitionis remotæ talis: *Eos aperta inconſequentia doctrinæ procedere, & ſine tenaci memoria de his, quæ concedunt tractatu de viſione; ſi aliunde modo tract. de Angelis concedunt Angelos ex naturali proprietate immobilitatis, firmiter adhærere bono ſupernaturali, & elicientia ſimilium actuum.* Nonnè immobilis adhæſio, & firma determinatio voluntatis ad bonum ſupernaturale, ſupernaturalis non eſt; quinimo perfectior, quam 1. elicientia actus? Si ergò iuxta Thom: ſupernaturalitas actus eſt ſupra omnem exigentiam, & partialem activitatem, & poſitivam diſpoſitionem remotam naturæ; qualiter defenditur ab ipſis relata inflexibilitas? Quid ergo?

Arg. non militat ſolum contra perſever.

Prob.

Sermo eſt de illa adhæſione ſecūdum rationem ſpecificā.

Suppoſito argumentum quòad ſubſtantiam æquè pugnare contra inflexibilitatem circa bonum ſupernaturale poſt deliberatam electionem; ſolum adeſt ſpecialitas pro perſeverantia finali; quia hæc iuxta Concilia, & PP. etiam in Angelis requirit ſpecialiſsimum auxilium gratiæ; quæ ratio non militat in exemplo à nobis adducto. Sed hoc eſt parvum ſolatium. Si enim debet concedi à Thomiſtis, quod ex naturali proprietate Angeli ortum ducit, ut à propria cauſa, aliquid perfectè de ordine ſupernaturali; nonnè hoc non eſt ſufficiens inconveniens, etiam iuxta PP. & Concilia? Rurſus. Eſtò ſit certum perſeverantiam finalem, ut de facto electam ex intentione gloriæ, requirere auxilium ſpecialiſsimum gratiæ extrinſecum relatè ad talem intentionem; ſitque etiam certum requirere præciſsivè ab electione efficaci ad gloriam, auxilium gratiæ re, aut munere, diſtinctū ab auxilio ſufficienti; & ſimilitèr, quod ſit gratia ſpecialis relatè ad naturam; non eſt ita certum, quòd ſit ſpecialiſsimum intra ordinem gratiæ, aut exigens providentiam ſupernaturalem ſpecialem. Hoc enim non eſt definitum, ut videre eſt in P. Suarez de perſever. Adami innocentis: cum Concilia, & PP. loquantur de perſeverantia in hac providentia, & de qua verificatur: *Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit.* Ponatur igitur neceſſarium ad perſeverandum auxilium efficax diſtinctum re, aut munere, ab auxilio ſufficienti, & propter hoc ineſſe gratiæ eſſe beneficiū ſpeciale gratuitò datum à Deo, & quòd ſit ſpeciale, in eſſe auxilij relatè ad naturam; & nihil invenietur concernens doctri-

20 Reſp. ad prob

nam

nam Jansenij; si fermo sit de perseverantia, proùt dicit continuationem in bono, præscindendo ab eo, quod sit medium ortum ducens ex intentione efficaci gloriæ. Potuit enim Deus absolutè reddere hominem, & Angelum rectè supernaturaliter operantem usque in æternum, absque eo quòd eos glorificaret.

21 Sed redeũdo ad argum: formatũ cõtra inflexibilitatẽ Angeli circa supernaturalia ex incõvenienti supra ponderato, illud est commune, & frequentèr in publicis disputationibus propositũ, au divised efficaciter solutum ex doctrina Angelici Magistri q. 16. de Dæmon. ar. 5. & 6. ibi enim probat Angelos esse inflexibiles ab intrinseco circa ea, quæ pertinent ad ordinem naturæ; quia immobiliter ea cognoscunt ob eorum comprehensionem; cumque voluntas proportionetur cum cognitione intellectus, & modo illius, immobiliter adhæret bono liberè electo intra ordinem naturæ. Hac immobilitate suppositа transit ad probandum etiam circa supernaturalia Angelos immobiliter adhærere; estò in ordine ad illa se habeant in potentia, ut convertantur, vel avertantur. * Quod enim advenit alicui, advenit ei secundum modum suæ naturæ. Cumque attento modo suæ naturæ sint immobiles; consequens est, ut immobiliter perseverent Angeli, vel in aversione, vel in conversione respectu supernaturalis boni. *

Inflexibilitas circa supern. ex gratia.

Ratio S. D.

22 Quæ doctrina, estò solida, & clara, sic amplius explicatur. Gratia enim non destruit, aut imperfecit; sed potiùs perficit naturam; & quantum ad id quod in ea est actualitatis, & perfectionis illam exaltat, & elevat, ut servato genere perfectionis, collocet intra specialem ordinem. Certum est 1. quod immobilitas post plenam electionẽ de se est perfectio, & actualitas; sicuti mutabilitas post illam est imperfectio; mutatio enim (ait S. D. ibi) est actus existentis in potentia. Quòd etiam patet ex accessu ad imitationem Dei, in quo immobilitas in suis decretis ex se dicit speciale ãttributum, & perfectionem. Certum est 2. quòd si intra perfectionẽ naturalẽ creaturarũ invenitur immobilitas post plenam electionem; hæc nequit deficère in thesauro gratiæ; cum Deus ut Author illius sit ditissimus, & infinitè communicabilis ad extra. Hac ratione, si datur in ordine naturali radix, sive natura vivens radicãs intellectum, & voluntatem, aliasque potentias, quarum actibus, homo vivat cognoscendo, amando &c. datur in ordine supern: gratia habitualis, quæ est natura, & radix fidei, luminis gloriæ, quod est bonus intellectus; & pariter radix charitatis, quæ dicitur bona voluntas. Adsũt simul alia innumeradona in gratia, quæ est vita animæ, radicata; ut penè infinitum excedat perfectionem naturalem, tùm animæ, tùm etiam naturæ Angelicæ.

Explic. ex eodem S. D.

23 His notatis dicimus inflexibilitatem in bono supernaturali provenire, non à natura Angeli, nec ab eius naturali immobilitate, ut à causa totali, aut partiali, sed provenire à dono gratiæ ex participatione summæ immobilitatis Dei, hanc prerogativã habentis. Gratia enim se accommodat naturæ, non ut ab illa aliquod commodum accipiat; sed ut perfectionem, & modum perfectionis eiusdem exaltet: ergò illa poterit reddere voluntatem Angeli post plenã electionem immobilem in bono supernaturali; quia speciali perfectione, & intrinseca modaliter communicatur à Deo. Quod descẽdẽdo ad praxim sic explico. Immutabilitas omnimoda Dei in suis decretis radicaliter provenit ab eius natura, proximè à summa sapientia direct.v.; & à voluntate summè conformi ordini, & dictamini suę sapientiæ. Quia ergò substantia Dei, & sapientia est immutabilis, cui omnia patent; Deus est omnino immutabilis in suis decretis. Sic D. Thom. 1. p. q. 19. ar. 7. Produxit Deus Angelos intra ordinem naturæ ad sui aliqualem imitationem; tàm quòad esse, quàm quòad libertatem, & immutabilitatem: undè sicuti illius natura, quia completè spiritualis, radicabat intellectum perfectè, & simplici intuitu omnia ad ordinem naturæ spectantia; & propter hoc immobiliter illa aprehendit; ita radicabat voluntatem sequentem ductum cognitionis immobiliter post plenam electionem.

Gra-

24 Gratia ſanctificans infuſſa Angelis ad rectè operandum intra ordinem ſupernaturalem radicabat in Angelis fidem, & dona, intellectum perficientia, non quidem, ut diſcurrendo cognoſceret ſpeculativè, aut practicè, ſed ſimplici intuitu cognoſcendo concluſiones in principijs; & propterea immobilitèr eadem ſic cognoſcebat: cumque ex immobilitate cognitionis ſequatur immobilitas in voluntate; dona perficientia intrinſecè voluntatem Angeli, illam proximè, & per modum virtutis reddebant immobilem circa bona ſupernaturalia liberè electa. Tota igitur radix, & ratio formalis, ſive cauſa proxima immobilis adhæſionis ad bonum ſupernaturale in Angelis, eſt gratia. Radix quidem, gratia ſanctificans, à qua ut perficiente eius naturam provenit, ut tàm fides, quàm dona intellectualia ſapientiæ, ſcientiæ, prudentiæ &c. non per diſcurſum, ſed ſimplici intuitu cognoſcant etiam practicè obiecta ſupernaturalia eligenda; & ideo immutabilitèr ea cognoſcunt. Cumque idem ordo ſit ſervandus in virtutibus infuſsis charitatis, & aliarum ad mores pertinentium; ex his provenit immediatè intrinſecè, quòd immobilitent voluntatem, ſi eligat bonum ſupernaturale: ad quam electionem requiritur gratia efficax, per quam efficitur, ut benè eligat.

Proſequitur ſolut.

§. VI.

Occurritur argumenti probationibus.

25 ILlud, ut ſupra dixi proponit Durandus, & Gregorius Arimino relati ab Eminentiſsim. Cayet. 1. p. q. 64. a. 2. *Quia ſequeretur Angelum eſſe naturaliter confirmatum in bono, & non ex gratia Dei: quod eſt contra Damaſc. lib. 2. cap. 3.* Quæ confirmatio non differt à perſeverantia finali. Videatur illius ſolutio. Ad 1. prob. neg. min. Nàm debent poni 1. gratia habitualis, uti radix, & principium perſever. 2. Donum fidei, & ſapientiæ in intellectu Angeli ut directiva amoris Dei plenè liberi in ſui continuatione. 3. Habitus charitatis ut tota ratio proxima continuandi actum charitatis: & gratia intrinſecè efficax donans actù continuare in amore Dei. Quæ omnia habent ſuo modo immobilitatem ut *quo* ſibi proportionatã, & participatam à Deo, ut ſupra explicuimus. Quòd ſi perſeverantia finalis dicit non ſolum non poſſe retractare rectam electionem, ſed in ea permanere actu diligendo Deum; ſciendum etiam gratiam prædeterminantem eſſe immobilem in determinando; ſicuti dicitur de prædeterminatione ad amorem beatificum; eſt enim motio ſapiens naturam actus, ad quem diſpenſatur. Quòd autem dona recenſita poni debeant, & non ſolum illa, quæ referuntur ab arguente, conſtat; Nàm ſermo ſpecialis eſt de perſeverantia Angelorum, quam habuerunt, ut viatores, & merentes perſeverando gloriam. Huiuſmodi autem via omnia illa dona requirit.

Illud breviter ponderat Durand. & Alij.

Reſp. ad 1. prob.

26 Confir. ſupponit iuxta Thom. Angelũ à propria natura habere immobiliter adhærere bono ſupernaturali cum plena libertate electo; ſimiliterque eſſe neceſsitatum ex ſua natura ad non ceſſandum ab amore Dei, & ad non amittendam gratiam: quare negandum eſt ſuppoſitum; quia Thomiſtæ non talia affirmant. Si dicas. Thomiſtæ ponunt Angelos eſſe etiam circa ſupernaturalia inflexibiles, ab intrinſeco: ergò à propria natura. Neg. conſeq. ut patet in beatis, qui ſunt ſimpliciter impeccabiles ab intrinſeco; ſed nõ intrinſeco naturæ, ſed dono viſionis, & etiam dono amoris intrinſeco ipſis. * Ad urg. Reſp. ſuppoſita elevatione per principia ſupernaturalia, & amore Dei elicito in primo inſtanti, ſolum reſtare ad continuationem gratiam efficacem; nego tamen hanc eſſe communem; fuit enim ſpecialis, & diſcretiva inter Angelos bonos, & malos. In hac enim gratia ponunt Thom. donum perſeverantiæ; *quia cum Angeli ſint immutabiles in bono poſt 1. electionem, in eis tùnc finitur ſtatus viatoris.* Sic S. D. q. 16. de malo ar. 5. Dicere autem Angelum eſſe inflexibilem ex natura ſua in amore Dei ut continuato; eſt falſo impoſitum Thomiſtis, & quod debet probari. Hinc illa inconvenientia, quæ deducit

Ad conſirm.

Ad urg. *

Vide infra inſt.

cit non habent vim; cũ non deducantur ex inflexibilitate probata, & explicata à D. Thom.

27 Refert A. quandam Resp. quæ potest attribui Cayet. ubi supra. Attamen ille respondet, & asserit causã principalem confirmationis in bono fuisse in Angelis gratiam, licet secundario proveniat à voluntate Angeli; quia conditio naturæ redundat in conditionem gratiæ, quæ est causa princip: & in fieri, & in conservari continuationis talis bonitatis. Sed videamus, quomodo impugnet gratiã tunc esse causam principalem. Ait enim 1. * talis gratia est communis, & non illa specialis requisita à PP. * neg. assumpt. usque dum probetur. Ait 2. quia per quodlibet auxilium esto debile perseveraret Angelus posita naturali immobilitate. Resp. Quod si illa recta operatio sit supernaturalis, & deliberata, necesse est auxilium esse efficax, & iuxta Thom. intrinsece efficax, collatum subiecto, iuxta D. Thom. sæpissimè, flexibili ante electionem, & inflexibili post plenam electionem in bono, aut in malo. Cur ergò dicitur; sufficere debilissimum? Dices. Continuatio non esset opus arduum: ergò non indiget auxilio speciali. Neg. antec. De continuatione amoris Dei 1. eliciti, & de arduitate obiectiva propter eius excellentiam.

Resposs. quam impugn. forte vidit in Cayet.

Sustinet. eius solutio.

28 Ad assumptum speciale ex 1. hypothesi Resp. quod dùm intendit Angelum tunc immobiliter adhærere bono; vel sumit hanc adhæsionem pro illius positivo; & sic dicit motum voluntatis firmiter amantis bonum. Hic autem actus, quomodo stare poterit; si fiat hypothesis, quod Deus auferat ab Angelo gratiam, & omnia auxilia? Nec est verum talem adhæsionem secundum rationem specificã proùt est circa supernaturalia, esse proprietatẽ naturalem Angeli in sententia Thomistarum: cum nullus hoc imaginaverit. Si autem adhesio sumatur proùt dicit de negationẽ potestatis ad retractandum; concedimus illam manere. Cæterum sine ulla libertate; cum Angelus reductus ad pura naturalia non sit liber ad aliquid de ordine supernaturali. Secundum assumptum eodem vitio laborat. Siquidem si gratia manet otiosa, Angelus cessabit à continuatione amoris Dei. Si hoc ita evenit, qualiter est in termino viæ? Nùm quid nihil boni facere est viare ad patriam; aut esse consummatum statum viatoris? Si status viatoris est status ambulandi, & accedendi ad Deum, quomodo finitur, & completur hic status per puram otiositatem?

Ad assumpt. ex 1. facta hypothesi.

Ad assum secundæ hypoth.

29 Tertium est mihi inintelligibile. Qualiter enim serio potest concipi, quod Deus auferat ab Angelo naturalem proprietatem immobilitatis. Hæc enim non est aliqua potentia, sed conditio exacta necessario ab ipsa natura; quę exigit ex specie suacognoscere ea, quæ sunt de ordine naturæ, cognitione comprehensiva, proindè que adhærere immobiliter in aprehensione, & electione plenè libera. Hęc autẽ exigẽtia nequit concipi auferibilis à natura Angeli, si hæc concipitur ut talis. Sed demus Deum auferre illam; profectò tunc, non erit Angelus immobilis adhuc ex dono gratię, circa supernaturalia; sed erit quasi homo; cui si Deus non det speciale auxilium, quod dicitur munus perseverantiæ, etiamsi habeat alia, minimè perseverabit. Sed ex hoc quid contra Thomist. asserentes * Angelos ex natura sua inflexibiles circa bonum naturale cum deliberatione volitũ, reddi intrinsece inflexibiles circa supernaturale bonum ex gratia Dei se accomodante, & perficiente naturam; ideòque gratia efficax ad continuationem deliberatam amoris Dei fuit auxilium specialissimum eos confirmans in bono. *

Ad ultim

30 Ulterius: undè infertur hæc conseq. ?* Existant in Angelo omnia auxilia, excepto auxilio pers ev: si deficiat immobilitas naturalis, non perseverabit: ergò evidens signum est &c. * Undè, inquam (parcitur evidentiæ) infertur. Nàm quando defectus alicuius effectus formalis, aut constituti, provenit ex defectu duplicis principij; quis potest ex hoc inferre positionẽ unius esse totam rationem, & causam, ut ponatur effectus formalis; vel quodlibet constitutum? Sed arguens, ut ponat defectum perseverantiæ finalis; ponit defectum na-

Quædam illatio ex 3 hypoth refutatur.

naturalis immobilitans in Angelo, & etiam defectum ſpecialis auxilij, quòd eſt donum perſeverantiæ. Ergo perperam infert naturalem immobilitatem eſſe totam rationem, & cauſam perſeverandi. Imò, ut deficiente illa immobilitate deficeret perſeverantia, ſufficeret eã eſſe requiſitã neceſſario, ut connotatum, aut conditionem; ut pluribus exẽplis facilè ſuaderi poteſt.

Cuidam quæſito ſit ſatis.

Si dicas: ponamus etiam auxilium perſeverantiæ, & deficiat immobilitas naturalis Angeli: quid dicetur tùnc in via D. Thom? Reſp. Quod ſi Angelus non eſt ab intrinſeco immobilis circa naturalia, nec etiam erit circa ſupernaturalia: ſi ſolidè loquamur. Undè tunc perſeverabit ob donũ perſeverantiæ, & erit in termino viæ; ſed non ut Angelus, quẽ cognovit, & plenè deſcripſit noſter Angelicus D. ſed perſeverabit, ut homo, quo ad modum libertatis ante, & poſt electionem, flexibilis. Sed quia præfatus M. ait ſe uſurum argum. ſpecialibus ex doctrina ſolidè Theologica erutis, & ex S. Anſel. & D. Tho. ſatis de hypotheſibus fictis non rectè cum dictis cohærentibus.

31

Ponderatio prima notanda. Contra Adv:

Sed ut hucuſque dicta roborentur; & ea, quæ cõtra Thom. objicit SS M. infirma videãtur: ſe offert 1. frequẽter tueri à Theol: Angelos poſt deliberatã electionem in bono ſupernaturali, (quidquid ſit de inflexibilitate phyſica, & attentis naturis rerum loquendo) eſſe inflexibiles moraliter, ſive dari in eis neceſſitatem moralem perfectè talem ad perſeverandum in bono; hoc enim convincit plenitudo cognitionis quòad ſubſtantiam, & circunſtantias obiecti ab ipſis libere electi. Si enim homines; dùm in ſuis electionibus circa agenda procedunt cum perfecta cognitione; ita ut quaſi nihil eis de novo occurrat antea non prævi ſſum, & ponderatum; difficillimè electiones retractant; quanto maiori exceſſu affirmandũ eſt de Angelis? Undè ad minus teſtimonia S. D. circa inflexibilitatem poſt electionem, perfectam neceſſitatem moralem convincunt, & ſummam impoſſibilitatem moralem ad retractationem. Hanc doctrinam non negavit Prælaudatus M. * hoc ſuppoſito. Videamus; qualiter ſit verum auxilium perſeverantiæ finalis eſſe ſpecialiſſimum, & Antonomaſtice *gratia* dictum. Non ſit gratia ſpecialiſſima ad perſeverandum ſubiecto, in quo datur neceſſitas moralis, & vere talis ad perſeverandum; adeſt enim iam debitum ſaltim morale; & quod ſine ſpeciali providentia Dei nullis legibus adſtricti, negari non valet. Sed Angelus ſuppoſita deliberata electione amoris Dei, ut ultimi finis ſimpliciter, & pro ſemper amabilis, gaudet tali neceſſitate iuxta dicta: ergò auxilium datum ei poſt talem electionem non erit ſpecialiſſimum; nec illud magnum donum, aut munus Dei tantopere, ut gratioſum ponderatum à Concilijs, & SS. PP. Hoc ratiocinium poteſt roborari ex dictis toto tract. de neceſſit. gratiæ, ubi actum eſt de actibus requirentibus gratiam ſpecialem, & de cauſa, & circunſtantijs, ob quæ dicitur aliquod auxilium ſpeciale. Si enim omnia vertantur in utrum, nihil proficiemus.

Formatus ratiocin.

32

Confirm.

Hinc 2. formo alium diſcurſum ut infirmem argum: præfati M. Repugnans eſt dari neceſſitatem moralem vere, & proprie talem ad aliquod donum maximum intra ordinem gratiæ ortam, tanquam à vera cauſa, & ratione ab aliqua proprietate naturali Angelorum; vel ut brevius dicam à natura Angeli: hoc enim eſt contra notionem entis ſupernaturalis; & adeò excellentis, qualis eſt coniunctio gratiæ cum termino, & perſeverare in gratia, & amore Dei. Nunc ſic: neceſſitas moralis ponderata ad perſeverandum, quæ datur in Angelis, habet ortum à natura Angeli, ut vera cauſa, vel non? Si 1. quomodo erit donum gratiæ, & quod aliunde haberi non poteſt niſi à Deo, ut ait Trid. ſeſſ. 6. cap. 11.? quod ſi hoc non eſt inconveniens; quia eſt talis ſuppoſita gratia Dei moventis priùs ad liberã electionẽ amoris; idem poterunt dicere ponentes neceſſitatem ad perſeverandum, & ſi phyſicam. Si 2. ergò etiam ſtabit Angelos eſſe ab intrinſeco inflexibiles in tali electione, & quod illa non ſit à natura Angeli, ut à cauſa, ſed à gratia Dei. Nũquid ſemèl conceſſo impoſ-

* Diſp. 9. d. 4. n. 58.

possibilitatem moralem retractandi, rectam electionem amoris posse provenire ex gratia dittissima Dei; potest solidè ei negari possibilitas immobilitandi physicè loquendo? Nec dicas hanc impossibilitatē esse purè consequentem. Non dicas; quia hoc est excitare aliud dubium. Scimus enim potentiam conseq. proprie dici potentiam coniunctam cum actu: de quo egi in hoc tract. At vero iuxta opinionem præcit: M. plures Angeli etiam post 1. deliberationem amoris peccaverunt. * Ista igitur impotentia moralis perfecta frequenter concessa Angelis ad pœnitendum est ex parte actus 1. licet nō sit *simpliciter* anteced. sed secundum *quid*. Rursus hoc omisso: etiam est inconveniens asserere necessitatem moralem conseq. ad coniungendum gratiam cum termino viæ, ortum dicere à naturali proprietate Angeli.

* Disp. 9. d. 4. nu. 42. hic àn. 90 ex bello Luciferi.

33 Secunda ponderatio ad hominem.

Alia ponderatio ad idem fit ex doctrina, quàm cum omnibus Thom. tuetur idem M. disp. 6. dub. 5. n. 13. scilicet: Angelis repugnare discursum circa supernaturalia. Quod probat; ex quo Angelus secundū suam naturā est incapax discursus; utpotè cognoscens obiecta perfectissimo motu unius intuitus, & simplicis apprehensionis; sed gratia elevans Angelum ad cognitionem supernaturalem, nequit illius naturam deteriorare, quia gratia non infirmat, sed perficit naturam: ergò. Confirm. ex D. Tho. 2. 2. q. 9. ar. 1. ad 1. asser: lumen supernaturale ex se non esse discursivum, sed ratione subiecti; sed Angelus ex natura sua caret discursu: ergò lumen supernatur: non est ex se, aut ex conditione Angeli in quo recipitur discursivum. Ex quibus sic argum: 1. bene valet: * gratia elevans Angelum ad cognitionem supernaturalium perficit eius naturam; & eius perfectionem exaltat: ergò si secundum sui naturam habet simplici intuitu penetrare conclusiones in principijs; & ideò non discurrit; hoc idem debet concedi de lumine gratuito: * ergò etiam hæc est bona conseq. * (estque conseq. S. D. q. 16. de dæmon. ar. 6.) gratia perficit, & exaltat naturam Angeli: ergò si Angelus immobiliter adhæret post liberam electionem circa ea, quæ spectant ad ordinem naturæ; proprium gratiæ est reddere eos immobiliter adhærentes circa bonum supernaturale post illius liberam conversionem. *

Formatur discursus.

34 Ponderatur.

Nunc rogo lumen supernum cognoscitivum reddere Angelos impotentes discurrere; est perfectio orta à natura Angeli? vel potius intrinseca lumini, & conveniens ex illo naturæ Angeli? 1. nequit dici, quia cum penetrare conclusiones in principijs supernatur: sit perfectio maxima supernat: hæc nequit oriri à propria natura Angeli. Si dicatur 2. ut debet dici: ergò lumen gratiæ perficiens naturalem immobilit: Angeli reddet eos immobiles ut causa, & tota ratio suæ immobilitatis. Nec dicas: non repugnare lumen supernum cognoscitivum penetrativum perfectè principiorum, & proprietatum; repugnare tamen lumen gratiæ, ita immobilitans circa supernat: Non inquam dicas; quia hoc est abiectè sentire de gratia Dei, quæ eò perfectior, quo magis firma; & potens haurire à Deo infinitos modos perfectionis adhùc in via. Si iterum dicas. Discrimen stare in eo, quod lumen supernum solum est discursivum ratione subiecti ut asserit S. D. undè si ex natura sua Angelus discursivus non est; nec etiam ut elevatus tali lumine. Angelus vero est de se peccabilis, utpotè factus ex nihilo; & ideò ratione luminis gratiæ nequit reddi immobilis in bono. Non inquam dicas 1. quia ut loco citato ait S. D. Angeli sunt immobiles in electione circa ea, quæ sunt de ordine naturæ: ergò si gratia perficit naturam, reddit eum immobilem &c. 2. quia Angelum esse peccabilem nihil concludit nisi, quod potest primo velle bonum, & postea velle malum, ut contigit in Dæmonibus, secus, quod possit velle malum, postquam adhæsit deliberate bono supernaturali; ut sic discrimineter ab homine, ut sæpissime docet S.D.

Si dicas 1. rejicitur.

Pariter si 2. dicatur.

35 Concludi tur assumptum.

Sicut ergò in tali sententia non debet concedi Angelos habere ex natura sua penetrare in principijs conclu-

cluſiones ſupernatur: nequit non convenire ipſis ex gratia Dei; idem dicendum in noſtro caſu de immobilitate circa ſupernaturalia. Et ſicut non debet concedi, quòd ſemel cognitis concluſionibus in principijs ſupernaturalibus impotentia ad cognitionem falſam ei oppoſitam, & neceſsitas ad vere iudicandum de ipſis, convenit formaliter ex naturali proprietate ipſorum; ita dicendum in præſ. Sicut ergò perfectiſsima cognitio naturalis in Angelis eſt quædam congruentia, abſque ulla tamen exigentia, aut proportione poſitiva, ut Deus ſua benignitate, & ſuavi providentia, infundat lumen cum ſimili, ſed ſuperiori, perfectione: ita dicendum in præſenti de congruitate extrinſeca orta ex natura gratiæ, quæ habet meliorare perfectionem naturæ. Satis de hoc.

§. VII.

Aliud, & præcipuum motivum ex merito perſeverantiæ.

36 ANgelus poſt deliberatam electionem amoris Dei potuit ceſſare ab illa, & contrariam elicere: ergò non eſt inflexibilis &c.

Arguit. n. à 2. Prob. añs. Angelus poſt talem electionem libere perſeveravit finaliter potens non perſeverare finaliter; ſed hoc eſt formaliſsimè poſſe ceſſare ab electione deliberata amoris, & contrariam elicere: ergò. Prob. min. Angelus bonus habuit meritum perſeverantiæ, ſive perſeverantiam meritoriam. Ita S. Anſelm. (omitto plura, quia non ſunt neceſſaria) Dialogo de caſu Diab. cap. 25. ubi de Angelo beato concludit. *Scis, quia ſupra claruit, eum id circo peccare non poſſe, quia merito perſeverantiæ, adeo provectus eſt, ut iam non videat, quod plus velle queat.* Idem docuit P. Aug. de correct. & gratia cap. 11. *Angeli Sancti, alijs cadentibus per liberum arbitrium, per idem ſteterunt ipſi; & huius manſionis debitam mercedem receperunt tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſsimum ſit, ſemper ſe in illa manſuros.* Quod autem hæc perſeverantia fuerit uſque in finem ſuæ viæ; conſtat, tùm ex illa regula generali Matth. cap. 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Tùm quia ſola hæc perſeverantia eſt, cui promiſſa eſt gloria. Sed meritum perſeverantiæ repugnat, etiam in Angelis, ſine libertate, & libertas perſeverantiæ repugnat ſine poteſtate ad non perſeverandum: ergò Angelus &c.

In his teſtim. deſideratur ly poſt &c.

§. VIII.

Solutio communis ex D. Tho.

37 CUm *Angeli poſt 1. electionem* (intellige deliberatam, aut plenè liberã ut aſſerit 2. ad Anib. diſt. 3. ar. 2. ad 3.) *ſint immobiles in bono, vel in malo; quia tunc finitur in eis ſtatus viatoris.* (Verba ſunt S. D. q. 16. de malo ar. 5.) non percipio ſenſum illius propoſit: qua contendit probare primum antec. ſcilicèt: *Angelus poſt deliberatam electionem amoris perſeveravit libere finaliter.* Nàm videtur ponere perſeverantiam finalem fuiſſe alium actum realiter diſtinctum, & in alio, vel alijs inſtantibus Angelicis, ſaltim virtualiter multiplicatis, ad deliberatam electionem amoris Dei ſubſecutum. Hoc autem expreſſe negatur à Thomiſtis, & à D. Tho. citato. Si enim poſt, aut per talem electionẽ deliberatam, qua continuarunt converſionem in Deũ, ſive amorem caſtum, quo Deus iuxta P. Aug. illos creavit in 1. inſtanti; finitur in eis ſtatus viatoris; iàm non remanet *poſt illam* perſeverantia finalis, quæ nova libertate meritoria ſit beatitudinis. Undè, quòd ſequitur *poſt illam* eſt ipſa beatitudo, ut præmium perſeverantiæ, ſcilicèt, cõtinuationis liberę amoris. Audiatur pro omnibus M. à S. Thoma ubi ſupra num. 11. * Si Angelus continuet 1. inſtantis meritum, tùnc erit ſpecialis Dei gratia, ad hoc, ut voluntas ſe moveat, & deliberet continuare in bono. Undè in hoc ſpeciale donũ gratiæ Dei acceperunt Angeli Sancti, ſcilicèt, donum perſeverantiæ; ut in bono perſeverarent ex propria deliberatione, quo inceperunt ex motione Dei * Et num. 14. * per actum immediatum poſt inſtans creationis,

Reſp.

in

in quo per voluntatem suãsè movent Angeli, & non à solo Deo; sed eligunt, quasi pleno iure redduntur inflexibiles; & ideò non est necessarium protelare viã. Tàndiù enim necesse est durare viam, quàndiù est status ambulandi. Cessante autem istò de ambulatorio cessat via &c. * Quòd ulteriùs sic roboratur. Posibile fuit Deum immediatissimè post liberam continuationem amoris conferre Angelis beatitudinem, ut præmium illius, ut est innegabile. In hoc enim eventu (qui iuxta Thom. de facto contigit) falso quis diceret: quòd Angelus bonus post deliberatam electionem amoris Dei libere perseveravit; * cum ipsa electio deliberata amoris eliciti in 1. instanti; fuerit ipsa perseverantia libera, & meritoria. Quare si ly *post* sit adverbium durationis, propositio est falsa ob dicta; si autem solum significet aliquam posteriori-tatem effectus, quoad modum concipiendi cum reali identitate, potest, admitti ut vera; sed ex illis infirmiter, probatur assumpt. Quemadmodum licet à nobis prius concipiatur decretum, ut egrediens à Divina voluntate, quam ut durans per totam æternitatem; eadem prorsus est libertas ad 1. existentiam illius, & perseverantiam durationis.

* Et plus; si diceret nova libertate.

Sic accipitur supra à S.D.

38 Ad test.

Hinc non probant assumptum testim. P. Aug. Anselmi, & Aliorum PP. asserentia Angelum libere perseveràsse finaliter, & talem perseverantiam fuisse meritoriam. Ratio est. Quia continuarè deliberate amorem Dei libere primo elicitum est perseverare in amore Dei; proindeq̃mereri perseverãdo; cum sit actus liber à subiecto grato elicitus: perseverantia enim salvatur in continuatione rei 1. existentis: ergò Angelus continuando libere amorẽ Dei; quem potuit non continuare, ut fecerunt Angeli mali, libere perseveravit, quia libere incepit, & libere continuavit. Quòd estò sit de se clarum; fiet clarius; si ponatur posibilis casus supra descriptus; quod Deus decerneret statim glorificare Angelos continuantes amorem, & damnare peccantes. Tùnc enim daretur gloria his, qui perseverarunt in via à Deo libere statuta. Sed omitti non debet quòd testimonia relata non probant mai: quàm probare connatur *A.* scilicet, *Angelus bonus post deliberatam electionem amoris Dei* (hæc enim fuit in 2. instanti, saltim virtualiter 2. ut à sententijs præscindamus) *meritoriè, proindeque libere perseveravit finaliter.* Nã talis dictio post &c. non invenitur, nec innuitur in eis; quia minimè conducebat ad intentum SS. PP. quod erat suadere: Angelos bonos libere, & meritorie mãsisse in prima volũtate bona; accipiendo à Deo etiam permanentiam illius; malos vero non mansisse in illa, quia sponte Deum deseruerunt. Undè præd: M. defecit in probatione ex testim. quantum ad formam syllog: sub qua, sine dubio directèprocederet contra Thomistas. Quare sicut non rectè dicitur Angeli post 1. instans suæ creationis dilexerunt Deum per charitatem, & se disposuerunt ad suam iustificationem; sed hæc dicuntur fuisse in eis in 1. instanti; ita non debet dici: *Angelus bonus post deliberatum amorem Dei &c. Sed in ipso, & per ipsam deliberatam continuationem amoris fuerunt perseverantes finaliter in bono, & meruerũt beatificari immediate post à Deo.* Nec dicas hoc esse petere principium &c. Resp. hoc esse solvere argumenta, non probare conclusionem. Undè ad ad ipsum spectat ocludere ratione, & testimonijs, responsiones, quæ dantur à Thom: relictis modo à nobis probationibus quas adducunt tract. de Angelis pro illorum inflexibilitate.

§. IX.

Roboratur motivum præcedens, & eius probationibus occurritur.

36 Instauratur motivum, & solut. data rei, citur.

NOn latuit tantum M. communis doctrina Thom. immediatè tradita; ideoque à num. 29. intendit suadere libertatem, & potestatem Angeli ad libere, & meritorie perseverandum fuisse distinctam à libertate ad deliberatam electionem amoris Dei, & huius continuationem consequentem; per quod probat min. discursus positi §. anteced. Sic enim ar-

arguit. Perſeverantia finalis meritoria qua talis expoſcit novum actum liberum diſtinctum à primo actu deliberatæ electionis, in qua perſeveratur: ergò iſta perſeverantia non eſt libera per poteſtatem, quam habuit Angelus ad deliberatam electionem amoris, ſed ipſam conſequentẽ, proindèque potuit ab illa ceſſare, & contrariam elicere. Añs. prob. 1. expreſſa doctrina Anſelm. de caſu Diab. cap. 3. ubi poſtquam dicit Diabol. *non perſeveraſſe (hoc eſt per voluiſſe) quia non voluit*, ait: *Sponte dimiſit voluntatem, quam habebat; & ſicut accepit habere quouſque habuit; ita potuit accipere ſemper tenere, quod deſervit, ſed quia deſervit, non accepit.* Quo nil expreſsiùs, ut ſciamus Diabolum non perſeveraſſe, quia deſervit ſpontè primam deliberatam electionem honeſtam; * è contra vero bonus perſeveravit, quatenùs poſt acceptam deliberatam electionem honeſtam, liberè voluit illius continuationem novo actu ſaltim virtuali.

* Nota ly deliberatam,

37 Reſpond.

Hæc inſtantia facilè ſolvitur inſiſtendo doctr. traditæ; falſum enim eſt, ut probatur à Thom. continuationem deliberatam in amore Dei in 2. inſtanti virtualitèr diſtincto à 1. (vel elicientiam novi actus amoris realitèr diſtincti ab amore elicito in inſtanti creationis; ideòque 2. inſtans fuit formalitèr tale, ut pluribus placet) fuiſſe realitèr diſtinctam à perſeverantia finali libera, & meritoria in Angelis; ſicuti falſum eſt: poſt talem deliberationem ſucceſiſſe actum novum, quò elegerint in illa perſeverare: quandoquidem in tali deliberato amore fuit finitus ſtatus viatoris; & poſt illũ ſubſecuta eſt ſtatim, & immediatiſsimè beatitudo Angelorum, qui in 2. inſtanti plenè elegerunt nõ deſerere bonam voluntatem ſpecialitèr donatam à Deo in 1. inſtanti, quo incæpit via, & ſe diſpoſuerunt ad iuſtificationem. Arguens facilè tranſit de amore libero ad amorem deliberatum Dei, qua de cauſa non impugnat Thom. ſolutionem. Solum enim poſt amorem elicitum in 1. inſtãti ex ſpeciali motione Dei, & dictamine ab eo immiſſo; fatentur Angelum deliberaſſe; non ob defectum libertatis in 1. amore; cum fuerit regulatum dictamine plenè ſapienti; nec quia aliquod motivum alliciens ad amorem Dei latuerit in 1. inſtanti; ſed quia iam conſtitutus in actu completo poterat formare proprium dictamen, ut etiam à ſeipſo moveretur, & applicaretur ad continuationem, vel diſcontinuationem illius, ut fecerunt Angeli mali. Unde ſicut in his peccando finita eſt via; ita boni perſeverando propter continuationem, finierunt viam, & meritum. Scio præfatum M. tueri Angelos etiam deliberatè dilexiſſe Deum in 1. inſtanti; quia ad illum amorem præceſſit amor boni in communi. Sed oppoſitum tuentur Thom. unde in hoc non debet fundari argumentum. Præcipuè, quia, ut dixi, arguens admittit libentèr hanc doctrinam, ut ex Thom. principijs probet non ſalvari perſeverantiam finalem Angelorum eſſe meritoriam, aut ex ſpecialiſsimo auxilio Dei.

38 Ad teſti. Anſelm.

Hinc Reſp. ad teſtim. S. Anſelmi; cuius claritas contra noſtram doctrinam ignoratur. Solum enim aſſerit Diabolum deſerviſſe bonam voluntatem, quam accepit à Deo; quod libentèr fatentur Thom. cum D. Th. 1. p. q. 63. a. 6. ad 4. ubi inquit: *Prima operatio fuit omnibus communis; ſed in ſecunda ſunt diſtincti; & ideò in 1. inſtanti omnes Angeli fuerunt boni, ſed in 2.* (formalitèr tali pro malis, & æquivalentèr pro bonis) *fuerunt boni à malis diſtincti.* Ecce diſcretionem per Dei gratiam. Negamus tamen Diabolum, poſtquam elicuit amorem Dei ſuper omnia (etſi velis, qui fuerit deliberatus in 1. inſtanti) illum continuaſſe pro 2. inſtanti, quod ſit formalitèr, aut æquivalentèr 2. & poſtmodùm peccaſſe. Quod neceſſe eſt probare, & hoc contineri in teſtim. allato: cum iuxta doct. Thomiſt. & S. D. in illo incipiat inflexibilitas Angelorum. Conſequentèr ad hæc negamus Angelum bonum iam continuantem amorem Dei potuiſſe ab illo liberè ceſſare. Tùm: quia dictamen regulans illum erat in eo factum indefectibile ex natura rei propter illius approbationem ex plena ſapientia procedens. Tùm: quia erat in termino; ubi nullus eſt motus, & via ad po-

Non ait Anſ. deſe ruiſſe deliberatũ amorem.

positum. Potuit tamen Deus absolutè operando, facere, ut amor immediatè desineret esse; sicut,& nō conferre gloriam Angelo. Unde tùnc cessaret; sed non attento modo connaturali Angeli; nec ex eius libertate. Ex qua cessatione non sequitur potuisse contrariam electionem elicere: cum illa tribueretur Deo specialitèr operanti contra exigentiā gratiæ, de quo alibi.

39 Sed instat 1. num. 69. Angelus eligendo operationem deliberatam liberè perseveravit in illa, quia meritorie iuxta Anselm. ergò ita perseveravit, ut potuerit non perseverare: ut constat ex definitione libertatis. Sed si Angelus est ex natura sua inflexibilis indeliberata operatione; hac posita statim perseverat necessariò, imò & naturalitèr: ergò non cohæret inflexibilitas cum perseverantia libera, & meritoria Angelorum. Confirm. Qui perseverat merito proprio perseverantiæ, liberè perseverat, sicut qui meretur merito proprio amoris v. g. liberè diligit. Sed qui est inflexibilis ex natura sua, posita deliberata volitione ex natura sua perseverat in illa: ergò non perseverat merito, & libertate propria perseverantiæ. Patet conseq. Quia naturalia, nec sunt nobis libera, nec naturalibus meremur, aut demeremur. Solùm potest Respond. dicendo: Angelum liberè perseverasse in electione facta, quia potuit antecedentèr non eligere, quod liberè elegit; proindèque potuit non perseverare. Sed hæc doctrina est inutilis ad præsens: quia libertas perseverantiæ in Angelis fuit propria, & etiam meritum distinctum à libera electione honesta in ratione meriti: ergò nèc libertas, nèc applicatio libertatis ad rectam electionem, est libertas, & applicatio ad perseverantiam in Angelis.

Replic. 1.

Confirm.

Quædam Resp reijcitur.

40 Instat 2. num. 48. Angelus non perseveravit finalitèr eliciendo aliam operationem bonam deliberatam in 2. instanti Angelico; vel in operatione 1. elicita, ut postea continuata: ergò post talem deliberationem fuit potens ad perseverandum, vel non perseverandum finalitèr. Añs. prob. Angelus non perseveravit finalitèr, dùm non habuit donum perseverantiæ; sed Angelus operando aliam electionem deliberatam, aut continuando primam, non propter hoc habuit donum perseverantiæ: ergò. Prob. min. Angelus modo dicto operando solum addit, & habuit rectam operationem cum plena libertate contradictionis, & contrarietatis. Sed sic rectè operari non est perseverare finalitèr, aut accipere à Deo auxilium ad perseverandum: ergò. Ex his liquidò constat Angelum non esse perseverantem finalitèr per hoc quòd eliciat deliberatam operationem honestam; vel ex propria electione continuet primam: quia hæc, nec requirunt necessariò gratiam habitualem, nec specialissimum donum accedente propria inflexibilitate.

Secundo.

Non rectè percipio; quid intelligatur nomine libertatis propriæ, & meriti proprij perseverantiæ finalis superadditi ad libertatem, & meritum continuationis deliberatæ amoris Dei elicitit in 1. instanti ab Angelis. Si enim Angelus in 2. instanti elicuit actum formalem virtutis perseverantiæ, quo directè, & signatè voluit continuationē in bono 1. volito (ut piè creditur) sine dubio fuit in illo libertas propria, & meritum proprium perseverantiæ; cum sit actus specialis virtutis, exigensque distinctam cognitionem pro sui regulativo, ut ex dictis latè in hoc tractatu cōstat, estque communis sensus Theol. cum D. Th. 2. 2. q. 137. Sed tamen; cum hic actus ordine naturæ præcesserit continuationem amoris Dei in 2. instanti; rursùsque de hoc actu non loquatur arguens contentus in præsenti disputatione cum sola intentione virtuali perseverandi in Angelis; non est cur de illo actu sit diffusior sermo. Hinc nequit in verbis relatis intelligi aliud, nisi continuatio amoris Dei; quæ in nullo distinguitur à perseverantia amoris 1. eliciti. Quod si talis continuatio sit libera, & meritoria, erit libera, & meritoria, etiam quòad circunstantiam perseverantiæ. Quemadmodum quia perseverantia Petri creati in *A*, nihil aliud dicit nisi continuationem existentiæ in istanti *B*, v. g. continuationem illius formalitèr esse contingentem, nihil est aliud,

41 Resp. ad 1. inst.

quam

quam permanentiam Petri producti in instanti *A* esse contingentem. Cumque Thomistæ apertè fateantur continuationem amoris Dei pro 2. instanti fuisse Angelis plenè liberam, & etiam directè volitam; perseverantia amoris qua talis fuit ipsis libera. Similitèrque; cùm fateantur talem continuationem esse moralitèr honestam, & imperatam ex motivo charitatis; apertè fatētur esse meritoriam quòad circunstantiam perseverantiæ. Undè ab ipsis non tolum conceditur, quòd Angeli meruerint, quia deliberatè dilexerunt Deum; sed quia sic diligendo, liberè continuarunt dilectionem Dei. Ex qua continuatione, & substantia amoris 1. eliciti resultavit unicum meritum beatitudinis, sed completum, & consummatum in ratione meriti: ut satis clarè asserit Div. Thom.

Continuatio actus boni auget meritum.

42 Ex his in forma potest distingui illa propositio: Perseverantia finalis in Angelis fuit libera &c. libertate, & merito distincto substantialitèr, aut in recto à deliberata electione amoris Dei, neg. mai. Distincto per modum conditionis, aut circunstantiæ, conc. mai. Ex quo solùm sequitur, quòd sicùt Angelus deliberatè eliciens continuationem amoris fuit potens antecedentèr, & cum vera libertate ad non continuationem illius, ita etiam fuit potens, & cum vera libertate ad non perseverandum, & ad circunstantiam meriti reperti in perseverantia. Undè quando dicitur, quod posita libera electione amoris, perseverat necessariò; verum est de necessitate consequenti, & indistincta ab ipsa electione, quæ non præiudicat libertati. Falsò tamen dicitur; naturalitèr perseverare, hoc est, ex sola natura Angeli, & non ex gratia Dei: quia ut sæpè diximus, hæc ut infussa à Deo, accomodando se ordini naturæ, est principium proximum, & adæquatum inflexibilitatis circa supernaturalia. Ex his constat ad 1. probation. minoris, & illius confirmationem.

Solut. in forma.

Ad confirm.

43 Nota, nè incautè fallaris: Adv. nolle amorem liberum in 1. instanti integrare cum amore elicito deliberatè in 2. vel cum continuatione eiusdem, perseverantiam finalem in bono. Undè ait, *hanc incepisse à 2. instanti, & ut continuatam nova libertate per ordinem ad plura instantia virtualitèr, sortitam esse rationem perseverātiæ finalis. *Oppositum probatum relinquimus ex Div. Thom. qui asserit, posita electione deliberata in bono, aut malo finiri statum viæ Angelorum. Sic (ultra adducta) in 2. d. 7. q. 1. a. 2. *Sicut finis viæ in homine est mors sua; finis Angeli est terminus electionis suæ, qua bono adhæsit, vel malo. Unde sicut homo confirmatur in bono, vel malo, post mortem; ita Angelus post conversionem, vel aversionem.* Hinc dum in prob. ait Angelum liberè perseverasse in electione deliberata iam suppositā: intendit, ab huius positione incepisse perseverantiam finalem in bono, & meritum: quòd est apertè falsum: * cum in ea fuerit finita via Angelorum; & cui immediatissimè successit eorum confirmatio per glorificationem. Nec Anselm. loquitur in sensu arguentis; sed unicè ait cum M. P. *liberè, & cum meritò perseverantiæ.*

Advertēdum.

*

Sic num. 78.

*

Hinc nego suppositum.

Sic S. D. ibi a. 1.

44 Ad 2. instantiam dictum est supra, Angelos scilicèt accepisse à Deo donum perseverantiæ, fuisseque discretos ab Angelis malis per gratiam Dei, dùm Deus cōtulit eis gratiam efficacem, ut continuarent amorem primò elicitum. Undè in tali 2. instanti, etsi etiā fuerint liberi libertate contrarietatis, non propter hoc perseverarunt; sed quia cùm essent potentes non perseverare peccando, & discontinuando amorem; Deus gratia sua eos prævenit, ut ex toto, ac plena libertate, dictamineque sapientiæ directi continuarent dilectionem Dei. Ad illud, quod addit, nimirùm, libertatem in Angelis ad deliberatā operationem honestā ut sic, non esse formaliter libertatem ad perseverantiam finalem: supra dictum est, & modò dicimus non militare contra sensum Thōmistarum agentium de via Angelorum, de qua supponunt fuisse constitutam per gratiam habitualem, fidem, aliaque dona supernaturalia, & completam per liberum amorem Dei imperantem alios actus virtutum supernaturalium. Compertū est etiam

Ad 2. inst.

Ad ultim.

apud Thom. Angelum non posse retractare volitionem deliberatam honestam; & etiam hanc, aut esse circa finem aliquem ultimum, aut in ordine ad illum; proindèque circa ipsum honestè deliberatè volitum firmitèr manere conversum. An vero hoc sit mereri, & ambulare ad consecutionem efficacem æternæ beatitudinis; pendet ex alijs principijs.

45 Arguit ult. ex D. Greg: Aug. Ruperto, & Alijs asserentibus* Angelos fuisse perseverantes, quia à Deo solidati, & eius gratia adiuti, & muniti.* Sed ex his, & alijs, solum infertur; quòd perseverantia non conveniat Angelis ex naturali proprietate ipsorum; secùs autem ex gratia Dei, quæ perficiens, & non destruens naturam, & modum connaturalem operandi inflexibilitèr; reddat eos intrinsecè adhærentes bono supernaturali. Nec obstat quod iuxta Rup. *Angelus creatus est purus, ut proficeret de sua innocentia.* Nam de facto profecit eam continuando in 2. instanti se de libertate convertendo in Deum. Adducit etiam S. D. q. 24. de Ver. a. 3. asserentem Angelum ex natura esse defectibilē. Sed ex hoc unicè infertur:* ergò ex natura sua nequit reddi immobilitèr perseverans in bono supernaturali deliberatè electo: quòd libentèr fatemur. Solut. est D. Thom. ad 4. *Dicend. Ex hoc quod liberum arbitrium est ex nihilo, convenit, quod non sit naturaliter confirmatum in bono; nec hoc potest ei per gratiam convenire. Non autem ex hoc convenit ei, quod nullo modo possit confirmari per gratiam.* 2. Iuxta S. D. 3. cont. Gent. cap. 155. *Homo indiget auxilio gratiæ ad persever. quia defectibilis est*; & hoc, quia factus ex nihilo. Sed ex hoc unicè infertur, quod Angeli etiam iusti, & diligentes Deum in 1. instanti, indiguerunt auxilio gratiæ specialissimæ, ut perseverarent continuando amorem Dei. Et hoc; quia ante plenam electionem sunt mutabiles de bono in malum.

Arguit. ex SS. PP

Respond.

Lib. 1. de Trinit. cap. 15.

Arguit ex D. Thom triplici ratiocinio

Resp ad 1

Ad 2.

46 3. Eo homo volendo iuxta S. D. aliquod bonū nō potest volēdo se facere, ut in illo immobilitèr se habeat (quod est perseverare finaliter) quia præditus est libero arbitrio ex se variabili, & defectibili; sed hæc ratio militat in Angelis: ergò deliberatè volendo bonum nequeunt se reddere immobiles in bono. Resp. Rationem S. D. esse efficacissimam pro homine, & fundatam in eius propria libertate, quam describit sæpissimè ipse S. D. nimirùm *esse vertibilem de bono in malum, & ante electionem, & post omnem electionem.* Tùm quia est discursivus, ex quo sequitur mobilitas in voluntate, etiam post electionem. Tùm quia peccatum in illo consurgit sæpè ex passione, qua sublata apparet ut malum, quod ante practicè indicabat, ut conveniens. Ex his ergo principijs, quæ in Angelo deficiunt; ubi nulla discordia, aut ignorātia invenitur, sed plena cognitio, & immobilis, secundum quam deliberat, deducit S. D. sæpè hoc discrimen: *Homo est flexibilis, & ante electionem, & post illam. Angelus est flexibilis, & vertibilis ante plenam electionem, secùs vero post electionem.* Quam propositionem nullus ignorat; & illam esse deductā ex prædicatis intrinsecis libertatis in utroque. Unde velle probare Angelum, & hominem, etiam post deliberatam electionem boni supernaturalis, gaudere eadem vertibilitate: & hoc esse de mente S. D. est assumptum, si non impossibile, saltèm Angelicæ Scholæ incredibile. Fatemur liberum arbitrium Angeli ex se esse peccabile, quia potest averti à Deo etiam in 1. instanti super omnia dilecto: sed non omni modo peccabilitatis, scilicèt, peccabilitate ad retractandum electionem deliberatam circa bonum; aut pœnitendum de illa. Fatemur etiam esse plenè liberum ad velle bonum; sed non ad velle, quod sit retractatio, aut pœnitentia virtuosa de malo liberè volito. Homo autem utroque modo defectibilis, & vertibilis est. Neque S. D. ait: hominem non posse eligendo se reddere immobiliter bono adhærentem &c. quia liberum eius arbitrium est de se defectibile; sed quia non gaudet perfecto dominio adhùc ex gratia se accommodanti eius vertibilitati; ideòque nequit immobilis manere. Angeli vero gaudēt pleno dominio ex gratia Dei. Quare, quod homo requirat gratiam specialem ad persev. multiplici titulo; quid obest, ut Angeli

Solutio

geli illam requirant; licet non titulo vertibilitatis poſt omnem deliberatam electionem boni.

47 Nè nimia prolixitate faſtidium ingeram legenti, omitto plura, quæ alibi tract. de Angelis à Noſtris propugnantur. Breviter tamen advertam 1. prædictum Mag. * ſentire Angelos malos habuiſſe poſt peccatum auxilia ſufficientia, ut ſe iterùm converterent in Deum, & pœniterent de peccato. Sed in hoc expreſsè recedit à D. Thom. in 4. d. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 4. ubi probat hanc concluſionem: *In Angelis, in quibus peccatum eſt irremiſsibile, * non adeſt eis potentia exeundi in actum pœnitentiæ; & ideò nec habitus eis convenit.* Vide M. Prado de Pœnit. q. 85. dub. 7. Rursùs num. 103. ſic habet. * Tota cauſa ut Angelus firmetur in bono eſt gratia, & auxilium divinum: ergò tota cauſa, ut Angelus defertor obſtinetur in malo eſt carentia gratiæ, & Divini auxilij. Conſeq. patet: quia ubi affirmatio eſt cauſa adæquata affirmationis, negatio eſt cauſa adæquata negationis.* Si negata inflexibilitate, quam Thom. propugnant in Angelis, defendi debet concluſio, & doctrina recenſita, in loquutionem, nedùm difficilem, verum & ſatis duram prolabitur. Cum enim obſtinatio in malum ſit peſsima; & negatio omnis gratiæ ſit pœna iuſtiſsima, & à Deo A. dicere Deum eſſe totam cauſam, & adæquatam obſtinationis Dæmonum, eſt dicere: Deum ut A. iuſtum eſſe cauſam totalem, & adæquatã mali moralis peſsimi. Scimus enim ex doct. M.P. & Ang.P. *Deum indurare corda hominum*: ſed quomodo? *Non impartiendo malitiam, ſed nõ elargiendo gratiam.* Aſt hoc modo indurare; quis propriè dicet eſſe *totam*, & *adæquatam cauſam indurationis*? Quod enim tantum per neceſſariam illationem ſequitur ex alio, ob id poteſt dici ab illo provenire ut à cauſa totali, & adæquata? Minimè. Cum ad ſummum ſit cauſa logicè talis. Unde differtè M. P. illud Exodi 14. *Ego indurabo cor Pharaonis*, ſic exponit: *Ut cum abfuerit gratia mea, induret illum malitia ſua.* De hoc expreſsè S.D. 1.2.q.79.a.3.

48 Rursùs. Hæc conſeq. refutatur à D. Anſelm. quem refert. num. 31. *Angeli boni perſeverarunt, quia Deus per gratiam ſuã dedit eis perſeverare: ergò mali non perſeverant, quia Deus non dedit.* Eu probat. adductam, à S. Anſ. infirmatam: ſiquidem iuxta Anſelm. cauſa, ut boni vellent perſeverare, fuit Dei gratia; cuius tamen defectus non fuit cauſa, ut nollent mali perſeverare; ſed potiùs Deus eis non dedit, quia ipſi ſpontè deſeruerunt Deum. Ulteriùs. Illa maxima: *Quando affirmatio eſt cauſa &c.* licet concedatur, ut vera, de negatione pura, aut ſimplici: ſecùs tamen de privatione ſimpliciter tali; & huiuſmodi eſt obſtinatio in malo. Ratio traditur à M. P. *Quia liberum arbitrium ad bonum non ſufficit, niſi adiuvetur ab omnipotente bono; ad peccatum vero ſe ſolo ſufficit.* Satis de hoc: Nàm ipſe M. num. ſeq. ait, * Deum ſolum dici cauſam &c. quatenùs ſubtrahit gratiam; & non excedit terminum permiſſoris. Quare videtur correxiſſe prob. quam dicit eſſe erutam ex Doctr. Anſelm.

49 2. advert: Aliud eſſe Angelum poſito amore deliberato Dei eſſe potentem antecedenter averti ab illo: Aliud poſſe antecedenter averti à Deo poſt deliberatum amorem eiuſdem. 1. eſt verum: quia poſitio talis amoris nihil abſtulit de potentia antecedenti. 2. eſt falſum: quia hoc eſt illum habere libertatem ad retractandum amorem priùs deliberatè elicitum; & eſſe flexibilem de bono in malum, etiam poſita electione ſibi libera. Patet à ſimili in Deo; qui eſtò poſito decreto creationis mundi; ſit potens antecedenter ad nolle, aliàs non eſſet liberum: non eſt potens antecedenter ad nolle creare mundum poſt decretum creationis; cùm taliter nolle ſit chimera, utpotè mutatio divinæ voluntatis: ad quam Deus eſt neceſſariò impoſsibilis. Quia igitur Angelus ante plenam libertatem in ſuis electionibus eſt flexibilis de bono in malum; non ſolùm fuit poſt amorem Dei in 1. inſtanti potens averti à Deo, ſed etiam fuit potens averti in 2. inſtanti retractando predictum amorem, averſione ſubſequuta ad illum. Deindè, ut directè propugnetur inflexibilitas Angelorum in bono; non ſuffi-

Advert. 1 * Sic n. 152

Ut dict. eſt in 2.d. 7.q.1.a.2

Secundo.

Impugn. quædam prop. 1.

Secundo.

Tertio.

Ultimo.

Secundo.

cit probare, *quòd post, aut posita recta deliberatione*, Angelus est potens ad oppositam; sed necesse est probare, habere potestatem ad electionem oppositam, *post, aut posita recta deliberatione*. In 1. acceptione ly *post* ponitur exparte potestatis saltim antecedentis: in 2. ponitur ex parte termini illius. De quo Illustr. Montalvàn, Castell. & alij.

50 Denique advertendum: Quòd licèt estò ex adductis à Div. Thom. Angeli statim, àc continuarunt deliberè amorem Dei elicitum in 1. instanti acceperint visionem beatam; qua de causa amor, ut deliberatus non extinit, nisi per correspondentiam ad unicum instans nostri temporis; quia tamen absolutè potuit Deus differre beatitudinem conferendam post illum, ut correspondentem pluribus instantibus nostri temporis: dubitari potest: *An in tali continuatione merè rentur*? Resp. affirmativè: quia estò non possent cessare ab illo; illa continuatio esset libera, & solùm necessaria ex suppositione continuationis amoris eliciti in 1. instanti: quæ necessitas non tollit rationem meriti, etiam distincti. Ceterùm solùm esset libera libertate contradictionis; etiam admisso, quòd potuerit ab illa cessare. Nam cùm ex vi primæ deliberationis iàm ex natura rei, & gratuitæ electionis, sit redditus Angelus inflexibilis ad malum; si Deus ei permitteret peccatum, specialitèr in illud influeret; & insuper flexibilitas ad malum, quæ tùnc Angelo ineesset, à Deo, ut causa proveniret. Si quæras: *An debeat concedi, quòd Angelus perseveravit in amore Dei, ut deliberato*? Ratio pro parte negativa est: Nàm perseverantia ad minus complectitur duo instantia: Dùm enim res primò producitur, non dicitur propriè perseverare: ergò quamvis Angelus propriè perseveraverit in amore libero Dei; non tamen in illo, ut deliberato; quia hæc deliberatio, ut diximus, fuit indivisibilis, etiam per ordinem ad instans nostri temporis. Resp. Quòd estò cum rigore loquendo, non dicatur, Angelum perseverasse in amore, ut deliberato; quia tamen ille ex natura rei erat permanens, & nunquàm fuit per peccatum interruptus, sed desijt esse ad præsentiam amoris beatifici; dicitur illum perseverasse permanisibi proportionata. Admoneo autem Lectorem præd. M. sæpè asserere *Angelum post 1. deliberatam electionem amoris novo actu, novo merito, & libertate perseverasse in illa; perseverantia, inquam, separabili ab ea, & indigente nova gratia efficaci. Undè diabolus sponte deseruit electionem deliberatam amoris &c.* Bone Deus! Si hæc delibetata amoris Dei electio fuit in 2. instanti formalitèr, aut virtualitèr. 2. & iuxta S. Doct. ubi sup. n. 38. in illo fuerunt boni à malis discreti; quare dicitur: *Diabolum eam habuisse à Deo, & illam deseruisse*? Quòd si aufferatur ly *deliberata*; solùm probatur inconnexio amoris in 1. instanti cum amore in 2. Sed ex hoc nihil contra Thom. Dicta sufficiant pro domestica defensione. & sine ulla libidine impugnandi tantum Magistrum sapientia, & eruditione præditum; & de Doctrina Ang. Mag. atque eius Discipulatu, maximè benemeritum.

Ultimo advert.

Cuidam quæsito Resp.

Nota tũc Ang: iam perfev. finaliter un de continuat: esset ad cumulum eiusdem.

Alteri Resp.

O. S. C. S. R. E.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM, ET VERBORVM.

A

ACTUS. ACTIO.

ACtus charitatis,etsi sit quid physicum, non est causa effectiva physica augmenti gratiæ. fol. 75. n. 3.

Fidei, & spei solum exigunt pro principio auxilium fluidum, vel habitum. fol. 485.n.1.

Charitatis positivè influit in actus naturales virtutum,quas imperat. fol. 512. n. 31.

Possibilis est actus supernaturalis cum repugnantia essentiali,ut à gratia habituali procedat. fol.282.n.14.

Et cum repugnantia, ut à charitate imperetur. Ibidem.

Actio gratiarum non probat necessitatem gratiæ specialis.fol. 285.n.22.

ADAMUS.

Adamus per inobedientiam præcepti mortem, aliasque pœnas in reliquos homines transfudit, & ipsum peccatum. fol. 2. n. 5.

Fuit constitutus caput morale posterorum in ordine ad demeritum pœnæ æternæ. fol. 16. n. 27.

Obediente præcepto parvuli denominarentur obedientes, non vero merentes. fol.25.n. 54. & 55.

De facto solum fuit constitutus à Deo caput morale in ordine ad transfusionem iustiæ, vel culpæ originalis. fol. 49. n.2.

Non doluit de suo peccato dolore capitali. fol. 78. n. 14.

Si genuisset filios ante peccatum,illi non contraherent peccatum originale. fol. 126. n. 6.

Nec si Eva peccaret ipso non peccante. fol. 129. n. 16.

Nec filij Cain, etiamsi iste peccare, Adamo non peccante.fol.132.n.2.4.

Eius peccatum habuit speciem superbiæ, inobedientiæ,& gulæ.fol. 14. n.17.

Fuit tamen unicum peccatum.Ib.n. 18.

Ipsi in statu innocentiæ fuit connaturalis cognitio omnium rerum naturalium. fol. 308. n. 89.

Ad actualem perseverantiam, ultra auxilia gratiæ sufficientis egebat Dei cooperatione. fol.566.n.3.

Per Dei gratiam habuit veram potestatem, ut perseveraret in statu innocentiæ. fol. 566. n. .

Non tamen fuit potens consequentèr. fel. 567. n. 8.

Indiguit auxilio efficaci gratiæ ad perseverandum in bono iuxta doctrinam M.P.fol. 570.à n.16 usque 20.

In statu innocentiæ habuit sufficientiam physicam, & moralem ad perseverandum. fol.576.n.37.

Indiguit tamen auxilio efficaci dante actualem perseverantiam, ut distinctam à velle.fol.582.n.9.

Unde, ut perseveraret duplici auxilio eguit, uno quo vellet, alio quo perseveraret. fol. 596. n. 28. & seq.

In statu innocentiæ potuit habere volitionem inconnexam cum actuali perseverantia. fol. 610. n. 7.

Et fuit plenè instructus scientia naturali, & supernaturali, practica, & speculativa. fol. 628. n. 15.

ADIUTORIUM.

Adiutorium perseverantiæ aliud *quo*, aliud sine *quo*. fol. 557. n. 51.

Diffiniuntur. fol. 594. à n. 42.

Quod implorant Sancti non tribuit potestatem physicam, sed moralem. fol. 625. n. 9.

AMOR.

Amoris efficacis variè divisiones. fol. 424. n. 4.

Disparitas inter amorem Dei, & eius odium. fol. 460. n. 25.

Amor appretiativus Dei super omnia quid sit? fol. 464. n. 9.

Efficax finis nequit esse prædeterminatio, nec auxilium *quo* ad reliquos actus. fol. 593. à n. 40.

ANGELUS.

Angeli peccare potuerunt in alio Angelo constituto à Deo capite morali illorum. fol. 70. n. 25.

Ipsis debetur infusio omnium specierum naturalium. fol. 307. n. 86.

Angelus comprehendens alium Angelum solum eius naturalia comprehendit. fol. 427. n. 13.

Ad 1. actum non potuit se movere applicativè. fol. 589. n. 27.

Angelis fuit collatum adiutorium, quo possent perseverare; si vellent. fol. 636. n. 37.

Indiguerunt adiutorio *quo* ad perseverandum, re, aut munere distincto, ab adiutorio sine quo. fol. 638. n. 42.

Tale adiutorium foret gratia specialis. fol. 639. n. 45.

In secundo instanti debetur ipsis auxilium efficax ad eliciendos aliquos actus supernaturales, non tamen ad actum charitatis. fol. 640. n. 50.

ANIMA.

Anima contrahit peccatum originale per unionem ad corpus. fol. 106. n. 14.

Creata à Deo separata à corpore non contraheret peccatum originale. fol. 134. n. 32.

AUXILIUM.

Auxilia dantia potestatem moralem ad perseverandum consistunt in sanctis cogitationibus, & pijs affectionibus. fol. 561. n. 62.

Auxilium efficax, quod requiritur ad perseverandum est gratia specialis. fol. 564. n. 71.

Est speciale intra ordinem gratiæ. fol. 606. n. 78.

Quod possumus auxilio divino, nobis impossibile non est. fol. 447. n. 65.

B

BAPTISMUS.

PEr Baptismum tollitur quidquid habet rationem peccati originalis. fol. 186. n. 32.

Beatitudo admittit plures affectus inefficaces. fol. 610. n. 8.

C

CAIN.

CAin peccante, si Adan non peccasset, filij eius non contraherent peccatum originale. fol. 132. n. 24.

CAPUT. CAUSA. CARENTIA.

Potest quis constitui caput morale illorum, quorum non est caput naturale. fol. 74. n. 2.

Causæ moralis duplex acceptio. fol. 75. n. 2.

Et etiam principalis. Ib. n. 4.

Carentia perseverantiæ quòad positivum non imputatur homini ad culpam. fol. 552. n. 37.

Crea-

Creatura poteſt eſſe cauſa principalis operis miraculoſi, quòad ſubſtantiam. fol.536.n.28.

Cognitio attingens quamlibet veritatem practicam in materia virtutis cum indifferentia poteſt haberi ſine gratia ſpeciali; ſecus vero attingens per iudicium determinatum. fol.304. n.81.

Cognitio omnis veritatis naturalis non poteſt præcipi. fol.310.n.96.

Recta movens ſufficienter ad non peccandum intra ordinem naturæ non eſt gratia ſpecialis. fol. 316. n. 17.

Nec præbens ſufficientiam ad obſervationem præcepti negativi per actum moraliter honeſtum. fol. 319. n.28.

Præcepti non conſtituit poteſtatem ad actum. fol.321.n.34.

Præbens ſufficientiam ad actum intentum præceptum, & moraliter honeſtum, & facilem non eſt gratia ſpecialis. fol323.n.40.

Nec recta ad actum naturalem moraliter honeſtum, etiam ſi non ſit præceptum. fol.324.n.43.

Nec congrua ad aliqua opera honeſta naturalia. fol 335.n.14.

Quid ſit cognitio practicè practica? fol.438.n.38.

Concupiſcentia parentum eſt cauſa peccati originalis filiorum.fol.105. n.8.

Non tamen ita, quod ſit virtus phyſicè influens in peccatum. ibi. n. 9.

Eſt tantum impedimentum paſsivum gratiæ. fol.124.n.38.

Multipliciter accipitur. fol. 242.n. 1.

A Deo non eſt in hoc ſtatu.fol.255 n.4.

Nec ab ipſo eſſet in pura natura. fol.265.n.30.

Converſio ad Deum, ut A. naturæ poteſt ſtare, ſine converſione ad ipſum, ut A. gratiæ. fol.460.n.25.

Culpa originalis adæquate, quòad ſuam eſſentiam ſoli animæ inhæret. fol.225.n.36.

Certitudo duplex,præſcientiæ una, ordinationis altera. fol.552.n.37.

D

DEUS.

DEus collocavit voluntates parvulorum in voluntatem Adami, quin ſit cauſa peccati originalis. fol.26.n.59.

Inter ipſum, & Adamum fuit verum pactum de transfuſione iuſtitiæ originalis, ſi ſervaret præceptum.fol. 43.n.20.

Expectaſſe conſenſum Adami non eſt repugnans. fol.38.n.3.

Expreſsè conſenſit pacto. fol. 45. n. 29.

Potuit conſtituere Adamum caput morale ipſo reluctante. fol. 41. n.12.

Poteſt etiam conſtituere aliquem caput morale, etiam ſi non ſit naturale, parvulorum non dum exiſtentium, futurorum tamen. fol 52. n. 12.

Ita ſe habet in infuſsione gratiæ, ſicut Sol in illuminatione Aeris. fol. 60.n.39.

Poteſt Deus conſtituere aliquem caput morale exiſtentium, & uſum rationis habentium. fol.64.n.1.

Modus, quo in tali caſu ſe gereret. fol.68. n.9.

Et etiam exiſtentium in gratia. ibi. n.17.

Non poteſt tranferre voluntatem beatorum, & Chriſti Domini in alterius voluntatem. fol.69.n.19.

Bene vero voluntates Angelorum, dummodo non ſit pro 1. inſtanti. fol. 71.n.26.

Deum ſe avertere ab homine eſt pœna. fol. 197.n.14.

Eſt A. pœnæ privative, quatenùs eam vult, & approbat. fol. 208. n. 53.

Poteſt eſſe A. unius formalitatis, quin ſit alterius identificatæ cum ipſa. fol.220.n.57.

Iure creationis tenetur ſic regere creaturam intellectualem, ut plures veritates naturales cognoſcat. fol. 287.n.24.

Si damnaret iuſtum nullam iniuriam ipſi irrogaret. fol.330. n.63.

Nequit dici debitor creaturæ, licet debeat dare aliquod bonum. fol. 339. n.25.

Ut A. naturæ potest amari amore efficaci concupiscentiæ. fol. 229. n. 26.

Hæc dilectio includit propositum efficax observandi pro semper totam legem naturæ. fol.432.n.23.

Ut bonum universale potest considerari physicè, & moraliter. fol.467. n.17.

Est paratus conferre donum perseverantiæ. fol.559. n.56.

Offert omnibus iustis auxilia dantia potestatem ad perseverandum.fol. 561.n.61.

Dæmones. Demeritum. Defectus.

Dæmones diligunt Deum, ut est principium essendi, non tamen dilectione amicabili. fol.73. n.30.

Non diligunt Deum, ut A. naturæ efficaciter efficacia completa.fol.464. n.17.

Demeritum formaliter, qua tale non est nisi respectu pœnæ. fol. 70. n.20.

Defectus privativus charitatis, & donorum rectificantium moraliter voluntatem, aliasque potentias participes libertatis est malus moraliter. fol.239.n.25.

Dilectio. Discrimen. Difficultas.

Dilectio Dei æterna strictè gratia non est. fol.278.n.3.

Dei Authoris naturæ super omnia possibilis est. fol.425. n.6.

Efficax illius includit propositum servandi pro semper legem naturæ. fol.432.n.23.

Diversitas numerica peccati originalis desumitur ex diversitate subiecti in quo recipitur. fol.156. n.26.

Discrimen inter cognitiones practicas, & speculativas. fol.438.n.38.

Et inter iustos post lapsum, & Adamum in statu innocentiæ ad perseverandum. fol.573.n.24.

Et inter volitionem requisitam ad perseverandum in utroque statu. fol. 623.n.1. & 2.

Difficultas operationis ex duplici capite provenire potest. fol. 614. n. 18.

Donum. Dolor. Dos.

Donum integritatis Adamo concessum fuit intrinsece, & entitative supernaturale. fol.272. n.2.

A gratia dimanabat. fol.274. n.12.

Perseverantiæ consistit in gratia sanctificanti, & auxilijs efficacibus, ut à Deo collatis ex intentione efficaci coniungendi illam cum morte, & gloria. fol.558.n.54.

Possumus illud obtinere orationibus, & operibus virtutem, & quomodo. ibi, & n.55. & fol. 560. n. 59.

Effective unicè provenit à Deo. fol.562.n.66.

Illius triplex acceptio.fol.564.n.71.

Finalis, ita est donum Dei, ut non sit in potestate hominis iusti, estò sit in eius potestate non ponere obicem conservationi gratiæ. fol. 445. à n.20.

Dolor sensibilis correspondet delectationi sensibili. fol. 168. n.26.

Inter dotes corporis glorioſi solum claritas est quid naturale. fol. 274.n.11.

E

E V A.

EVa si concepisset ante peccatum, fœtus illæ non contraheret peccatum originale. fol. 129. n.7.

E N S.

Ens morale positivum repugnat. fol.172.n.35.

EFFECTUS.

Effectus physicus nullatenùs excluditur à causalitate Dei. fol. 265. n.31.

Dupliciter potest se habere per accidens ad causam. fol.268.n.41.

Doni perseverantiæ est reddere voluntatem determinatam, ut eliciat bonum. fol.558. n.53.

Di-

Diversitas effectuum pertinentium ad providentiam specialem. fol. 445. n.17.

Elatio Adami non fuit consensus negativus; sed peccatum læthale. fol. 598.n.33.

F

FAcienti, quod est in se viribus naturæ adiutæ gratia speciali Deus non denegat gratiam. fol.480.à n.62.

Ly *facimus* concursum activum denotat. fol.554.n.42.

Physica prædeterminatio requiritur, ut salvetur subordinatio creaturæ ad Deum. fol.590.n.33.

FOMES.

Fomes peccati non consistit quo ad sui essentiam in actuali motu appetitus sensitivi circa obiectum delectabile. fol.243. n.3.

Nec in appetitu sensitivo inclinanti in bonum sensibile. ibi. n.5.

Nec in aliqua qualitate morbida ex peccato originali contracta. fol. 245.n.9.

Ad eius constitutionem necessario requiritur carentia iustitiæ originalis, vel cuiuslibet alterius doni perfectè subijcientis appetitum rationi. fol. 247.n.15.

Non consistit formaliter in privatione doni integritatis subijcientis appetitum rationi. fol.250.n.27.

A Deo non est. fol.257. n.11.

Inclinat voluntatem ad peccandum pro formali. fol.258.n.15.

Non est propriè pœna peccati originalis. fol.261.n.18.

Secundum id, quod dicit de formali. fol.262.n.21.

Firmatus absque concursu seminis virilis, non contraheret peccatum originale. fol.125.n.1.

G

GRATIA.

GRatia dicitur iustitia, quatenùs per illam vires inferiores subduntur rationi. fol. 188. n. 38.

Tripliciter potest accipi. fol. 278. n. 1.

Gratiæ Dei duplex acceptio. ibi. n. 2.

Alia naturalis, alia supernaturalis. fol.272. n.4.

Supernaturalis alia habitualis, alia actualis. ibi. à n.6.

Specialis dicitur illa, quæ dispensatur ex providentia speciali. fol.280. n. 8.

Et non debetur naturæ. ibi.n.9.

Et est beneficium distinctum à dono creationis, & moraliter cum illo connexum. ibi.n.10.

Gratia fidei, non requiritur ad honestè operandum intra ordinem naturæ. fol.312.n.5.

Nec gratia charitatis. ibi.n.6.

Prædeterminans non est semper specialis. fol.325. n.32.

Specialis consistit in iudicio prælativo boni honesti, & gratia prædeterminanti. fol.389. n.2.

Requisita ad orandum pro victoria gravis tentationis non est specialis. fol.398.n.28.

Specialis requisita ad dilectionem Dei in statu puræ naturæ, tantum daret actum. fol.445.n.58.

Esset prædeterminans, & ex parte actus 2. se tenens. fol.449.n.70.

Sanans abstrahit ab actuali, & habituali. fol.474.n.41.

Specialis requisita ad dilectionem Dei A. naturæ in statu naturæ corruptæ esset naturalis. fol.483.n.72.

Specialis protectionis in Ang. Doct. fol.469.n.30.

Divisio, & distinctio gratiæ operantis, & cooperantis. fol.498. n.37.

Indigentia supernaturalis gratiæ auxiliantis, & sanctificantis ad aliquod opus non tollit, quod illud sit in potestate liberi arbitrij. fol.570. n. 14.& sequentibus.

Sanctificans requisita ad observationem totius legis naturæ influit positive in illam. fol.512.n.30.

Licet sit requisita ad observationem totius legis naturæ, illa carens non excusatur à culpa. fol.518.à n.3. usq.ad 19.

Illuminationis, & affectionis expectat ad signum actus 1. fol. 522. n. 20. Sub-

Sub sananti comprehēditur gratia illuminationis, & delectationis entitative naturalis. fol.523. n.23.

Specialis requisita ex parte actus 1. ut homo sit moraliter potens ad nunquam peccandum venialiter, est ligatio, aut extinctio fomitis. fol. 537.n.32.

Habitualis, licet sanet hominem quantum ad mentem, non tamen quantum ad corruptionem carnis. fol.563.n.69.

Valens, idem ac adiuvans. fol. 583.n.13.

Cooperans est prędeterminans.fol. 583.n.18.

Necessitas excitantis consistentis in motibus imperpectis solum innititur duplici principio. fol.627.n.15.

Illuminationis est adiutorium *sine quo* ad perseverandum. fol.628.n.17.

Excitans in actu 1. consistit in auxilio fluido elevanti intellectum, & in hoc sensu est afficiens. In actu 2. in illustratione intellectus, & subita affectione voluntatis circa supernaturalia, & sic non est. fol. 629. n. 19.

Ab intrinseco efficax non præstat voluntati virtutem. fol. 630. n. 2. & seq.

Potest tamen appellari Theologice virtus. fol.631.n.25.

Præbet libertatem. fol.634.n.31.

Sine gratia speciali non possunt cognosci proprietates alicuius essentiæ. fol.293.n.46.

Divisio gratiæ in Theologicam, & Philosophicam. fol.642. à n. 1. & sequentib.

Gratia Theologica quid sit, & ad quid dispensetur? fol. 643. à n. 6. & sequentib.

Et auxilium intrinsece supernaturale. fol.650.n.25.

Gratia per Christum quid sit? fol. 635.n.1.& seq.

GENITI.

Geniti à dæmone incubo contrahærent peccatum originale.fol. 126. n. 5.

Hoc gerundium *furandi*, quandoque debitum, quandoque obligationem designat. fol.404.n.44.

H

HOMO.

HOmo conditus in pura naturâ haberet fomitem, quo appetitus rebellaret rationi. fol. 250.n.25.

Lapsus potest sine gratia speciali cognoscere omnes veritates creatas divisive sumpta. fol.287.n.29.

Ut cognoscat omnes veritates creatas collective non requirit gratiam entitative supernaturalem, sed tantum, quo ad modum. fol.307. n. 88. & 89.

Sine gratia habituali potest elicere aliqua bona opera. fol.312.n.3.

Potest elicere aliqua opera honesta moraliter absque auxilio efficaci, quod sit gratia specialis ordinis naturæ. fol. 343.n.2.

In homine triplex bonum naturæ. fol.351.n.29.

In statu naturæ integræ potuit graviter tentari à dæmone contra bonum naturale. fol.383.n.24.

In homine graviter tentato datur vera libertas ad victoriam; licet iudicium prælativum se teneat ex parte actus primi. fol.409. n.60.

In ipso potest considerari duplex libertas. ibi.n.62.

Graviter tentatus habet auxilia sufficientia ad orandum, nè succumbat tentationi. fol 412.n.68.

Iustificatus indiget gratia speciali ad victoriam gravis tentationis ex motivo naturali. fol.413.n.71.

Succumbens tentationi gravi peccat; licet careat gratia speciali ad victoriam. fol.422.n.26.

In statu naturæ integrę ad diligendum Deum super omnia naturaliter, solum indigebat auxilio ad hoc eum movens. fol.423.n.1.

In statu naturæ corruptæ indiget auxilio gratiæ naturam sanantis. ibi.

In statu puræ naturæ potest diligere Deum A. naturæ super omnia, cum gratia speciali. fol.429.n.17.

In statu elevationis etiam potest. fol.452.n.4.

In peccato mortali existens non in-

indiget gratia habituali ad dilectionem Dei A. naturæ ſuper omnia. fol. 462. n. 3.

Poteſt ſimul eſſe actualiter converſus ad Deum, & ſimul habitualiter averſus indirectè. fol. 473. n. 35.

In ſtatu naturæ integræ poterit omnia mandata legis implere quòad ſubſtantiam abſque gratia ſpeciali. fol. 487. n. 5.

Lapſus indiget gratia ſpeciali dante actum ad obſervationem totius legis naturæ. fol. 489. n. 13.

In pura natura poteſt per longum tempus obſervare totam legem naturæ. fol. 494. n. 24.

Lapſus ut diù adimpleat totam legem naturæ eget gratia illa, per quam Deus facit, ut faciamus, & ut in iuſtificationibus etiam ambulemus, eius mandata faciendo. fol 500. n. 43.

Ut diù obſervet totam legem naturæ eget gratia iuſtificanti. fol. 503. n. 1.

Nequit certo ſcire ſe diù vitaſſe omne peccatum contra legem naturæ. fol. 514. n. 36.

Lapſus ſolum habet impotentiam moralem ad obſervationem totius legis naturæ. fol. 516. n. 4.

Iuſtus non poteſt vitare omnia peccata venialia collective abſque ſpeciali privilegio. fol. 526. n. 4.

Licet in talia ex obiecto, & fiant cum plena deliberatione. fol. 527. n. 7.

Eſt illi impoſsibilis vitatio omnis peccati venialis collective abſque gratia ſpeciali donante talem vitationem. fol. 529. n. 12.

Hæc impotentia non eſt phyſica. fol. 531. n. 17. & 18.

Undè tenetur vitare omnia peccata venialia collective. fol. 538. n. 34.

I

IMAGINATIO; IMPEDIMENTUM. Impotentia. Impoſsibilitas.

BOnitas imaginationis conducit ad ſcientiam. fol. 101. n. 50.

Impedimentum dupliciter dicitur phyſicum. fol. 123. n. 35.

Impotentia in homine lapſo, & in puris naturalibus ad cognitionem omnis veri collective eſt phyſica, & moralis fol. 305. n. 83.

Impoſsibilitas triplex, phyſica, Metaphyſica, & moralis. fol. 384. n. 27.

Impotentia moralis non dicit aliquem defectum intrinſecum ad victoriam tentationis. fol. 414. n. 2.

Impotentiæ phyſicę duplex acceptio. fol. 531. n. 17.

Impoſsibilitas executionis probat impoſsibilitatem intentionis efficacis. fol. 432. n. 25.

Ad imputabilitatem omiſsionis ſufficit libertas mediata, fol. 409. n. 60.

Intellectus. Iudicium. Iuſtificatio. Iuſtitia.

Intellectus per peccatum originale manſit vulneratus ad ſpeculandum verum. fol. 290. n. 37.

Non tamen manſit inclinatus in falſum. ibi. n. 39.

Non indiget gratia ſpeciali ad cognoſcendam bonitatem illationis in ſyllogiſimo Theologico. fol. 293. n. 45.

Non habet appetitum innatum ad cognitionem omnis veri collective. fol. 299. n. 66.

Poteſt ſine gratia ſpeciali cognoſcere aliquas veritates practicas; non tamen omnes collective, bene vero diviſive. fol. 302. n. 73.

Iuſtitia originalis fuit promiſſa Adamo ſub conditione obſervationis omnium præceptorum. fol. 144. n. 31.

Ab ipſa, ut diſtincta à gratia habituali non poſſunt procedere opera meritoria vitæ æternæ. fol. 178. n. 11.

Non eſt converſio hominis ad Deum, ut finem ultimum. fol. 181. n. 18.

Non diſtinguitur à gratia ſanctificanti. fol. 196. n. 8.

Iuſtificatio eſt translatio de ſtatu iniuſtitiæ, ad ſtatum iuſtitiæ. fol. 195. n. 6.

Cum iudicio proponenti bonum honeſtum, ut convenientiam, ſtat difficultas in eius proſequtione. fol. 391. n. 6.

Iudicium prælativum tantum præbet vires morales voluntati. fol. 397. n. 25.

Non se tenet ex parte actus primi. fol. 401. n. 35.

Iudiciorum diversitas in ordine ad operationes voluntatis fol. 404. num. 45.

Practicè dictans Deum esse amandum super omnia, requirit gratiam specialem. fol. 439. n. 39.

Ex intentione inefficaci finis non potest oriri electio efficax mediorum. fol. 615. n. 22.

Infidelitas negativa assignatur. fol. 470. n. 26.

L

LEGISLATOR. LEX.

LEgislator humanus potest transferre voluntates minorum in voluntatem alterius. fol. 20. n. 40.

Sine cognitione legis nullum esset peccatum. fol. 26. n. 59.

Fictio legis non se extendit ad impossibile. fol. 32. n. 79.

Lex intelligitur per *litteram*. num. 25.

Libertas. Liberum arbitrium.

Libertas ad bonum morale convenit homini, ut est imago Dei. fol. 325. n. 45.

Duplicitèr dicitur mediata. fol. 407 n. 56.

Datur in homine immediata ad victoriam gravis tentationis. fol. 480. n. 51.

Liberum arbitrium non fuit extinctum per peccatum Adæ. fol. 326. n. 1.

Non habet imporentiam ad non peccandum. fol. 548. n. 26.

Libido dividitur in actualem, & habitualem. fol. 243. n. 4.

M

MARIA.

VIrgo Maria antequàm desponsaretur Joseph, non vovit absolutè castitatem. fol. 111. n. 28.

Materia legis tantùm est actus liber. fol. 465. n. 12.

Malitia. Malum. Miraculum.

Malitia superbiæ fuit prima, & capitalis in peccato Adami. fol. 140. n. 19.

Ratio mali ex hoc est, quod homo se avertit à Deo. fol. 197. n. 13.

Malum ut sic solùm habet causam per accidens. fol. 270. n. 47.

Magister Gonet vindicatur. fol. 334. à n. 11.

Miracula in triplici differentia. fol. 309. n. 92.

Meritum. Motus. Mors.

Meritum requirit subiectum iustum, & sanctum. fol. 25. n. 55.

Motus appetitus sensitivi non potest directè immutare voluntatem. fol. 259. n. 16.

Concupiscentiæ mali sunt. fol. 266. n. 34.

Motivum dilectionis Dei naturalis est eius bonitas, proùt resplendet in creaturis. fol. 428. n. 15.

Mors intravit in mundum per peccatum, tanquàm per causam demeritoriam. fol. 81. n. 24.

Mors ut coniuncta cum gratia solùm à Deo provenire valet. fol. 443. n. 11.

Modus virtutis aliquando cadit sub præcepto. fol. 417. n. 11.

N

NNaturale homini est aliquid, vel per modum perfectionis, vel defectus. fol. 265. n. 31.

Est etiam, quia ortum ducit ex principijs naturæ, vel quia inseparabilitèr naturam committatur. fol. 276. n. 21.

Nomen equivocum significat differentias proprias significatorum. fol. 6. n. 13.

O

OBSERVATIO.

AD observationem totius legis naturæ quantum ad modum requiritur gratia specialis. fol. 486. n. 3.

Est

Est tamen entitativè naturalis. fol. 511. n. 27.

Obiectum irascibilis est bonum arduum. fol. 613. n. 17.

OPUS.

Opus est proprium alicuius, vel proprietate essentiali, vel connaturali. fol. 492. n. 19.

Miraculosum esset, quòd scandala non venirent. fol. 535. n. 26.

Naturale, nec de congruò est meritorium gratiæ vocationis ad fidem. fol. 645. n. 10.

Nequit positi vè disponere ad gratiam. fol. 48. n. 21.

OMISSIO.

Omissio est imputabilis, etiam deficiente potestate immediata ad actum præceptum; si omittens possit talem potestatem adquirere. fol. 488. n. 9.

ORATIO.

Oratio est clarissima gratiæ testificatio. fol. 328. n. 54.

Ex indigentia illius non probatur, quòd auxilium imploratum sit gratia specialis. fol. 356. n. 45.

Orationis impetratoriæ conditiones. fol. 510. n. 24.

Oratio devota trium horarum nequit haberi sine gratia specialissima. fol. 495. n. 29.

P

PARVULI. POSTERI.

PArvuli descendentes ex Adamo nascuntur infecti peccato originali ortum ducente ex peccato illius. fol. 1. n. 1.

In vero sensu commisserunt idem peccatum, ac ipse dùm primò peccavit. fol. 14. n. 19.

Et sic est ipsis voluntarium peccatum originale. fol. 17. n. 28.

Non transtulerunt suum consensum in consensum Adami. fol. 20. n. 34.

Sed voluntates eorum transtulit Deus in voluntatem Adami. Ibidem.

Ut personę particulares non possunt increpari pro peccato originali; benè verò ut membra Adami. fol. 24 n. 50.

Peccaverunt in Adamo, ut distincti ab illo. fol. 29. n. 69.

Idem numero peccatum commisserunt. fol. 30. n. 74.

Illorum peccatum tantùm fuit Adamo moraliter voluntarium. fol. 121. n. 28.

Parvulus nutritus in silvis potest se præparare ad gratiam, & fidem. fol. 472. n. 34.

Perveniens ad usum rationis tenetur se in debitum finem ordinare. fol. 469. n. 23.

PECCATUM. PECCATORES.

Peccatum originale est verè, & propriè peccatum. fol. 4. n. 22.

Peccatum non dicitur æquivocè de peccato originali, & actuali. fol. 6. n. 25.

Ab ipsis potest abstrahi ratio communis iniquitatis fol. 7. n. 26.

Originale licet sit primum, non est maximum. fol. 8. n. 33.

Habituale constituit peccatum in facto esse. fol. 17. n. 28.

Adami fuit proculdubiò intrinsecum reputativæ. fol. 22. n. 47.

Esse commissum propria voluntate, est idem ac à singulari persona. fol. 32. n. 81.

Ut Adami nobis imputetur, necesse fuit ordinationem divinam ipsi innotescere. fol. 39. n. 7.

Adami fuit causa efficiens moralis peccati originalis parvulorum. fol. 76. n. 8.

Non tamen fuit causa efficiens demeritoria. fol. 79. n. 19.

Fuit causa traductionis peccati originalis, non quia tale; sed quia primum. fol. 135. n. 3.

Originale non consistit in substantia animæ, neque in fomite. fol. 148. n. 2. & 3.

Nec in peccato Adami proùt ab illo denominantur posteri extrinsecè peccatores. fol. 150. n. 9.

Nec, ut in posteris moraliter perseverans. fol. 252. n. 15.

Nec

Nec in aliquo positivo physico vero, & reali. fol.132.n.15.

Nec in aliquo positivo morali, quo voluntas parvuli sit conversa ad bonum commutabile. fol. 168 n.22.

Non datur in ipso conversio positiva in bonum commutabile. fol.168. n.22.

Quia non fuit commissum à parvulis sub formalitate conversionis. fol. 170.n.29.

Non consistit adæquate in privatione alicuius doni naturalis.fol.177. n.8.

Neque in privatione iustitiæ originalis, proùt à gratia sanctificanti distincta. fol.178.n.10.

Neque in privatione rectitudinis, quæ fuit in peccato Adami. fol. 191. n.47.

Sed in privatione iustitiæ originis & gratiæ, quòad primarium eius effectum. fol.195.n.6.

Est mors animæ formaliter, & se tenet ex parte termini in iustificatione. fol.198.n.16.

Ad ipsum sufficit, quod caput potuerit adimplere præceptum. fol.202. n.32.

Peccatum veniale nequit coniungi cum solo originali. fol.469.n.23.

Plures peccatores, etiam infideles Deum, ut A. naturæ dilexerunt. fol. 48.n.60.

Peccati venialis triplex acceptio. fol. 525. n.1.

PERSEVERANTIA.

Perseverantiæ triplex acceptio.fol. 539.n.1.& 2.& 8.

Tertiæ acceptionis duplex acceptio. fol.540.n.5.

Datur perseverantia, quæ est donum viæ. fol.557.n.5.

Quòad effectum positivum non potuit provenire à libertate Adami in statu innocentiæ. fol.565.n.2.

Eius actus in quo consistat.fol.607. n.1.

Est specialis virtus. fol.612.

Consistens in formali coniunctione gratiæ cum morte est donum speciale, ex providentia speciali intra ordinem gratiæ proveniens. fol. 542. n.8.

Est gratia specialis, etiam si Deus non conferret gloriam decedentibus in gratia. fol445.n.19.

Dupliciter potest amari à voluntate. fol. 612. n.16.

Pœnitentia. præceptum.

Ad pœnitendum de mortalibus requiritur propositum efficax abstinendi se ab omnibus, & singulis, de venialibus vero tantum ab omnibus. fol.432.n.24.

Præceptum dilectionis Dei, ut A. naturæ, & gratiæ est duplex; utrumque tamen adimpletur diligendo Deum, ut A. gratiæ. fol.460. à n.26. usq. ad 30.

Aliqua præcepta supernaturalia adimpleri possunt absque auxilio gratiæ supernaturalis. fol.485.n.2.

Prædeterminatio, Privatio, Prudentia, Propositum.

Divisio prædeterminationis insignatam, & exercitam est impercepti-bilis, & inutilis. fol.393. n. 36.

Privatio duplex,& formę ab intrinseco debitæ, & ab extrinseco. fol. 114. n.5.& 6.

Gratiæ obtinet rationem culpæ, & pœnæ. fol.198.n.28.

Ad rigorosam alicuius formæ sufficit, quod sit forma debita conditionate. fol.203.n.35.

Providentia specialis erga homines quid sit? fol. 361. n.26.

Prudentia necessario supponit virtutes morales. fol.438.n.37.

Propositum rectè operandi ad diversas virtutes potest pertinere. fol. 607.n.1.

Propositio de futuro quid dicat. fol.555.n.45.

POTENTIA.

Quoties aliqua potentia intelligitur impedita ad aliquem actum, ut intelligatur proximè expedita ad illum necessario debet carere tali impedimento. fol.248.n.20.

Quid sit potentia consequens? fol. 567.n.5.

Quo-

Q

QUomodo præcepta ceremonialia dicantur non bona ab Ecclesiastico. fol. 315. n. 13.

R

EAdem res sub diversa consideratione potest terminare amorem, & displicentiam. fol. 208. n. 53.

Ratio naturalis, etiam supposita elevatione, nequit dictare adhùc indirectè obediendum esse Deo Authori gratiæ. fol. 455. n. 15.

Regula ad cognoscendum quando SS. PP. loquuntur de gratia efficaci, aut sufficienti. fol. 632. n. 26.

S

SEMEN.

SAnctitas est rectitudo universalis. fol. 513. n. 31.

Semen non causat peccatum originale per suam virtutem innatum, aut per aliquem modum, aut respectum ei superaditum ex peccato Adę. fol. 87. n. 3.

Nec per virtutem ipsi positive superadditam. fol. 88. n. 7.

In statu innocentiæ non haberet vim ad traducendam iustitiam orig. quòad primarium eius effectum. fol. 90. n. 14.

Nequit causare peccatum originale, quatenus ratione suæ infectionis causat defectum naturalis dispositionis requisitæ ad existentiam iustitiæ originalis. fol. 97. n. 35.

Dicitur immundum, non moraliter, sed causaliter fol. 103. n. 3.

Ob peccatum Adæ mansit privatum vigore, quo pollebat in statu innocentiæ. fol. 102. n. 5.

Qui defectus solùm est extrinsecus. ibi. n. 6.

SUBIECTUM.

Subiectum non existens potest peccare, ut membrum misticum naturæ. fol. 36. n. 95.

Quo immediatum peccati originalis est ipsa anima. fol 274. n. 4.

STATUS.

Status naturæ integræ, & innocentiæ fuerunt indivisibiliter coniuncti. fol. 275. n. 19.

In statu innocentiæ esset inæqualitas secundum perfectiones corporis, & animæ. fol. 288. n. 33.

Separationis non est naturalis Animæ; sed violentus secundum quid. fol. 299. n. 85.

Puræ naturæ non excludit gratiam specialem transeuntem communicatam fol. 441. n. 46.

In naturæ corruptæ requiritur gratia specialis ad dilectionem Dei A. naturæ. fol. 483. n. 69.

In innocentiæ iusti raperentur vivi in cœlum quando Deo placeret. fol. 565. n. 1.

Stat aliquid esse requisitum Metaphysice ad aliquem effectum, & tantum influere moraliter. fol. 385. n. 29.

Status puræ naturæ quid dicat. fol. 423. n. 2.

Ly ex *specie sua* aliquando sumitur constitutive, aliquando consequitur. fol. 268. n. 40.

T

Terminus. Tentatio.

TErminus productus per actum voluntatis non petit unicè recipi in illa. fol. 221. n. 23.

Tentatio probans est à Deo, non vero seducens. fol 262. n. 22.

Alia levis, alia gravis. fol. 365. n. 2.

Diversitas respectiva in tentationibus respective ad subiecta. ibi. n. 3.

Tripliciter vinci potest. ibid.

Omnis provenit ex tribus Animæ inimicis. fol. 367. n. 12.

In sensu composito illius datur sufficientia ad victoriam. fol. 405. n. 48.

Gravis non est ab intrinseco connexa cum sui prosequutione. fol. 395. n. 16.

D. Thomas.

D. Thomas à retractatione vindicatur. fol 509 à n. 18. usque 24.

V

VERITAS.

NUlla veritas naturalis, licet facilis potest cognosci absque auxilio Dei moventis. fol. 281. n. 11.

Plures naturales sine gratia speciali cognosci non possunt. fol. 282. n. 15.

Sunt in multiplici differentia. ibi. n. 16.

Ad cognitionem plurium illarum non indiget intellectus gratia speciali dante posse. fol. 283. n. 18.

Et sine gratia speciali dante actualem cognitionem. fol. 284. n. 20.

Aliqua Dei ut A. naturæ nequeunt cognosci sine gratia speciali certo. fol. 294. n. 49.

Omnes collective, nec in statu innocentiæ cognosci possunt absque gratia speciali. fol. 295. n. 52.

Veritates practice possunt cognosci practice, & speculative, practice quando accipiuntur pro regula operationis, speculative quando non accipiuntur. fol. 304. n. 79.

VICTORIA.

Ad victoriam levis tentationis ex motivo supernaturali, non requiritur gratia supernaturalis. fol. 365. n. 4.

Ad eius victoriam ex motivo inhonesto non requiritur gratia specialis. ibid.

Ad eius victoriam in natura lapsa non requiritur gratia specialis. fol. 369. n. 17.

Est tamen requisita ad victoriam plurium levium. fol. 373. n. 31.

Non dicit præcire, non prosequi bonum delectabili; sed prosequi bonum honestum. fol. 374. n. 34.

Ad victoriam gravis tentationis non requiritur gratia supernaturalis, nec sanctificans. fol. 575. n. 1. & 2.

Bene vero gratia specialis. fol. 376. n. 5.

Victoria gravis tentationis ex pravo fine est mala moraliter. fol. 379. n. 13.

Est repugnans Physicè, & Methaphysicè sine gratia speciali. fol. 384.

Vitatio. Vis. Virtus.

Vitatio omnis venialis esset miraculosa licet non intrinsece. fol. 536. n. 27.

Vis idem ac auxilium significat, & in Scriptura accipitur pro efficaci Dei motione. fol. 630. n. 22.

Virtus idem, ac efficax gratia. fol. 631. n. 23. & 24. & 25.

Voluntarium. Voluntas. Volitio.

Voluntarium ut sic dividitur in personale, & capitale. fol. 7. n. 29.

Ex capitali oritur strictè obligatio in contractibus. ibid.

Voluntas ut potens peccare continetur sub dominio Dei. fol. 27. n. 61.

Est potens formare iudicium prælativum boni honesti in casu gravis tentationis. fol. 394. n. 15.

Potest repudiare obiectum, quod non prosperitur, ut bonum sub omni ratione. fol. 395. n. 17.

Si ex duobus bonis æqualiter propositis potest eligere, quod maluerit: tunc gratia requisita ad victoriam gravis tentationis specialis non est. fol. 412. n. 70.

Observandi præceptum est auxilium ad facere. fol. 499. n. 41.

Antecedens, est consequens in Deo, quid sit. fol. 568. n. 9.

Volitio efficax pro adimpletione unius præcepti, est invalida pro altero. fol. 499. n. 40.

Efficax vult obiectum cum omnibus circunstantijs; inefficax secundum se. fol. 561. n. 60.

Inefficax ex duplici capite provenire potest fol. 610. n. 7.

Non

Non dedecet ſtatum innocentiæ. ibi.n.8.

Daretur in illo ſtatu. ibi.

Illa, qua Adamus imperaret perſeverantiam in bono, eſſet actus arduus, & magnæ perfectionis. fol. 612.n.16.

Eſſet ex ſpecie ſua, fortis, robuſta, & efficaciſsima. fol.614. n.19.

Volitio à qua fuit dependens perſeverantia Angelorum fuit efficax, & intenſa. fol.636.n.38.

Inefficax non foret ſufficiens. fol. 637.n.39.

VOTUM.


Votum nunquam peccandi veniaaliter eſt invalidum. fol.535.n.26.

Vulnera ex quibus proveniunt impedimenta ad bene operandum. fol. 523.n.23.

Unicus actus virtutis, niſi ſit valde intenſus, non poteſt producere habitum. fol.614.n.19.

Ex quo unum extremum ſit in poteſtate liberi arbitrij, non ſequitur, quod etiam ſit eius contradictorium. fol.551.n.39.

FINIS.



ESTANTE 3.°
Tabla 5.ª
N.° 6

9

21
39

A LIAGA
COMMENT.
IN I. II. D. TH

TOM. III.

5.703